Arcana Cæleſtia,

QUÆ IN

SCRIPTURA SACRA,

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

Hic quæ in

EXODO,

Una cum Mirabilibus

Quæ viſa ſunt

In Mundo Spirituum, & in Cœlo Angelorum.

PARS TERTIA.

MDCCLVI.



E X O D I

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9443. NUNC de Remissione Peccatorum dicetur.

9444. Peccata quæ homo facit, ipsi ejus vitæ irradicantur, & faciunt illam; quapropter nemo liberatur ab illis, nisi novam vitam recipiat a Domino, quod fit per Regenerationem.

9445. Quod homo a seipso non possit bonum facere, nec verum cogitare, sed a Domino, constat apud Johannem, "*Non potest homo facere quicquam: nisi sit datum ei e cœlo*, III: 7. "*Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam*," XV: 5: inde patet, quod nemo aliquem a peccatis abducere possit, ita remittere illa, quam solus Dominus.

9446. Dominus continue influit apud hominem cum bono amoris & cum veris fidei, sed illa recipiuntur dissimiliter, aliter ab uno quam ab altero; ab illis qui regenerati sunt, bene; at ab illis qui non regenerari se patiuntur, male.

9447. Qui regenerati sunt, illi a Domino continue tenentur in bono fidei & amoris, & tunc detinentur a malis & falsis; qui autem se non regenerari a Domino patiuntur, detinentur etiam a malo, & tenentur in bono; nam a Domino influit continue bonum & verum apud unumquemvis hominem, sed amores infernales, qui sunt amores sui & mundi, in quibus sunt, obstant & vertunt influxum boni in malum, & veri in falsum.

9448. Ex his constat, quid sit Remissio peccatorum: posse a Domino teneri in bono amoris & veris fidei, & detineri a malis & falsis, est Remissio peccatorum: ac tunc fugere malum & falsum, & aversari illa, est Pœnitentia: sed hæc non dantur nisi apud illos, qui novam vitam per regenerationem receperunt a Domino; nam illa sunt novæ vitæ.

9449. Signa, quod remissa sint peccata, sunt quæ sequuntur; percipiunt jucundum in colendo Deum propter Deum; in serviendo proximo propter proximum, ita in faciendo bonum propter bonum, & in credendo verum propter verum; nolunt mereri per aliquid charitatis & fidei; fugiunt & aversantur mala, ut inimicitias, odia, vindictas, immisericordias, adulteria; verbo, omnia quæ sunt contra Deum & contra proximum.

9450. Signa autem, quod non remissa sint peccata, sunt quæ sequuntur; colunt Deum non propter Deum, & serviunt proximo non propter proximum, ita non faciunt bonum & loquuntur verum propter bonum & verum, sed propter se & mundum; per facta volunt mereri; contemnunt alios præ se; percipiunt jucundum in malis, ut in inimicitia, in odio, in vindicta, in sævitia, in adulteriis; ac spernunt sancta Ecclesiæ, & illa corde negant.

9451. Peccata creduntur abstersa, &, quasi solent sordes aquis, abluta, quando remissa sunt; sed usque apud hominem manent; quod abstersa dicantur, est ex apparentia, cum homo detinetur ab illis.

9452. Dominus ex Divina Misericordia regenerat hominem, quod fit ab ejus infantia usque ad ultimum vitæ in mundo, ac postea in æternum; sic ex Divina Misericordia abducit hominem a malis & falsis, & ducit ac fidei vera & amoris bona, & dein tenet eum in illis; ac postea ex Divina Misericordia elevat eum ad Se in cœlum, & felicem reddit; hæc sunt quæ intelliguntur per Remissionem peccatorum ex Misericordia. Qui credunt quod peccata aliter remittantur, prorsus falluntur; immisericordiæ enim foret videre multitudinem hominum in infernis, & non salvare, si aliter fieri potuisset; cum tamen Dominus est ipsa Misericordia, ac nullius mortem vult, sed ut vivat.

9453. Qui itaque non patiuntur se regenerari, ita non detineri a malis & falsis, Misericordias illas Domini a se removent & rejiciunt; inde est, quod in culpa sit, quod salvari nequeat.

9454. Hæ sunt quæ intelliguntur apud Johannem, "*Quotquot receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius, qui non ex sanguinibus, neque e voluntate carnis, neque e voluntate*

luntate viri, ſed ex Deo nati ſunt," i: 12. 13; ex ſanguinibus ſunt qui contra bona fidei & charitatis; ex voluntate carnis ſunt qui in malis ex amoribus ſui & mundi; ex voluntate viri ſunt qui in falſis inde; naſci a Deo eſt regenerari: quod nemo poſſit venire in cœlum niſi regeneretur, apud Eundem, "*Amen, amen dico tibi, niſi quis regeneretur denuo, non poteſt videre Regnum Dei: amen, amen dico tibi, niſi quis generatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei,"* iii: 3. 5; generari ex aqua eſt per verum fidei; & generari ex ſpiritu eſt per bonum amoris. Ex his nunc conſtare poteſt, quinam ſunt quibus remiſſa ſunt peccata, & quinam quibus non remiſſa.

****

CAPUT XXV.

1. ET loquutus eſt JEHOVAH ad Moſchen dicendo.

2. Loquere ad filios Iſraelis, & accipiant Mihi collectam, a cum omni viro quem ſponte movit cor ejus accipiatis collectam meam.

3. Et hæc collecta, quam accipietis a cum illis, Aurum & Argentum & Æs.

4. Et Hyacinthinum, & Purpura, & Coccineum dibaphum, & Linum byſſinum, & Lana caprarum.

5. Et Pelles arietum rubrorum, & Pelles melium, & Ligna Schittim.

6. Oleum luminari, Aromata oleo unctionis, & ſuffimento aromatum.

7. Lapides ſchoham, & Lapides impletionum ephodo & pectorali.

8. Et faciant Mihi Sanctuarium, & habitem in medio illorum.

9. Secundum omne quod Ego monſtro tibi, formam Habitaculi, & formam omnium vaſorum ejus, ac ita facietis.

10. Et faciant arcam lignorum Schittim, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, ac cubitus ac dimidius latitudo ejus, ac cubitus & dimidius altitudo ejus.

11. Et obduces illam auro puro, ab intra & ab extra obduces illam, & facies ſuper illam limbum auri circumcirca.

12. Et fundes ei quatuor annulos auri, & dabis ſuper quatuor angulos ejus; & duo annuli ſuper latere ejus uno, & duo annuli ſuper latere ejus altero.

13. Et facies vectes lignorum Schittim, & obduces illos auro.

14. Et induces vectes in annulos ſuper lateribus arcæ, ad portandum arcam in illis.

15. In annulis arcæ erunt vectes, non removebuntur ab ea.

16. Et dabis ad arcam Teſtimonium, quod dabo ad te.

17. Et facies Propitiatorium, auro puro, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, & cubitus & dimidius latitudo ejus.

18. Et facies binos Cherubos, auro ſolido facies illos, a duabus extremitatibus Propitiatorii.

19. Et fac Cherubum unum ab extremitate hinc, & Cherubum unum ab extremitate illinc; ex Propitiatorio facietis Cherubos ſuper duabus extremitatibus ejus.

20. Et erunt Cherubi expandentes alas ſurſum, obtegentes alis ſuis ſuper Propitiatorium, & facies eorum viri ad fratrem ſuum, ad Propitiatorium erunt facies Cheruborum.

21. Et dabis Propitiatorium ſuper arcam deſuper, & ad arcam dabis Teſtimonium, quod dabo ad te.

22. Et conveniam tibi ibi, & loquar tecum deſuper Propitiatorio, ab inter binos Cherubos qui ſuper Arca Teſtimonii, omne quod præcipiam tibi ad filios Iſraelis.

23. Et facies Menſam lignorum Schittim, duo cubiti longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, & cubitus & dimidius altitudo ejus.

24. Et obduces illam auro puro, & facies ei limbum auri circumcirca.

25. Et facies ei clauſuram palmi circumcirca; & facies limbum auri clauſuræ ejus circumcirca.

26. Et facies ei quatuor annulos auri, & dabis annulos ſuper quatuor angulos, qui quatuor pedibus ejus.

27. E regione clauſuræ erunt annuli ad domos vectibus ad portandum menſam.

28. Et facies vectes lignis Schittim, & obduces illos auro, & portabitur illis menſa.

29. Et facies ſcutulas ejus & acetabula ejus, & ſcutellas ejus, & ſcapulas ejus, quibus integetur, auro puro facies illa.

30. Et dabis ſuper menſam panem facierum ad facies meas jugiter.

31. Et facies Candelabrum auro puro, ſolidum fiet Candelabrum, ſcapus ejus & calamus ejus, ſchyphi ejus, malogranata ejus, & flores ejus, ex illo erunt.

32. Et

32. Et ſex calami exeuntes ex lateribus ejus, tres calami Candelabri ex latere ejus uno, & ſex calami Candelabri ex latere ejus altero.

33. Tres ſcyphi amygdalati in calamo uno, malogranatum & flos, & tres ſcyphi amygdalati in calamo uno, malogranatum & flos, ita ſex calamis exeuntibus ex Candelabro.

34. Et in Candelabro quatuor ſchyphi amygdalati, malogranata ejus & flores ejus.

35. Et malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, ſex calamis exeuntibus ex Candelabro.

36. Malogranata eorum, & calami eorum, ex eo erunt, omnia ejus, ſolidum unum auro puro.

37. Et facies lucernas ejus ſeptem; & aſcendere faciat lucernas ejus, & illuminet e regione facierum ejus.

38. Et forcipes ejus, & trullas ejus, auro puro.

39. Talentum auri puri facies illud cum omnibus vaſis illis.

40. Et vide & fac in forma eorum, quam tu videre factus es in monte.

C O N T E N T A.

9455. IN hoc Capite deſcribitur collecta ad Tentorium, ad menſas ibi, tum ad veſtes Aharonis, ut & conſtructio Arcæ, Menſæ pro panibus, & Candelabri, per quæ repræſentarentur Cœli ubi Dominus, ac omnia cæleſtia & ſpiritualia quæ ex Domino ibi; per Habitaculum ipſum Cœlum, per Arcam ibi Cœlum intimum, per Teſtimonium ſeu Legem in Arca Dominus; per panes facierum ſuper menſa, & per Candelabrum, Cœleſtia, ac per Veſtes Aharonis ſpiritualia, quæ a Domino in cœlis.



S E N S U S I N T E R N U S.

9456. VERS: 1. 2. *Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo: Loquere ad filios Iſraelis, & accipiant Mihi collectam, a cum omni viro, quem ſponte movit cor ejus, accipiatis collectam meam.* Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat informationem de ſanctis cœli quæ repræſentanda: loquere ad filios Iſraelis, ſignificat Eccleſiam repræſentativam: accipiant Mihi collectam, ſignificat interiora cultus quæ repræſentarentur,

rentur, quæ sunt requisita: a cum omni viro quem sponte movit cor ejus, significat quod omnia ex amore, ita ex libero: accipiatis collectam meam, significat requisita ad cultum.

9457. Et loquutus est Jehovah, dicendo, quod significet informationem de sanctis cœli quæ repræsentanda, constat ex illis quæ sequuntur, nam quæ loquutus est Jehovah ad Moschen sunt sancta cœli quæ repræsentarentur: instituebatur enim apud populum Israeliticum Ecclesia, in qua in externa forma sisterentur repræsentative cœlestia, quæ sunt boni amoris, & spiritualia quæ sunt boni & veri fidei, qualia sunt in cœlo, & qualia erunt in Ecclesia; ex quibus constat, quod per loquutus est Jehovah, significetur informatio de sanctis cœli quæ repræsentanda. Quoniam illa quæ sequuntur sunt repræsentativa cœlestium & spiritualium, quæ a Domino in cœlis, ideo dicetur quid Ecclesia repræsentativa & cur illa: sunt tres cœli, intimum seu tertium, medium seu secundum, ac ultimum seu primum; in intimo cœlo regnat bonum amoris in Dominum, in medio cœlo regnat bonum charitatis erga proximum, in ultimo repræsentantur illa quæ in medio ac intimo cœlo cogitantur, dicuntur, & existunt: repræsentativa quæ ibi sunt innumerabilia, sicut paradisi, horti, sylvæ, agri, campi, tum urbes, palatia, domus; ut & greges & armenta, tum animalia & aves plurium generum, præter innumeralia; hæc apparent coram oculis Spirituum angelicorum ibi, clarius quam similia in luce medii diei in tellure, & quod mirum, appercipitur etiam quid significant: talia etiam apparuerunt Prophetis, quando interior eorum visus, qui est visus spiritus, apertus fuit, sicut Equi Sachariæ, Cap: VI: 1 ad 9; Animalia quæ Cherubi, & dein Novum Templum cum omnibus ejus, Ezechieli, Cap: I: IX: X: XL ad XLVIII: Candelabrum, Throni, Animalia quæ etiam Cherubi, Equi, Nova Hierosolyma, & plura alia, Johanni, de quibus in Apocalypsi; similiter Equi & Currus ignei puero Elisæi, 2 Reg: VI: 17; similia apparent continue in cœlo coram oculis spirituum & angelorum, & sunt formæ naturales, in quas interna cœli desinunt, & in quibus figurantur, quæ sic sistuntur visibiles coram ipsis oculis: hæc sunt Repræsentationes: Ecclesia itaque Repræsentativa est, cum Sancta interna, quæ sunt amoris & fidei a Domino & in Dominum sistuntur per formas visibiles in mundo; sicut in hoc Capite & in sequentibus, per Arcam, Propitiatorium, Cherubos, per Mensas ibi, per Candelabrum, & per reliqua Tabernaculi; Tabernaculum enim illud ita construebatur, ut repræsentaret tres Cœlos, & omnia quæ ibi; & Arca in qua Testimonium, Cœlum intimum, ac Ipsum Dominum ibi; quapropter forma ejus ostensa est Moschi in monte; dicente tunc Jehovah, "*Ut faciant sibi Sanctuarium, & habitet in medio illorum*," Vers: 8: quisque qui aliqua facultate interius cogitandi pollet, percipere potest, quod Jehovah non habitare potuerit in Tentorio, sed quod in cœlo; & quod Tentorium illud non dicatur Sanctuarium, nisi referat cœlum, ac cœlestia & spitualia quæ ibi; cogitet quisque secum, quid foret pro Jehovah creatore cœli & terræ habitare in parvo habitaculo facto ex lignis, obducto auro, & circumtecto aulæis, nisi cœlum & quæ cœli sunt, repræsentata ibi fuissent in

forma: quæ enim repræsentantur in forma, illa quidem in simili apparent in ultimo seu primo cœlo coram spiritibus qui ibi, sed in cœlis superioribus percipiuntur interna quæ repræsentantur, quæ, ut dictum est, sunt cœlestia quæ amoris in Dominum, & spiritualia quæ sunt fidei in Dominum: talia erant, quæ implebant cœlum, quando Moscheh cum populo in sancto externo erant, & adorabant id sicut Habitaculum Ipsius Jehovæ: inde patet, quid Repræsentativum, tum quod per id esset cœlum præsens apud hominem, ita Dominus. Ecclesia itaque Repræsentativa, cum desiit antiqua, instituta est apud populum Israeliticum, ut per talia conjunctio esset cœli, ita Domini cum Humano Genere, nam absque conjunctione Domini per cœlum, periret homo; homo enim ex conjunctione illa vitam suam habet: sed repræsentativa illa erant solum media conjunctionis externa, cum quibus Dominus miraculose conjunxit cœlum, n: 4311; at cum per illa quoque conjunctio periret, tunc Dominus in mundum venit, & aperuit ipsa interna quæ repræsentabantur, quæ sunt amoris & fidei in Ipsum; hæc nunc conjungunt; sed usque unicum medium conjunctionis hodie est Verbum; quoniam id ita conscriptum est, ut omnia & singula ibi correspondeant, & inde repræsentent & significent Divina quæ in cœlis.

9458. Loquere ad filios Israelis, quod significet Ecclesiam repræsentativam, constat ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, in specie Ecclesia spiritualis, de qua n: 8805. 9340; hic autem Ecclesia repræsentativa, quia agitur de talibus quæ repræsentarent sancta Ecclesiæ, & Cœli, prout de Arca, Propitiatorio, Cherubis, Mensa, super qua panes facierum, Candelabro; & in sequentibus de Tabernaculo, Vestibus Aharonis, de Altari & Sacrificiis, quæ omnia erant repræsentativa: quod per filios Israelis significetur Ecclesia spiritualis, est quia illa repræsentabatur per illos. Ast quod apud populum illum Ecclesia repræsentativa non institui potuerit, sed modo repræsentativum Ecclesiæ, videatur n: 4281. 4288. 4311. 4444. 4500. 6304. 7048. 9320.

9459. Accipiant Mihi collectam, quod significet interiora cultus quæ repræsentarentur, quæ sunt requisita, constat ex significatione collectæ, quod sint requisita ad cultum, hic interiora quæ repræsentarentur; talia enim per illa quæ colligebantur ad Tentorium, ad Mensas, & ad Candelabrum, tum ad Vestes Aharonis, quæ erant aurum, argentum, æs, hyacinthinum, purpura, coccineum dibaphum, linum byssinum; lana caprarum, & plura alia, significantur, ut constat ex significatione eorum, de qua in sequentibus.

9460. A cum omni viro quem sponte movit cor ejus, quod significet quod omnia ex amore, ita ex libero, constat ex significatione quem sponte movit cor, quod sit ex libero: quod sit ex amore, est quia omne liberum est amoris, nam quod homo ex amore facit, hoc ex libero facit; quod cor sit amoris quia voluntatis, videatur n: 7542. 8910. 9050. 9113. 9300; & quod omne liberum sit amoris seu affectionis, n: 2870 ad 2893. 3158. 9096: inde quod cultus erit ex libero, n: 1947. 2880. 2881. 7349.

9461. Accipiatis collectam meam, quod significet requisita ad cultum,

constat ex significatione collectæ, quod sint interiora cultus quæ repræsentarentur, quæ sunt requisita, de qua supra n: 9459.

9462. Vers: 3 ad 7. *Et hæc Collecta quam accipietis a cum illis, aurum, & argentum, & æs. Et hyacinthinum, & purpura, & coccineum dibaphum, & linum byssinum, & lana caprarum. Et pelles arietum rubrorum, & pelles melium, & ligna Schittim. Oleum luminari, aromata oleo unctionis, & suffimento aromatum. Lapides schoham, & lapides impletionum ephodo & pectorali.* Et hæc collecta quam accipietis a cum illis, significat quod requisita illa omnino erunt: aurum & argentum, significat bonum & verum in genere: & æs significat bonum externum: & hyacinthinum, significat cœlestem amorem veri: & purpura, significat cœlestem amorem boni: & coccineum dibaphum, significat amorem mutuum: & linum byssinum, significat verum inde: & lana caprarum, significat bonum inde: & pelles arietum rubrorum, & pelles melium, significat externa vera & bona, a quibus continentur: & ligna Schittim, significat bona meriti quæ a Domino, ita solius Domini: oleum luminari, significat bonum internum quod in amore mutuo & charitate: aromata oleo unctionis, significat vera interna quæ boni inaugurantis: & suffimento aromatum, significat ad perceptionem gratam: lapides schoham & lapides impletionum, significat vera & bona spiritualia in genere: ephodo & pectorali, significat quæ integumento cœlestibus externis & internis.

9463. Et hæc collecta quam accipietis a cum illis, quod significet quod requisita illa omnino erunt, constat ex significatione collectæ, quod sint requisita, ut supra n: 9459. 9461: quod sit quod illa omnino erunt, est quia hic tertio dicitur, & repetitio involvit necessitatem.

9464. Aurum & argentum, quod significet bonum & verum internum in genere, constat ex significatione auri, quod sit bonum, & argenti, quod sit verum, de qua n: 113. 1551. 1552. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932: quod sint internum bonum & verum, est quia per æs, quod sequitur, significatur bonum externum.

9465. Et æs, quod significet bonum externum, constat ex significatione æris, quod sit bonum naturale, seu quod idem, Bonum externum, de qua n: 425. 1551: bonum externum est bonum externi seu naturalis hominis, bonum autem internum est bonum interni seu spiritualis hominis.

9466. Et hyacinthinum, quod significet cœlestem amorem veri, constat ex significatione hyacinthini, quod sit cœlestis amor veri; quod hyacinthinum id sit, est quia coloris cœlestis est, & per illum colorem significatur verum ex origine cœlesti, quod est verum ex bono amoris in Dominum; hoc bonum in intimo cœlo regnat, & sistit in medio seu secundo cœlo colorem purpureum & hyacinthinum; ipsum bonum colorem purpureum, ac verum inde colorem hyacinthinum: colores enim in altera vita, inque ipso cœlo, apparent pulcherrimi, & omnes originem ex bono & vero ducunt: sphæra enim affectionum boni & veri sistitur sensibilis coram oculis angelorum & spirituum etiam per colores, & specifica per objecta varie colorata; & quoque coram naribus per odores: omne enim cœleste quod boni, & spirituale

quod

quod veri, repræsentatur in inferioribus cœlis per talia quæ apparent in natura, sic coram ipsis sensibus externis spirituum & angelorum ibi: quod sphæræ affectionis boni & veri sistantur visibiles per colores, est causa quia colores sunt modificationes lucis cœlestis, ita intelligentiæ & sapientiæ, videatur n: 4530. 4677. 4742. 4922. Inde nunc est, quod inter illa quæ colligerentur ad Tabernaculum & ad Vestes Aharonis, essent hyacinthinum, purpura, coccineum dibaphum, pelles arietum rubrorum; nam per Tabernaculum repræsentabatur cœlum Domini, & per illa ex quibus constructum & contextum erat, repræsentabantur cœlestia & spiritualia, quæ sunt boni & veri, similiter per vestes Aharonis n: 9457: inde est, quod velum, intra quod arca Testimonii, ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, & byssino textum esset, Exod: xxvi: 31; pariter tegumentum pro ostio tentorii, ibid: Vers: 36; ut & tegumentum portæ atrii, Exod: xxvii: 16; tum quod loramenta super ora aulæi essent *ex hyacinthino*, Exod: xxvi: 4. inde etiam erat, quod ephodus esset ex auro, hyacinthino, purpura, coccinea dibapho, & byssino intertextis; & quoque pectorale judicii, Exod: xxviii: 6, 15. Per hyacinthinum significatur amor cœlestis veri, & per vestes ex hyacinthino cognitiones veri ex illo amore, apud Ezechielem, "Byssus ex acupictura ex Ægypto fuit expansio tua, ut esset tibi in signum; *hyacinthinum* & *purpura* ex insulis Elisha fuit tegumentum tuum: negotiatores tui cum perfectionibus, *cum glomeribus hyacinthini ex acupicto*, & cum thesauris vestium pretiosarum," xxvii: 7. 24, ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones veri & boni, n: 1201; scientia & intelligentia inde describitur per acupicturam ex Ægypto, & per hyacinthinum & purpuram ex insulis Elisha; acupictura ex Ægypto est scientificum veri; hyacinthinum & purpura ex insulis Elisha, est intelligentia veri & boni. Apud Eundem, "Duæ mulieres, filiæ unius matris, in adolescentia scortatæ sunt in Ægypto Ohola & Oholiba: scortata est Ohola sub Me, & *dilexit Assyrios propinquos, vestitas hyacinthino*, præfectos & duces, equites equitantes equis," xxiii: 6; Ohola pro Samaria, & Oholiba pro Hierosolyma; Samaria ibi est Ecclesia spiritualis perversa; scortari in Ægypto est falsificare vera per scientifica; diligere Assyrios propinquos pro amare ratiocinationes inde; vestiti hyacinthino pro apparentiis veri ex bono, quia ex sensu literali Verbi perverse explicato. Similiter apud Jeremiam, "Argentum extensum Tharschisch adfertur, & aurum ex Uphaso, opus fabri & manuum conflatoris, *hyacinthinum & purpura vestis eorum*, opus sapientum tota," x: 9; ibi de idolis domus Israelis, per quæ significantur doctrinalia falsa, confirmata ex sensu externo Verbi male explicato, n: 9429; opus fabri & manuum conflatoris, tum opus sapientum tota, pro quod ex propria intelligentia; argentum ex Tharschisch, & aurum ex Uphaso, est verum & bonum apparens in externa forma, quoniam ex Verbo; similiter hyacinthinum & purpura quæ vestis. Apud Johannem, "Vidi equos in visione, & sedentes super iis, habentes thoraces igneos & *hyacinthinos*, & sulphureos, a quibus occisi sunt tertia pars hominum," Apoc: ix: 17; equi & sedentes super illis pro inverso & perverso intellectu veri; thoraces ignei,

hyacinthini & ſulphurei pro defenſione falſorum quæ ex malis amorum diabolicorum; hic itaque ignis pro infernali amore mali, & hyacinthinum pro infernali amore falſi, ita in ſenſu oppoſito; pleraque enim in Verbo etiam oppoſitum ſenſum habent.

9467. Et purpura, quod ſignificet cœleſtem amorem boni, conſtat ex ſignificatione purpuræ; quod ſit cœleſtis amor boni; cauſa quod is per purpuram ſignificetur, eſt quia per colorem rubrum ſignificatur bonum amoris cœleſtis; ſunt enim bini colores fundamentales, ex quibus reliqui, color ruber & color albus; color ruber ſignificat bonum quod amoris, & color albus verum quod fidei; quod color ruber ſignificet bonum quod amoris, eſt quia illa deſcendit ex igne, & ignis eſt bonum amoris; & quod color albus ſignificet verum quod fidei, eſt quia ille deſcendit ex luce, & lux eſt verum fidei; quod ignis ſit bonum amoris, videatur n: 5215. 6314. 6832. 6834. 6849, 7324. 9434: & quod lux ſit verum fidei, n: 2776. 3195. 3636. 3643. 3993. 4302. 4413. 4415. 5400. 8644. 8707. 8861. 9399. 9407: quod rubrum ſit bonum amoris, n: 3300; & quod album ſit verum fidei, n: 3993. 4007. 5319: inde patet, quid reliqui colores ſignificant; quantum enim trahunt ex rubro, tantum ſignificant bonum quod amoris, & quantum ex albo tantum verum quod fidei; ſunt enim omnes colores, qui in cœlo apparent, modificationes lucis & flammæ cœleſtis, ſuper binis illis planis: lux enim cœleſtis eſt realis, & in ſe eſt Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini; quapropter modificationes illius lucis & flammæ, ſunt variegationes veri & boni, ita intelligentiæ & ſapientiæ. Ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod vela & aulæa Tentorii, tum veſtes Aharonis, ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, & byſſino, contexerentur, Exod: xxv: 4. 31. 36. Cap: xxvii: 16. Cap: xxviii: 6. 15; ut nempe per illa, repræſentarentur cœleſtia quæ boni, & ſpiritualia quæ veri, de quibus in ſequentibus. Bonum ex origine cœleſti per purpuram etiam ſignificatur apud Ezechielem, "Byſſus ex acupictura ex Ægypto fuit expanſio tua, *hyacinthinum* & *purpura* ex inſulis Eliſchah fuit tegumentum tuum," xxvii: 7, ibi de Tyro, per quam ſignificantur cognitiones veri & boni; hyacinthinum & purpura tegumentum pro cognitionibus veri & boni ex origine cœleſti: Similia per purpuram & byſſum ſignificantur apud Lucam, "Homo quidam orat dives, qui *induebatur & purpura & byſſo*, & lautitiis indulgebat quotidie ſplendide," xvi: 19; per hominem divitem in ſenſu interno intelligebatur gens Judaica, & Eccleſia ibi, quæ dives dicebatur a cognitionibus boni & veri ex Verbo, quod ibi; veſtes ex purpura & byſſi ſunt cognitiones illæ, ex purpura cognitiones boni, ex byſſo cognitiones veri, utræque ex origine cœleſti, quia ex Divino. Simile per purpuram etiam ſignificatur in Apocalypſi, "Mulier ſedens *ſuper beſtia coccinea*, induta *purpura & coccino*," xvii: 4: ibi de Babylone per quam ſignificatur Eccleſia, ubi ſancta Verbi applicantur, ad uſus prophanos, qui ſunt ad dominia in cœlo & in terra; ita ex infernali amore ſui & mundi.

9468. Et coccineum dibaphum, quod significet amorem mutuum, constat ex significatione coccinei & dibaphi, quod sit verum cœleste, quod idem est cum bono amoris mutui: sunt duo Regna, in quæ Cœlum Angelicum distinctum est, Regnum cœleste & Regnum spirituale; in utroque est internum & externum, internum in Regno cœlesti est bonum amoris in Dominum, & externum est bonum amoris mutui; hoc bonum est quod per coccineum dibaphum significatur; per coccineum ipsum bonum & per dibaphum verum ejus: in Regno autem spirituali internum est bonum charitatis erga proximum, & externum est bonum obedientiæ ex fide. Quod coccineum dibaphum sit bonum amoris mutui & ejus verum, est ex apparentia ejus in altera vita; cum enim sphæra illius boni & veri sistitur visibilis in cœlo infimo, tunc apparet illa colore coccineo; nam quod ex cœlesti cœlo defluit, & apparet infra, hoc trahit colorem ex flammeo, & infra sit coccineum ex candore lucis cœli medii quod transit, inde est, quod *dibaphum coccineum* inter alios colores adhibitum fuerit super aulæis Habitaculi, Exod: XXVI: 1: "super velo ante arcam," Exod: XXVI: 31: "super tegumento pro ostio Tentorii," Exod: XXVI: 36: "super tegumento ad portam atrii," Exod: XXVII: 16: "super ephodo," Exod: XXVIII: 6: "super baltheo," Exod: XXVIII: 8: "super pectorali judicii," Exod: XXVIII: 15; "super fimbriis pallii ephodi," Exod: XXVIII: 33. Quod coccineum dibaphum significet bonum amoris mutui, quod est bonum externum Regni seu Ecclesiæ cœlestis, patet ex eo, quod pannus coccinei dibaphi expanderetur "super mensa, ubi panes facierum, & dein operiretur tegumento pellis melis," Num: IV: 8; intima enim, quæ Regni seu Ecclesiæ cœlestis, significabantur per illa quæ super mensa, præcipue per panes; exteriora autem per illa quæ tegebant; inde quoque est, quod in tali ordine recenseantur illa quæ colligerentur, nempe intima primum, quæ erant hyacinthinum & purpura; exteriora secundo, quæ erant coccineum dibaphum, linum byssinum & lana caprarum, & prorsus externa ultimo, quæ erant pelles arietum rubrorum & pelles melium; similiter in sequentibus ubivis. Quoniam bonum externum cœleste & ejus verum per coccineum dibaphum significatur, ideo Verbum quoad sensum externum & inde doctrinale per id exprimitur; causa est, quia Verbum est Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini; & id apparet ut Lux flammea in intimo cœlo, & ut Lux candida in medio: ita exprimitur Verbum & Doctrinale ex Verbo in Libro 2 Samuelis, "Lamentatus est David lamentationem super Schaule & super Jonathane, & inscripsit ad docendum filios Jehudæ arcum: filiæ Israelis super Schaule flete, *qui amicivit vos dibapho* cum delitiosis, qui imposuit ornatum auri super vestem vestram," I: 17. 18. 24; amicire dibapho pro instruere de veris quæ boni amoris mutui, ita de veris ex origine cœlesti; agitur in Prophetico illo de doctrina fidei separata a doctrina amoris & charitatis; nempe quod vera per illam separatam exstinguantur, at quod per hanc seu per doctrinam amoris & charitatis restaurentur; per Philisthæos enim, a quibus occisi fuerunt Schaul & Jonathan, significantur illi qui in doctrina fidei separata a doctrina amoris

&

& charitatis ſunt, n: 3412. 3413. 8093. 8096. 8099. 8313; & per docere filios Jehudæ arcum ſignificatur inſtruere illos qui in bono amoris & charitatis de veris doctrinæ; quod filii Jehudæ ſint qui in bono amoris, videatur n: 3654. 3881. 5583. 5603. 5782. 5794. 5833. 6363; & quod arcus ſit doctrina veri, n: 2686. 2709. Apud Jeremiam, "Tu ergo vaſtata quid facies, *ſi indueris te dibapho*, ſi ornaveris te ornatu auri, fruſtra pulchram reddes te," iv: 30; agitur ibi de Eccleſia vaſtata; induere ſe dibapho & ornare ſe ornatu auri, eſt docere vera doctrinæ ex origine cœleſti, & bona vitæ, proinde vera & bona ex Verbo: ſimiliter apud Eundem, "Qui comederunt lautitias, devaſtati ſunt in plateis; *educati ſuper coccino*, amplexi ſunt ſterquilineum," Thren: iv: 5; educari ſuper coccino pro ab infantia inſtrui in bono amoris mutui ex Verbo. Quoniam illa quæ ſunt Verbi in ſenſu externo, apparent in cœlo colore coccineo, ex cauſa de qua ſupra, ideo qui ſenſum Verbi externum applicant ad confirmanda falſa ex malis amoris ſui & mundi, ita quæ ſunt contraria veris & bonis amoris in Dominum & amoris mutui, dicuntur induti purpura & coccino; externa enim quia ex Verbo, ita apparent, ſed interna ſunt prophana; talia per coccinum ſignificantur apud Johannem, "Vidi mulierem ſedentem *ſuper beſtia coccinea*, plenam nominibus blaſphemiæ, *erat induta purpura & coccino*," Apoc: xvii: 3. 4; ibi de Babylone, per quam intelligitur religio, qua prophanantur ſancta Verbi per applicationem ad falſa faventia diabolicis amoribus, qui ſunt amores ſui & mundi; ita ad dominandum in cœlis & in terris: etiam alibi apud Eundem, "Urbs magna, *quæ induta byſſino* & *purpureo* & *coccino*, inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis," Apoc: xviii: 16; "ideo etiam inter merces Babylonis recenſentur *byſſus, purpura, coccinum*," Apoc: xviii: 12. Quoniam externum Verbi colore coccineo apparet in cœlo, & quoniam ex cœlo eſt influxus in memoriam hominis, in qua illa quæ ex Verbo tali colore apparent, ideo coccineum adhibebatur circa recordationes rei; ut apud Moſchen, "Filii Iſraelis facient ſibi peniculamentum ſuper alas veſtium, & *dabunt ſuper peniculamentum alæ filum coccineum*; ut *per id recordarentur* omnium præceptorum Jehovæ, & facerent illa," Num: xv: 38. 39. "Ex eadem cauſa etiam ſolenne fuit antiquis temporibus, cum ſignificativa in uſu fuerunt, alligare filum coccineum propter rei memoriam ſeu recordationem; ſicut legitur de Perez filio Thamaris, ſuper cujus manu *obſtetrix ligavit dibaphum*," Geneſ: xxxviii: 28. 30: "& de meretrice Rachab, quæ in feneſtra ligavit *filum coccineum*, ut exploratores recordarentur promiſſi," Joſ: ii. 18. 20. "Quoniam homo a malis & falſis abduci nequit quam per vera & bona quæ apud hominem ex Verbo, ideo in mundationibus lepræ adhibebatur lignum cedri, *coccinum* & hyſſopus," Levit: iv: 4 ad 7: 49 ad 52; lepra enim eſt verum prophanatum, ita falſificatum, n: 6963; mundari ab illis eſt abduci per vera & bona quæ ex Verbo: ſimiliter adhibebatur *coccinum* ad aquas ſeparationis & expiationis ex vacca rubra," Num: xix: 6; aquæ ſeparationis & expiationes etiam ſignificabant purificationem & abductionem a malis & falſis per vera & bona ex Verbo. Sicut pleraque ſenſum oppoſitum habent,

habent, ita quoque dibaphum & coccineum, & tunc ſignificant falſa & mala veris & bonis illis contraria, ut apud Eſaiam, "Si fuerint peccata veſtra *ſicut dibapha*, ſicut nix albeſcent, ſi rubra fuerint *ſicut coccinum*, ſicut lana erunt," i: 18; hoc ſimiliter ſe habet, ſicut cum rubro, cum ſanguine, cum flamma, cum igne, quæ in genuino ſenſu ſignificant bona amoris & fidei, in oppoſito autem mala illis contraria.

9469. Et linum byſſinum, quod ſignificet verum inde, nempe ex bono quod ex origine cœleſti; quod linum ſit verum, videatur n: 7601, & quod byſſinum ſit Verum ex Divino, n: 5319, utrumque verum in naturali homine; quod linum byſſinum ſit verum ex origine cœleſti, eſt ex albedine & mollitie.

9470. Et lana caprarum, quod ſignificet bonum inde, nempe ex bono amoris mutui; quod lana caprarum id bonum ſit, eſt quia capra ſignificat bonum innocentiæ in externo ſeu naturali homine, n: 3519. 7840, ac inde lana eſt verum boni illius; ſed quoniam non verum ſed bonum ſignificatur; ideo in Lingua originali non dicitur lana caprarum, ſed ſolum capræ; ſicut etiam alibi, ut in ſequentibus in Exodo, "Omnes mulieres ſapientes attulerunt netum, hyacinthinum, purpuram, coccineum dibaphum, byſſinum; & quas impulit cor illarum, *neverunt capras*," xxxv: 25. 26; nere capras pro texta ex lana caprarum. Quod autem Lana ſit verum ex origine cœleſti, quod in ſe eſt bonum, conſtat ex locis in Verbo ubi nominatur; ut apud Hoſcheam, "Dixit, ibo poſt amaſios meos, dantes panem meum & aquas meas, *lanam meam & linum meum:* ideo revertar, & accipiam frumentum meum in tempore ſuo, & eripiam *lanam meam & linum meum*," ii: 5. 9; agitur ibi de Eccleſia perverſa, quæ ibi mater; amaſii cum quibus dicitur ſcortata, ſunt qui pervertunt bona & vera; panis & aquæ ſunt bona amoris & vera fidei interna; lana & linum ſunt eadem ſed externa. Apud Danielem, "Videns fui uſque dum throni projecti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtis ejus ſicut nix alba, & *crinis capitis ejus ſicut lana munda*," vii: 9; agitur ibi de vaſtatione Eccleſiæ quoad omne verum fidei, & de reſtauratione ejus a Domino; vaſtatio plenaria ſignificatur per quod throni projecti ſint; antiquus dierum eſt Dominus quoad bonum cœleſte, quale fuit in antiquiſſima Eccleſia, quæ Eccleſia cœleſtis fuit, & in Verbo antiquum vocatur; ejus verum externum ſignificatur per veſtem quæ ſicut nix alba, & ejus bonum externum ſignificatur per crinem capitis qui ſicut lana munda: ſimiliter apud Johannem, "In medio ſeptem Candelabrorum ſimilis Filio hominis, *Caput Ejus & capilli albi ſicut lana alba*, ſicut nix," Apoc: i: 13. 14. Tale verum, quod quia eſt forma boni cœleſtis, in ſe eſt bonum, etiam per lanam ſignificatur apud Ezechielem, "Damaſcus negotiatrix tua in vino Cheſbonis & *Lana Zacharis*," xxvii: 18: & apud Eſaiam, "Si fuerint peccata veſtra ſicut dibapha, ſicut nix albeſcent; ſi rubra fuerint ſicut coccinum, *ſicut Lana erunt*," i: 18. Quoniam per Veſtes Aharonis repræſentabantur talia quæ ſunt Regni ſpiritualis Domini, ita ſpiritualia quæ ſunt veri, ideo veſtes ſanctitatis ejus erant ex lino & non ex lana; linum enim eſt ſpirituale verum, lana autem

cœleste verum, quod respective est bonum: ob illam causam dicetur apud Ezechielem, " Sacerdotes Levitæ, filii Zadochi, quando intrabunt ad portas atrii interioris, *vestes lini induent, nec ascendet super eos lana*; *cidares lini* erunt super capite eorum; *femoralia lini* erunt super lumbis eorum," XLIV: 17. 18: quod etiam vestes Aharonis non ex lana sed ex lino fuerint, constat ex Levit. Cap: XVI: 4. 32; ex his constare potest, quod linum significet verum spirituale quod est verum boni fidei, lana autem verum cœleste quod est verum boni amoris; & quoniam illi qui in hoc vero sunt, non possunt esse in illo vero, differunt enim sicut lux ex sole, & lux ex stellis, ideo statutum erat, quod non indueretur *vestis mixta ex lana & lino*," Deut: XXII: 10. 11: quod inter cœleste & spirituale tale discrimen sit, & quod utrumque in uno subjecto non simul sint, videantur citata n: 9277.

9471. Et pelles arietum rubrorum, & pelles melium, quod significet externa vera & bona a quibus continentur, constat ex significatione pellium, quod sint externa, de qua n: 3540; ex significatione arietum, quod sint spiritualia quæ veri, de qua n: 2830. 4170; ex significatione rubri, quod sit bonum, de qua n: 3300; ita pelles arietum rubrorum sunt externa vera quæ ex bono; & ex significatione melium, quod sint bona; quod meles id significent, constat ex eo, quod in Verbo ubi dicitur de Vero etiam dicatur de bono ob conjugium cœleste veri & boni, n: 9263. 9314; inde quia pelles arietum ruforum significant externa vera quæ ex bono, pelles melium significant ipsa bona: quod sint vera & bona a quibus continentur, est quia omnia externa continent interna, quod etiam hic patet ex usu istarum pellium, quod inserviverint tegumentis, pelles melium tegumentis super sanctiora, quam pelles arietum, Exod: XXVI: 14. Num: IV: 6. 8. 10. 11. 12. 14.

9472. Et ligna Schittim, quod significent bona meriti quæ a Domino, ita solius Domini, constat ex significatione lignorum, quod sint bonum meriti, de qua n: 1110. 2784. 2812. 4943. 8740: Bonum meriti est bonum procedens a Divino Humano Domini, quod est bonum Christianum, seu bonum spirituale apud hominem; hoc bonum est per quod homo salvatur; nam bonum quod aliunde procedit, non est bonum, nam non est Divinum in eo, ita nec cœlum in eo, proinde non est salus in eo. Lignum Schittim erat lignum cedri præstantissimæ, & per cedrum significatur spirituale Ecclesiæ; quod lignum Schittim fuerit species cedri, constat apud Esaiam, " *Dabo in deserto cedrum Schittæ*, & myrrhum, & lignum olei," XLI: 19, ubi cedrus Schittæ pro bono spirituali, lignum olei pro bono cœlesti. Quia bonum meriti, quod solius Domini, est unicum bonum quod regnat in cœlo, & quod facit cœlum, ideo id lignum erat unicum lignum quod adhibebatur ad constructionem Tabernaculi, per quod repræsentabatur cœlum; prout ad ipsam *arcam*, in qua Testimonium; ad *Vectes ejus*; ad *Mensam* super qua panes facierum, & ad hujus Vectes; ad *Asseres* pro Habitaculo; ad *Vectes* & ad *Columnas* tegumenti; tum ad *Altare*, & ejus Vectes; ut constat ex hujus Capitis Vers: 10. 13. 23. 28: & ex seqq: Cap: XXVI: 15. 26. 37. Cap: XXVII: 1. 6.

9473.

9473. Oleum luminari, quod significet bonum internum quod in amore mutuo & in charitate, constat ex significatione olei, quod sit bonum amoris, de qua n: 886. 4582. 4638; & ex significatione luminaris, quod sit amor mutuus & charitas; quod luminare sit amor mutuus, est a flamma, per quam significatur ille amor; & quod sit charitas, est a calore & luce inde; calor enim spiritualis est bonum charitatis, & lux spiritualis est verum fidei. Paucis hic dicetur, quid bonum internum in amore mutuo, & in charitate: nihil existit a seipso, sed a priori se; ita etiam verum & bonum, id a quo aliud existit, est internum, & quod existit est hujus externum; se habent omnia & singula quæ existunt, sicut causa & effectus; nullus effectus existere potest absque causa efficiente; causa efficiens est internum effectus, & effectus est illius externum; & se habent sicut conatus & motus, nullus motus existere potest absque conatu, usque adeo, ut cessante conatu cesset motus, quare internum motus est conatus, seu vis movens: consimiliter se habent sicut cum conatu vivo qui est voluntas, & cum motu vivo qui est actio; nulla actio existere potest absque voluntate, usque adeo ut cessante voluntate cesset actio, quare internum actionis est voluntas; ex his patet, quod in omnibus & singulis erit internum, ut existant, & dein ut subsistant, & quod absque interno non sint aliquid. Ita quoque se habet cum bono quod amoris, nisi bonum internum in illo sit, non est bonum; bonum internum in bono fidei est bonum charitatis, quod est bonum spirituale, bonum autem internum in bono charitatis est bonum amoris mutui, quod est bonum cœleste externum; at bonum internum in bono amoris mutui, est bonum amoris in Dominum, quod etiam est bonum innocentiæ, hoc bonum est bonum cœleste internum; bonum autem internum in bono amoris in Dominum seu in bono innocentiæ, est ipsum bonum Divinum procedens a Divino Humano Domini, proinde Ipse Dominus; hoc bonum erit in omni bono, ut sit bonum; quapropter non datur aliquod bonum, nisi internum ejus inde sit; nisi internum ejus inde sit non est bonum, sed malum, est enim ab ipso homine, & quod ab homine procedit est malum; homo enim se spectat in omni bono quod facit, & quoque mundum, ita non Dominum, nec cœlum; si Dominus & Cœlum ab illo cogitantur, sunt ei media inservientia suo honori & suo lucro; proinde sunt bona illa sicut sepulchra dealbata, quæ foris apparent pulchra, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni immunditie, Matth: XXIII: 27. 29.

9474. Aromata oleo unctionis, quod significet vera interna quæ boni inaugurantis, constat ex significatione aromatum, quod sint vera interiora, quæ sunt vera boni interni, de qua sequitur; ex significatione olei, quod sit bonum amoris, ut supra n: 9473; & ex significatione unctionis, quod sit inauguratio ad repræsentandum; quæ enim repræsentarent sancta, illa ungebantur oleo aromatico, & sic inaugurabantur, ut constat ex his sequentibus in Exodo, "Sume tibi *aromata* ex præcipuis *myrrham* nobilem, *cinnamomum aromaticum*, *calamum odoratum*, *casiam*, *oleum olivæ*: post facies illud *oleum unctionis sanctitatis*, *unguentum unguenti*, *oleum unctionis sanctitatis erit*; quo

unges *Tentorium* & omnia vasa ejus, *Candelabrum* & vasa ejus, *Altare* suffimenti, *Altare* holocausti, & omnia vasa ejus, & *labrum* & basin ejus; ita sanctificabis ea, ut sint sanctum sanctorum. Et *unges Aharonem & filios ejus*, xxx: 23 ad 31: quod sancta essent cum uncta, erat quia tunc repræsentabant sancta; unde patet, quod unctio esset inauguratio ad repræsentandum. Quod unctio facta fuerit per oleum, erat quia oleum significabat bonum cœleste, & bonum cœleste est bonum amoris a Domino, & inde bonum amoris in Dominum; hoc bonum est ipsum essentiale in omnibus & singulis cœli & vitæ æternæ. Quod id oleum per aromatica redderetur odoratum, causa erat, ut repræsentaretur gratum; nam odor significat perceptionem, ac odor jucundus & suavis perceptionem gratam, videatur n: 925. 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4624 ad 4634. 4748: & quia omnis perceptio boni est per verum, ideo adhibebantur aromata, per quæ significant vera interiora, n: 4748. 5621. Paucis adhuc dicetur, cur oleum unctionis, & quoque suffimentum, redderentur suaveolentia; oleum, ut supra dictum est, significat bonum amoris, & aroma verum internum; bonum quod amoris non ad perceptionem venit nisi per vera; est enim verum testatio boni, & quoque revelatio boni, & dici potest forma boni; se habet hoc sicut cum voluntate & intellectu apud hominem, voluntas non potest manifestare se nisi per intellectum, nam intellectus excipit bonum voluntatis, & declarat illud; etiam intellectus est forma voluntatis; pertinet etiam verum ad intellectum, & bonum ad voluntatem. Ex his constare potest, cur oleum unctionis aromaticum factum sit, & quoque suffimentum sed differentia est, quod aromaticum olei unctionis significet gratum perceptionis internæ, at aromaticum suffimenti gradum perceptionis externæ; aromaticum enim olei unctionis absque fumo, ita absque apparentia externa odoratum dulcem sistebat, at aromaticum suffimenti cum fumo.

9475. Et suffimento aromatum, quod significet ad perceptionem gratam, constat ex significatione suffimenti, quod sint illa cultus quæ grate percipiuntur, prout confessiones, adorationes, preces & similia; & ex significatione aromatum, quod sint vera fidei quæ grata quia ex bono; odores enim suaves, prout sunt aromatici, significant gratum, & quicquid gratum est, id gratum est ex bono per vera: inde est, quod per suffimentum aromatum significetur perceptio grata quæ est veri ex bono. Aromata, ex quibus suffimentum illud conficiebatur, recensentur, & præparatio ejus describitur his verbis, "*Sume tibi aromata, stacten & onychen, & galbanum, aromata, & thus purum, facies illa suffimentum, salitum, purum, sanctum: tundes de eo minutim, & dabis de eo ante Testimonium in Tentorio Conventus, sanctum sanctorum erit vobis, suffimentum sanctum erit tibi pro Jehovah,*" Exod: xxx: 34. ad 38; Altare suffitus, & ipsa suffitio, describitur ita, "*Facies Altare suffitionis suffimenti, obduces illud auro puro; dabis illud ante velum quod super arca Testimonii ante Propitiatorium, ut adoleat super eo Aharon suffimentum aromatum quolibet mane, cum adornaverit lucernas adolebit illud, & inter vesperas,*" Exod: xxx: 1 ad 10. Cap: xxxvii: 25 ad fin: Cap: xl: 26. 27: & alibi,

"*Cum*

Cum intrabit Aharon in Sanctum, accipiet plenitudinem thuribuli prunas ignis desuper altari, & plenitudinem pugnorum suorum suffimentum aromatum tenue; tunc inferet intra velum, ita ut det suffimentum super ignem coram Jehovah, & tegat nubes suffimenti Propitiatorium quod super Testimonio," Levit: XVI: 12. 13. Quoniam per suffimentum significabantur talia cultus quæ ex bono per vera, ut sunt omnia quæ fidei ex bono amoris, ideo ignis ex altari fumebatur; per ignem enim Altaris significabatur bonum amoris Divini, n: 934. 4906. 5071 fin: 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7852; quapropter cum aliunde ignis desumptus fuit, plaga affecti sunt & mortui, Levit: X: 1. 2. seq. Num: XVII: 10 ad 13; per ignem enim aliunde, seu ignem alienum, significabatur amor non Divinus. Quod talia quæ fidei ex bono amoris & charitatis, prout sunt confessiones, adorationes, & preces, per suffimenta significentur constat apud Davidem, "*Acceptæ sunt preces meæ, suffimentum coram Te,*" Psalm: CXLI: 2. Apud Johannem, "Quatuor Animalia & viginti quatuor seniores, ceciderunt ante Agnum, habentes quilibet citharas & *phialas aureas plenas suffimentis, quæ sunt preces sanctorum,*" Apoc: V: 8. Apud Eundem, "Angelus habens *thuribulum aureum*, & dati sunt illi *suffitus multi*, ut daret *precibus sanctorum* omnium super altare aureum, quod coram throno; *ascendit fumus suffituum e precibus sanctorum,*" Apoc: VIII: 3. 4: quod talia significentur per suffitus, est causa quia sunt cogitationis & inde oris, quæ autem sunt affectionis & inde cordis, significantur per Mincham, apud Malachiam, "Ab ortu solis usque ad occasum, magnum erit Nomen Jehovæ apud gentes, & *in omni loco suffitus* allatus Nomini meo, & *Minchah munda,*" I: 11; & per holocaustum apud Moschen, "Filii Levi docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem; *ponent suffitum in nasum tuum,* & *holocaustum super altare tuum,*" Deut: XXXIII: 10; suffitus ibi pro talibus quæ sunt cogitationis & oris, ac se referunt ad vera fidei, minchah & holocaustum pro talibus quæ sunt affectionis & cordis, & se referunt ad bona amoris. Inde in opposito sensu cultus ex falsis fidei intelligitur per *suffire diis aliis,* Jerem: I: 16. Cap: XLIV: 3. 5: per *suffire idolis,*" Ezech: VIII: 11: Cap: XVI: 18; & per *adolere suffimenta balibus,*" Hosch: ii: 13.

9476. Lapides schoham, & lapides impletionum, quod significet vera & bona spiritualia in genere, constat ex significatione lapidum schoham, quod sint vera fidei quæ ex amore, seu vera spiritualia; nam vera fidei quæ ex amore sunt vera spiritualia; & ex significatione lapidum impletionum, quod sint bona fidei, seu bona spiritualia: quod lapides impletionum sint bona fidei, & lapides schoham sint vera fidei, est quia lapides impletionum erant pro pectorali, & per pectorale super ephodo significabatur bonum fidei seu bonum spirituale; at lapides schoham erant super humeris ephodi, & per humeros ephodi significantur vera fidei seu vera spiritualia: quod per lapides pretiosos in Verbo significentur vera & bona fidei, seu vera & bona spiritualia, videatur n: 114. 643. 3858. 6335. 6640: & quia vera & bona & bona fidei significantur per lapides pretiosos, etiam per illos significatur intelli-

gentia & sapientia, nam intelligentia est ex veris fidei, & sapientia ex bonis fidei; ita apud Ezechielem, "Plenus sapientia, & perfectus pulchritudine; in Eden horto Dei fuisti, *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, rubinus, topazius, adamas, tharschisch, *schoham*," xxviii: 12. 13. 15, ibi de rege Tyri, per quem significatur intelligentia ex cognitionibus veri fidei, n: 1201.

9477. Ephodo & pectorali, quod significet quæ integumento cœlestibus externis & internis, constat ex significatione ephodi, quod sit id quod tegit bonum cœleste; per Aharonem enim ut pontificem repræsentabatur Dominus quoad bonum amoris, per vestes ejus, & imprimis per ephodum, repræsentabatur verum fidei quod ex bono amoris; bonum amoris est cœleste, & verum fidei est tegumentum ejus, nam vera tegunt bona; quapropter vera per vestes significantur in Verbo, n: 4545. 5241. 5319. 5954. 9093. 9212: cœlestia enim quæ sunt boni amoris in cœlo repræsentantur nuda, quapropter illi qui e Regno cœlesti Domini sunt, apparent nudi; qui autem e Regno spirituali sunt, qui sunt qui per vera fidei, introducti sunt a Domino in bonum charitatis, apparent vestibus induti; hoc Regnum est infra Regnum cœleste, & quod infra est, tegumentum est superiori; inferius enim est exterius, & superius est interius, n: 2148. 3084. 4599. 5146. 8325: inde patet, quid per ephodum significatur, cum per Aharonem Dominus quoad Divinum cœleste: quod sacerdotes repræsentaverint Dominum quoad Divinum Bonum, & quod reges quoad Divinum Verum, videatur n: 6148: at sciendum, quod per ephodum significatum sit tegumentum cœlestibus externis, & per pectorale tegumentum cœlestibus internis; sed de his plura in sequentibus, ubi de ephodo, & de pectorali, in quo Urim & Thummim, dicetur.

9478. Vers: 8. 9. *Et faciant Mihi Sanctuarium, ut habitem in medio illorum. Secundum omne quod Ego monstro tibi, formam Habitaculi, & formam omnium vasorum ejus, ac ita facietis.* Et faciant Mihi Sanctuarium, significat repræsentativum Domini, ita cœli: ut habitem in medio illorum, significat inde præsentiam Domini in Ecclesia repræsentativa: secundum omne quod Ego monstro tibi formam Habitaculi, significat repræsentativum cœli ubi Dominus: & formam omnium vasorum ejus, significat repræsentativum omnium cœlestium & spiritualium quæ ab Ipso: ac ita facietis, significat repræsentativum certum & genuinum.

9479. Ut faciant Mihi Sanctuarium, quod significet repræsentativum Domini, ita cœli, constat ex significatione sanctuarii, quod sit Dominus, & quod sit cœlum, hic autem repræsentativum Domini & cœli, quoniam tabernaculum fuit, factum ex lignis, & circumtectum aulæis; quod non sanctuarium potuit esse nisi per ræpresentationem: Sanctuarium enim est ipsum Sanctum, & nihil sanctum quam solum Divinum, ita solus Dominus, n: 9229. Quod Cœlum sit Sanctuarium est quia cœlum est cœlum ex Divino ibi, nam angeli qui ibi, quantum ex Divino Domini habent, tantum faciunt cœlum, quantum autem ex se, tantum non faciunt cœlum; inde

patet

patet quomodo intelligitur, quod Dominus ſit omne in omnibus cœli; quod Dominus in ſuo, ita in Divino habitet apud angelos ita in cœlo, videatur 9338 fin. Quod Sanctuarium in ſupremo ſenſu ſit Dominus, quia Ipſe ſolus Sanctus, & id ſolum ſanctum quod procedit ab Ipſo; tum quod ſanctuarium ſit cœlum; & quoque Eccleſia; & quod ſanctuaria ſint quæ in cœlo & in Eccleſia a Domino ſunt, conſtat a locis in Verbo ubi Sanctuarium & ſanctuaria dicuntur, ut apud Ezechielem, "Dixit Dominus Jehovih, diſpergas eos in terras, & *ero illis in ſanctuarium exiguum* in terris quo venient," XI: 16; ibi ſanctuarium pro Ipſo Domino, nam Dominus Jehovih & Jehovah in Verbo eſt Dominus, n: 9373. Apud Eſaiam, "*Proſpice e cœlis*, & *vide ex Habitaculo ſanctitatis tuæ*," LXIII: 15. Apud Jeremiam, "Sicut thronus gloriæ, altitudo ab æterno, *locus ſanctuarii*," XVII: 12, ibi habitaculum ſanctitatis & ſanctuarium pro cœlo. Apud Eſaiam, "Parum abeſt, quin poſſederis *populum ſanctitatis tuæ*, *hoſtes noſtri conculcarunt ſanctuarium tuum*," LXIII: 18. Apud Jeremiam, "Gentes venerunt in *Sanctuarium Ipſius*," Thren: i: 10: apud Eundem, "Deſeruit Dominus Altare ſuum, *abominatus eſt Sanctuarium ſuum*," Thren: ii: 7. Apud Ezechielem, "Dixit Dominus Jehovih, ecce Ego *prophanaturus Sanctuarium meum*, magnificentiam roboris veſtri, deſiderium oculorum veſtrorum," XXIV: 21. Apud Moſchen, "Dabo urbes veſtras vaſtitatem, & *deſolabo Sanctuaria veſtra*," Levit: XXVI: 31; ibi Sanctuarium pro Eccleſia, & Sanctuaria pro illis quæ Eccleſiæ. Ex his conſtat, unde eſt, quod Tabernaculum dicatur Sanctuarium, nempe ex eo, quod per id repræſentatum fuerit cœlum & Eccleſia; & quod per ſancta ibi repræſentata fuerit Divina quæ ex Domino in cœlo & in Eccleſia.

9480. Ut habitem in medio illorum, quod ſignificet inde præſentiam Domini in Eccleſia repræſentativa, conſtat ex ſignificatione habitare in medio, cum de Domino, quod ſit præſentia Ipſius, nam per habitare ſignificatur eſſe & vivere, n: 1293. 3613. 4451, inde habitare in medio eſt eſſe & vivere præſens: quod ſit in Eccleſia repræſentativa, eſt quia præſentia Domini apud illum populum non fuit in internis, quæ ſunt amoris & fidei, ſed ſolum in externis, quæ repræſentabant illa interna; qualis illa præſentia fuerit, videatur n: 4311, & quæ citata n: 9320 fin: 9380.

9481. Secundum omne quod Ego monſtro tibi formam Habitaculi, quod ſignificet repræſentativum cœli ubi Dominus, conſtat ex ſignificatione formæ Habitaculi, quod ſit repræſentativum cœli, forma enim eſt repræſentativum, & Habitaculum eſt cœlum; quod forma ſit repræſentativum, eſt quia Divina in cœlis etiam ſiſtuntur viſibilia in forma; viſibilia illa ſunt repræſentativa; & quod Habitaculum ſit cœlum ubi Dominus, videatur n: 8268. 8309. Qualia Repræſentativa apparent in cœlo, conſtat apud Prophetas, ſicut apud Johannem in Apocalypſi, *Candelabra*, Cap: i: 12. ſeq: "*Thronus cum viginti quatuor thronis circum*, & quatuor Animalia ante Thronum," Cap: IV: 2 ſeq: "*Liber ſeptem ſigillis obſignatis*," Cap: V. "*Equi exeuntes cum aperi-*

aperientur sigilla," Cap: VI: "*Angeli varie amicti cum phialis,*" Cap: IX: X: XV: "*Equus albus,*" Cap: XIX: "& *tandem Nova Hierosolyma,* cujus muri, portæ, fundamenta, altitudo, latitudo & longitudo describuntur," Cap: XXI: XXII: similia etiam apud alios Prophetas. Omnia illa sunt repræsentativa, qualia coram Angelis continue apparent in cœlis, & sistunt in visibili forma Divina cœlestia quæ sunt boni amoris, & Divina spiritualia quæ sunt boni fidei; talia in summa repræsentata erant per Tabernaculum, & per illa quæ in Tabernaculo, prout per ipsam arcam, per mensam super qua panes, per altare suffitus, per candelabrum, & per reliqua; quæ quia formæ erant Divinorum cœlestium & spiritualium, ideo cum videbantur a populo, quando is in sancto cultu erat, tunc sistebantur in cœlo talia quæ repræsentabantur, quæ, ut supra dictum, erant Divina cœlestia quæ sunt boni amoris in Dominum, & Divina spiritualia quæ sunt boni fidei in Dominum: talem effectum in cœlo habebant omnia repræsentativa illius Ecclesiæ: sciendum est, quod apud hominem semper spiritus & angeli sint, & quod homo absque illis non vivere possit; pariter quod per illos sit nexus homini cum Domino, & quod sic subsistat humanum genus, & quoque cœlum: inde constare potest, ob quem finem repræsentativa, & quoque ritualia Ecclesiæ apud gentem Israeliticam institutæ; tum quoque ob quem finem Verbum, in quo omnia, quæ in sensu literæ, correspondent Divinis quæ in cœlo, ita in quo omnes res repræsentant, & omnes voces significant: inde est nexus homini cum cœlo, & per cœlum cum Domino; absque quo nexu nulla prorsus ei vita foret, nam absque nexu cum Ipso Esse vitæ, a Quo omne Existere vitæ, nulli est vita. Sed hæc non capiunt illi, qui credunt quod vita in ipso homine sit, & quod homo absque spiritibus & angelis vivat, ita absque influxu per cœlum ex Divino; cum tamen omne inconnexum a Divino perit & nullum fit, & nihil usquam existere potest absque priori se, ita absque Divino, quod est Primum, & ipsum Esse ex se seu Jehovah, proinde nec potest subsistere, nam subsistere est perpetuo existere. Quia Habitaculum significat cœlum ubi Dominus, etiam significat bonum amoris & fidei, nam hæc faciunt cœlum; & quia omne bonum est a Domino, & cœlum dicitur cœlum ex amore & fide in Dominum, inde etiam Habitaculum in supremo sensu significat Dominum, ut patet apud Esaiam, Cap: LXIII: 15. Jerem: Cap: XXV: 30. Ezech: Cap: XXXVII: 26. 27. Psalm: XXVI: 8. Psalm: XLIII: 3. Psalm: XC: 1. Psalm: XCI: 9. Exod: XV: 13. Deut: XII: 5. 8, & alibi; inde constat, quod Tabernaculum dictum fuerit Sanctuarium & Habitaculum Jehovæ ex eo, quod suprammemorata repræsentaverit.

9482. Et formam omnium vasorum ejus, quod significet repræsentativum omnium cœlestium & spiritualium quæ a Domino, constat ex significatione formæ, quod sit repræsentativum, ut nunc supra n: 9481; & ex significatione vasorum, quod sint vera, de qua n: 3068. 3079. 3316. 3318, hic cœlestia, & spiritualia quæ a Domino, nam per vasa intelliguntur omnia quæ

in

in Tabernaculo erant, & constituebant illud; per quæ significantur cœlestia & spiritualia, cum per ipsum Tabernaculum significatur cœlum ubi Dominus, n: 9479, & per Testimonium, quod in arca, Ipse Dominus.

9483. Ac ita facietis, quod significet repræsentativum certum & genuinum, constat ex significatione ita facere, cum iterum dicitur, & fit clausula, quod sit certum & genuinum.

9484. Vers: 10 ad 16. *Et faciant Arcam lignorum Schittim, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, ac cubitus & dimidius latitudo ejus, ac cubitus & dimidius altitudo ejus. Et obduces illam auro puro, ab intra & ab extra obduces illam: & facies super illam limbum auri circumcirca. Et fundes ei quatuor annulos auri, & dabis super quatuor angulos ejus; & duo annuli super latere ejus uno, & duo annuli super latere ejus altero. Et facies vectes lignorum Schittim, & obduces illos auro. Et induces vectes in annulos super lateribus arcæ, ad portandum arcam in illis. In annulis arcæ erunt vectes, nec removebuntur ab ea. Et dabis ad Arcam Testimonium, quod dabo ad te.* Et faciant Arcam, significat intimum cœlum: lignorum Schittim, significat justitiam: duo cubiti & dimidius longitudo ejus, significat omne quoad bonum: ac cubitus & dimidius latitudo ejus, significat plenum quoad verum: ac cubitus & dimidius altitudo ejus, significat plenum quoad gradus: & obduces illam auro puro, significat omnia illa fundanda super bono: ab intra & ab extra obduces illam, significat ubivis: & facies super illam limbum auri circumcirca, significat terminationem ex bono ne adeantur & lædantur a malis: & fundes ei quatuor annulos auri, significat Divinum Verum conjunctum Divino Bono, quæ undequavis circum: & dabis super quatuor angulos ejus, significat firmitudinem: & duo annuli super latere ejus uno, & duo annuli super latere ejus altero, significat conjugium veri cum bono ac boni cum vero: & facies vectes lignorum Schittim, significat potentiam inde: & obduces illos auro, significat bonum undequaque; & induces vectes in annulos, significat potentiam sphæræ Divinæ: super lateribus arcæ, significat in ultimis: ad portandum arcam in illis, significat ita cœli existentiam & subsistentiam: in annulis arcæ erunt vectes, significat quod potentia consistet ex Divina sphæra boni & veri: non removebuntur ab ea, significat in perpetuum absque mutatione: & dabis ad Arcam Testimonium, significat Divinum Verum: quod est Dominus in Cœlo: quod dabo ad te, significat ejus repræsentativum.

9485. Et faciant Arcam, quod significet intimum cœlum, constat ex significatione Arcæ, quod sit intimum cœlum, nam per Testimouium seu Legem in Arca significatur Dominus, ex causa quia Testimonium est Divinum Verum, & Divinum Verum est Dominus in cœlo, videatur infra n: 9502; inde nunc Arca significat intimum cœlum; quapropter illa erat sanctissimum, & a populo colebatur pro Jehovah, credebatur enim quod Jehovah ibi & inter Cherubos habitaret, ut constat apud Davidem. Audivimus in Ephrata; intrabimus in Habitaculum Ipsius; incurvabimus nos scabello pedum Ipsius, surge Jehovah ad requiem, *Tu & Arca fortitudinis tuæ,*

tuæ, Psalm: CXXXII: 6. 7. 8; agitur ibi de Domino, Ephrata est Bethlechem ubi Dominus natus, Mich: V: 1. Matth: ii: 6, Habitaculum est cœlum ubi Dominus; Tu & Arca fortitudinis tuæ est Dominus ac repræsentativum Ipsius; quod Arca sit repræsentativum Domini, patet apud Jeremiam, "Reducam vos Zionem; *in diebus illis non dicent amplius arca fœderis*, neque ascendit super cor, nec mentionem facient ejus, neque desiderabunt, neque reparabitur amplius; in tempore illo vocabunt Hierosolymam thronum Jehovæ, & congregabuntur ad eam omnes gentes ob Nomen Jehovæ Hierosolymam," III: 14. 16 17; agitur ibi de Nova Ecclesia; repræsentativum prioris Ecclesiæ, quod tunc abolendum, intelligitur per arcam, quæ non dicetur amplius, nec ascendet super cor, nec reparabitur; Hierosolyma, ad quam congregabuntur gentes, est nova illa Ecclesia; inde patet, quod per arcam significetur repræsentativum Domini ac Ipsius cultus in Ecclesia; simile ac per juge & per Habitaculum sanctuarii apud Danielem Cap: VIII: 11. Quoad Arca pro Jehovah a populo Israelitico & Judaico coleretur, & quod crederetur quod ibi & inter Cherubos habitaret, patet in Libro 2 Samuelis, "*Ascendere fecit David Arcam Dei, cujus vocatur Nomen, Nomen Jehovæ Zebaoth insidentis Cherubis super illa*," VI: 2: & apud Moschen, "Quando proficiscebatur Arca, dixit Moscheh, *surge Jehovah*, dispergantur inimici tui: quando quiescebat, dicebat, *redi Jehovah*, myriades millium Israelis," Num: X: 33 ad 36. Quod intimum cœlum per arcam significaretur, erat, quia per totum Tabernaculum seu Tentorium repræsentabatur universum cœlum angelicum, ultimum ejus per Atrium, Medium ejus per Habitaculum ubi Sacerdos ministrabat, & intimum per Habitaculum intra Velum, ubi Arca in qua Testimonium.

9486. Lignorum Schittim, quod significet justitiam, constat ex significatione ligni Schittim, quod sit bonum meriti quod solius Domini, de qua supra n: 9472, ita quoque justitia, quæ est bonum meriti: Dominus enim ex propria potentia universum cœlum in ordinem redegit, ac inferna subjugavit, & simul tunc Humanum in se Divinum fecit, inde Ipsi meritum & justitia; quapropter unicum bonum quod in cœlo regnat, & quod facit cœlum, est bonum meriti & justitia Domini; ita Divinum Humanum Ipsius, nam Hoc Meritum & Justitia factum est; quod illa a Domino ex propria potentia, constat apud Esaiam, "*Quis hic qui venit ex Edom; Ego qui loquor in Justitia, Magnus ad salvandum: torcular calcavi solus, & de populis non vir Mecum circumspexi sed non auxilians; & obstupui sed non suffulciens; ideo salutem præstitit Mihi brachium meum*," LXIII: 1 ad 5. Apud Eundem, "*Vidit quod non vir, & obstupuit quod non intercedens; ideo salutem præstitit Ipsi brachium suum, & Justitia Ipsius suscitavit Ipsum; induit Justitiam sicut loricam*," LIX: 16. 17. Apud Jeremiam, "*Hoc Nomen Ipsius, quod appellabunt Ipsum Jehovah Justitia nostra*." XXIII: 6. Cap: XXXIII: 15. 16: Et apud Johannem, "*Ego pono animam meam, & rursus accipiam eam; nemo tollit eam a Me, Ego pono a Me Ipso; potestatem Ego habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus accipiendi eam*," X: 17. 18; ex illis patet, quod

Domino quoad Divinum Humanum sit Meritum & Justitia a Se Ipso; quia per Arcam significatur cœlum ubi Dominus, ideo ad constructionem ejus lignum Schittim adhibebatur per quod bonum illud significatur; per lignum enim in genere significatur bonum, n: 643. 3720. 8354; quapropter illi qui ponunt meritum in operibus, apparent in altera vita secare lignum, sub quo aliquid Domini, n: 10. 4943. 8743; inde per findere ligna holocausti significatur bonum meriti, seu bonum quod operum, n: 2784. 2812.

9487. Duo cubiti & dimidius longitudo ejus, quod significet omne quoad bonum, constat ex significatione duorum & dimidii, quod sit multum & plenum, & cum de Divino quod sit omne; quod duo & dimidium sit multum & plenum, est quia is numerus simile significat cum quinque, cum decem, cum centum, & cum mille, duplum enim duorum & dimidii sunt quinque, & duplum quinque sunt decem, & decies decem sunt centum; numeri enim duplicati & multiplicati simile cum simplicibus a quibus sunt, significant, n: 5291. 53 5708. 7973; quod numerus quinque sint multum & plenum, videatur n: 5708. 5956. 9102, quod similiter decem: n: 3107. 4638; quod etiam centum, n: 2636. 4400; & mille, n: 2575. 8715; inde est, quod hi numeri, cum de Divino sint omne; & ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 8898; quod longitudo in Verbo significet bonum, & latitudo verum, videri potest paradoxon, sed usque ita est; hoc fit causam ex eo, quod omnia & singula in Verbo significent talia quæ cœli et quæ Ecclesiæ sunt, ita quæ se ad bonum amoris & ad verum fidei referunt, de his non aliquid spatii, quale involvit longitudo & latitudo, prædicari potest, sed pro spatio status esse, qui est status boni, & inde status existere qui est status veri; in cœlo etiam spatia sunt apparentiæ ex statibus illis, n: 82. 9440; ex quibus constare potest, quod res per mensuras & dimensiones significentur apud Ezechielem, Cap: XL ad XLVII, ubi agitur de Novo Templo & de Nova Terra; consequenter hic ubi agitur de Arca, de Habitaculo & de Atrio, de mensis ibi, & de Altaribus; similiter de Templo Hierosolymæ; & per quod sancta Hierosolyma descendens e Cœlo, esset quadrangularis, ejus Longitudo quanta Latitudo, Apoc: XXI: 16. & Sachar: ii: 5.; per Hierosolymam enim significatur Nova Ecclesia, & per mensurationem ejus quoad Longitudinem qualitas boni, & quoad latitudinem qualitas veri. Quod per Latitudinem significetur Verum, patet manifeste apud Davidem, "In angustia invocavi Jah, *respondet mihi in Latitudine*," Psalm: cxviii: 5: apud Eundem, "Stare fecisti *in Latitudine pedes meas*," Psalm xxxi: 9: apud Esaiam, "Erunt extensiones alarum Aschuris *plenitudo Latitudinis terræ*," viii: apud Habakuk, "Ego suscitans Chaldæos, gentem amaram & celerem, *ambulantem in Latitudines terræ*," i: 6: ambulare in Latitudines terræ, cum de Chaldæis, est destruere vera fidei.

9488. Ac cubitus & dimidius latitudo ejus, quod significet plenum, quoad verum, constat ex significatione unius & dimidii, quod sit plenum; quod

is numerus significet plenum, est quia tria id [significant], numerus enim dimidius simile significat cum suo duplo, quam numerus multiplicatus eandem significationem cum numero simplici, quo per multiplicationem exsurgit, retinet, n: 5291. 5335: quod tria [significent] plenum, videatur n: 2788. 7718. 9198; & quod omnes numeri in Verbo [significent] res, n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. [22]. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 5291. 5335. 5708. 7973. 6175; & ex [significatione] latitudinis, quod sit verum, de qua mox supra n: 9487.

9489. Ac cubitus & dimidius altitudo ejus, [quod] significet plenum quoad gradus, constat ex significatione altitudinis, quod sit gradus quoad bonum & quoad verum; quod altitudo id sit, est quia [omne] bonum & inde verum procedit ex Domino, & Dominus est in Altissimo, & ideo vocatur Altissimus, n: 8153, est enim Sol coeli, n: 5097. 8[812], & Sol est supra coelos, & est centrum, a quo universum coelum quod [circa] est, existit & subsistit; omnes altitudines in coelo a sole ejus ut centro, [sunt] differentiae boni & inde veri; inde qui in intimo coelo sunt, propiores [D]omino sunt quia in bono amoris in Ipsum, ita in bono prae reliquis; qui [in] coelo medio sunt, distant inde magis, quia in bono inferiori sunt, & magis huc qui in coelo ultimo; qui autem in inferno sunt, prorsus a Domino re[mot]i sunt, quia in malo & inde falso; hi [e]ne quidem spectant ad Solem, [s]e[d] retro a Sole; quapropter apparent, cum inspiciuntur ab angelis, in situ [inv]erso, pedibus sursum & capite deorsum. Quoniam jam distantiae & spati[a i]n altera vita sunt apparentiae secundum status boni & inde veri, n: 944[0, i]deo altitudo in spirituali sensu significat gradus quoad bonum & quoad v[eru]m, seu gradus ab Altissimo, Qui est Dominus, ita Ipsum Divinum Bonu[m]. Inde constat, quid per Altitudinem significatur in sequentibus his locis, apud Jeremiam, "Venient & canent *in Altitudine Zionis*, & confluent *bonum Jehovae*; & erit anima eorum sicut hortus irriguus," xxxi: 12; [a]ltitudo Zionis pro bono coelesti, quod est bonum supra bonum spirituale; [q]uia altitudo est bonum, ideo dicitur, quod confluent ad bonum Jeho[vae]. Apud Ezechielem, "Aschur cedrus in Libano, *Alta facta est Altitudo*; & *longi facti* rami ejus per aquas multas; pulchra fuit magnitudine sua, *[lo]ngitudine ramorum suorum*," xxxi: 5. 7; Aschur pro rationali illustrato, [ce]rus in Libano pro Ecclesia spirituali, altitudo ejus pro gradu boni. A[pud] Eundem, "*In monte altitudinis Israelis* plantabo illum," xvii: 23: at a[pud] Eundem, "In monte sanctitatis meae, & *in monte Altitudinis Israelis*, se[rvie]nt Mihi omnis domus Israelis," xx: 40, Mons altitudinis Israelis pro s[uo] gradu boni & inde veri apud illos qui ab Ecclesia spirituali. Quoniam [it]aque in Verbo sensum oppositum habent, ita quoque altitudo, & in [eo s]ensu significat malum amoris sui, ita elationem animi, ut Esai: xiv: 4. E[z]: xxxi: 10. 14. Cap. xxxii: 5. Amos: ii: 9. Dan: iv: 8, 17, & plur[ibus a]libi. Quod Altitudo sit gradus quoad bonum & inde verum, est etiam c[a], quia altum significat internum, & bonum secundum gradus versus inter[iora] perfectus est; quod altum sit internum, videatur n: 1735, 2148. 4210. 9[9].

I 9490. Et

9490. Et obduces illam auro puro, quod significet omnia illa fundanda super bono, constat ex significatione obducere, cum de cœlo quod significatur per arcam, quod sit fundare, de qua sequitur; & ex significatione auri, quod sit bonum, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. Quod obducere sit fundare, est quia bonum procedens a Domino ut Sole: (calor enim a Sole illo est bonum amoris) circumdat non modo cœlum in communi, sed etiam societates cœlestes quæ in cœlo, in particulari, ut & unumquemvis Angelum in singulari, & sic tutatur ab irruptione mali ab inferno; quod in cœlo circumdat, hoc fundat, nam innititur illi sicut domus suo fundamento, & sicut extrema corporis aeri & ætheri circumprementi; est enim terminans, includens & continens, proinde fulciens & sustinens: ex his patet, quod per obducere significetur fundare, ac per obducere auro fundare super bono.

9491. Ab intra & ab extra obduces illam, quod significet ubivis, constat a significatione ab intra & ab extra, quod sit ubivis, nempe circumcirca, nam dicitur obduces illam; intus enim erat lignum Schittim, quod obducebatur auro, & per lignum Schittim significatur ipsum bonum procedens a Divino Humano Domini, n: 9472. 9486; ab extra autem & ab intra erat aurum, per quod etiam significatur bonum, sed tale quod coram sensu apparet: ita respective externum. Per ubivis circum circa ab intra & ab extra, cum de cœlo quod per arcam significatur, intelligitur cœlum in communi, & omnis societas cœlestis in particulari; cœlum in communi est ab extra, & societates cœlestes sunt ab intra, quia sunt intra cœlum.

9492. Et facies super illam limbum auri circumcirca, quod significet terminationem ex bono ne adeantur & lædantur a malis, constat ex significatione limbi, quod sit terminatio, de qua sequitur; & ex significatione auri, quod sit bonum, de qua mox supra n: 9490; quod sit ne adeantur & lædantur a malis est quia bonum procedens a Domino tutatur illos qui in cœlo, ne adeantur & lædantur a malis quæ ex inferno; inferna enim continue spirant malum, & conantur destruere cœlum, n: 8295, unde apparet ibi sicut effervescentia, & sicut ebullitio, n: 8209; insidet enim animis illorum qui in infernis, odium contra proximum, & odium contra Deum, quapropter in furorem veniunt, cum percipiunt beatitudinem proborum, n: 1974; sed Bonum procedens a Domino, quod circumdat cœlum in communi, ac societates cœlestes & singulos ibi in particulari, tutatur, & reprimit insultus, & hoc continue: quod sphæra conatuum faciendi malum & destruendi sit perpetua ab infernis, & sphæra conatuum faciendi bonum & tutandi sit perpetua a Domino, videatur n: 8209: bonum illud terminans, quo Dominus tutatur cœlum, significatur per limbum ex auro circumcirca Arcam.

9493. Et fundes ei quatuor annulos auri, quod significet Divinum Verum conjunctum Divino Bono, quæ undequavis circum, constat ex significatione annulorum, quod sint conjunctio boni & veri, hic Divini Veri cum Divino Bono, quia per arcam significatur cœlum ubi Dominus, videatur infra n: 9495. Quod annuli essent quatuor, erat quia per illum numerum significatur

ficatur conjunctio, n: 1686. 8877; & quod essent ex auro, erat quia per aurum significatur bonum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914; & bonum est cui conjungitur Verum, nam se habet bonum sicut humus, & verum sicut semen.

9494. Et dabis super quatuor angulos, quod significet firmitudinem, constat ex significatione angulorum, quod sint robur & firmitudo; quod anguli id sint, est quia ibi est maxima resistentia, & quoque connexio totius. Quia Angulus est robur & firmitudo, qualis est Divini Veri ex Divino Bono, ideo Dominus vocatur Lapis Anguli, apud Davidem, "*Lapis*, quem rejecerunt Architecti, *factus est in Caput Anguli*," Psalm: CXVIII: 21. Matth: XXI: 42: & apud Sachariam, "*Ex Jehudah erit Angularis*, ex eo clavus, & ex eo arcus belli, X: 4: tum apud Esaiam, "Dominus Jehovih fundabit in Zione Lapidem probationis, *angulum* pretii fundationis fundatæ,'" XXVIII: 16; similiter Angulus pro firmitudine doctrinæ ex vero quod ex bono, apud Jeremiam, "*Nec sumant de te lapidem pro angulo*, ac lapidem fundamentorum," LI: 26. Quia per angulos significatur firmitudo, ideo cornua posita fuerunt super quatuor angulis Altaris, de quibus ita apud Moschen, "*Facies cornua altaris super quatuor angulis, ex ipso erunt cornua ejus*," Exod: XXVII: 2; quod cornua sint potentia veri ex bono, ita robur & firmitudo, videatur n: 2832. 9087. Per angulos etiam significatur robur & potentia apud Jeremiam, "Ignis exivit e Chesbone, *qui comedit angulos Moabi*," XLVIII: 45: & apud Moschen, "Orietur stella ex Jacobo, & surget sceptrum ex Israele, *quod conteret angulos Moabi*," Num: XXIV: 17; Moabus, cujus potentia destrueretur, pro illis qui adulterant bona Ecclesiæ, n: 2468; anguli eorum pro potentia falsi ex adulteratis bonis. Quia anguli sunt potentia & robur, ideo illi qui non in potentia veri ex bono sunt, vocantur *abscissi anguli*, Jerem: IX: 25. Cap: XXV: 23. Quid per angulos significatur, cum per illos intelliguntur plagæ seu venti, videatur infra n: 9642.

9495. Et duo annuli super latere ejus uno, & duo annuli super latere ejus altero, quod significet conjugium veri cum bono & boni cum vero, constat ex significatione annulorum, quod sint conjunctio seu conjugium boni cum vero, ut supra n: 9493, quod conjugium est reciprocum, nempe veri cum bono & boni cum vero; idea hujus conjugii haberi potest in conjunctione Cordis & Pulmonis, Cor se conjungit cum Pulmone, & Pulmo vicissim cum Corde, nam Cor ex dextra sua parte emittit sanguinem in Pulmonem, & Pulmo remittit eum vicissim in Cor, sed in partem ejus sinistram, & sic continue: tale etiam est conjugium boni cum vero & veri cum bono in cœlo, ubi etiam Cor correspondet bono quod amoris, & Pulmo vero quod fidei, n: 3883 ad 3896. 9300. Quod duo annuli super latere uno, & duo annuli super latere altero essent, erat quia duo significant conjunctionem n: 1686. 5194. 8423, & latus significat bonum quod conjungendum vero, ut inde potentia, de qua in nunc sequente articulo.

9496. Et facies vectes lignorum Schittim, quod significet potentiam, inde constat ex significatione vectium, quod sint potentia quæ veri ex bono, de

qua ſequitur; & ex ſignificatione lignorum Schittim, quod ſint bonum Meriti quod ſolius Domini, de qua ſupra n: 9472. 9486. Hic nunc dicendum eſt, unde id quod per Arcam & Habitaculum repræſentari potuerit Cœlum, & tunc per limbum arcæ terminatio, per angulos firmitudo, per annulos conjunctio boni cum vero, & per vectes potentia; oſtenſum eſt, quod univerſa natura, ita omnia & ſingula quæ ibi in ordine, ſint repræſentativa Regni Domini, hoc eſt, cœli & cœleſtium quæ ibi, n: 9280; oſtenſum etiam eſt, quod univerſum cœlum referat unum hominem, & quod ideo cœlum Maximus Homo dictum ſit, n: 9276 fin: ex quibus nunc ſequitur, quod omnes formæ, per quas repræſentantur cœleſtia, ſe referant ad formam humanam, & ſecundum congruentiam cum illa ſignificent: inde nunc patet, unde eſt, cum Arca ſignificat cœlum ubi Dominus, quod limbus ibi ſignificet terminationem, latera bonum cum quo conjungendum verum, anguli firmitudinem, annuli ipſam conjunctionem, & vectes potentiam; vectes enim ſe referunt ad brachia apud hominem, unde quoque ſimile cum brachiis ſignificant; annuli ſe referunt ad ginglymos ſeu acetabula ubi conjunctio brachiorum cum pectore; anguli ad ipſas eminentias, ubi illa conjunctio; latera ad partem pectoralem ſeu thoracicam, limbus ad circumferentiam in qua terminatio; inde conſtare poteſt, quod per Vectes ſignificetur potentia ſicut per brachia, quod brachia & manus ſint potentia, videatur n: 878. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 6947, 7188. 7189. 7205. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 9025. 9133; & quod per latera ſimile, quod per partem pectoralem ſeu thoracicam corporis, nempe bonum, nam inibi eſt cor & pulmo, & per cor ſignificatur bonum cœleſte, & per pulmonem bonum ſpirituale, n: 3883 ad 3896. 9300; inde patet quod per annulos ſignificetur ſimile quod per ginglymos ſeu juncturas pectoris cum humeris, & humerorum cum brachiis, nempe conjunctio boni cum vero; & quod per angulos firmitudo, nam ibi ſe exſerit robur corporis, cui robur & potentia exiſtit per brachia: ex his conſtare poteſt, unde eſt, quod formæ naturales non vivæ ſimilia repræſentent cum formis vivis, ſeu cum formis in humano corpore, quod nempe inde, quia Cœlum refert unum hominem, & quæ in cœlo referunt illa quæ apud hominem, ut videri poteſt ex illis quæ de Correſpondentia hominis cum Maximo Homine ſeu cum cœlo, fuſe oſtenſa ſunt, videantur citata n: 9276. Sicut vectes, quibus portabatur arca, ſignificabant potentiam; ita quoque vectes, quibus firmabantur portæ urbium, ut conſtat a ſequentibus his locis; apud Hoſcheam, "Incidit gladius in urbes ejus, *& conſumit vectes ejus*," XI: 6; gladius pro vero pugnante contra falſum; urbes pro doctrinalibus; vectes pro potentia. Apud Eſaiam, "Propter vos miſi in Babelem, & *dejiciam vectes omnes*," XLIII: 14. Apud Jeremiam, "Fortes Babelis ſedent in munitionibus, *oblivioni data eſt potentia eorum, fracti ſunt vectes* ejus," LI: 30. Apud Amos, "*Frangam vectem Damaſci*," I: 5. Apud Eſaiam, "Portas æris confringam, & *vectes ferri concidam*, XLV: 2: ſimiliter apud Davidem, Pſalm: CVII: 16. Apud Jeremiam, "Non portæ, *non vectes illis*, ſolitarii habitant," XLIX: 31. Apud Ezechielem, "Omnes habitant ſine muro,

muro, nec *vectes & portæ illis*," xxxviii : 11. Apud Jeremiam, "Subsederunt in terram portæ ejus, *perdidit & confregit vectes ejus*," Thren : 11 : 9. Apud Davidem, "Collauda Zion Deum tuum, *nam firmat vectes portarum tuarum*," Psalm : cxlvii : 13; in illis locis urbes significant doctrinalia, n : 2450. 2712. 3216. 4492. 4493; portæ firmitudinem & tutationem, & vectes potentiam quæ est veri ex bono; quod omnis potentia sit veri, sed veri quod ex bono, videatur n : 6344. 6413. 8210. 8304. 9133. 9327. 9410.

9497. Et obduces illos auro, quod significet bonum undequaque, constat ex significatione obducere, quod sit circumdare, ita undequaque; & ex significatione auri, quod sit bonum, de quibus supra n : 9490.

9498. Et induces vectes in annulos, quod significet potentiam sphæræ Divinæ, constat ex significatione vectium, quod sint potentia, de qua mox supra n : 9496; & ex significatione annulorum, quod sint Divinum Verum conjunctum Divino Bono, quæ undequavis circum, de qua etiam supra n : 9493, ita sphæra Divina, quæ circumdat & includit cœlum in communi, ac societates cœlestes, ipsosque angelos in particulari, secundum illa quæ prius n : 9490. 9493, ostensa sunt. Divinum enim Verum procedens ex Divino Bono Domini, non concipiendum est sicut loquela & ejus influxus in aurem, sed quemadmodum sphæra ex sole, quæ per gradus sicut ex Sole elongatur, decrescit ardore & splendore, & tandem ita temperata fit, ut angelorum receptioni accommodetur: intra hanc sphæram, sed longe a Sole ob ardorem & splendorem, est cœlum angelicum; illa sphæra quoque extra cœlum se extendit, usque in infernum, at illi qui ibi non adæquate recipiunt illam, sed vertunt in contrarium: inde constare potest, quid intelligitur per sphæram Divinam, quæ includit & continet cœlum, quod nempe sit Divinum Verum conjunctum Divino Bono, quod undequavis circum cœlum, & circum illos qui in cœlo; Calor procedens a Domino ut Sole ibi, est Divinum Bonum Divini amoris Ipsius, accommodatum receptioni angelorum qui in cœlo, & Lux procedens a Domino ut Sole, est Divinum Verum Divini Boni Ipsius; utrumque tamen vocatur Divinum Verum procedens a Domino.

9499. Super lateribus arcæ, quod significet in ultimis, constat ex significatione laterum arcæ, quod sit sphæra Divina circumdans cœlum in ultimis, nam latera sunt terminationes, hic terminationes cœli. Sed ultima ac terminationes in cœlo, differunt ab ultimis & terminationibus in mundo in eo, quod in mundo sint illa respective ad spatia, at in cœlo respective ad bona conjuncta veris: Divinum Bonum conjunctum Divino Vero, quod est ultimum, terminans, concludens, & continens cœli, est comparative ut atmosphæra in mundo, quæ circum hominem fluit, & continet omnem corporis ejus superficiem in suo nexu, ne diffluat; sed in mundo est naturale quod id facit, & operatur in corpus humanum, quatenus materiale; at in Cœlo est Divinum cœleste & Divinum spirituale a Domino, quod circum Angelum operatur, ac illum in sua forma & potentia continet.

9500, Ad portandum Arcam in illis, quod significet ita cœli consistentiam & subsistentiam, constat ex significatione portare, quod sit continue in statu boni & veri, ita existere & subsistere; nam per vectes in annulis significatur potentia sphæræ Divinæ, seu potentia Divini Veri conjuncti Divino Bono, n: 9498, ita existentia & subsistentia, nam per potentiam illam subsistit cœlum; & ex significatione Arcæ, quod sit cœlum, de qua n: 9485.

9501. In annulis arcæ erunt vectes, quod significet quod potentia consistat ex Divina sphæra Boni & Veri, constat ex significatione annulorum arcæ, quod sit Divina sphæra boni & veri; & ex significatione vectium, quod sint potentia, de quibus supra n: 9498.

9502. Non removebuntur ab ea, quod significet in perpetuum absque mutatione, constat ex significatione non removeri, quod sit existentia & subsistentia in perpetuum & absque mutatione, nam per sphæram Divinam boni & veri ambientem & includentem cœlum in communi & in particulari exstitit & creatum est cœlum, & per eandem subsistit & conservatur; nam subsistentia est perpetua existentia, & conservatio est perpetua creatio: perpetuitas absque mutatione repræsentata est per non remotionem vectium ab arca, & protectio æterna cœli per Divinam sphæram boni & veri a Domino repræsentata est per quod vectes essent sub alis Cheruborum, & tegerentur, ut constat in Libro 1 Regum, "*Cherubi expandentes alas super locum arcæ, ita ut obtegerent Cherubi arcam, & vectes ejus desuper*; protendebantur quidem vectes, & videbantur capita vectium ex Sancto versus facies adyti, non autem videbantur foris," VIII: 7. 8.

9503. Et dabis ad arcam Testimonium, quod significet Divinum Verum, quod est Dominus in cœlo, constat ex significatione arcæ, quod sit cœlum, de qua supra; & ex significatione Testimonii, quod sit Divinum Verum, ita Dominus in cœlo, de qua sequitur: quod Divinum Verum sit Dominus in cœlo, est quia Dominus est Ipsum Bonum & Ipsum Verum, utrumque enim procedit ab Ipso, & quod ab Ipso procedit, est Ipse: inde est quod Dominus sit cœlum; Divinum enim Verum quod ab Ipso, & recipitur ab angelis, facit cœlum: inde est, quod Angeli quo perfectius recipiunt Divinum Verum quod a Domino, ita Dominum, eo perfectiores formæ humanæ sint, & tandem ita perfectæ, ut pulchritudo excedat fidem; qui visurus, sicut ego, obstupescet; sunt enim amores cœlestes & charitates in forma, quæ est forma vere humana: causa, quod Angeli formæ humanæ sint, est quia Divinum in cœlo est Dominus, & qui recipiunt Divinum Verum in bono ab Ipso sunt ejus imagines. Quod significationem Testimonii attinet, distinguitur in Verbo inter Leges, Statuta, Judicia, Præcepta, Testimonia, Verba, Mandata, Veritates, Fædera; ut constare potest ex plurimis locis, imprimis apud Davidem in Psalm: CXIX, ubi omnia illa nominantur, ac *Testimonia* Vers: 2. 14. 31. 46. 59. 88. 91. 111. 124. 138. 144. 168, pariter alibi apud Eundem, "*Lex Jehovæ* perfecta recreans animam, *Testimonium Jehovæ* firmum, sapientem reddens simplicem; *Mandata Jehovæ* recta lætificantia cor; *Præceptum Jehovæ* purum illuminans oculos; *Judicia Jehovæ* Veritas, justa sunt simul,"

ſimul," Pſalm : xix : 8. 9. 10; & quoque apud Moſchen, Deut : iv : 45. Cap : vi : 17. 20 : tum apud Jeremiam, Cap : xliv : 23, & alibi pluries : ex illis conſtare poteſt, quod Teſtimonium ſit Divinum Verum, quod teſtatur de Domino, ita Verbum; nam id in ſenſu ſupremo agit de Solo Domino, & inde in ſenſu interno teſtatur de Ipſo, hoc eſt, docet Ipſum, ac vera quæ fidei & bona quæ amoris, quæ ab Ipſo : in hoc ſenſu dicitur etiam Teſtimonium in Apocalypſi, "Qui occiſi propter *Verbum Dei*, & propter *Teſtimonium*, quod habebant," vi : 9 : & alibi, "Vicerunt draconem per ſanguinem Agni, & per *Verbum Teſtimonii ſui*," xii : 31; ſanguis Agni eſt Divinum Verum procedens a Domino, n : 7846. 7877. 9127. 9393; & Verbum Teſtimonii eſt Divinum Verum receptum ab homine : ſimiliter ibi Cap : xii : 17. Cap : xix. Quod Divinum Verum procedens a Domino Teſtimonium dicatur ex eo, quod teſtetur de Domino, conſtat ab Ipſius Domini verbis apud Johannem, "Qui e cœlo venit, ſupra omnes eſt; quod vidit & audivit, *hoc teſtatur*; quiſquis accipit *Ipſius Teſtimonium*, obſignavit Deus quod verax ſit," iii : 31. 32. 33 : apud Eundem, "Ego ſum *qui teſtor de Me Ipſo*, & *teſtatur de Me* qui miſit Me Pater," viii : 18 : Apud Eundem, "Scrutamini Scripturas, atqui illæ ſunt *quæ teſtantur de Me*," v : 39 : & apud Eundem, "*Paracletus* ſpiritus veritatis, *ille teſtabitur de Me*," xv : 26. 27 : ex his conſtat, quod Divinum Verum dicatur Teſtimonium, ex eo quod teſtetur de Domino; id Verum eſt Verbum, nam Verbum in ſupremo ſenſu, ut ſupra dictum eſt, agit de Solo Domino, inde Verbum eſt Divinum, & inde ejus Sanctum. Etiam decem Verba ſeu Lex quæ promulgata e monte Sinai, & inſcripta binis Tabulis, & repoſita in arca, eſt quæ hic vocatur *Teſtimonium*; quod illa Lex ſignificet Verbum ſeu Divinum Verum procedens a Domino in omni complexu, videatur n : 9416. Quod Dominus ſit a quo Divinum Verum, patet ab Ipſius verbis ad Pilatum, "Dixit Pilatus, an Rex tu es; reſpondit Jeſus, tu dicis, Rex ſum Ego; Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, ut *Teſtimonium dem veritati*," Joh : xviii : 37; per Regem in ſenſu interno ſignificatur Divinum Verum, videatur n : 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. 4581. 4960. 5044. 5068. 6148; quapropter dixit, Rex ſum Ego, & in hoc natus ſum, ut teſtimonium dem *veritati*, hoc eſt, quod Ipſe ſit Divinum Verum. Ex his nunc patet, quod per Teſtimonium in arca ſignificetur Divinum Verum, ita Dominus in cœlo.

9504. Quod dabo ad te, quod ſignificet ejus repræſentativum, conſtat ex repræſentatione Moſchis, ad quem daretur, quod ſit Dominus, quoad Divinum Verum, de qua n : 9372.

9505. Verſ : 17 ad 22. *Et facies Propitiatorium auro puro, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, & cubitus & dimidius latitudo ejus. Et facies binos Cherubos, auro ſolido facies illos a duabus extremitatibus Propitiatorii. Et fac Cherubum unum ab extremitate hinc, & Cherubum unum ab extremitate illinc. Ex Propitiatorio facietis Cherubos ſuper duabus extremitatibus ejus. Et erunt Cherubi expandentes alas ſurſum, obtegentes alis ſuis ſuper Propitiatorium; &*

facies

facies eorum viri ad fratrem suum; ad Propitiatorium erunt facies Cheruborum. Et dabis Propitiatorium super arcam desuper, & ad Arcam dabis Testimonium, quod dabo ad te. Et conveniam te ibi, & loquar tecum desuper Propitiatorio ab inter binos Cherubos, qui super Arca Testimonii, omne quod praecipiam tibi ad filios Israelis. Et facies Propitiatorium auro puro, significat auditionem & receptionem omnium quæ cultus ex bono amoris: duo cubiti & dimidius longitudo ejus, significat omne quoad bonum: & cubitus & dimidius latitudo ejus, significat plenum quoad verum: & facies binos Cherubos, significat intromissionem & aditum ad Dominum non nisi quam per bonum amoris: auro solido facies illos, significat repræsentativum boni illius: a duabus extremitatibus Propitiatorii, significat bonum cœleste & bonum spirituale: & fac Cherubum unum ab extremitate hinc, & Cherubum unum ab extremitate illinc, significat aditum bono cœlesti & aditum bono spirituali: ex Propitiatorio facietis Cherubos super duabus extremitatibus, significat receptionem omnium quæ cultus ex illis bonis: & erunt Cherubi expandentes alas suas sursum, significat elevationem veri fidei: obtegentes alis suis super Propitiatorium, significat spiritualia integentia: & facies eorum viri ad fratrem suum, significat conjunctionem veri & boni: ad Propitiatorium erunt facies Cheruborum, significat interiora jugiter spectantia bonum, ita Dominum; & dabis Propitiatorium super arcam desuper, significat sic auditionem & receptionem omnium cultus quæ ex bono amoris: & ad Arcam dabis Testimonium, significat a Domino in cœlo: quod dabo ad te, significat repræsentativum: & conveniam te ibi, significat auditionem & receptionem: & loquar tecum desuper Propitiatorio, significat conjunctionem: ab inter binos Cherubos, significat ubi bonum cœleste & bonum spirituale conjuncta sunt: qui super Arca Testimonii, significat cum Domino in cœlo: omne quod præcipiam tibi ad filios Israelis, significat cultum Ecclesiæ repræsentativæ.

9506. Et facies propitiatorium auro puro, quod significet auditionem & receptionem omnium cultus ex bono amoris, constat ex significatione Propitiatorii, quod sit mundatio a malis seu remissio peccatorum, consequenter auditio & receptio omnium quæ cultus, de qua sequitur; & ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658 6914. Quod Propitiatorium sit mundatio a malis & remissio peccatorum, constat a locis in Verbo ubi Propitiatio seu Expiatio dicitur; quod etiam sit receptio omnium cultus, est quia illi qui propitiati seu expiati sunt, hoc est, mundati a malis, solum audiuntur, & cultus eorum recipitur a Domino, non autem qui in malis sunt, hoc est, qui non expiati seu propitiati: ideo quoque Aharoni non licuit accedere ad Propitiatorium, priusquam se & populum mundaverit & expiaverit. Quod inde Propitiatorium sit auditio & receptio omnium quæ cultus, etiam constat ex eo, quod Jehovah cum Mosche loquutus sit super Propitiatorio inter Cherubos: quod sit cultus *ex bono amoris* qui recipitur, est quia nemo in cœlum admittitur, ita ad Dominum, quam qui in bono est, nempe in bono amoris in Dominum, ac in bono

charitatis erga proximum, videatur n: 8516. 8539. 8722. 8772. 9139. 9227. 9230. 9274, proinde non auditur ac cultus ejus recipitur: ideo etiam super Propitiatorio erant Cherubi, nam per Cherubos significatur Custodia & Providentia ne adeatur Dominus nisi per bonum amoris, ita ne aliqui in cœlum intrent nisi qui in bono sunt, tum quoque, ne illi, qui in cœlo sunt adeantur & lædantur ab illis qui in inferno. Ex his constare potest, quid significavit quod Propitiatorium esset super Arca, & quod super Propitiatorio Cherubi; & quod Propitiatorium, ut & Cherubi essent ex puro auro; aurum enim significat bonum amoris, & arca cœlum ubi Dominus. Quod Propitiatorium significet mundationem a malis, ita remissionem peccatorum, constat ex locis in Verbo ubi Propitiatio seu Expiatio dicitur; ut apud Davidem, "*Jehovah expia peccata nostra* propter Nomen tuum," Psalm: LXXIX: 9. Apud Eundem, "Ipse Misericors *expiavit iniquitatem*," Psalm: LXXVIII: 38. Apud Eundem, "*Expiabis me hyssopo*, & *mundus fiam*, lavabis me, & præ nive dealbabor," Psalm: LI: 9. Apud Esaiam, "Veniet super te malum, quod non scies deprecari; cadet super te calamitas *quam non poteris expiare*," XLVII: 11: & apud Moschen, "Cantate gentes populus Ejus, qui sanguinem servorum suorum ulciscetur, & *expiabit terram suam, populum suum*," Deut: XXXII: 42; *Expiationes* fiebant per sacrificia, quæ cum factæ sunt, legitur, *quod expiabit eum Sacerdos a peccato, & condonabitur*," Levit: IV: 26. 31. 35. Cap: V: 6. 10. 13. 16. 18. 26. Cap: IX: 7. Cap: XV: 15. 30; fiebat etiam per Argentum," Exod: XXX: 16. Psalm: XLIX: 8; inde *dies expiationum* ante festum Tabernaculorum," Levit: XXIII: 27 ad 32. At sciendum, quod Expiationes illæ non essent reales mundationes a malis, aut remissiones peccatorum, sed quod repræsentarent illas; nam omne rituale apud Gentem Israeliticam & Judaicam erat modo repræsentativum Domini, Ipsius Regni & Ecclesiæ, & talium quæ Cœli & Ecclesiæ sunt; quomodo repræsentationes sisterent talia coram angelis in cœlo, videatur n: 9229. Quia mundatio a malis, & remissio a peccatis, per Propitiatorium significabatur, ideo etiam significabatur auditio & receptio omnium quæ cultus; nam qui mundatus est a malis, is auditur, & ejus cultus recipitur: hoc repræsentatum est, per quod Jehovah super Propitiatorio loquutus sit cum Mosche, & præceperit quid facturi filii Israelis, ut constat a Vers: 22 hujus Capitis, ubi dicitur, "*Conveniam te ibi, & loquar tecum desuper Propitiatorio ab inter binos Cherubos, qui super Arca Testimonii, omne quod præcipiam tibi ad filios Israelis*:" pariter alibi, "*Moscheh cum loqueretur cum Jehovah, audivit vocem loquentem desuper Propitiatorio quod super Arca Testimonii ab inter duos Cherubos*," Num: VII: 89. Quod tunc audiretur homo, & cultus ejus reciperetur, cum mundatus esset a malis, repræsentatum est per quod Aharon non intraret in Sanctum intra velum ante Propitiatorium, nisi prius expiaverit se & populum, quod factum est per Lavationem, per sacrificia, per suffimentum, perque sanguinem; & dicitur, quod *ita expiabit sanctum ab immunditiis filiorum Israelis, & a prævaricationibus eorum quoad omnia peccata eorum*," Levit: XVI: 2 ad 16; & quod

Jehovah

Jehovah ibi apparitūrus in nube, ibid: Vers: 2; in nube est in Divino Vero accommodato receptioni & captui hominum, quale est Verbum in sensu literæ, n: 4060. 4061. 5922. 6343 fin: 6752. 8106, 8443. 8781.

9507. Duo cubiti & dimidius longitudo ejus, quod significet omne quoad bonum, constat ex illis quæ supra n: 9487, ostensa sunt.

9508. Et cubitus & dimidius latitudo ejus, quod significet plenum quoad verum, ut quoque supra n: 9488.

9509. Et facies binos Cherubos, quod significet intromissionem & aditum ad Dominum non nisi quam per bonum amoris, constat ex significatione Cheruborum, quod sint custodia & providentia ne adeatur Dominus nisi per bonum amoris: quia id per Cherubos significabatur, ideo ponebantur super Propitiatorio quod super Arca, & ideo facti sunt ex auro solido; nam per Arcam significatur Cœlum ubi Dominus, n: 9485; & per aurum bonum amoris, n: 9490. Quod non sit aditus ad Dominum quam per bonum amoris, est causa, quia amor est conjunctio spiritualis, & omne bonum est amoris; qui itaque in bono amoris in Dominum sunt, illi ad Ipsum in cœlo introducuntur, quia Ipsi sunt conjuncti; similiter qui in bono amoris erga proximum sunt, nam proximus est bonum concivis, bonum patriæ, bonum Ecclesiæ, bonum totius Regni Domini, & in supremo sensu Ipse Dominus, quia ab Ipso id bonum apud hominem. Sunt bini status homini dum regeneratur & succedit unus alteri, unus qui primus, est, cum ducitur per vera fidei ad bonum amoris, alter cum in bono amoris est, in quo cum est, in cœlo apud Dominum est; inde patet, quod id bonum sit ipsum cœlum apud hominem, quia id bonum est Dominus apud illum, est enim a Domino; de binis illis statibus successivis apud hominem qui regeneratur, videatur n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 9224. 9227. 9230. 9274; & quod homo in cœlum veniat, quando in bono est, hoc est, quando per bonum ducitur a Domino, n: 8516. 8539. 8722. 8772. 9139. Quod Cherubi significent Custodiam & Providentiam, ne Dominus, nec Cœlum, adeatur nisi per bonum amoris hoc est, nisi ab illis qui in bono amoris sunt, tum quoque ne bonum quod a Domino in cœlo, & apud hominem, lædatur, constat a locis in Verbo ubi Cherubi nominantur, ut Cap: III: Genes: "Et ejecit hominem, *& habitare fecit ab Oriente ad hortum Edenis Cherubos*, & flammam gladii vertentis se, ad *custodiendum* viam arboris vitarum," Vers: 24, quod ibi Cherubi sint Custodiæ, patet, nam dicitur *ad custodiendum viam* arboris vitarum; arbor vitarum est bonum amoris quod a Domino, ita Dominus; & custoditur per quod non adeatur nisi per bonum amoris. Creditur quod Dominus adiri possit per vera fidei, sed per illa separata a bono amoris non adire potest, ne quidem cœlum, sed ut primum vera separata intrare volunt; occluditur cœlum, ita via ad Dominum: & quia verum non potest ex se intrare, nisi in eo sit bonum, & per id factum boni, ita nec potest intellectuale, & minus scientifica separata a bono voluntatis. Quia Custodia & Providentia ne adeatur Dominus, ita nec cœlum, nisi per bonum amoris, significatur per

Cherubos, ideo in Verbo dicitur Jehovah insidere Cherubis, tum equitare & habitare super Cherubis; ut apud Davidem, "Pastor Israelis, adverte aures; qui *sedes super Cherubis*, effulge," Psalm: LXXX: 2: apud Eundem, "Jehovah regnabit, commovebuntur populi, *insidens Cherubis*," Psalm: XCIX: 1: apud Eundem, "Jehovah *equitavit super Cherubo*, & volavit," Psalm: XVIII: 11: & apud Esaiam, "*Jehovah Zebaoth habitans Cherubis*," XXXVII: 16: & ideo *Cherubi erant super aulæis habitaculi*, & *super velo*," Exod: XXVI: 1. 31. Cap: XXXVI: 35; & quoque super *parietibus Templi circumcirca*, & super foribus ibi," 1 Reg: VI: 23 ad 29. 31 ad 35: similiter *in Novo Templo*, de quo apud Ezechielem, Cap: XLVIII. 18. 19. 20; quod Cherubi essent super aulæis Habitaculi, super Velo, super parietibus Templi, & super foribus ibi, significabat custodiam Domini, ne adiretur Sanctum Divinum nisi per bonum amoris; & quod essent Cherubi super arcam, significabat quod Ipse Dominus non adiretur nisi per illud bonum; ideo quoque Cherubi facti sunt ex auro solido, & in Templo Hierosolymitano ex ligno olei, nam per aurum & per oleum significatur bonum amoris. Custodia & Providentia illa Domini describitur per quatuor Animalia, quorum unicuique quatuor facies, infra thronum ubi Dominus, apud Ezechielem Cap: I: 1 ad fin: & Cap: X: 1 ad fin: & quoque per quatuor animalia circum thronum ubi Dominus, apud Johannem in Apocalypsi Cap: IV: 6 ad 10. Cap: V: 6. 8. 9. 14: per quatuor animalia significatur bonum sub varia specie procedens a Domino, & custodiens ac tutans, ne intromittatur aliud quam bonum amoris in Dominum, & bonum amoris erga proximum; per Thronum super quo Dominus significatur cœlum.

9510. Auro solido facies illos, quod significet repræsentativum boni, constat ex significatione auri; quod sit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5628. 6914; quod aurum non sit bonum amoris sed repræsentativum ejus, patet; similiter lignum olei, ex quo Cherubi in Templo Hierosolymitano facti sunt, 1 Reg: VI: 23; quod lignum olei sit bonum amoris, videatur n: 886; tum quod ipsum oleum, n: 3728. 4582. 4638.

9511. A duabus extremitatibus Propitiatorii, quod significet bonum cœleste & bonum spirituale, constat ex significatione Cherubi ab una extremitate, quod sit aditus ad bonum cœleste; & a significatione cherubi ab altera extremitate, quod sit aditus per bonum spirituale: simile hic per duas extremitates significatur, quod per dextram & sinistram Domini; per dextram significatur bonum amoris cœlestis, quod est bonum amoris in Dominum; & per sinistram significatur bonum amoris spiritualis, quod est bonum amoris erga proximum: inde quoque omnia quæ a dextra parte hominis correspondent bono cœlesti, & quæ a sinistra bono spirituali; nam omnia quæ apud hominem correspondent cœlo: illi qui in bonis illis sunt, intelliguntur per sedere a dextris & sinistris Domini, apud Marcum, "*Sedere ex dextris meis, & ex sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paratum est*," X: 40; dare illis quibus paratum est, significat donare illis ex Misericordia, qui in bono vitæ & fidei sunt, n: 9305; ita qui in bono cœlesti & in bono spirituali.

9512. Et fac Cherubum unum ab extremitate hinc, & Cherubum unum ab extremitate illinc; quod significet aditum bono cœlesti & bono spirituali, constat ex significatione Cherubi, quod sit intromissio & aditus ad Dominum per bonum amoris, de qua supra n: 9509; & ex significatione ab extremitate hinc & ab extremitate illinc, quod sit bonum cœleste & bonum spirituale, de qua mox supra n: 9511.

9513. Ex propitiatorio facietis Cherubos super duabus extremitatibus, quod significet receptionem omnium quæ cultus ex illis bonis, constat ex significatione propitiatorii, quod sit auditio & receptio omnium quæ cultus ex bono amoris, de qua n: 9506; ex significatione Cheruborum, quod sint intromissio & aditus ad Dominum per id bonum, de qua n: 9509; & ex significatione duarum extremitatum, quod sint bonum cœleste & bonum spirituale, de qua n: 9511; inde patet quod per ex propitiatorio facietis Cherubos super duabus ejus extremitatibus, significetur receptio omnium quæ cultus ex illis bonis: quid bonum cœleste, & quid bonum spirituale, & quæ differentia, videantur citata n: 9277.

9514. Et erunt Cherubi expandentes alas suas sursum, quod significet elevationem veri fidei, constat ex significatione alarum, quod sint vera fidei, de qua sequitur; & ex significatione expandere alas sursum, quod sit elevari, nam expansioni alarum sursum inest conatus se elevandi, cujus actus est elevatio, ex quibus patet, quod per alas Cheruborum expansas sursum significetur elevatio boni ad Dominum per vera fidei, nam per Cherubos significatur aditus ad Ipsum per bonum. Hic paucis dicetur, quomodo se habet cum elevatione boni per vera fidei; sunt duo, ad quæ omnia in cœlo, & quoque omnia in mundo, se referunt, nempe Bonum & Verum; Bonum absque Vero non est bonum, nec Verum absque bono est verum; nam bonum absque vero non habet aliquod quale, & verum absque bono non habet aliquod esse; verum enim est ipsa forma boni, & forma erit ut sit quale; & bonum est ipsum esse cujus existere est verum: bonum ad verum se prorsus habet, sicut voluntas ad intellectum, voluntas etiam dicata est receptioni boni, & intellectus receptioni veri; voluntas quale suum accipit ab intellectu, & intellectus suum esse a voluntate; formatur enim voluntas in intellectu, & sic induit se quali: se quoque habet bonum ad verum, sicut corpus ad brachia & pedes, & in volucribus ad alas; corpus absque brachiis & pedibus, aut absque alis, non se movere potest, sed per illa se movet; etiam corpus in Verbo correspondet bono, & brachia atque alæ veris, tum boni per vera potentiis. Ex his comparativis, quæ etiam sunt correspondentiæ, sciri potest quomodo se habet cum elevatione boni per vera fidei, quæ in genere vocantur spiritualia. Quod alæ sint vera fidei, videatur ostensum n: 8764.

9515. Obtegentes alis suis super propitiatorium, quod significet spiritualia integentia, constat ex significatione obtegere super propitiatorium, quod sit integere bonum per quod aditus ad Dominum: & ex significatione alarum, quod sint vera fidei seu spiritualia, de qua nunc supra n: 9514, & n: 8764.

Spiri-

Spiritualia dicuntur integentia, quia cœleste quod est bonum amoris in cœlo sistitur ut nudum, sed per spiritualia, quæ sunt vera fidei, ut amictum.

9516. Et facies eorum viri ad fratrem suum, quod significet conjunctionem veri & boni, constat ex significatione faciei, quod sint interiora, hic intuitio & conjunctio, nam cum unus intuetur alterum mutuo, conjungunt se quoad interiora; per faciem etiam interiora significantur, n: 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796 ad 4805. 5102. 5865. 5168. 5695. 9306; & ex significatione viri ad fratrem, quod sit mutuo, de qua n: 4725, ita veri cum bono, nam vir significat verum, n: 3134. 3309. 3459. 4725. 7716. 9007; & frater bonum, n: 367. 2360. 3303. 3803. 3815. 4121. 4191. 5409. 5686. 5692. 6756.

9517. Ad propitiatorium erunt facies Cheruborum, quod significet interiora jugiter spectantia bonum, ita Dominum, constat ex significatione Propitiatorii, quod sit bonum amoris, ex quo auditio & receptio omnium quæ cultus, de qua supra n: 9506, ita quoque Dominus, quoniam omne bonum amoris est a Domino, & est Ipse Dominus apud Angelum & hominem; ex significatione facierum, quod sint interiora, de qua mox supra n: 9515; & ex significatione Cheruborum, quod sint custodia ex Providentia ne Dominus adeatur nisi per bonum amoris, de qua n: 9509. Cum hoc ita se habet, Cœlum & Ecclesia, seu angeli cœli & homines Ecclesiæ, custodiuntur a Domino per elevationem interiorum eorum ad Se, & cum elevantur, tunc in bono amoris in Ipsum, & in bono amoris erga proximum sunt; hoc secum habet elevatio ad Dominum; ita custodiuntur, ut dictum est, angeli cœli & homines Ecclesiæ: qui elevantur a Domino, vertunt continue faciem ad Dominum, quia Dominus tenet eos Sibi conjunctos per bonum amoris; at qui non elevantur, vertunt faciem a Domino: ex his constare potest, quid significatur per quod facies Cheruborum essent ad propitiatorium; sed de conversione illa ad Dominum, ex Divina Domini Misericordia, ab experientia alibi dicetur.

9518. Et dabis propitiatorium super arcam desuper, quod significet sic auditionem & receptionem omnium cultus quæ ex bono amoris, constat ex significatione propitiatorii, quod sit auditio & receptio omnium cultus quæ ex bono amoris, de qua n: 9506; & ex significatione arcæ, quod sit cœlum ubi Dominus, de qua supra; inde patet, quod per conjunctionem propitiatorii cum arca significetur auditio & receptio omnium quæ cultus ex bono amoris a Domino in cœlo.

9519. Et ad arcam dabis Testimonium, quod significet a Domino in cœlo, nempe auditionem & receptionem omnium quæ cultus ex bono amoris, constat ex significatione arcæ, quod sit cœlum; & ex significatione Testimonii, quod sit Dominus, de qua n: 9503.

9520. Quod dabo ad te, quod significet repræsentativum, ut supra n: 9504.

9521. Et conveniam tibi ibi, quod significet auditionem & receptionem, constat

constat ex significatione convenire, cum a Jehovah, quod sit auditio & receptio.

9522. Et loquar tecum desuper propitiatorio, quod significet conjunctionem, constat ex significatione loqui, cum a Jehovah, quod sit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797. 7270; ita quoque conjunctio, nam ubi influxus ibi conjunctio.

9523. Ab inter binos Cherubos, quod significet ubi bonum coeleste & bonum spirituale conjuncta sunt, constat ex significatione binorum Cheruborum, quod sint bonum coeleste & bonum spirituale, per quae aditus ad Dominum, de qua supra n: 9511; quod sit aditus, ubi bonum coeleste & bonum spirituale conjuncta sunt, est quia coeleste bonum influit in spirituale bonum, & sic communicatur.

9524. Qui super arca Testimonii, quod significet cum Domino in coelo, constat ex repraesentatione arcae, quod sit coelum; & a significatione Testimonii, quod sit Divinum Verum, ita Dominus in coelo, de quibus n: 9503.

9525. Omne quod praecipiam tibi ad filios Israelis, quod significet cultum Ecclesiae repraesentativae, constat ex significatione praecipere, cum a Jehovah Moschi, quod sint illa quae cultus, nam omnia quae Jehovah praecepit Moschi ad filios Israelis, erant talia quae concernebant cultum; & a repraesentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia spiritualis, de qua n: 9340, hic Ecclesia spiritualis repraesentata, nam omnia quae apud filios Israelis instituta fuerunt, erant externa quae repraesentabant interna Ecclesiae, non autem ipsa interna in sua essentia, de qua re videantur citata n: 9320 fin.

9526. Vers: 23 ad 30. *Et facies mensam lignorum Schittim, duo cubiti longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, & cubitus & dimidius altitudo ejus. Et obduces illam auro puro, & facies ei limbum auri circumcirca. Et facies ei clausuram palmi circumcirca; & facies limbum auri clausurae ejus circumcirca. Et facies ei quatuor annulos auri, & dabis annulos super quatuor angulos qui quatuor pedibus ejus. E regione clausurae erunt annuli ad domos vectibus, ad portandum mensam. Et facies vectes lignorum Schittim, & obduces illos auro, & portabitur illis mensa. Et facies scutulas ejus, & acetabula ejus, & scutellas ejus, & scopulas ejus, quibus integetur; auro puro facies illa. Et dabis super mensam panem facierum, ad facies meas jugiter.* Et facies mensam, significat receptaculum coelestium quae boni amoris: lignorum Schittim, significat ex Misericordia: duo cubiti longitudo ejus, significat omne quoad conjunctionem cum bono: & cubitus latitudo ejus, significat aliquid quoad conjunctionem cum vero: & cubitus & dimidius altitudo ejus, significat plenum quoad gradus; & obduces illam auro puro, significat repraesentativum boni illius ex Misericordia; & facies ei limbum auri circumcirca, significat sphaeram boni ex Divino Bono Domini: & facies ei clausuram palmi circumcirca, significat conjunctionem ibi cum Vero a Divino: & facies limbum auri clausurae ejus circumcirca, significat sphaerae Divini Boni terminationem: & facies ei quatuor annulos auri, significat receptaculum ultimum conjugii coelestis, quod Divini Boni cum Divino Vero: & dabis annulos super

quatuor

quatuor angulos ejus, significat inde firmitudinem: e regione clausuræ erunt annuli ad domos vectibus significat potentiam inde: ad portandum mensam, significat ad existentiam & subsistentiam: Et facies vectes lignis Schittim, significat potentiam veri ex bono: & obduces illos auro, significat repræsentativum boni: & portabitur illis mensa, significat inde consistentia: & facies scutulas ejus, acetabula ejus, & scutellas ejus, & scopulas ejus, quibus integetur, significat cognitiones boni & veri cœlestis: auro puro facies illa, significat quod ex bono: & dabis super mensam panem facierum, significat ibi Dominum quoad bonum cœleste: ad facies meas jugiter, significat sic præsentiam Domini cum pace & gaudio cœlesti ex Misericordia.

9527. Et facies mensam, quod significet receptaculum cœlestium, constat ex significatione mensæ, quod sit cœlum quoad receptionem talium quæ a Domino ibi, quæ sunt bonum amoris & bonum fidei, & inde beatitudo & felicitas; hæc per mensam significantur, quia per cibos significantur cœlestia quæ sunt boni amoris & fidei, ac inde sapientia & intelligentia, quæ in communi loquela etiam cibi cœlestes vocantur, & quoque per cibos in Verbo intelliguntur, videatur n: 56 ad 58. 680 681. 1480. 4459. 4792. 5293. 5340. 5342. 5576. 5579. 5915. 8562, 9003: hæc etiam aliquoties in cœlo sistuntur repræsentative per mensam, super qua cibi omnis generis: inde patet quod per mensam significetur receptaculum cœlestium, ita cœlum quoad receptionem talium quæ a Domino: hæc quoque per mensam significantur apud Lucam, "Jesus dixit, dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut *comedatis & bibatis super mensa mea in Regno meo*," XXII: 30: & apud Matthæum, "Multi ab oriente usque ab occidente venient, & *accumbent* cum Abrahamo, & Jischako, & Jacobo in Regno cœlorum," VIII: 11: tum apud Davidem, "Non timebo mihi malum, *dispones ante me mensam coram inimicis meis*, pinguefacies oleo caput meum, poculum meum abundabit; *bonum* & *misericordia* sequentur me," Psalm: XXIII: 4. 5. 6. Mensa autem in sensu opposito significat receptaculum talium quæ in inferno, apud Esaiam, "Aberrant per siceram, errant inter videntes, titubant judicio, *omnes mensæ sunt plenæ vomitu*, quemnam docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum," XXVIII: 7. 8: apud Eundem, "Vos qui deseritis Jehovam, *qui disponitis Gadi mensam*, & menio libamen," LXV: 11: & apud Davidem, "Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potarunt me aceto, *fiet mensa eorum coram illis in laqueum*," Psalm LXIX: 22. 23.

9528. Lignorum Schittim, quod significet ex Misericordia, constat ex significatione lignorum Schittim, quod sint bonum meriti quod solius Domini, de qua n: 9472. 9486: & quia bonum meriti est misericordia, ideo per ligna Schittim etiam ea significatur; Dominus enim ex puro amore, ita ex pura misericordia, assumsit Humanum, & sustinuit gravissimas tentationes, & tandem passionem crucis, ut salvaret genus humanum, inde Ipsi Meritum & Justitia; ex quibus patet quod bonum meriti sit Misericordia: Misericordia est Divinus Amor erga illos qui in miseriis constituti sunt. Quod Dominus gravissimas tentationes subiverit, & sic disposuerit in ordinem cœlum & infernum,

infernum, & quod pugnaverit ex Divino Amore, ad ſalvandum illos qui Ipſum amore & fide recipiunt, videatur n: 1266. 1663. 1668. 1676. 1690. 1691 fin: 1737. 1787. 1789. 1812. 1813. 1820. 1921. 2083. 2159. 2574. 2649. 2776. 2795. 2813. 2816. 3318 fin: 4180. 4286. 4295. 5078.

9529. Duo cubiti longitudo ejus, quod ſignificet omne quoad conjunctionem cum bono, conſtat ex ſignificatione duorum, quod ſint conjunctio, & quod ſint omnia & ſingula; quod ſint conjunctio, videatur n: 1686. 5194. 8423, & inde omnia & ſingula, n: 9166; & ex ſignificatione longitudinis, quod ſit bonum, de qua 9487; inde per duorum cubitorum longitudinem ſignificatur omne quoad conjunctionem cum bono. Per conjunctionem cum bono intelligitur conjunctio receptaculi, quod per menſam ſignificatur, cum bono amoris, quod per panes facierum ſuper menſa, de quibus infra: receptaculum enim accommodatum erit rebus quæ recipiendæ, & res recipiendæ ſe referunt ad bonum & ad verum; accommodatio & inde conjunctio deſcribitur per numeros, per quos deſignatur longitudo & latitudo: quod res per numeros deſignentur in Verbo, videatur n: 9488.

9530. Et cubitus latitudo ejus, quod ſignificet aliquid quoad conjunctionem cum vero, conſtat ex ſignificatione cubiti ſeu unius, quod ſit aliquid, eſt enim dimidium prioris, & cum duplum ſignificat omne, tunc dimidium ejus ſignificat aliquid, proinde aliquid ad conjunctionem; & ex ſignificatione latitudinis, quod ſit verum, de qua n: 9487. 9488.

9531. Et cubitus & dimidius altitudo ejus, quod ſignificet plenum quoad gradus, ut ſupra n: 9489.

9532. Et obduces illam auro, quod ſignificet repræſentativum boni illius ex Miſericordia, conſtat ex ſignificatione obducere auro, quod ſit repræſentativum boni; per aurum enim ſignificatur bonum amoris, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917, quapropter bonum illud per aurum repræſentabatur, ubi inducebatur: quod ſit ex Miſericordia eſt quia omne bonum amoris eſt ex Miſericordia, quæ quoque per lignum Schittim, quod obducebatur auro, ſignificatur, n: 9528.

9533. Et facies ei limbum auri circumcirca, quod ſignificet terminationem ſphæræ boni ex Divino Bono Domini, conſtat ex ſignificatione limbi auri circumcirca, quod ſit terminatio ſphæræ boni a Domino, ne adeantur & lædantur a malis, de qua ſupra n: 9492.

9534. Et facies ei clauſuram palmi circumcirca, quod ſignificet conjunctionem ibi cum vero a Divino, conſtat ex ſignificatione clauſuræ, quod ſit ultimum terminationis, quia erat extra limbum, ita conjunctio cum vero & Divino: quod id per clauſuram ſignificetur non ſciri poteſt, niſi ſciatur quomodo ſe habet cum extenſione & terminatione ſphæræ boni a Domino, quæ circumdat & ſic tutatur cœlum; quod ſphæra Divini Boni circumdet cœlum, & omnes ſocietates quæ in cœlo, & ſic tutetur ab irruptione malorum ab inferno, videatur ſupra n: 9490. 9492. 9498: Divina illa ſphæra ſe extendit etiam in inferna, & illa quoque cuſtodit; inde eſt, quod in infernis etiam regnet Dominus; ſed cum differentia, quod Divina ſphæra, quæ

circumdat & tutatur cœlum ſit ſphæra Divini Veri conjuncti Divino Bono, ſed quæ cuſtodit infernum, ſit ſphæra Divini Veri ſeparati a Divino Bono; cauſa quod hæc ſphæra ſit in inferno, eſt quia omnes, qui ibi, recipiunt Divinum Bonum, ita Miſericordiam Domini; talis ſphæra regnat in externa forma in inferno, ſed uſque ſphæra Divini Veri conjuncti Divino Bono in forma interna; per hanc ibi cuſtodiuntur ne unus alteri malum faciat ultra modum. Inde patet, quod ſphæra Divini Boni in externa forma, deſinat ubi cœlum, & ſphæra Divini Veri ſeparati a Divino Bono incipiat ubi infernum, ac in interſtitio ſit conjunctio, quæ ſignificatur per clauſuram palmi circumcirca.

9535. Et facies limbum auri clauſuræ ejus circumcirca, quod ſignificet ſphæræ Divini Boni terminationem, conſtat ex ſignificatione limbi auri, quod ſit terminatio Divini Boni, ut ſupra n: 9533; & ex ſignificatione clauſuræ ejus, quod ſit conjunctio cum Vero a Divino, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 9534, oſtenſa ſunt.

9536. Et facies ei quatuor annulos auri, quod ſignificet receptaculum ultimum conjugii cœleſtis, quod Divini Boni cum Divino Vero, conſtat ex ſignificatione quatuor annulorum auri, quod ſit Divinum Verum conjunctum Divino Bono, quæ undequavis circum, de qua ſupra n: 9493, ita receptaculum ultimum Conjugii cœleſtis, quod eſt Divini Boni cum Divino Vero.

9537. Et dabis annulos ſuper quatuor angulos ejus, quod ſignificet unde firmitudo, conſtat ex ſignificatione angulorum, quod ſint firmitudo, de qua ſupra n: 9494, nempe ex conjunctione Divini Veri cum Divino Bono in ultimis, quæ per quatuor annulos auri ſignificatur, n: 9536.

9538. Qui quatuor pedibus ejus, quod ſignificet in ſphæra naturali, conſtat ex ſignificatione quatuor, quod involvant conjunctionem, de qua n: 1686. 8877; & ex ſignificatione pedum, quod ſint naturale, de qua n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. 5327. 5328. Quod firmitudo ſit in ſphæra naturali, eſt quia omne ſpirituale deſinit in id quod vocatur verum naturale, & omne cœleſte in id quod vocatur bonum naturale, & ibi ſubſiſtunt; inde eſt, quod naturale ſit fundamentum, conſequenter firmamentum illis: quod ita ſit, pauci adhuc ſciunt, quapropter de hac re, ex Divina Domini Miſericordia, ab experientia alibi dicetur.

9539. E regione clauſuræ erunt annuli ad domos vectibus, quod ſignificet potentiam inde, conſtat ex ſignificatione clauſuræ, e cujus regione erunt annuli, quod ſit conjunctio in ultimis cum Vero a Divino, de qua n: 9534; ex ſignificatione annulorum, quod ſint receptaculum ejus, de qua etiam ſupra n: 9536; & ex ſignificatione vectium, quod ſint potentia, de qua n: 9496: ad domos dicitur, quia agitur de cœleſti bono, & ejus receptaculi potentia, id enim bonum per panem facierum ſignificatur, & ejus receptaculum per menſam, ſuper qua illi panes; per domos etiam ſignificatur bonum illud in ultimis; quod domus ſit bonum, videatur, n: 2233. 2234. 2559. 3652. 3720. 4982. 7848. 7929.

9540. Ad portandum menſam, quod ſignificet ad exiſtentiam & ſubſiſtentiam, conſtat ex ſignificatione portare, quod ſit continere in ſtatu boni, ita exiſtere & ſubſiſtere, ut ſupra n: 9500.

9541. Et facies vectes lignis Schittim, quod ſignificet potentiam veri ex bono, ut ſupra n: 9496, ubi ſimilia verba.

9542. Et obduces illos auro, quod ſignificet repræſentativum boni; ut ſupra n: 9532.

9543. Et portabitur illis menſa, quod ſignificet inde conſiſtentia, conſtat ex ſignificatione portari, quod ſit exiſtere & ſubſiſtere, de qua ſupra n: 9540, ita quoque conſiſtere; & ex ſignificatione menſæ, quod ſit receptaculum cœleſtium de qua n: 9527. Ita deſcribitur Cœlum intimum ſeu tertium quoad receptionem boni a Domino; Panes enim facierum ſunt bonum cœleſte quod a Domino, & Menſa ſuper qua illi Panes, eſt receptaculum illius boni. Sed ſingula ſecundum rei exiſtentiam exponere, non licet, quoniam perplurima, quæ ſunt in cœleſti Regno Domini, non cadunt in ideam cogitationis humanæ; & vix in ideam cogitationis ſpirituum angelicorum qui in ultimo cœlo; fundantur enim omnia, quæ in Cœleſti Regno Domini, ſuper bono quod amoris, & non ſuper vero quod fidei; per bona quæ amoris etiam inter ſe loquuntur, & non per vera quæ fidei ſicut illi qui in ſpirituali Domini Regno ſunt, videantur citata n: 9277. Regnum cœleſte Domini eſt intimum ſeu tertium cœlum, in quo quod ſint incomprehenſibilia & ineffabilia, ſeu quæ nuſquam in alicujus mentem venerunt, & nuſquam oculus vidit, & auris audivit, notum eſt: quapropter ea quæ in illo cœlo exiſtunt, coram ſpiritibus infra ſiſtuntur per repræſentativa, ex quibus aliqua idea formatur de incomprehenſibilibus & ineffabilibus quæ ibi: eadem repræſentata ſunt in mundo per Arcam, Propitiatorium, Cherubos, Menſam ſuper qua panes facierum, & per Candelabrum; per illa ſiſtentur omnia quæ in eo Regno; & per Habitaculum & Atrium Tentorii, perque aulæa & vela ibi, repræſentata ſunt quæ in Regno Spirituali Domini, quod eſt Cœlum Secundum ſeu Medium.

9544. Et facies ſcutulas ejus, acetabula ejus, & ſcutellas ejus, & ſcopulas ejus, quibus integetur, quod ſignificet cognitiones boni & veri cœleſtes, conſtat ex ſignificatione vaſorum in genere, quod ſint ſcientifica ſeu cognitiones, de qua n: 3068. 3079; ita vaſa in ſpecie, quæ hic recenſentur, ſunt cognitiones boni & veri cœleſtis; bonum cœleſte eſt bonum amoris in Dominum; & verum cœleſte eſt bonum amoris mutui; cognitiones illorum bonorum ſignificantur per vaſa illa; & quia cognitiones ſignificantur, & cognitiones ſunt memoriæ naturalis hominis, & naturale eſt externum, ideo dicitur quibus Menſa integetur; naturale enim quia eſt extra, ſeu infra, ac tegit & claudit quod intra ſeu ſupra eſt, ideo vocatur integumentum, n: 6377. Cui uſui eſſent vaſa illa, videatur Levit: Cap: XXIV: 6. 7. & Num: IV: 7. 8.

9545. Et dabis ſuper menſam panem facierum, quod ſignificet ibi Dominum quoad bonum cœleſte, conſtat ex ſignificatione Menſæ, quod ſit

receptaculum cœlestium; ex significatione panis, quod in supremo sensu sit Dominus, ac in sensu respectivo, bonum amoris quod ab Ipso, ita Dominus quoad bonum cœleste, de qua n: 2165. 2177. 3464. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 5915; & quod per panem significetur in genere omnis cibus cœlestis seu cibus qui nutrit vitam spiritualem hominis, n: 3478. 6118. 8410. 9323; & ex significatione facierum, cum de Domino, quod sit omne id quod ex Divino Amore, prout Innocentia, Pax, Gaudium, ita ipsum cœlum apud hominem & angelum, n: 222. 223. 5585. 9306.

9546. Ad facies meas jugiter, quod significet sic præsentiam Domini cum pace & cum gaudio cœlesti ex Misericordia, constat ex significatione facierum Jehovæ seu Domini, quod sit omnia quæ sunt Divini Amoris seu Misericordiæ, ut Innocentia, Pax, Gaudium, ita ipsum cœlum apud illos qui recipiunt: per facies enim, cum de homine & angelo, significantur interiora, quæ sunt voluntatis & inde intellectus, ita quæ sunt amoris & inde fidei, videatur n: 1999. 2434. 3527. 3573. 4066. 4796. 4798. 5102. 5165. 5168. 5585. 5592. 6604. 6848. 6849. 9306: inde constare potest, quod per facies, cum de Jehovah seu Domino significentur illa quæ sunt Divini Amoris, seu Misericordiæ, ita omne bonum cœleste, n: 222. 223. 5585. 9306.

9547. Vers: 31 ad 39. *Et facies Candelabrum auro puro, solidum fiet Candelabrum, scapus ejus, & calamus ejus, scyphi ejus, malogranata ejus, & flores ejus, ex illo erunt. Et sex calami exeuntes ex lateribus ejus; tres calami Candelabri ex latere ejus uno, & tres calami Candelabri ex latere ejus altero. Tres scyphi amygdalati in calamo uno, malogranatum & flos; & tres scyphi amygdalati in calamo uno; ita sex calamis exeuntibus ex Candelabro. Et in Candelabro quatuor scyphi amygdalati, malogranata ejus & flores ejus. Et malogranatum sub duobus calamis ex eo, & malogranatum sub duobus calamis ex eo, & malogranatum sub duobus calamis ex eo, sex calamis exeuntibus ex Candelabro. Malogranata eorum & calami eorum ex eo erunt omnia eorum, solidum unum auro puro. Et facies lucernas ejus septem; & ascendere faciat lucernas ejus, & illuminet e regione facierum ejus. Et forcipes ejus & trullas ejus auro puro. Talentum auri puri faciet illud cum omnibus vasis illis.* Et facies Candelabrum, significat cœlum spirituale: auro puro, significat quod ex bono cœlesti: solidum fiet candelabrum, significat quod omne ex bono: scapus ejus, & calamus ejus, scyphi ejus, significat spiritualia in naturali: malogranata ejus, significat scientifica boni: & flores ejus, significat scientifica veri: ex illo erunt, significat quod ex spirituali quod ex bono cœlesti: & sex calami exeuntes ex lateribus ejus, significat omnia veri ex bono in complexu: tres calami candelabri ex latere ejus uno, & tres calami candelabri ex latere ejus altero, significat plenum quoad bonum & verum: tres schyphi amygdalati, significat plenum quoad scientifica ex bono: in calamo uno, significat potentiam veri ex bono: malogranatum & flos, significat scientificum boni & scientificum veri: & tres scyphi amygdalati in calamo uno, malogranatum & flos, significat similia: ita sex calamis exeuntibus ex candelabro, significat potentiam veri ex bono quoad omnia in cœlo spirituali: & in Candelabro,

significat

ſignificat medium ejus per quod conjunctio, & ex quo potentiæ: quatuor ſcyphi amygdalati, ſignificat ſcientifica veri ex bono: malogranata ejus & flores ejus, ſignificat ſcientifica boni & veri: & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, ſignificat ſcientificum boni ſingulis veris: ſex calamis exeuntibus ex Candelabro, ſignificat potentiam veri ex bono quoad omnia in cœlo ſpirituali: malogranata eorum & calami eorum ex eo erunt omnia ejus, ſignificat quod ſcientifica boni & potentiæ ex Divino ſpirituali quod a Domino erunt: ſolidum unum auro puro, ſignificat integrum & perfectum quia ex eodem bono: & facies lucernas ejus ſeptem ſignificat ſancta ſpiritualia inde: & aſcendere faciat lucernas ejus, ſignificat lucem cœli ſpiritualis: & illuminet e regione facierum ejus, ſignificat a Divino Bono Divini Humani Domini: & forcipes ejus & trullas ejus, ſignificat purificatoria & evacuatoria in naturali: auro puro, ſignificat etiam ex bono: talentum auri puri faciet illud cum omnibus vaſis illis, ſignificat bonum cœleſte a quo bonum ſpirituale una cum ejus ſcientificis.

9548. Et facies Candelabrum, quod ſignificet cœlum ſpirituale, conſtat ex ſignificatione Candelabri, quod ſit Divinum ſpirituale in cœlo & in Eccleſia a Domino; quod per Candelabrum Divinum ſpirituale ſignificetur, eſt quia per menſam ſuper qua panes facierum ſignificatur Divinum cœleſte, ut in præcedentibus oſtenſum eſt: Divinum cœleſte eſt bonum amoris, & Divinum ſpirituale eſt verum fidei inde, utrumque procedens a Domino. Quod Candelabrum ſit Divinum ſpirituale, eſt ex illuminatione, nam Divinum Verum quod procedit a Divino Bono Domini, eſt quod lucet in cœlo; non aliunde eſt Lux angelis; inde eſt, quod Dominus in Verbo dicatur Lux, & quod per Lucem ſignificetur fides, ac intelligentia veri & ſapientia boni, quæ a ſolo Domino, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3094. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3337. 3339. 3341. 3636. 3643. 3862. 3993. 4060. 4180. 4302. 4408. 4414. 4415. 4419. 4527. 4598. 5400. 6032. 6313. 6315. 6608. 6907. 7174. 8644. 8707. 8861. 9399. 9407. Quod Candelabrum ſit Cœlum ſpirituale ex Divino Vero quod a Domino, ita quoque Eccleſia; & quod Lucerna ſit fides, ac intelligentia veri & ſapientia boni, quæ a Solo Domino, conſtat a locis in Verbo ubi Candelabrum & ubi Lucerna nominantur; ut apud Johannem, "*Vidi ſeptem Candelabra aurea; & in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis; ſeptem Candelabra ſeptem Eccleſiæ*," Apoc: i: 12. 13. 20: & apud Eundem, "*Removebo Candelabrum tuum e loco ſuo*, ſi non egeris pœnitentiam," Apoc: ii: 5: Eccleſia hic dicitur Candelabrum a Divino Vero quod ibi a Domino; dicitur enim, ſeptem Candelabra ſeptem Eccleſiæ; quod ſit a Divino Vero, patet ex eo quod dicatur, removebo Candelabrum tuum ſi non egeris pœnitentiam; quod id ſit a Domino, dicitur enim, in medio Candelabrorum ſimilis Filio hominis; quod Dominus dicatur Filius hominis a Divino Vero, videatur n: 2803. 2813. 3704. Apud Eundem, "Dabo duobus teſtibus meis, ut prophetent dies mille ducentos ſexaginta; hi ſunt duæ oleæ & *duo Candelabra*

labra coram Deo terræ stantia," Apoc: xi: 3 ad 10; duo testes sunt Verbum utriusque Testamenti, quatenus testatur de Domino; id olea dicitur ex Divino Bono, & Candelabrum ex Divino Vero, quod a Domino. Apud Sachariam, "Angelus dixit ad Prophetam; quid tu vides, cui dixi, video, & *ecce Candelabrum auri totum*; lechytus ejus super Capite ejus, *septemque Lucernæ ejus super eo*, septena infundibula *lucernis: duæ oleæ* juxta id, una a dextra lechyti, & una a sinistra ejus," iv: 2. 3; agitur ibi de Serubabele, qui fundaturus domum Dei, & perfecturus illam, per quem repræsentatur Dominus quod venturus & restauraturus Cœlum spirituale & Ecclesiam; quæ sunt Candelabrum, & sancta vera ibi septem lucernæ. Quod Lucerna sit fides, ac intelligentia veri, & sapientia boni quæ a solo Domino, constat apud Johannem, "Sancta Hierosolyma non opus habet sole neque luna, *ut luceant in ea*; gloria Dei illustrabit eam, & *Lucerna ejus Agnus:* gentes quæ salvantur in *Luce Ipsius ambulabunt*," Apoc: xxi: 23. 24; & adhuc, "Nox non erit ibi, neque opus habent lucerna & luce solis, quia *Dominus Deus illustrat illos*," Apoc: xxii: 5; lucerna in priori loco pro Divino Vero quod a Domino, & lux pro fide, ita quoque pro intelligentia & sapientia. Apud Eundem, "*Lux lucernæ non lucebit in te amplius*; & vox sponsi & sponsæ non audietur in te amplius," Apoc: xviii: 23: & apud Jeremiam, "Abrogabo vocem gaudii & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, vocem molarum, & *lucem lucernæ*, ut sit tota terra in desolationem, in devastationem," xxv: 10. 11, ibi de exstinctione fidei & inde intelligentiæ in rebus spiritualibus, quo ibi lucerna quæ non erit, & lux lucernæ quæ abrogabitur. Pariter apud Hiobum, "Quoties *lucerna impiorum exstinguitur*, & venit super eos exitium," xxi: 17. Apud Davidem, "*Tu illuminas Lucernam meam*, Jehovah Deus meus splendere facit tenebras meas," Psalm: xviii: 29. 2 Sam: xxii: 29: apud Eundem, "Ex mandatis tuis intelligens factus sum, *Lucerna pedi meo Verbum tuum*, & *lux* semitæ meæ," Psalm: cxix: 104. 105: apud Hiobum, "Cum *Deus splendere facit Lucernam super capite meo*, *ad lucem ejus* ambularem in tenebris," xxix: 3. Apud Matthæum, "*Lucerna corporis est oculus*, si oculus tuus probus est, totum corpus tuum lucidum; at si oculus tuus malus fuerit, totum corpus obtenebratum erit; si ergo lumen quod in te est, tenebræ est, tenebræ quantæ," vi: 22. 23. Luc: viii: 16. Cap: xi: 33. 36; per oculum hic intelligitur fides & inde intelligentia; quod ea in sensu interno sint oculus, videatur n: 4403 ad 4421. 4503 ad 4534. 9051, inde patet, quid significatur per quod si oculus tuus probus, totum corpus lucidum, at si oculus malus, totum corpus obtenebratum. Quia fides & inde intelligentia & sapientia significatur per Lucernam, ideo reges Jehudæ *vocantur lucernæ Davidi*, 1 Reg: xi: 36. Cap: xv: 5. 2 Reg: viii: 19: & David vocatur *Lucerna Israelis*, 2 Sam: xxi: 16. 17; non quod Reges Jehudæ essent Lucernæ, nec David, sed quia per Regem significatur Divinum Verum quod a Domino, n: 6148, & per Davidem Dominus quoad Divinum Verum, ex quo fides, intelligentia & sapientia, n: 1888.

9549. Auro puro, quod significet ex bono cœlesti, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris, seu bonum cœleste, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. Hic paucis dicetur, cur candelabrum esset ex puro auro; per candelabrum significatur Divinum spirituale, seu Divinum Verum, quod a Domino in cœlo & in Ecclesia, n: 9548, hoc quia existit a Divino Bono, ideo Candelabrum ex auro erat, nam, ut dictum est, aurum significat bonum: hoc patet amplius ex influxu Domini in cœlos; intimum seu tertium cœlum est cœleste, medium seu secundum est spirituale, influit Dominus per Cœlum cœleste, quod in bono amoris in Ipsum est, in Cœlum spirituale quod in Vero fidei in Ipsum est: inde constat, cur Candelabrum totum esset ex puro auro, ut quoque decem Candelabra in Templo a Schelomone exstructo, 1 Reg: VII: 49; videatur etiam infra n: 9550 & 9568.

9550. Solidum fiet Candelabrum, quod significet quod omne ex bono, constat ex significatione solidi, quod sit totum quantum, ita omne ex bono, quod per aurum significatur; omne enim spirituale, quod per Candelabrum, quatenus illuminat, significatur, existit ex cœlesti, & quoque continue per id subsistit, sicut omne verum a bono; nam si bonum subducis, exstinguitur momento verum, anima enim veri est bonum: se habet hoc sicut affectio quæ amoris ad cogitationem, si subducitur affectio quæ amoris, exstinguitur illico cogitatio; affectio enim est ipsa vita seu anima cogitationis: omnis affectio quæ amoris, est boni, & omnis cogitatio inde est veri: verum quod ex bono vocatur spirituale, & bonum ex quo verum, vocatur cœleste.

9551. Scapus ejus, & calamus ejus, schyphi ejus, quod significet spiritualia in naturali, constat ex significatione scapi, calami & schyphi, quæ sunt productiones ex ipso candelabro, sicut brachia, manus, & palmæ a corpore, quod sint spiritualia in naturali; naturale enim producitur & derivatur a spirituali, sicut spirituale a cœlesti, n: 9549; inde patet, cum Candelabrum significat Divinum spirituale, quod productiones & derivationes, quæ vocantur scapus, calamus & scyphi, sint spiritualia in naturali.

9552. Malogranata ejus, quod significet scientifica boni, constat ex significatione malogranatorum, quod sint scientifica boni; sunt scientifica boni & scientifica veri, illa significantur per malogranata, & hæc per flores quibus circumdabatur & ornabatur Candelabrum. Quod scientifica boni per malogranata significentur, constat ex locis alibi, ubi nominantur, ut apud Moschen, "Terra tritici & hordei, & vitis & ficus & *malogranati*." Deut: VIII: 8: & apud Haggæum, "Non adhuc semen in horreo, & usque ad vitem, & ficum, & *malogranatum*," ii: 19; triticum, hordeum & semen in horreo significant cœlestia interna & externa; vitis, ficus & malogranatum, spiritualia & naturalia in suo ordine, quorum ultima sunt scientifica, quæ naturalis & sensualis hominis, quapropter malogranatum ultimo loco nominatur. Apud Zephaniam, "Jehovah perdet Aschurem, requiescent in medio ejus greges, omnis fera gentis, *tum platea & anataria in malogranatis ejus pernoctabunt*," ii: 13. 14, platea & anataria in malogranatis pro falsis mali in scien-

ſcientificis boni. Apud Amos, "Vidi Dominum ſtantem ſuper altari, qui dixit, *percute malogranatum*, ut contremiſcant poſtes; hoc eſt, divide eos in capite omnes, poſtrema eorum gladio occidam," IX: 1, percutere malogranatum pro deſtruere ſcientifica boni per falſa mali; poſtes dicuntur tunc contremiſcere, quia poſtes ſunt vera naturalis, n: 7847; poſtrema gladio occidere, pro deſtruere ſic ultima; gladius enim eſt verum pugnans contra falſum, & deſtruens illud, ac vice verſa, n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294.

9553. Et flores ejus, quod ſignificet ſcientifica veri, conſtat ex ſignificatione florum, quod ſint ſcientifica veri; quod flores illa ſignificent, eſt quia flores ſunt progerminationes, quæ præcedunt & ſuo modo producunt fructus ac ſemina; nam quod arbores & plantæ effloreſcant, antequam fructum ferunt, notum eſt; ſimiliter ſe habet cum homine, quoad intelligentiam & ſapientiam; ſcientifica veri præcedunt, & ſuo modo producunt illa quæ ſunt ſapientiæ apud hominem; inſerviunt enim rationali ejus pro objectis & ſic pro mediis ſapiendi; inde eſt, quod ſcientifica veri ſint ſicut flores, & bonum vitæ, quod eſt bonum ſapientiæ, ſicut fructus: quoniam omnia quæ in ſpirituali mundo ſunt, ſe referunt ad talia quæ apud hominem, ex cauſa quia cœlum refert unum hominem, & correſpondet omnibus & ſingulis quæ apud hominem, ideo quoque omnia quæ in naturali mundo ſunt, ſecundum convenientiam cum talibus quæ apud hominem, correſpondent, repræſentant, & ſignificant, n: 9496: inde nunc conſtare poteſt, unde eſt, quod flores ſignificent ſcientifica veri, & in genere vera, ac fructus ut & ſemina, bona. Quod flores ſint ſcientifica veri, & in genere vera, conſtat a ſequentibus his locis; apud Eſaiam, "Radix eorum ſicut tabes erit, & *flos eorum ſicut pulvis*, quia renuerunt legem Jehovæ Zebaoth; & ſermonem Sancti Iſraelis ſpreverunt," V: 24. Apud Eundem, "Venturos radicabit Jacobus, *effloreſcet* & *florebit* Iſrael; ita ut impleantur facies orbis proventu," XXVII: 6. Apud Eundem, "Væ ebriis Ephraimi, & *flori decidentis gloriæ* & decoris ejus," XXVIII: 1: ebrii pro illis qui ratiocinantur ex falſis, n: 1072; Ephraimus pro intellectuali Eccleſiæ, hic perverſo, n: 5354. 6222. 6234. 6238. 6267; gloria pro vero Divino, n: 4809. 5922. 8267. 8427. 9429; inde patet, quod flos ſit ſcientificum per quod verum. Apud Eundem, "Exaruit gramen, *decidit flos*; gramen eſt populus; ſed Verbum Dei noſtri manet in æternum," XL: 6. 7. 8. Apud Nahum, "*Flos Libani* langueſcit," I: 4; ibi etiam flos pro ſcientificis ut mediis ſapiendi. Apud Danielem, "In ſomnio vidit Nebuchadnezar, ecce arbor in medio terræ, altitudo ejus magna, folium ejus pulchrum, & *flos ejus multus*; ſub illa umbram habebat beſtia agri, & in ramis ejus habitabant aves cœli, & alebatur omnis caro. Sed Sanctus de Cœlo clamans dixit, excidite arborem, amputate ramos ejus, diſcutite folium ejus, diſpergite florem ejus; fugiat beſtia agri ſub ea; & aves e ramis ejus," IV: 7 ad 11; per arborem & ejus altitudinem ſignificatur increſcentia religioſi, quod ſignificatur per Babel, religioſum illud eſt Sanctum in externis, at prophanum in internis, n: 1182. 1283. 1304 ad 1308. 1321. 1322. 1326. 1925; folium pro ſcientifico vero in genere, n: 885; flos pro

ſcientifico veri quatenus inſervit pro medio ſapiendi; ibi autem quatenus inſervit pro medio inſaniendi, nam dicitur quod diſpergerentur; beſtia agri ſunt qui in affectionibus boni, & in oppoſito ſenſu qui in affectionibus mali, n: 45. 46. 142. 143. 246. 714. 715. 719. 776. 1823. 2179. 2180. 3218. 3519. 5198. 7523. 9090. 9280; aves autem cœli ſunt qui in affectionibus veri, & in oppoſito ſenſu qui in affectionibus falſi, n: 3219. 5149. 7441; ideo dicitur, quod ſub umbra arboris illius habitaret beſtia agri, & in ramis ejus habitarent aves cœli, & *aleretur omnis caro*; & dein quod fugeret beſtia agri ſub ea, & aves e ramis ejus.

9554. Ex illo erunt, quod ſignificet quod ex ſpirituali quod ex bono cœleſti, conſtat ex ſignificatione Candelabri, ex quo erunt malogranata & flores, quod ſit Divinum ſpirituale quod ex Divino cœleſti, de qua ſupra n: 9548; inde patet, quod per ex illo erunt, ſignificetur ex ſpirituali quod ex bono cœleſti.

9555. Et ſex calami exeuntes ex lateribus ejus, quod ſignificet omnia veri ex bono in complexu, conſtat ex ſignificatione ſex, quod ſint omnia in complexu, de qua n: 3960 fin: 7973. 8148; & ex ſignificatione calamorum exeuntium ex lateribus, quod ſint vera ex bono; nam per calamos ex candelabro ſimile ſignificatur quod per brachia & manus hominis, quoniam omnia & ſingula quæ in natura, ſe referunt ad formam humanam, & inde ſignificant, n: 9496. 9553; brachia & manus in homine correſpondent veris ex bono, & inde potentiæ, n: 878. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 6947. 7188. 7189. 7205. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 9025. 9133; ex quibus patet, quod per ſex calamos exeuntes ex lateribus ſignificentur omnia veri ex bono in complexu.

9556. Tres calami Candelabri ex latere ejus uno, & tres calami candelabri ex latere ejus altero, quod ſignificet plenum quoad bonum & verum, conſtat ex ſignificatione trium, quod ſint plenum, de qua n: 2788. 4495. 7715. 9198; ex ſignificatione calamorum Candelabri, quod ſint vera ex bono, & inde potentia, de qua ſupra n: 9555; & ex ſignificatione ex latere uno & ex latere altero, quod ſint ex bono & inde vero; nam per illa, quæ in dextro latere corporis ſunt, ſignificantur bona, & per illa quæ in ſiniſtro vera inde, prout faciei pars dextra & ſiniſtra; oculus dexter & ſiniſter, auris dextra & ſiniſtra, pes dexter & ſiniſter, ſimiliter reliqua in corpore.

9557. Tres ſcyphi amygdalati, quod ſignificet plenum quoad ſcientifica ex bono, conſtat ex ſignificatione trium, quod ſint plenum, ut nunc ſupra n: 9556; ex ſignificatione ſcyphorum, quod ſint vera ſcientifica quæ ex bono charitatis, de qua n: 5120; & ex ſignificatione amygdalarum, quod ſint bona vitæ veris boni naturalis interioris correſpondentia, de qua n: 5622; inde patet, quod per tres ſchyphos amygdalatos ſignificetur plenum quoad vera ſcientifica ex bono.

9558. In calamo uno, quod ſignificet potentiam veri ex bono, conſtat ex ſignificatione calami, quod ſit verum ex bono, & inde potentia, de qua ſupra n: 9555.

9559. Malogranatum & flos, quod significet scientificum boni & veri, constat ex significatione malogranati, quod sit scientificum boni, de qua n: 9552; & ex significatione floris, quod sit scientificum veri, de qua n: 9553.

9560. Et tres schyphi amygdalati, in calamo uno, malogranatum & flos, quod significet similia, ac nunc supra n: 9557. 9558. 9559, constat absque explicatione.

9561. Ita sex calamis exeuntibus ex Candelabro, quod significet potentiam veri ex bono quoad omnia in cœlo spirituali, constat ex significatione sex, quod sint omnia in complexu, ut supra n: 9555; ex significatione calamorum, quod sint vera ex bono, & inde potentia, de qua supra n: 9555. 9558; & ex significatione Candelabri, quod sit Cœlum spirituale, de qua etiam supra n: 9548; inde patet, quod per sex calamos exeuntes e Candelabro, significetur potentia veri ex bono quoad omnia in cœlo spirituali.

9562. Et in Candelabro, quod significet medium per quod conjunctio, & ex quo potentiæ, constat ex significatione Candelabri, quod sit Cœlum spirituale, de qua n: 9548; sed hic, quia intelligitur media pars ex qua exibant sex calami, per quos significantur potentiæ, n: 9558, ideo significatur medium per quod conjunctio, ex quo potentiæ.

9563. Quatuor schyphi amygdalati, quod significet scientifica veri ex bono, constat ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 8877; & ex significatione schyphorum amygdalatorum, quod sint scientifica ex bono, de qua supra n: 9557.

9564. Malogranata ejus & flores ejus, quod significet scientifica boni & veri, constat ex significatione malogranatorum, quod sint scientifica boni, de qua n: 9552, & ex significatione florum, quod sint scientifica veri, de qua n: 9553.

9565. Et malogranatum ex duobus calamis ex eo, & malogranatum sub duobus calamis ex eo & malogranatum sub duobus calamis ex eo, quod significat scientificum boni singulis veris, constat ex significatione malogranati, quod sit scientificum boni, de qua n: 9552; & ex significatione calamorum, quod sint vera ex bono, de qua n: 9555; quod ter repetitum sit, significat singula, & in sensu interno plenariam conjunctionem; per tria enim significatur plenarium, n: 2788. 4495. 7715. 9198; & per duo conjunctio, n: 686. 5194. 8423.

9566. Sex calamis exeuntibus ex Candelabro, significat potentiam veri ex bono, quoad omnia in cœlo spirituali, ut supra n: 9561.

9567. Malogranata eorum & calami eorum ex eo erunt omnia ejus, quod significet quod scientifica boni & potentiæ ex Divino spirituali, quod a Domino erunt, constat ex significatione malogranatorum, quod sint scientifica boni, de qua n: 9552; ex significatione calamorum, quod sint vera ex bono, & inde potentiæ, de qua etiam supra n: 9555. 9558; & ex significatione Candelabri, ex quo erunt, quod sit Divinum spirituale quod in Cœlo & in Ecclesia a Domino, de qua n: 9548; inde patet, quod per malogranata & calamos

calamos quod ex Candelabro erunt, significetur quod scientifica boni & potentiæ ex Divino spirituali, quod a Domino, erunt: quomodo cum his se habet, videantur quæ nunc sequuntur.

9568. Solidum unum auro puro, quod significet integrum & perfectum, quia ex eodem bono, constat ex significatione solidi unius, quod sit totum quantum, ita omne ex bono, quod per aurum significatur, n: 9550, ita integrum & perfectum; nam quod totum est ex bono, est integrum & perfectum. Per totum ex bono, ita per integrum & perfectum, intelligitur cum bonum est omne in omnibus, non modo in veris quæ per calamos, sed etiam in scientificis quæ per malogranata & per flores significantur: ast quomodo cum hoc se habet, dicetur; bonum est, ex quo vera, & vera ex bono sunt ex quibus scientifica, ita derivatur & producitur unum ab altero, sed usque est bonum omne in productis & derivatis, quia ex bono sunt; similiter se hoc habet sicut cum fine, causa & effectu, finis est omne causæ, & causa est omne effectus, inde sequitur quod finis sit omne effectus, usque adeo, ut si finis seu causa finalis subducatur, non causa ejus efficiens sit, nec effectus: similiter sibi succedunt cœleste, spirituale & naturale, ex cœlesti est omne spirituale, ex spirituali est omne naturale, hoc est, ex cœlesti per spirituale, cœleste apud hominem dicitur omne quod est boni amoris, spirituale quod est veri fidei inde, & naturale quod est scientifici; quod scientificum sit naturale, est quia scientificum est verum apparens in luce mundi, at verum fidei, quatenus est fidei apud hominem, in luce cœli: ex his nunc constare potest, quomodo unum producitur & derivatur ab altero, & quod primum sit omne in productis ac derivatis, usque adeo, ut si primum subducatur, pereant inde succedentia: quod Divinum sit omnium primum, quisque qui aliqua facultate percipiendi gaudet, scire potest, quapropter id est omne in omnibus ordinis rerum, ita in omnibus boni & veri, quæ faciunt cœlum, & quæ faciunt vitam cœli apud hominem; consequenter est bonum a Divino in omnibus veris fidei, & si non bonum sit omne ibi, & nisi Divinum Domini sit omne in bono, homo non habet aliquid cœli, proinde non aliquid Ecclesiæ in se: sed tunc est Divinum Domini in omnibus boni & inde in omnibus veri apud hominem, cum vult ex amore & credit ex fide inde, quod omne bonum & omne verum, ita omne amoris & omne fidei sit a Domino, & prorsus nihil a seipso; tum quod tantum veri fidei possideat, quantum boni a Domino recipit, nam, ut dictum, bonum est omne in omnibus veri, & verum absque bono est verum absque vita. Ex his constare potest, quid intelligitur per integrum & perfectum quia ex eodem bono, quod significatur per solidum unum ex auro puro.

9569. Et facies lucernas ejus septem, quod significet sancta spiritualia inde, constat ex significatione lucernæ, quod sit fides ac intelligentia veri, quæ a solo Domino, de qua n: 9548, ita spirituale, nam Divinum Verum, quod a Domino, per quod fides, intelligentia & sapientia, est spirituale; & ex significatione septem, quod sint sanctum, de qua n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268. Quod Lucernæ essent numero septem, erat quia Divinum

 Verum,

Verum, ex quo fides, intelligentia & sapientia, est quod sanctum vocatur, ex causa quia a Divino Bono Divini Amoris Domini procedit, & Divinum Bonum Divini Amoris est quod sanctificat, inde erat quod sanctificationes per oleum fierent, sicut sanctificatio Tentorii, & omnium quæ ibi, Altaris, Aharonis & filiorum ejus, atque vestium eorum, postea Regum, unde Uncti vocati sunt; oleum enim significat Bonum amoris, n: 886. 3728. 4582. 4638.

9570. Et ascendere faciat lucernas ejus, quod significet lucem cœli spiritualis, constat ex significatione ascendere facere lucernas, quod sit accendere ibi lucem, ut illuminent; & quia per Candelabrum repræsentabatur Cœlum spirituale, n: 9548, ideo per ascendere facere lucernas, significatur lux cœli spiritualis: Lux cœli spiritualis est Divinum Verum procedens a Domino, & inde fides ac intelligentia veri & sapientia boni, videantur citata n: 9548. Quomodo cum luce cœli spiritualis se habet, paucis dicetur; in Regno Cœlesti Domini, quod est intimum seu tertium cœlum, est lux quæ immensum transcendit lucem quæ in Regno spirituali Domini, quod est medium seu secundum cœlum; Lux Regni Cœlestis seu cœli intimi non apparet sicut lux, sed sicut flamma; causa est, quia in eo cœlo regnat bonum amoris, & bonum amoris sistitur per flammam in cœlo; at in Regno spirituali Domini, quod est medium seu secundum cœlum, est lux quæ immensum transcendit lucem mundi, sed usque apparet candida, causa est quia in eo cœlo regnat verum fidei ex bono charitatis, & verum fidei ex eo bono sistitur per lucem candidam in cœlo; inde quoque per lucem in Verbo significatur verum quod ex bono, & in supremo sensu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per lucem cœli spiritualis, & quid per flammam lucernæ, ex qua illa lux.

9571. Et illuminet e regione facierum ejus, quod significet a Divino Bono Divini Humani Domini, constat ex significatione illuminare, quod sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, hoc enim est quod illuminat cœlum, ipsosque angelos ibi, tum Ecclesiam aut ac homines ibi, qui in fide ex bono; illuminatio inde est illuminatio mentis, unde intelligentia & sapientia in veris & bonis fidei; illuminatur mens per Verbum, quia Verbum est Divinum Verum a Domino; & ex significatione facierum, cum de Domino, quod sit omne id quod est ex Divino Bono Divini Amoris Domini de qua n: 9545. 9546: quod sit ex Divino Bono Divini Humani Domini, est quia Divinum Humanum Domini est, ex quo Lux in cœlo, est enim Sol cœli, ex quo lux, & lux inde est Divinum Verum, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1692. 2776. 3094. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3337. 3339. 3341. 3636. 3643. 3862. 3993. 4060. 4180. 4302. 4408. 4414. 4415. 4419. 4527. 4598. 5400. 6032. 6313. 6315. 6608. 6907. 7174. 8644. 8707. 8861. 9399. 9407: & quod Dominus sit Sol cœli, n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 2441. 3636. 3643. 4321 fin: 5097. 7078. 7171. 7083. 7173. 8644. 8812; Divinum Humanum Domini est ex quo lux in cœlo, quoniam Divinum non potest videri, quam sub forma Humana; quod etiam Dominus docuit apud Johannem, "*Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius,*

Filius, Qui in sinu Patris, Ille exposuit," I : 18 : & apud Eundem, "*Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis,"* V : 37.

9572. Et forcipes ejus & trullas ejus, quod significet purificatoria & evacuatoria in naturali, constat ex significatione forcipum & trullarum, quod sint emunctoria, ita purificatoria & evacuatoria; quod in naturali, est quia naturale est emunctorium, ita purificatorium & evacuatorium; omnia enim, quæ Interni seu Spiritualis hominis sunt, descendunt usque in naturale, & purificantur, nam ibi sordida & superflua exonerantur, & convenientia ad usus disponuntur; quod hoc fiat in naturali, constare potest ex eo, quoniam internus seu spiritualis homo, dum in corpore est, cogitat in naturali, & cogitata sua exponit seu eloquitur in corporeo, & quoque vult in naturali, & quæ vult agit in corporeo; quapropter ibi sunt evacuatoria & emunctoria. Hoc significatur per lavationem pedum, de qua Dominus ita apud Johannem, "*Qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, & mundus est totus,"* XIII : 10; lavatio significabat purificationem Interni hominis, n: 3147. 5954 fin: 9089; & pedes naturale, n: 2162. 3147. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952.

9573. Auro puro, quod significet etiam ex bono, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua supra n: 9549; cur purificatoria & evacuatoria etiam essent ex bono, constat ex illis quæ supra n: 9568 ostensa sunt.

9574. Talentum auri puri faciet illud cum omnibus vasis illis, quod significet bonum cœleste, a quo bonum spirituale una cum ejus scientificis, constat ex significatione talenti auri puri, quod sit bonum unum ex quo omnia; talentum enim est unum, & aurum est bonum, n: 9549; ac vasa, quæ etiam ex eodem bono erunt, sunt scientifica, n: 9557. 9559. 9560. 9563. 9564; quod vasa in genere sint vera & scientifica, videatur n: 3068. 3079. 9394. 9544. Quia bonum erit omne in omnibus productis & derivatis, ita bonum cœleste in bonis spiritualibus, & inde scientificis n: 9568, ideo dicitur, quod ex auro puro solidum fiet Candelabrum, n: 9549. 9550; quodque scapus, calamus, scyphi, malogranata & flores, ex illo erunt, n: 9551. 9552. 9553. 9554; & hic quod ex talento auri puri faciet illud cum omnibus vasis illis.

9575. Vers: 40. *Et vide & fac in forma eorum, quam tu videre factus es in monte.* Et vide & fac in forma eorum, significat repræsentativum omnium: quam tu videre factus es in monte, significat quæ oculis spiritus visa sunt in cœlo.

9576. Et vide & fac in forma eorum, quod significet repræsentativum omnium, constat ex significatione formæ, quod sit repræsentativum, ut supra n: 9481. 9482, hic Cœli ubi Dominus, ac omnium cœli, seu omnium Domini in cœlo, nam intelligitur forma arcæ, habitaculi, mensæ pro panibus facierum, candelabri, & vasorum, per quæ cœlum ubi Dominus, & cœlestia repræsentantur.

9577. Quam

9577. Quam tu videre factus es in monte, quod significet quæ oculis spiritus visa sunt in cœlo, constat ex significatione videre, cum de repræsentativis in cœlo, quod sit videre oculis spiritus, de qua sequitur; & ex significatione Montis Sinai, quod sit cœlum, de qua n: 8805. 9420. Quod videre, cum de repræsentativis quæ in cœlo apparent, sit videre oculis spiritus, sciendum quod spiritus angelici, qui in ultimo seu primo cœlo sunt; continue videant formas rerum similes talibus quæ sunt in mundo, sicut paradisos, Arbores ibi cum fructibus, flores & plantas, tum domos, palatia, ut & animalia plurium generum, præter innumera alia, quæ in mundo non visa: omnia illa sunt repræsentativa rerum cœlestium quæ in superioribus cœlis; hæc ibi sistuntur in forma ita coram oculis spirituum infra, ut spiritus angelicus inde scire & percipere possit singula quæ in cœlis superioribus existunt; nam omnia quoad singularissima repræsentant & significant; inde constare potest, quid intelligitur per repræsentativum cœli & cœlestium, quæ per Arcam, Cherubos, Habitaculum, Mensas, ibi & Candelabrum, significantur. Talia non possunt videri oculis hominis, dum in mundo est, nam illi formati sunt ad capienda terrestria & corporea, ita materialia; sunt ideo tam crassi, ut ne quidem possint capere visu interiora naturæ; ut satis constare potest ex vitris opticis, per quæ armandi sunt, ut solum illa quæ proxime interioris naturæ sunt, videant: verbo sunt maxime hebetes, & quia tales, nequaquam per illos videri possunt repræsentativa quæ apparent spiritibus in altera vita; sed si apparitura sint, auferendum erit oculis lumen mundi, quo ablato videntur illa quæ in luce cœli; est enim lux cœli & est lux mundi, lux cœli est pro spiritu hominis, & lux mundi pro corpore ejus; & res ita se habet; illa quæ in luce cœli sunt, in caligine sunt quando homo ex luce mundi videt; & vice versa, illa quæ in luce mundi sunt, in caligine sunt quando homo ex luce cœli videt; inde est, cum lux mundi visui oculi corporei aufertur, tunc aperiantur oculi spiritus ejus, & videantur quæ in luce cœli, ita formæ repræsentativæ, ut supra dictum est. Ex his sciri potest, unde est, quod homo hodie in caligine de cœlestibus sit, & quidam in tanta, ut ne quidem credant dari vitam post mortem, ita non se victurum in æternum; est enim homo hodie tantum immersus corpori, ita corporeis, terrestribus & mundanis, & inde in tam crassa luce mundi, ut cœlestia ei prorsus caligo sint, & ideo visus ejus spiritus non illustrari possit. Ex his nunc patet, quod sit videre oculis spiritus, quibus Moscheh vidit formam Tentorii in monte Sinai.

De

De Telluribus in Cœlo Astrifero, hic de Prima Tellure ibi visa.

9578. *Ducebar per Angelos a Domino ad Tellurem quandam in Universo, ubi datum est inspicere in ipsam Tellurem, sed non loqui cum incolis ibi, verum cum Spiritibus qui inde: omnes enim incolæ, seu homines cujuscunque Telluris, post transactam vitam in mundo fiunt Spiritus, & manent circa suam Tellurem: ex illis tamen informatio datur de Tellure, & de statu incolarum ibi; nam homines qui decedunt e corpore, secum ferunt omnem vitam priorem, & omnem memoriam.*

9579. *Duci ad Tellures in Universo, non est duci & transferri illuc quoad corpus, sed quoad spiritum; & spiritus non ducitur per spatia, sed per variationes status vitæ interioris, quæ apparent ei sicut progressiones per spatia, n:* 5604, 7381. 9440: *Appropinquationes etiam fiunt secundum statuum convenientias seu similitudines, nam status convenientia, seu similitudo conjungit, & disconvenientia seu dissimilitudo disjungit. Inde constare potest, quomodo translatio fit quoad spiritum, & ejus appropinquatio ad dissita, manente usque homine in suo loco.*

9580. *Sed ducere spiritum per variationes status interiorum ejus extra suum orbem, & facere ut variationes progrediantur successive, usque ad statum convenientem seu similem cum illis, ad quos ducitur, in potentia solius Domini est; erit enim directio continua & prævisio a primo ad ultimum, cis & retro; imprimis ut hoc fiat cum homine, qui adhuc quoad corpus in mundi natura est, & per id in spatio.*

9581. *Quod ita factum sit, illi qui in sensualibus corporeis sunt, & ex illis cogitant, non induci possunt ad credendum; causa est, quia sensualia corporea non possunt capere progressiones absque spatiis: at usque illi qui ex sensuali spiritus sui aliquantum remoto seu subducto a sensuali corporis, ita interius in se, cogitant, induci possunt & capere, quoniam in idea cogitationis eorum non est spatium, nec tempus, sed pro illis talia, ex quibus spatia & tempora: pro his itaque sint hæc quæ sequuntur de Telluribus in cælo astrifero; & non pro illis, nisi tales sint, ut se instrui patiantur.*

9582. *In*

9582. *In statu vigili ducebar quoad spiritum per Angelos a Domino, ad quandam Tellurem in universo, comitantibus Spiritibus quibusdam ex hoc orbe; progressio fiebat dextrorsum, & perstabat duabus horis. Circa finem mundi nostri Solis apparuit primum nubes candicans, sed densa; & post illam fumus igneus ascendens ex magno hiatu; erat ingens vorago separans ab illa parte mundum nostrum solarem a mundis quibusdam Cæli siderei: igneus ille fumus ad satis multam distantiam apparuit. Trans illum medium ferebar; & tunc apparuere subter in hiatu illo seu in voragine perplures homines, qui erant spiritus, (Spiritus enim apparent omnes in humana forma, & actualiter sunt homines, n:* 322. 1881;) *audivi etiam illos ibi inter se loquentes; sed unde essent & quales, non scire dabatur; unus tamen ex illis mihi dicebat, quod essent custodiæ, ne spiritibus transeant ab hoc mundo in quendam alterum qui in universo, absque data copia.*

9583. *Quod ita esset, etiam confirmabatur; quidam enim spiritus, qui in comitatu erant, quibus non permissum fuit transire, cum ad magnum illud interstitium venerunt, cæperunt clamare valde quod pereant, erant enim sicut illi, qui in agone cum morte luctantur; quare ab illa parte voraginis illius subsistebant, nec ulterius transferri potuerunt; igneus enim fumus exhalatus ex voragine occupabat illos, ac ita cruciabat. Fumus igneus est falsum ex malis concupiscentiarum; ita id falsum apparet.*

9584. *Continuatio de prima Tellure visa in Cœlo astrifero ad finem Capitis sequentis.*

FINIS CAPITIS XXV. *EXODI.*



E X O D I

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

DOCTRINA CHARITATIS ET FIDEI.

9585. OMNE id vocatur LIBERUM quod eſt voluntatis, ita quod eſt amoris: unde eſt, quod Liberum ſe manifeſtet per jucundum volendi & cogitandi, & inde faciendi & loquendi; nam omne jucundum eſt amoris; & omnis amor eſt voluntatis, & voluntas eſt eſſe vitæ hominis.

9586. Facere ex jucundo amoris malum, apparet liberum, ſed eſt ſervum, quia eſt ex inferno: facere ex jucundo amoris bonum, apparet liberum, & eſt quoque liberum, quia eſt ex Domino: eſt itaque ſervum duci ab inferno, & liberum duci a Domino. Hoc ita Dominus docet apud Johannem, "*Omnis faciens peccatum, ſervus eſt peccati; ſervus non manet in domo in perpetuum; Filius manet in perpetuum; ſi Filius vos liberos fecerit, vere liberi eritis,*" VIII: 34. 35. 36.

9587. Dominus tenet hominem in libero cogitandi, & quantum vincula externa, quæ ſunt timor legis & vitæ, ac timor jacturæ famæ, honoris & lucri, non inhibent, tenet illum in libero faciendi; ſed per liberum deflectit illum a malo, & per liberum flectit ad bonum; tam leniter & tacite ducendo, ut homo non ſciat aliter quam quod omne procedat a ſe: ſic Dominus in libero inſeminat & irradicat bonum ipſi hominis vitæ, quod manet in æternum. Hoc ita Dominus docet apud Marcum, "*Se habet Regnum Dei, quemadmodum homo qui projicit ſemen in terram; ſemen germinat & creſcit, dum neſcit ipſe; ultronea terra fructum fert,*" IV: 26. 27. 28; Regnum Dei eſt cœlum apud hominem, ita bonum amoris & verum fidei.

9588. Quod inſeminatur in libero, hoc manet, quia irradicatur ipſi hominis voluntati, quæ eſt eſſe vitæ ejus: at quod inſeminatur in coacto, hoc non manet, quia coactum non eſt ex voluntate hominis, ſed illius qui cogit. Inde eſt, quod cultus ex libero placeat Domino, non autem cultus ex coacto; cultus enim ex libero, eſt cultus ex amore, nam omne liberum eſt amoris.

9589. Est liberum cœleste, & est liberum infernale; liberum cœleste est duci a Domino, estque id liberum amor boni & veri: liberum autem infernale est duci a diabolo, estque id liberum amor mali & falsi, proprie concupiscentia.

9590. Qui in libero infernali sunt, credunt quod servum & coactum sit non licere facere malum & cogitare falsum ex lubitu: sed qui in libero cœlesti sunt, horrent facere malum & cogitare falsum; & si coguntur ad illa, cruciantur.

9591. Ex his constare potest, quid sit LIBERUM ARBITRIUM, quod nempe sit ex arbitrio seu ex voluntate bonum facere; & quod illi in eo libero sint, qui ducuntur a Domino.

CAPUT XXVI.

1. ET Habitaculum facies, decem aulæa, byssino contexto & hyacinthino; & purpura, & coccineo dibapho, cherubis, opere excogitatoris facies illa.

2. Longitudo aulæi unius octo & viginti in cubito, & latitudo quatuor in cubito, aulæum unum; mensura una omnibus aulæis.

3. Quinque aulæa erunt conjuncta, quodvis ad alterum, & quinque aulæa conjuncta, quodvis ad alterum.

4. Et facies loramenta hyacinthini super ora aulæi unius ab extremitate in junctura, ac ita facies in ora aulæi extremi in conjunctura altera.

5. Quinquaginta loramenta facies in aulæo uno, & quinquaginta loramenta facies in extremitate aulæi, quæ in conjunctura altera; suscepta erunt loramenta, quodvis ad alterum.

6. Et facies quinquaginta ansulas auri, & conjunges aulæa quodvis ad alterum in ansulis; & erit Habitaculum unum.

7. Et facies aulæa capris ad tentorium super Habitaculo, undecim aulæa facies illa.

8. Longitudo aulæi unius triginta in cubito, & latitudo quatuor in cubito, aulæum unum, mensura una undecim aulæis.

9. Et conjunges quinque aulæa solum, & sex aulæa solum, & duplicabis aulæum sextum e regione facierum tentorii.

10. Et facies quinquaginta loramenta super ora aulæi unius extremi in junctura, & quinquaginta loramenta super ora aulæi juncturæ alterius.

11. Et facies ansulas æris quinquaginta, & induces ansulas in loramenta, & conjunges tentorium, ut sit unum.

12. Et redundans superfluum in aulæis tentorii, dimidium aulæi superflui redundare facies super posteriora Habitaculi.

13. Et cubitus hinc & cubitus illinc in superfluo in longitudine aulæorum tentorii erit redundans super lateribus Habitaculi hinc & illinc ad tegendum illud.

14. Et facies tegumentum tentorio pellibus arietum rubrorum, & tegumentum pellibus melium desuper.

15. Et facies asseres Habitaculo lignis Schittim stantes.

16. Decem cubiti longitudo asseris, & cubitus & dimidius cubitus latitudo asseris unius.

17. Duæ manus asseri uni combinatæ, quævis ad alteram: ita facies omnibus asseribus Habitaculi.

18. Et facies asseres Habitaculo, viginti asseres angulo meridiei versus austrum.

19. Et quadraginta bases argenti facies sub viginti asseribus, duas bases sub assere uno duabus manibus ejus; & duas bases sub assere uno duabus manibus ejus.

20. Et lateri Habitaculi alteri ad angulum septentrionis viginti asseres.

21. Et quadraginta bases eorum argento, duas bases sub assere uno, & duas bases sub assere uno.

22. Et duobus cruribus Habitaculi versus mare facies sex asseres.

23. Et duos asseres facies angulis Habitaculi in duobus cruribus.

24. Et erunt geminati ab infra, & simul erunt geminati ad caput ejus, ad annulum unum; ita erit ambobus illis, ad duos angulos erunt.

25. Et erunt octo asseres & bases eorum argento, sedecim bases, duæ bases sub assere uno, & duæ bases sub assere uno.

26. Et facies vectes lignis Schittim, quinque asseribus lateris Habitaculi unius.

27. Et quinque vectes asseribus lateris Habitaculi alterius, & quinque vectes asseribus lateris Habitaculi ad bina crura versus mare.

28. Et vectis medius in medio asserum transiens ab extremitate ad extremitatem.

29. Et asseres obduces auro, & annulos eorum facies auro, domos vectibus, & obduces vectes auro.

30. Et statues Habitaculum secundum modum quem videre factus es in monte.

31. Et facies velum hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byssino contextu, opere excogitatoris faciet illud, cherubis.

32. Et dabis illud super quatuor columnas Schittim obductas auro, & unci earum auro, super quatuor basibus argenti.

33. Et dabis velum sub ansulis, & induces illuc ab intra velum Arcam Testimonii; & distinguat velum vobis inter sanctum & inter sanctum sanctorum.

34. Et dabis propitiatorium super arcam Testimonii in sancto sanctorum.

35. Et pones mensam ab extra velum, & candelabrum e regione mensæ super latere Habitaculi versus austrum, & mensam dabis ad latus septentrionis.

36. Et facies tegumentum ostio tentorii hyacinthina & purpura & coccineo dibapho & byssino contexto, opere acupictoris.

37. Et facies tegumento quinque columnas Schittim, & obduces illas auro, & unci earum auro, & fundes illis quinque bases æris.

CONTENTA.

9592. IN hoc Capite repræsentatur Cœlum alterum seu medium per Habitaculum ac Tentorium, ac cœlestia & spiritualia ibi repræsentantur per illa a quibus construebantur: & postea repræsentatur Medium Uniens hoc Cœlum & Cœlum intimum, per Velum inter Habitaculum & Arcam Testimonii.



SENSUS INTERNUS.

9593. VERS. 1. *Et Habitaculum facies, decem aulæa, byssino contexto & hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, cherubis, opere artificis facies illa.* Et Habitaculum facies, significat cœlum alterum seu medium: decem aulæa, significat omnia vera ex quibus: byssino contexto, & hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, significat spiritualia & cœlestia ex quibus illa: cherubis, significat custodiam Domini ne adeatur & lædatur ab infernis: opere excogitatoris facies illa, significat intellectuale.

9594. Et Habitaculum facies, quod significet cœlum alterum seu medium, constat ex significatione Habitaculi, cum de Divino, quod sit cœlum, proprie cœlum Medium seu secundum. Notum est, quod tres cœli sint, intimum, medium, & ultimum, seu tertium, secundum, & primum; omnes illi cœli repræsentati sunt per Tabernaculum; per Arcam ubi Testimonium, Cœlum intimum

intimum seu tertium; per Habitaculum ubi mensa pro panibus facierum & Candelabrum, Cœlum medium seu secundum; & per atrium, Cœlum ultimum seu primum. Quod tres cœli sint, causa est, quia tres gradus vitæ sunt apud hominem; (homo enim, qui sit angelus post mortem, cœlum constituit, non aliunde sunt angeli, nec aliunde cœli:) intimus ejus vitæ gradus est pro cœlo intimo; medius vitæ gradus pro cœlo medio; & ultimus pro cœlo ultimo: & quia homo talis est, seu ita formatus, & ex humano genere cœlum, ideo tres cœli sunt. Gradus illi vitæ apud hominem aperiuntur successive; primus gradus per vitam secundum æquum & justum; alter gradus per vitam secundum vera fidei ex Verbo & secundum bona charitatis erga proximum inde; & tertius gradus secundum bonum amoris mutui, & bonum amoris in Dominum: hæc media sunt, per quæ aperiuntur successive illi tres gradus vitæ apud hominem, ita tres cœli apud illum. Sed sciendum est, quod quantum homo a bono vitæ recedit, & ad malum vitæ accedit, tantum claudantur illi gradus, hoc est, tantum claudantur cœli apud illum; nam sicut bonum vitæ aperit illos, ita malum vitæ claudit illos; inde est, quod omnes qui in malo sunt, extra cœlum sint, ita, in inferno: & quia cœli apud hominem successive aperiuntur secundum bonum vitæ ejus, ut supra dictum est, sciendum quod ideo apud quosdam aperiatur cœlum primum & non alterum, & apud quosdam aperiatur cœlum alterum & non tertium; & quod apud illos solum, qui in bono vitæ sunt ex amore in Dominum cœlum tertium aperiatur: quod homo sit cœlum in minima forma; & quod ad imaginem & cœli & mundi creatus sit, videatur in locis citatis n: 9279. Est itaque intimum cœlum quod repræsentatur per Arcam Testimonii, de qua in Capite præcedente; medium cœlum, quod per Habitaculum, de quo in hoc Capite; & ultimum cœlum, quod per Atrium, de quo in Capite sequente. Cœlum dicitur Habitaculum Dei ex eo, quod Divinum Domini ibi habitet; est enim Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, quod facit cœlum, quippe id dat vitam angeli qui ibi; & quia Dominus in eo quod ex se apud Angelos habitat, n: 9338 fin: ideo cœlum dicitur Habitaculum Dei, & ipsa Divina Vera ex Divino Bono, quorum receptiones sunt Angeli seu societates angelicæ vocantur Habitacula; ut apud Davidem, "Mitte *lucem tuam* & *veritatem tuam*, hæ ducant me, ducant me ad montem sanctitatis, & ad *habitacula tua*, ut ingrediar ad Altare Dei ad Deum," Psalm: XLIII: 34: apud Eundem, "Fluvius, cujus rivi lætificabunt urbem Dei, *sanctum habitaculorum Altissimi*," Psalm: XLVI: 5: apud Eundem, "In terram *prophanarunt Habitaculum Nominis tui*," Psalm: LXXIV: 7: apud Eundem, "*Quam amabilia sunt Habitacula tua Jehovah*," Psalm: LXXXIV: 2. Quod sint Divina quæ procedunt a Divino Humano Domini, quæ proprie vocantur Habitacula, & inde ipsum cœlum vocatur Habitaculum, constat etiam apud Davidem, "Juravit Jehovæ, vovit forti Jacobi, si dedero somnum oculis meis, usque dum invenero locum Jehovæ, *Habitacula forti Jacobi*: ecce audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum in agris sylvæ, *intrabimus in Habitacula Ipsius*," Psalm:

CXXXII:

cxxxii : 2. 4 ad 7, fortis Jacobi est Dominus quoad Divinum Humanum, n : 6424 ; Ephrata, ubi inveniretur, est Bethechem ubi natus, Genes : xxxv : 19. Cap : xlviii : 7. Mich : v : 1. Matth : ii : 4. 6 ; agri sylvæ sunt bona Ecclesiæ apud gentes. Apud Ezechielem, "*Habitabunt super terra*, quam dedi servo meo Jacobo, *habitabunt super ea* ipsi & filii filiorum eorum in æternum ; & David servus meus princeps illis in æternum : pangam illis fœdus pacis, fœdus æternitatis erit cum illis, & *ponam sanctuarium meum* in medio eorum in æternum ; sic erit *Habitaculum meum* apud illos," xxxvii : 25. 26. 27 ; David qui princeps illis pro Domino, n : 1888 ; sanctuarium pro Divino Humano Domini, quoniam ab Ipso omne sanctum, n : 3210. 9229 ; ita Habitaculum pro Cœlo, & pro Ecclesia ubi Dominus. Apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, ecce Ego reducens captivitatem *tentoriorum Jacobi*, & *habitaculorum ejus* miserebor, ut ædificetur urbs super cumulo suo," xxx : 18 ; reducere captivitatem tentoriorum Jacobi pro restaurare bona & vera Ecclesiæ externæ quæ deperdita ; habitaculorum ejus misereri, pro restaurare vera Ecclesiæ internæ ; urbs quæ ædificaretur super cumulo suo pro doctrina veri, n : 2450. 2943. 3216. 4492. 4493. Quomodo Dominus in cœlis habitat, constare potest ex illis quæ de Domino prius ostensa sunt, quod nempe Dominus quoad Divinum Humanum sit Sol ex quo Calor & Lux in cœlis ; calor ex Domino ut Sole est amor, & lux est fides ; Dominus inde habitat apud illos, qui ab Ipso recipiunt bonum amoris & verum fidei, ita calorem & lucem vitæ ; præsentia Ipsius est secundum gradus receptionis.

9595. Decem aulæa, quod significet omnia vera ex quibus, constat ex significatione decem, quod sint omnia, de qua n : 4638 ; inde decima pars, quæ est unum aulæum, est quantum satis, n : 8468. 8540 ; & ex significatione aulæorum seu cortinarum, quod sint vera interiora fidei quæ intellectualis novi ; per Habitaculum enim significatur cœlum medium seu secundum, quod est Cœlum ex receptione Divini Veri quod ex Divino Bono Domini, ut supra n : 9594, ostensum est ; inde aulæa seu cortinæ quibus id construebatur & tegebatur, sunt vera fidei quæ intellectualis novi ; quod sint vera interiora, est quia vera exteriora significantur per aulæa ex capris pro Tentorio quod circum circa, de quibus etiam in hoc Capite. Quod Aulæa seu Cortinæ sint vera fidei quæ illis qui in Regno spirituali Domini, constat a locis in Verbo, ubi nominantur ; ut apud Esaiam, "Canta sterilis, non pepererat, quia multi filii desolatæ præ filiis maritatæ ; *amplifica locum tentorii tui*, & *cortinas habitaculorum tuorum extendant* ; longos fac funes, quia dextram & sinistram erumpes, & semen tuum gentes hæreditabit," liv : 1. 2. 3 ; agitur ibi de Ecclesia instauranda apud gentes, quæ dicitur sterilis non peperit ; ex eo quia absque veris ex Verbo, n : 9325 ; cui dicuntur multi filii præ filiis maritatæ, quia multa vera præ veris Ecclesiæ prioris devastatæ, filii enim sunt vera, n : 489. 491. 533. 1147. 3373. 3704 ; amplificare locum tentorii pro sanctum cultus ex bono amoris, n : 3312. 3391. 4599 ; cortinas habitaculorum extendere pro sanctum cultus ex veris

fidei.

fidei. Apud Jeremiam, "Devaſtata eſt tota terra, ſubito devaſtata ſunt *Tentoria mea*, momento *cortinæ meæ*," IV : 20; terra quæ devaſtata pro Eccleſia, n: 9325; devaſtata tentoria pro ſancto cultus ex bono amoris; devaſtatæ cortinæ, pro ſancto cultu ex veris fidei. Apud Eundem, "*Tentorium meum* devaſtatum eſt, & omnes funes mei evulſi; filii mei exiverunt a me, & non illi, *non tendens amplius tentorium meum*, & *erigens cortinas meas*, quoniam ſtulti facti ſunt paſtores," X : 20. 21, ſimiliter. Apud Eundem, "Surgite & aſcendite contra Arabiam, & devaſtate filios Orientis, *Tentoria* & greges eorum ſumant, *cortinas eorum*, & omnia vaſa eorum, & camelos eorum, auferant ſibi," XLIX : 28. 29; Arabia & filii Orientis pro illis qui in cognitionibus boni & veri ſunt, n : 3249; ſumere tentoria & greges pro bona interiora Eccleſiæ, n : 8937; ſumere cortinas pro vera interiora Eccleſiæ; vaſa eorum pro vera exteriora Eccleſiæ, n : 3068. 3079; Camelos pro ſcientifica communia, n : 3048. 3071. 3143. 3145. Apud Habakuk, "Sub Aven vidi tentoria Kuſchanis, *commotæ ſunt cortinæ Midianis*," III : 7; cortinæ Midianis pro veris apud illos qui in ſimplici bono, n : 3242. 4756. 4788. 6773. 6775. Ex his patet quid intelligitur apud Davidem, "Jehovah gloriam & honorem induiſti, qui operit ſe luce quaſi veſte, *extendit cœlus ſicut cortinam*," Pſalm : CIV : 1. 2; operire ſe luce ſicut veſte, pro Divinis veris; quod lux ſit Verum, videatur n : 9548; quod etiam veſtis n : 4545. 4763. 5319. 5954. 9093. 9212. 9216; inde extendere cœlos ſicut cortinam eſt amplificare cœlos per influxum Veri Divini, unde intelligentia & ſapientia; quod extendere & expandere cœlos prædicetur de intellectuali novo ſeu regenerato, videatur in artic : nunc ſequente 9596, ad fin :

9596. Byſſino contexto, & hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, quod ſignificet ſpiritualia & cœleſtia ex quibus illa, conſtat ex ſignificatione byſſini contexti, quod ſit verum ex origine cœleſti, de qua n : 9469; ex ſignificatione hyacinthini, quod ſit cœleſtis amor veri, de qua n : 9466; ex ſignificatione purpuræ, quod ſit cœleſtis amor boni, de qua n : 9467; & ex ſignificatione coccinei dibaphi, quod ſit bonum ſpirituale ſeu bonum veri, de qua n : 9468: tali ordine ſequuntur ſpiritualia & cœleſtia, ſeu vera & bona apud hominem & angelum, qui in cœlo medio ſeu ſecundo; primum enim eſt verum ex origine cœleſti, quod per byſſinum ſignificatur; dein eſt amor ſeu affectio veri, quæ eſt hyacinthinum; poſtea eſt amor ſeu affectio boni inde, quod eſt purpura; & tandem eſt bonum ſpirituale, quod eſt coccineum dibaphum. Quia ſpiritualia & cœleſtia eo ordine ſequuntur, ideo byſſinum contextum hic primo loco dicitur; at in Velo, quod inter Habitaculum & Arcam, ſeu inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, de qua in Verſ: 31 hujus Capitis, loco ultimo; quod in Velo dicatur byſſinum contextum ultimo loco, eſt quia Velum ſignificat medium uniens cœlum intimum cum medio, inde in medio illo erit ultimum ut in ſequente ſit primum, ob conjunctionem. Sed per Byſſinum contextum proprie ſignificatur Intellectuale quale eſt ſpirituali homini, ſeu Angelo qui in ſpirituali Regno Domini; cauſa quod Intellectuale per Byſſinum contextum ſignificetur, eſt

quia

quia apud hominem spiritualem novum voluntarium a Domino implantatum est in parte ejus intellectuali, videatur n: 863. 875. 895. 927. 1023. 1043. 1044. 1555. 2256. 4328. 4493. 5413; & quia Intellectuale spiritualis hominis per byssinum contextum significatur, ideo quoque verum spirituale, nam omne verum pertinet ad partem intellectualem, & omne bonum ad partem voluntariam, n: 3623. 9300; est enim intellectuale subjectum seu continens, & verum est ejus, & illa duo unum faciunt. Ex his quoque constare potest, quod ipsum Intellectuale apud illos qui e Regno Spirituali Domini sunt, sit Habitaculum, in stricto sensu, n: 9296. 9297, & quod id describatur per expansum ex aulæis. Ex his sciri potest, quod per expandere & extendere cœlos significatur in sequentibus his locis, ut apud Esaiam, "Jehovah *extendens cœlos, expandens terram*, dans animam populo super illa, & spiritum ambulantibus in illa," XLII: 5: apud Eundem, "Ego Jehovah faciens omnia, *extendens cœlos solus, expandens terram a Me Ipso*," XLIV: 24. Apud Eundem, "Ego feci *terram*, & hominem super ea creavi; Ego, manus meæ *extenderunt cœlos*," XLV: 12. Apud Jeremiam, "Qui facit *terram* virtute sua, parat orbem sapientia sua, & *intelligentia sua extendit cœlos*," LI: 15. Apud Sachariam, "Jehovah *extendens cœlos* & fundans *terram*, & formans spiritum hominis in medio ejus," XII: 1; quod per extendere cœlos & expandere terram hic simile significetur, quod per extendere & expandere Habitaculum per aulæa seu cortinas; patet, & quod id sit regenerare hominem, & sic creare seu formare novum intellectuale in quo novum voluntarium, quod est ipsum cœlum hominis spiritualis, in quo Dominus apud illum hominem habitat: quod sit regeneratio seu formatio novi intellectualis & inibi novi voluntarii, ita novi hominis, quæ per extendere cœlos & expandere terram significatur, patet ab ipsa explicatione ibi, dicitur enim, *dans animam populo super illa, & spiritum ambulantibus in illa*; tum, *formans spiritum hominis in medio ejus*: quod cœlum & terra sint Ecclesia interna & externa, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118. 3355. 4535; & quod Terra in genere sit Regnum Domini & Ecclesia, n: 9334, quod etiam manifeste apparet ibi, nam nisi terra id significet, quid foret expandere terram, ac fundare terram, & formare spiritum hominis in ea. Quod per extendere cœlos & expandere terram hic simile significetur quod per extendere & expandere Habitaculum per aulæa seu cortinas, constat ex locis alibi ubi id expressius dicitur, ut apud Esaiam, "*Jehovah qui extendit sicut cortinam cœlos, & expandit illos sicut tentorium ad habitandum*," XL: 22. Apud Eundem, "*Amplifica locum tentorii tui, & cortinas habitaculorum tuorum extendant*," LIV: 2; & apud Davidem, "Jehovah operit se luce quasi veste, *extendit cœlos ut cortinam*," Psalm: CIV: 2. Ex his quoque patet, quid per Expansum significatur in Primo Capite Geneseos, "Dixit Deus, sit *Expansum in medio aquarum*, & sit distinguens inter aquas aquis, & *fecit Deus Expansum illud*, & distinxit inter aquas quæ *sub expanso*; & inter aquas quæ *supra expansum*, & *vocavit Deus expansum cœlum*." Vers: 6. 7. 8; in Primo illo Capite describitur regeneratio hominis Ecclesiæ cœlestis, & ejus novum volun-

voluntarium ac intellectuale per expansum; aquæ sub expanso & supra expansum sunt vera externi & interni hominis; quod aquæ sint vera, videatur n: 2702. 3058. 3424. 4976. 8568. 9323.

9597. Cherubis, quod significet custodiam Domini, ne cœlum adeatur & lædatur ab infernis, constat ex significatione Cheruborum, quod sint Custodia & Providentia ne Dominus nisi per bonum adeatur; & ne bonum quod a Domino in cœlo & apud hominem lædatur, de qua n: 9509, consequenter ne cœlum adeatur & lædatur ab infernis.

9598. Opere excogitatoris facies illa, quod significet intellectuale, constat ex significatione excogitatoris, quod sit intellectuale, hoc enim cogitat & ex cogitato facit: quod sit intellectuale, cui sapientia, intelligentia, & scientia, constant in sequentibus, ubi id dicitur de Bezaleel, "Vocavi nominatim Bezaleelem, & implevi eum spiritu Dei quoad *sapientiam*, quoad *intelligentiam* & quoad *scientiam*, & quoad omne opus, *ad excogitandum cogitationes*, ad faciendum in auro, in argento, & in ære, & in sculptura lapidis ad implendum, & in sculptura lignorum ad faciendum *in omni opere excogitationis*," Exod: XXXI: 2. 3. 4. 5. Cap: XXXVI: 30. 31. 32. 33. Quod intellectuale significetur, etiam constat ex illis quæ mox supra n: 9597, ostensa sunt.

9599. Vers: 2 ad 6. *Longitudo aulæi unius octo & viginti in cubito, & latitudo quatuor in cubito, aulæum unum; mensura una omnibus aulæis. Quinque aulæa erunt conjuncta, quodvis ad alterum, & quinque aulæa conjuncta quodvis ad alterum. Et facies loramenta hyacinthini super ora aulæi unius ab extremitate in junctura, ac ita facies in ora aulæi extremi in conjunctura altera. Quinquaginta loramenta facies in aulæo uno, & quinquaginta loramenta facies in extremitate aulæi quæ in conjunctura altera: suscepta erunt loramenta quodvis ad alterum. Et facies quinquaginta ansulas auri, & conjunges aulæa, quodvis ad alterum in ansulis, & erit Habitaculum unum.* Longitudo aulæi unius octo & viginti in cubito, significat sanctum veri ex bono: & latitudo quatuor in cubito, significat conjugium veri cum bono: aulæum unum, significat ita singulis veris: mensura una omnibus aulæis, significat statum rei similem: quinque aulæa erunt conjuncta quodvis ad alterum, & quinque aulæa conjuncta quodvis ad alterum, significat communicationem veri cum bono & boni cum vero constantem: & facies loramenta hyacinthini, significat conjunctionem per cœlestem amorem veri: super ora aulæi unius ab extremitate in junctura, significat unius sphæræ cum altera: ac ita facies in ora extremi in conjunctura altera, significat ita reciproce: quinquaginta loramenta facies in aulæo uno, significat conjunctionem plenariam in sphærarum ultimis: & quinquaginta loramenta facies in extremitate aulæi quæ in conjunctura altera, significat similiter reciproce: suscepta erunt loramenta quodvis ad alterum, significat conjunctionem utrinque omnimodam: & facies quinquaginta ansulas auri, significat plenariam conjunctionis facultatem a bono: & conjunges aulæa quodvis ad alterum in ansulis, significat modum conjunctionis ubivis: & erit Habitaculum unum, significat totum cœlum ita prorsus unum.

9600. Longitudo aulæi unius octo & viginti in cubito, quod significet sanctum veri ex bono, constat ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 8898. 9487; ex significatione aulæi, quod sit verum interius fidei, quod intellectualis novi, de qua supra n: 9595; & ex significatione octo & viginti, quod sint sanctum conjunctionis; quod viginti octo id sint, est quia is numerus existit ex multiplicatione septem per quatuor, & per septem significatur sanctum, n: 433. 716. 881. 5265. 5268; & per quatuor conjunctio, n: 1686. 8877; numeri enim multiplicati simile significant cum simplicibus, ex quibus sunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973; ex his patet, quod per longitudinem aulæi unius octo & viginti in cubito, significetur sanctum veri ex bono.

9601. Et latitudo quatuor in cubito, quod significet conjugium veri cum bono, constat ex significatione latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487, ita conjugium, nam conjunctio veri & boni dicitur conjugium cœleste, n: 2173. 2618. 2728. 2729. 2803. Quod quatuor sint conjunctio seu conjugium, est quia is numerus ex duobus in se multiplicatis existit, & duo sunt conjunctio, n: 5194. 8423; & numeri multiplicati simile cum simplicibus, ex quibus sunt, significant, ut mox supra n: 9600 dictum est: quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur in locis n: 9488 citatis.

9602. Aulæum unum, quod significet ita singulis veris, constat ex significatione aulæi, quod sit verum, de qua supra n: 9595, inde per Aulæum unum seu unumquodvis, significantur singula vera.

9603. Mensura una omnibus aulæis, quod significet statum rei similem, constat ex significatione mensuræ, quod sit status rei quoad verum, de qua n: 3104; inde mensura una omnibus aulæis est status rei similis omnibus veris. Per statum rei similem, cum dicitur de veris fidei in Regno spirituali, intelligitur, quod omnia spectent bonum, & per bonum spectent Dominum, a Quo; nam vera, quæ non ita spectant, non sunt vera fidei, proinde nec vera Ecclesiæ aut cœli; vera, quæ alio spectant, quidem in externa forma possunt apparere sicut vera, sed non sunt vera, sunt enim absque vita, nam vita veri est bonum, & bonum est a Domino, Qui solus vita: vera alio spectantia sunt sicut membra corporis absque anima, quæ non sunt membra alicujus corporis, quia sunt inanimata & sic nullius usus. Quod mensura significet statum rei quoad verum, & quoque statum rei quoad bonum, patet a locis in Verbo, ubi agitur de mensurationibus Novæ Hierosolymæ, & quoque Novi Templi; per Novam seu Sanctam Hierosolymam significatur Nova Domini Ecclesia, similiter per Templum; quapropter per mensuras eorum significantur status quoad verum & quoad bonum; ut apud Johannem, "Angelus calamum habebat aureum, *ut metiretur Sanctam Hierosolymam*, & portas ejus, & murum ejus, & *mensus est urbem calamo* in stadiis duodecies mille; *mensus est murum ejus* centum quadraginta quatuor cubitorum, *quæ est mensura hominis*, hoc est, Angeli," Apoc: XXI: 15. 16. 17; quod mensuræ hic significent status quoad bonum & verum, manifeste patet, nam Sancta

Hiero-

Hierosolyma est Nova Domini Ecclesia, portæ & murus sunt vera fidei tutantia; duodecies mille sunt omnia vera & bona in complexu; similiter centum quadraginta quatuor, n: 7973, hic enim numerus simile significat cum numero duodecim, quia exsurget a duodecim multiplicatis in duodecim; quod duodecim sint omnia vera & bona in complexu, videatur n: 577. 2089. 2129 fin: 2130 fin: 3272. 3858. 3913; mensura hominis, hoc est, Angeli, significat talem esse statum Ecclesiæ & Cœli quoad bona amoris & vera fidei, homo enim est Ecclesia, & Angelus est Cœlum; nisi sciretur quid sancta Hierosolyma, quid ejus porta & murus, quid numerus duodecies mille in stadiis, & mensura muri centum quadraginta quatuor, tum quid mensura, quid homo, & quid angelus, quis usquam sciret, quod mensura urbis esset duodecies mille in stadiis, & mensura muri 144 cubitorum esset *mensura hominis*, hoc est, *Angeli.* Simile per mensurationem significatur apud Sachariam, "Sustuli oculos meos & vidi, cum ecce vir, *cujus in manu funiculus mensuræ*, dixi, quo tu vadis, qui dixit, *ad metiendum Hierosolymam*, ut videam quanta latitudo ejus, & quanta longitudo ejus," II: 5. 6: tum apud Ezechielem, "Ubi vir, *cui calamus mensuræ*, *mensus est domos novæ urbis*, ut & *Templum*, quoad muros, parietes, portas, substructiones, limina, fenestras, gradus, de quibus ibi Cap: XI: XLI. XLII; nisi ibi mensurationes significarent status rei quoad verum & bonum, talia nequaquam memorata fuissent. Per mensurare in communi significatur status veri & boni, apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, *si mensurabuntur cœli sursum*, & pervestigabuntur fundamenta terræ deorsum, ecce usque Ego reprobabo semen Israelis propter omne quod fecerunt: ecce dies venientes, *quibus ædificabitur urbs Jehovæ*, & exibit amplius *linea mensuræ* super collem Gareb, & circuibit ad Goah," XXXI: 37. 38: tum apud Esaiam, Quis *mensus est* pugillo aquas, & cœlos spithama expendit, & *appendit in lance montes*, & *colles in libra*," XL: 12.

9604. Quinque aulæa erunt conjuncta, quodvis ad alterum, & quinque aulæa conjuncta quodvis ad alterum, quod significet communicationem veri cum bono, & boni cum vero, constantem, constat ex significatione quinque, quod sint omnia unius partis, nam per decem significantur omnia totius, n: 9595; & ex significatione aulæorum, quod sint vera interiora fidei quæ intellectualis novi, de qua etiam supra n: 9595; hinc quia ex decem aulæis quinque & quinque erant conjuncta, ideo significatur per illa communicatio veri & boni, ac boni & veri, reciproca, nam communicationes erunt reciprocæ, ut conjunctio conjugialis veri & boni sit. Similia per hæc significantur, quæ per ea quæ sunt partis sinistræ & quæ sunt partis dextræ in homine; illa quæ sunt partis dextræ in eo, se referunt ad bonum ex quo verum, illa autem quæ sunt partis sinistræ, se referunt ad verum quod ex bono; & in medio eorum est communicatio boni cum vero, & veri cum bono, unde conjunctio perpetua & constans, talia sunt quæ significantur per ea verba, quinque aulæa conjuncta quodvis ad alterum, & quinque aulæa conjuncta quodvis ad alterum.

9605. Et facies loramenta hyacinthini, quod significet conjunctionem per cœlestem amorem veri, constat ex significatione loramentorum, quod sint conjunctio; quod loramenta sint conjunctio, est quia conjunctio per illa fit; & ex significatione hyacinthini, quod sit cœlestis amor veri, de qua n: 9466.

9606. Super ora aulæi unius ab extremitate in junctura, quod significet unius sphæræ cum altera, nempe conjunctionem, constat ex significatione oræ aulæi ab extremitate in junctura, quod sit ubi unum desinit & alterum incipit, ita confinium ubi duo se conjungunt; quod sit sphæra quæ significatur, est quia in cœlo sphæræ conjungunt; sunt enim sphæræ quæ procedunt ex unaquavis societate angelica in cœlo, & ex unaquovis angelo in societate; sphæræ illæ, exhalant ex vita affectionum veri & boni cujusvis, & ad distantiam inde se effundunt; inde est, quod spiritus & angeli ad distantiam cognoscantur, quales sunt; angeli & societates angelicæ secundum sphæras illas conjunguntur, & quoque disjunguntur; similes enim sphæræ conjungunt, hoc est, similes affectiones veri & boni, & dissimiles disjungunt; sed videantur quæ de sphæris illis prius n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1520. 1695. 2431. 2489. 4464. 5179. 6206 fin: 7454. 6598 ad 6613. 8630. 8794. 8797. 9490. 9491. 9492. 9498. 9534, ostensa sunt: sive dicas angelos ac angelicas societates, ex quibus sphæræ, sive verum & bonum, idem est, nam sphæræ sunt ex affectionibus veri & boni, ex quibus angeli sunt Angeli a Domino. Sciendum est, quod quantum sphæræ illæ trahunt a Domino, tantum conjungant, sed quantum ex proprio angeli, tantum disjungant; inde patet, quod solus Dominus conjungat.

9607. Ac ita facies in ora aulæi extremi in conjunctura altera, quod significet ita reciproce, nempe quod conjunctio unius sphæræ cum altera sit per cœlestem amorem veri, constat absque ulteriore explicatione.

9608. Quinquaginta loramenta facies in aulæo uno, quod significet conjunctionem plenariam in sphærarum ultimis, constat ex significatione quinquaginta, quod sint plenum, de qua n: 2252; ex significatione loramentorum, quod sint conjunctio, ut mox supra n: 9605; & ex significatione oræ aulæi, ubi loramenta, quod sit sphæra veri ubi desinit, de qua etiam supra n: 9606, ita in ultimis.

9609. Et quinquaginta loramenta facies in extremitate aulæi, quæ in conjunctura altera, quod significet similiter reciproce, constat absque explicatione.

9610. Suscepta erunt loramenta quodvis ad alterum, quod significet conjunctionem utrinque omnimodum, constat ex significatione loramentorum, quod sint conjunctio, de qua supra n: 9605, quæ utrinque omnimoda significatur per susceptionem unius ab altera mutuo & vicissim; cum enim susceptio mutuo & vicissim fit, conjunctio omnimodo fit.

9611. Et facies quinquaginta ansulas auri, quod significet plenariam conjunctionis facultatem a bono, constat ex significatione quinquaginta, quod

ſint plenarium, ut ſupra n: 9608; ex ſignificatione anſularum, quod ſint conjunctionis facultas, nam facultas conjunctionis ineſt eis a forma, quæ eſt reflexi ſeu incurvali; & ex ſignificatione auri, quod ſit bonum, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9490. 9510.

9612. Et conjunges aulæa, quodvis ad alterum, quod ſignificet modum conjunctionis ubivis, conſtat ex ſignificatione conjungere aulæa per anſulas, quod ſit conjunctionis modus, nam cum per quinquaginta anſulas ſignificatur plenaria conjunctionis facultas, tunc per conjungere aulæa quodvis ad alterum per anſulas, ſignificatur modus.

9613. Et erit Habitaculum unum, quod ſignificet totum cœlum ita prorſus unum, conſtat ex ſignificatione Habitaculi, quod ſit cœlum, de qua n: 9594; quod unum ſit cum ita conjunctum, patet; cœlum enim ex myriadibus ſocietatum Angelicarum conſiſtit, & uſque Dominus illos ſicut unum Angelum, ſeu unum hominem ducit; quod ita ſit, eſt cauſa, quia inter omnes eſt amor mutuus ex amore Domini; cum ille amor eſt inter omnes & in omnibus, tunc omnes poſſunt diſponi in formam cœleſtem, quæ talis eſt, ut plures unum ſint, & quo plures eo fortius unum. Similiter ſe habet hoc ſicut cum innumerabilibus in Corpore humano, quæ tametſi diſtincta ſunt & varia, uſque unum faciunt; cauſa eſt quia in ſimili forma ſunt in qua cœlum, correſpondent enim, ut ad finem plurium Capitum oſtenſum eſt; & ex Correſpondentia in mutuo amore ſunt, & ſic conjuncta; inde eſt quod homo qui in bono amoris & fidei eſt, ſit cœlum in minima forma, n: 9279; & quod totum cœlum coram Domino ſit ſicut unus homo, n: 9276 fin: Omnis conjunctio tam innumerabilium Societatum Angelicarum in Cœlo, cum modis conjunctionis earum, repræſentata eſt in forma conſtructionis, Habitaculi ac Tentorii, de quibus in hoc Capite; ſed modi conjunctionis, quales in cœlo, non inde ad ideam hominis pervenire poſſunt, ex cauſa quia homo ne quidem ſcit, quod per Habitaculum repræſentatum ſit cœlum; & ſi id ſciviſſet, uſque non ſcit quod ſocietates cœleſtes ita per amorem conjunctæ ſint, ut unum referant: ſed omnia illa plene in Angelorum ideam influunt, cum hæc de Habitaculo leguntur, omnia enim & ſingula deſcriptionis ſenſum internum habent, qui a Domino coram Angelis manifeſtatus ſiſtit ſtatum conjunctionis omnium totius cœli inter ſe per amorem qui a Domino. Conjunctio Societatum Angelicarum in unum cœlum ſe refert ad has leges, 1. Quod omne unum in cœlorum forma plurium ſecundum harmoniam cœleſtem conſociatorum, exiſtat. 2. Quod amor ſit conjunctio ſpiritualis, unde harmonia cœleſtis. 3. Quod vinculum univerſale erit, ut ſingula inter ſe teneantur conjuncta. 4. Quod vinculum univerſale influet in vincula ſingularia, & faciet illa. 5. Quod vinculum univerſale ſit Dominus ita amor ab Ipſo, & inde amor in Ipſum. 6. Quod vincula ſingularia ſint inde, & quod illa ſint amoris mutui ſeu charitatis erga proximum. Hæ leges ſunt, a quibus cœlum ex innumerabilibus ſocietatibus angelicis conſiſtens, uſque ut unus homo ſit.

9614. Verſ: 7 ad 14. *Et facies aulæa capris ad Tentorium ſuper Habitaculo, undecim aulæa facies illa. Longitudo aulæi unius triginta in cubito, & latitudo*

quatuor in cubito, aulæum unum, mensura una undecim aulæis. Et conjunges quinque aulæa solum, & sex aulæa solum, & duplicabis aulæum sextum e regione facierum Tentorii. Et facies quinquaginta loramenta super ora aulæi unius extremi in junctura, & quinquaginta loramenta super ora aulæi juncturæ alterius. Et facies ansulas æris quinquaginta, & induces ansulas in loramenta, & conjunges tentorium, ut sit unum. Et redundans superfluum in aulæis tentorii, dimidium aulæi superflui redundare facies super posteriora Habitaculi. Et cubitus hinc & cubitus illinc in superfluo in longitudine aulæorum tentorii erit redundans super lateribus Habitaculi hinc & illinc ad tegendum illud. Et facies Tegumentum tentorio pellibus arietum rubrorum, & tegumentum pellibus melium desuper. Et facies aulæa capris ad Tentorium super Habitaculo, significat externum cœli quod ex bono externo cœlesti: undecim aulæa facies illa, significat omnia vera ex quibus: longitudo aulæi unius triginta in cubito, significat plenum veri ex bono: & latitudo quatuor in cubito, significat conjugium veri cum bono: aulæum unum, significat ita singulis veris: mensura una undecim aulæis, significat statum rei similem: & conjunges quinque aulæa solum, & sex aulæa solum, significat communicationem veri cum bono, & boni cum vero constantem: & duplicabis aulæum sextum, e regione facierum tentorii, significat communicationem omnium illius cœli cum extremis ibi, & influxum inde in cœlum ultimum: & facies quinquaginta loramenta super ora aulæi unius extremi in junctura, significat plenariam conjunctionem unius sphæræ cum altera: & quinquaginta loramenta super ora aulæi juncturæ alterius, significat similiter reciproce: & facies ansulas æris quinquaginta, significat plenariam facultatem conjunctionis a bono externo: & induces ansulas in loramenta, significat modum conjunctionis: & conjunges tentorium, & sit unum, significat externum cœli ita prorsus unum: & redundans superfluum in aulæis tentorii, significat procedens: dimidium aulæi superflui redundare facies super posteriora Habitaculi significat ad ultimum illius cœli: & cubitus hinc & cubitus illinc in superfluo in longitudine aulæorum tentorii erit redundans super lateribus Habitaculi hinc & illinc ad tegendum illud, significat modum quo ultimum illud procedit a bono ut cœlum tutum reddatur: & facies tegumentum tentorio, significat cœli illius ambitum: pellibus arietum rubrorum, significat externa vera ex bono: & tegumentum pellibus melium, significat extra illa ex bono externo.

9615. Et facies aulæa capris ad tentorium super Habitaculo, quod significet externum cœli quod ex veris quæ ex bono externo cœlesti, constat ex significatione aulæorum, quod sint vera interiora fidei, de qua n: 9595, hic vera fidei exteriora, quia erant pro tentorio quod super Habitaculo; ex significatione lanæ caprarum, ex qua aulæa illa, quod sit bonum externum cœleste, de qua n: 9470; & ex significatione tentorii super Habitaculo, quod sit externum cœli, nam per Habitaculum significetur cœlum, n: 9594, & per tentorium, quod supertegebat illud, externum ejus: inde patet, quod per aulæa ex lana caprarum ad tentorium super Habitaculo, significentur vera quæ ex bono externo cœlesti, ex quibus externum cœli. Sed quomodo cum

cum his se habet, non sciri potest, nisi sciatur cujusvis cœli internum & externum, ac influxus unius in alterum; Dominus enim in omnes cœlos influit tam immediate quam mediate, n: 9223, mediate per cœlum intimum in medium, & per hujus internum in ejus externum.

9616. Undecim aulæa facies illa, quod significet omnia vera ex quibus constat ex significatione undecim, quod sint omnia, de qua sequitur; & ex significatione aulæorum ex capris, quod sint vera ex bono cœlesti externo, de qua mox supra n: 9615. Quod undecim sint omnia, est quia decem aulæa constituebant ipsum tentorium, & undecimum redundabat ut superfluum super posteriora Habitaculi, ut constare potest a Vers: 9. 12. 13 seq: quod decem sint omnia, videatur n: 4638. 9595.

9617. Longitudo aulæi unius triginta in cubito, quod significet plenum veri ex bono, constat ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 9487; ex significatione aulæi, quod sit verum ex bono externo cœlesti, de qua supra n: 9615; & ex significatione triginta, quod sint plenum, de qua n: 9082.

9618. Et latitudo quatuor in cubito, quod significet conjugium veri cum bono, ut supra n: 9601.

9619. Aulæum unum, quod significet ita singulis veris, de qua etiam supra n: 9602, ubi similia verba.

9620. Mensura una undecim aulæis, quod significet statum rei similem, constat ex illis quæ supra n: 9603, ostensa sunt.

9621. Et conjunges quinque aulæa solum, & sex aulæa solum, quod significet communicationem veri cum bono & boni cum vero constantem, ut supra n: 9604.

9622. Et duplicabis aulæum sextum e regione facierum tentorii, quod significet communicationem omnium illius cœli cum extremis ibi, & influxum inde in cœlum ultimum, constat ex eo, quod duplicatio illius aulæi esset extensio super extremum Habitaculi, per aulæa enim & eorum extensionem repræsentabatur cœlum quoad communicationem & influxum, inde per sexti aulæi duplicationem & extensionem super extremum Habitaculi repræsentabatur communicatio omnium illius cœli cum extremis ibi, & influxus inde in cœlum ultimum.

9623. Et facies quinquaginta loramenta super ora aulæi unius extremi in junctura, quod significet plenariam conjunctionem unius sphæræ cum altera: & quinquaginta loramenta super ora aulæi juncturæ alterius, quod significet similiter reciproce, constat ex illis quæ prius n: 9605 ad 9609, ostensa sunt.

9624. Et facies ansulas æris quinquaginta, quod significet plenariam facultatem conjunctionis a bono externo, constat ex significatione quinquaginta ansularum, quod sint plenaria conjunctionis facultas, de qua supra n: 9611; & ex significatione æris, quod sit bonum naturale seu externum, de qua n: 425. 1551.

9625. Et induces ansulas in loramenta, quod significet modum conjunctionis, constat ex eo, quod cum per ansulas significatur conjunctionis facultas, de qua

qua mox supra n: 9624, per inducere illa in loramenta, & sic conjungere aulæa, significetur conjunctionis modus, ut quoque per conjungere aulæa, quodvis ad alterum per ansulas, supra n: 9612.

9626. Et conjunges tentorium ut sit unum, quod significet externum cœli ita prorsus unum, constat ex significatione tentorii, quod sit externum cœli, de qua n: 9615; quod ita prorsus unum sit, videatur n: 9613, ubi agitur de Habitaculo, per quod significatur internum cœli.

9627. Et redundans superfluum in aulæis tentorii; quod significet procedens, constat ex significatione superflui redundantis, quod sit procedens, de qua sequitur; & ex significatione aulæorum tentorii, quod sint vera ex bono externo cœlesti, quæ constituunt externum cœli, quod significatur per tentorium, n: 9615. Quod redundans superfluum ex aulæis sit procedens, est quia id per continuum ab ipso expanso procedit.

9628. Dimidium aulæi superflui redundare facies super posteriora Habitaculi, quod significet ultimum cœli, nempe procedens, constat ex significatione superflui redundantis, quod sit procedens, de qua mox supra n: 9627; & ex significatione posteriorum Habitaculi, quod sint ultimum cœli, Habitaculum enim est cœlum, de quo hic agitur.

9629. Et cubitus hinc & cubitus illinc in longitudine aulæorum tentorii erit redundans super lateribus Habitaculi hinc & illinc ad tegendum illud, quod significet modum quo ultimum illud procedit a bono, ut cœlum tutum reddatur, constat ex significatione redundantis, super lateribus Habitaculi, quod est cubitus hinc & cubitus illinc, quod sit ultimum procedens, de qua supra n: 9627; ex significatione longitudinis aulæorum tentorii, quod sint vera ex bono, de qua supra n: 9617; & ex significatione tegere, quod sit tutari, nam quod tegit, hoc tutatur ab ingruente malo damnum illaturo: ex his in unum collectis is sensus resultat, quod ultimum illud procedens a bono sit ut cœlum tutum reddatur.

9630. Et facies tegumentum tentorii, quod significet ambitum, constat absque explicatione, nam tegumentum factum ex pellibus arietum rubrorum faciebat ambitum supra & circa tentorium.

9631. Pellibus arietum rubrorum, quod significet externa vera ex bono, constat ex illis quæ de pellibus arietum rubrorum n: 9471, dicta & ostensa sunt.

9632. Et tegumentum pellibus melium desuper, quod significet extra illum, nempe ambitum ex veris quæ ex bono externo, constat ex significatione tegumenti, quod sit ambitus, ut mox supra n: 9630; & ex significatione pellium, quod sint vera externa, de qua n: 9471; & ex significatione melium, quod sint bona, de qua etiam n: 9471. Hæc quæ de Habitaculo, ejus Tentorio, & hujus binis tegumentis; hactenus dicta sunt, ulterius explicare supersedetur, quoniam talia sunt, quæ propter ignorantiam ægre caderent in cogitationis ideam, nam ubi ignorantia, ibi cæcitas, ita non receptio lucis, proinde non idea illius rei; pauci enim, si ulli sciunt, quod cœlum repræsentetur & sic describatur per Habitaculum, quodque externum ejus

per

per Tentorium cum ejus binis tegumentis: quod illa ignorentur, est causa, quia vix aliquis scit, quod cœlestia significentur per omnia quæ in Verbo, ita quod sensus internus, qui spiritualis, sit in singulis ibi; & quod ille sensus non appareat in litera, sed solum ex litera illis qui de Correspondentiis instructi sunt, & tunc, cum legunt Verbum, in illustratione sunt a Domino: imo vix aliquis scit, quod homo, qui in bono amoris & fidei est, sit cœlum in minima forma, & quod is tam quoad sua interiora quam quoad sua exteriora correspondeat cœlo, n: 9276: si hæc nota fuissent, potuissent eruditi in orbe Christiano, qui de formis Corporis humani sibi aliquam cognitionem compararunt, in aliqua luce intellectuali, proinde in aliqua idea esse de cœlo, & tunc capere quænam in cœlo repræsentantur per Arcam ejus Propitiatorium, & Cherubos super illo, quænam per mensam super qua panes facierum, perque Candelabrum, & per Altare Aureum pro suffitu; tum quænam repræsentantur per Habitaculum, ejus Aulæa, asseres, & bases, & dein per tentorium, & per bina ibi tegumenta; similia enim apud hominem in ejus internis & externis occurrunt, & quoque in materiali forma sistuntur in ejus corpore, quibus interna ad amussim correspondent; nam nisi externa, quæ sunt corporea, non ad amussim corresponderent internis, quæ sunt intellectualia & voluntaria, non foret aliqua vita in corpore, ita nec aliqui actus correspondentes. Dicitur, quod similia in Tabernaculo, quæ apud hominem, occurrant, quoniam repræsentativa in natura se referunt ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significant, n: 9496; in externis apud hominem sunt quatuor tegumenta, quæ omnia interiora ambiunt & concludunt, quæ pelles & cutes vocantur; hæ quibus internis correspondent, videatur ab experientia n: 5552 ad 5559. 8980; similia repræsentata sunt in tegumentis, quæ expansum Tabernaculi constituebant: inde intellectus aliquam lucem de formis cœli fœnerari potest; sed usque lux illa exstingueretur apud omnes illos, qui non cognitionem distinctam de illis, quæ in corpore humano sunt, habent, & qui non simul cognitionem distinctam de spiritualibus quæ fidei & de cœlestibus quæ amoris, quibus illa correspondent. Quia hæc & illa apud plerosque in umbra, imo in caligine sunt, non solum ex non cognitione, sed etiam ex non fide, ideo illa ulterius explicare supersessum est; caderent enim, ut supra dictum est, in nullam ideam, ob nullam intellectualem lucem in talibus.

9633. Vers: 15 ad 30. *Et facies asseres Habitaculo, lignis Schittim, stantes. Decem cubiti longitudo asseris, & cubitus & dimidius cubitus latitudo asseris unius. Duæ manus asseri uni combinatæ quævis ad alteram: ita facis omnibus asseribus Habitaculi. Et facies asseres Habitaculo, viginti asseres angulo meridiei versus austrum. Et quadraginta bases argenti facies sub viginti asseribus, duas bases sub assere uno duabus manibus ejus, & duas bases sub assere uno duabus manibus ejus. Et lateri Habitaculi alteri ad angulum septentrionis viginti asseres. Et quadraginta bases eorum argento, duas bases sub assere uno, & duas bases sub assere uno. Et duobus cruribus Habitaculi versus mare facies sex asseres. Et duos asseres facies angulis Habitaculi in duobus cruribus. Et erunt*

geminati ab infra, & simul erunt geminati ad caput ejus, ad annulum unum; ita erit ambobus illis ad duos angulos erunt. Et erunt octo asseres & bases eorum argento, sedecim bases, duæ bases sub assere uno, & duæ bases sub assere uno. Et facies vectes lignis Schittim quinque asseribus lateris Habitaculi unius. Et quinque vectes asseribus lateris Habitaculi alterius, & quinque vectes asseribus lateris Habitaculi ad bina crura versus mare. Et vectis medius in medio asserum transiens ab extremitate ad extremitatem. Et asseres obduces auro, & annulos facies auro domos vectibus, & obduces vectes auro. Et statues Habitaculum secundum modum, quem videre factus es in monte. Et facies asseres Habitaculo significat bonum sustentans cœlum illud: lignis Schittim, significat quod sit bonum meriti a Divino Humano Domini: decem cubiti longitudo asseris, significat bonum id omne in omnibus: & cubitus & dimidius cubitus latitudo asseris unius, significat verum inde conjunges quantum satis; duæ manus asseri uni, significat potentiam inde: combinatæ quævis ad alteram, significat inde conjunctionem Domini cum illis qui in eo cœlo: ita facies omnibus asseribus Habitaculi, significat ita ubivis: & facies asseres Habitaculo viginti, significat bonum sustentans cœlum omnimode & prorsus: asseres angulo meridiei versus austrum, significat usque in interiora ac intima ejus ubi verum in luce: & quadraginta bases argenti, significat plenariam sustentationem per verum: sub viginti asseribus, significat quod procedit ex bono quod a Divino Humano Domini: duas bases sub assere uno, significat conjunctionem ejus cum bono: duabus manibus ejus, significat inde potentiam: & duas bases sub assere uno duabus manibus ejus, significat ita in omnibus & singulis: & lateri Habitaculi alteri ad angulum septentrionis, significat versus exteriora illius cœli, ubi verum in obscuro, viginti asseres, significat bonum sustentans omnimode & prorsus: & quadraginta bases eorum argento, significat etiam ibi plenariam sustentationem per verum: duas bases sub assere uno, significat per conjunctionem cum bono: & duas bases sub assere uno, significat ubivis: & duobus cruribus Habitaculi versus mare, significat conjunctionem cum cœlo ubi bonum est in obscuro: facies sex asseres, significat ibi bonum a Divino Humano Domini omnimodum: & duos asseres facies angulis Habitaculi in duobus cruribus, significat quale conjunctionis ibi cum bono: & erunt geminati ab infra, & simul geminati ad caput ejus, significat conjunctionem ab exteriori & ab interiori: ad annulum unum, significat sic consistentiam: ita erit ambobus illis ad duos angulos erunt, significat similem conjunctionem ubivis: & erunt octo asseres, & bases eorum argento, significat omnimodam sustentationem a bono per verum quod ex bono: sedecim bases, significat sustentationem prorsus: duæ bases sub assere uno, & duæ bases sub assere uno, significat per conjunctionem veri cum bono ubivis: & facies vectes lignis Schittim, significat potentiam veri ex bono: quinque asseribus lateris Habitaculi unius, significat quo spectat versus cœli interiora ubi verum in luce: & quinque vectes asseribus lateris Habitaculi alterius, significat potentiam veri ex bono quo spectat versus exteriora ubi verum est in obscuro: & quinque vectes asseribus lateris Habitaculi

taculi ad bina crura versus mare, significat potentiam veri ex bono quo spectat cœlum illud, ubi conjunctio est cum bono quod in obscuro: & vectis medius in medio asserum transiens ab extremitate ad extremitatem, significat potentiam primariam e qua potentiæ ubivis continuantur: & asseres obduces auro, & annulos eorum facies auro, domos vectibus, & obduces vectes auro, significat repræsentativum boni ex quo & per quod omnia: & statues Habitaculum secundum modum, quem videre factus es in monte, significat ad plagas secundum status boni & inde veri in cœlo quod repræsentatur.

9634. Et facies asseres Habitaculo, quod significet bonum sustentans cœlum illud, constat ex significatione asserum, quod sint bonum sustentans, de qua sequitur; & ex significatione Habitaculi, quod sit cœlum medium seu secundum, de qua n: 9594. Quod asseres sint bonum sustentans, est quia erant ex ligno, & sustentabant aulæa tam Habitaculi quam Tentorii, & quoque bina tegumenta super illis, inde per asseres significantur sustentacula, & quia erant ex ligno, significabant quæ ex bono; omne enim quod ex lignis significat bonum, usque ad ipsas domos quæ ex lignis, n: 5720; quale boni significatur per lignum Schittim, ex quo erant. Quoniam omnia repræsentativa, quæ in natura, se referunt ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significant, n: 9496, ita quoque asseres Habitaculi; hi correspondent parti musculari seu carneæ in homine, quæ ambientes membranas & cutes sustentat, per carnem etiam significatur bonum, n: 7850. 9127; inde est, quod asseres essent ex ligno Schittim, per quod bonum sustentans cœlum significatur, n: 9472. 9486, tum quod essent obducti auro, per quod etiam bonum significatur.

9635. Lignis Schittim, quod significet bonum meriti a Divino Humano Domini, constat ex significatione lignorum Schittim, quod sint bonum meriti a Divino Humano Domini, de qua n: 9472. 9486; quod id bonum sit unicum bonum quod regnat in cœlo, & sustentat illud, videatur n: 9486.

9636. Decem cubiti longitudo asseris, quod significet bonum id omne in omnibus, constat ex significatione decem, quod sint omnia, de qua n: 4638. 9595; & ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 8898. 9487. 9600, hic bonum sustentans, quod est bonum meriti, hoc enim per asseres Habitaculi factos ex lignis Schittim, significatur n: 9635: quod hoc bonum sit omne in omnibus cœli, est quia id bonum est ipsum Divinum Bonum quod facit cœlos & sustentat illos, n: 9486; bonum enim quod apud angelos est, id ipsum bonum est, nam omne bonum est a Domino; bonum aliunde non est bonum.

9637. Et cubitus & dimidius latitudo asseris unius, quod significet verum inde conjungens quantum satis, constat ex significatione unius & dimidii, quod sint plenum, de qua n: 9487. 9488. 9489, ita quoque quantum satis, nam hoc est plenum: quod verum illud sit inde, hoc est, ex bono, quod significatur per asseres ex lignis Schittim, n: 9634. 9635, est quia omni bono est suum verum, & omni vero est suum bonum, bonum absque vero non

apparet, & verum absque bono non existit, nam verum est forma boni, & bonum est esse veri; ex forma habet bonum ut appareat, & ex esse habet verum ut existat, similiter se hoc habet, sicut flamma, & lux, flamma absque luce non apparet, quapropter a se emittit lucem ut appareat, & lux absque flamma non existit: similiter se habet cum voluntario hominis & ejus intellectuali, voluntarium non apparet absque intellectuali, & intellectuale non existit absque voluntario: consimiliter sicut se habet cum bono & vero, seu cum flamma & luce, seu cum voluntario & intellectuali, etiam se habet cum amore & fide, nam omne bonum est amoris, & omne verum est fidei ex amore; & voluntarium hominis dicatum est receptioni boni quod amoris, ac intellectuale receptioni veri quod fidei; etiam flamma seu ignis vitæ est amor, & lux vitæ est fides.

9638. Duæ manus asseri uni, quod significet potentiam inde, nempe per verum ex bono, constat ex significatione manuum, quod sint potentia, de qua n: 878. 3387. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6292. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 9133; & quod omnis potentia sit per verum ex bono, n: 6344. 6413. 9327. 9410.

9639. Combinatæ quævis ad alteram, quod significet inde conjunctionem Domini cum illis qui in eo cœlo, constat ex significatione combinari, cum de potentia quæ significatur per manus, quod sit conjunctio per verum ex bono; omnes enim, qui in cœlo sunt, vocantur Potentiæ, & quoque sunt Potentiæ ex eo quod sint receptiones Divini Veri quod a Domino; ideo quoque per Angelos in Verbo significantur Vera Divina, n: 8192; Divinum Bonum procedens a Domino, est quod omnes in cœlo conjungit; nam universale regnans in Divinis Veris est Divinum Bonum, & quod universaliter regnat, hoc conjungit; hæc conjunctio est, quæ significatur per combinationem manuum asseris cujusvis unius ad alteram.

9640. Ita facies omnibus asseribus Habitaculi, quod significet ita ubivis, constat ex significatione omnium, cum de cœlo, quod etiam sit ubivis, nam quod fit omnibus ibi, hoc fit ubivis; & ex significatione asserum Habitaculi, quod sint bonum sustentans cœlum, de qua n: 9634.

9641. Et facies asseres Habitaculo viginti, quod significet bonum sustentans cœlum omnimode & prorsus, constat ex significatione asserum Habitaculi, quod sint bonum sustentans cœlum, de qua n: 9634; & ex significatione viginti, quod sint plenum, ita omnimode & prorsus; quod viginti id sint, est quia numeri multiplicati idem significant cum simplicibus, a quibus multiplicati sunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973, ita numerus viginti idem cum decem & cum duobus, ex quibus in se ductus exsurgit, quod decem sint plenum & omne, videatur n: 3107. 4638; pariter duo, n: 9103. 9166.

9642. Asseres angulo meridiei versus austrum, quod significet usque in interiora ac intima ubi verum in luce, constat ex significatione asserum Habitaculi, quod sint bonum sustentans cœlum, de qua n: 9634; ex significatione anguli, cum de plagis mundi dicitur, quod sit ubi ille status, qui designatur & significatur per plagam, de qua sequitur; & ex significatione

meridiei

meridiei versus austrum, quod sint interiora ac intima, ubi verum in sua luce; per meridiem enim significatur status lucis, qui est status intelligentiæ ex veris, ita quoque status interior, nam lux & cum luce intelligentia & sapientia in cœlis crescit versus interiora, longius ab interioribus est verum in umbra, qui status veri significatur per septentrionem: inde nunc est, quod per angulum meridiei versus austrum, significetur usque ad interiora ac intima ubi verum est in luce. Eadem per meridiem & austrum significantur apud Esaiam, "Dicam *septentrioni* da, & *meridiei* ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab extremitate terræ," XLIII: 6; agitur ibi de Nova Ecclesia; dicere septentrioni, est illis qui in tenebris seu ignorantia de veris fidei, qui sunt gentes extra Ecclesiam; dicere meridiei, est illis qui in luce ex cognitionibus boni & veri, qui sunt qui intra Ecclesiam, quare his dicitur ne inhiberent, at illis ut darent. Apud Ezechielem, "Pone facies tuas *viam meridiei*, & *stilla versus meridiem*, & propheta contra *sylvam agri ad meridiem*, & dic *sylvæ meridiei*, ecce Ego incendens in te ignem, qui comedet in te omnem arborem viridem, & comburentur omnes facies *a meridie ad septentrionem:* pone facies tuas versus Hierosolymam, & stilla contra sanctuaria, & propheta contra terram Israelis," XXI: 2 ad 10; meridies hic pro illis qui in luce veri ex Verbo, ita pro illis qui ab Ecclesia, sed qui in falsis quæ confirmant ex sensu literæ Verbi sinistre explicato, unde dicitur sylva agri ad meridiem, & sylva meridiei; sylva est scientificum regnans; hortus autem est verum regnans; inde patet, quid significatur per ponere facies viam meridiei, & stillare versus meridiem, ac prophetare contra sylvam agri ad meridiem; & postea, pone facies versus Hierosolymam, & stilla contra sanctuaria, & propheta contra terram Israelis; Hierosolyma enim & terra Israelis est Ecclesia, & sanctuaria ibi sunt quæ Ecclesiæ. Apud Eundem, "Si expromseris famelico animam tuam, ac animam afflictam saturaveris, *exorietur in tenebris lux tua*, & caligo tua *sicut meridies*," LVIII: 10, tenebræ & caligo pro ignorantia veri & boni, lux & meridies pro intellectu eorum. Apud Eundem, "Proferte consilium, facite judicium, pone sicut noctem umbram tuam *in medio meridiei*, abscondé expulsos, vagum ne revela," XVI: 3, in medio meridiei pro in media luce veri. Apud Jeremiam, "Sanctificate contra filiam Zionis prælium, surgite & *ascendamus in meridiem*, quia abit dies, quia inclinatæ sunt umbræ vesperæ," VI: 4; ascendere in meridiem pro contra Ecclesiam, ubi verum in luce ex Verbo. Apud Amos, "*Occidere faciam solem in meridie, & obtenebrabo terram in die lucis*," VIII: 9; pro exstinguere omnem lucem veri quæ ex Verbo. Apud Davidem, "Non timebis tibi a pavore noctis, a telo volat *interdiu*, a peste in caligine, *a morte vastat in meridie*," Psalm: XCI: 5. 6; pavor noctis pro falsis mali quæ ab inferno; telum quod volat interdiu pro falso quod aperte docetur, mors quæ vastat in meridie pro malo, in quo aperte vivitur, per quod destruitur verum, ubi id in sua luce ex Verbo esse potest: & apud Esaiam, "Propheticum deserti maris, *sicut turbines a meridie* ad transeundum, e deserto venit, e terra terribili," XXI: 1. Apud

Da-

Danielem, "Hircus caprarum magnum se fecit valde, & *crevit cornu ejus versus meridiem*, & versus ortum, & versus decus; & crevit usque ad exercitum cœlorum, & dejecit in terram de exercitu, & de stellis, & conculcavit ea," VIII: 8; agitur ibi de statu Ecclesiæ futuræ, & prædicitur quod Ecclesia peritura per doctrinam de fide separata a bono charitatis; hircus caprarum est talis fides, n: 4169 fin: 4769; crescere cornu versus meridiem pro potentia falsi inde contra vera; versus ortum pro contra bona, versus decus pro contra Ecclesiam; ad exercitum cœlorum pro contra omnia bona & vera cœli; dejicere in terram de exercitu & de stellis, pro destruere ea, & ipsas cognitiones boni & veri, n: 4697. Apud Eundem Prophetam describitur bellum inter *Regem meridiei* & Regem septentrionis," Cap: XI: 1 ad fin: & per Regem meridiei significatur lux veri ex Verbo, & per regem septentrionis ratiocinatio de veris ex scientificis; vices quas subitura Ecclesia usque dum peritura, describuntur per belli illius varios successus. Quoniam meridies significabat verum in luce, ideo ordinatum est, ut Tribus Rubenis, Schimeonis, & Gadis, *castrametarentur versus meridiem*," Num: II: 10 ad 15; castrametationes repræsentabant ordinationem omnium quæ in cœlis secundum vera & bona fidei & amoris, n: 4236. 8103 fin: 8193. 8196; & duodecim Tribus, quæ castrametabantur, significabant omnia vera & bona in complexu, n: 3858. 3862. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397. 6640. 7836. 7891. 7996. 7997; per Tribum Rubenis significabatur Verum fidei doctrina, n: 3861. 3866. 5542; per Tribum Schimeonis Verum fidei vita inde, n: 3869. 3870. 3871. 3872. 4497. 4502. 4503. 5482; & per Tribum Gadis significabantur opera ex illis veris, n: 6404. 6405; inde patet, cur illi versus meridiem castrametati sunt; omnia enim quæ sunt veri seu fidei, meridiei sunt quia lucis. Ex his nunc constat quid per angulum meridiei significatur, quod nempe ubi status veri in luce; nam omnes status boni amoris & veri fidei significantur per quatuor angulos terræ; status boni amoris per angulum orientis & per angulum occidentis, & status veri fidei per angulum meridiei & septentrionis; similiter per quatuor ventos in Apocalypsi, "Angeli stantes *super quatuor angulis terræ*, retinentes *quatuor ventos terræ*, ut non flaret ventus super terram," VII: 1: & alibi, "Satanas exibit ad seducendum Gentes, *quæ in quatuor angulis terræ*," XX: 7. Apud Matthæum, "Mittet Angelos, & congregabit electos *a quatuor ventis*, a terminis cœlorum ad terminos illorum," XXIV: 31: & apud Ezechielem, "A *quatuor Ventis veni spiritus*, & inspira in occisos, ut vivant," XXXVII: 9. Quia per Ventos illos, seu per plagas illas significata sunt omnia boni & veri, ita omnia Cœli & Ecclesiæ, & per Templum significatum est Cœlum seu Ecclesia, ideo ab antiquis temporibus solenne fuit Templis situm dare versus Orientem & Occidentem, quoniam Oriens significabat bonum amoris in suo ortu, & occidens bonum amoris in suo occasu; hoc traxit originem ex repræsentativis, in quibus fuerunt antiqui, qui ab Ecclesia.

9643. Quadraginta bases argenti, quod significet plenariam sustentationem per Verum, constat ex significatione quadraginta, quod sint plenarium, de

qua

qua n: 9437; ex significatione basium, quod sint sustentatio, bases enim sustentant; & ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999. Quod bases ex argento, & asseres obducti auro, erat causa, quia per asseres significatur bonum, & per bases verum, & bono est potentia & sic sustentatio per verum; quod bono sit potentia per verum, videatur n: 6344. 6413. 9327. 9410; & quod aurum sit bonum, ac argentum verum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9490. 9510; quod bono sit potentia per verum, est quia verum est forma boni, & bonum sic habet quale, nam ubi quale ibi forma, ita habet per quod operari potest in aliud, hoc vel illo modo; inde est quod bono sit facultas, sed non determinata nisi per verum, facultas determinata est potentia actualis; proinde potentia sustentans. Bases etiam correspondent pedibus & plantis pedum in homine; in genere ossibus, quæ sustentant omne carneum in corpore, & per pedes & per ossa similiter significatur verum sustentans, & per carneum in corpore bonum quod se per verum sustentat; quod omnia in natura se referant ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significent, videatur n: 9496; quod Caro sit bonum, n: 3813. 6968. 7850. 9127; quod pedes sint naturale, ita verum in potentia a bono, n: 5327. 5328; quod Corpus sit bonum n: 6135; quod ossa sint verum sustentans, n: 8312 fin: 8005: inde quoque est, quod fundamentum, quod est communis basis, sit verum fidei & ipsa fides, ut constare potest ex locis in Verbo, ubi fundamentum dicitur; ut apud Esaiam, "Annon scitis, annon auditis, annon intelligitis *fundamenta terræ*," XL: 21; qui non scit, quid significatur per fundamentum & quid per terram, non aliter capit, quam quod imo telluris ibi per fundamenta terræ intelligantur, tametsi percipere potest, si attenderit, quod aliud intelligatur, quid enim foret scire, audire & intelligere fundamenta terræ; inde constare potest, quod per fundamenta terræ, significentur talia quæ sunt Ecclesiæ; quod Terra in Verbo sit Ecclesia, patet manifeste a locis in Verbo, ubi Terra nominatur, videantur citata n: 9325; & quod fundamenta ejus sint vera fidei, hæc enim Ecclesiæ sunt pro fundamentis; ut quoque constare potest adhuc a sequentibus his locis; apud Davidem, "Non agnoscunt, nec intelligunt, in tenebris ambulant, *vacillant omnia fundamenta terræ*," Psalm: LXXXII: 5; quod fundamenta terræ non vacillent, sed vera Ecclesiæ illis qui non agnoscunt, non intelligunt, & in tenebris ambulant, patet. Apud Eundem, "Commota est & contremuit terra, *& fundamenta montium trepidarunt*, & commoverunt se," Psalm: XVIII: 8; montes sunt bona amoris, n: 795. 4210. 6435. 8327, fundamenta illorum sunt vera fidei. Apud Esaiam, "Cataractæ ab alto apertæ sunt, & *commota sunt fundamenta terræ*," XXIV: 18. Quia fundamentum est verum fidei, & urbs doctrina ejus, ideo etiam in Verbo dicitur fundamentum urbis, cum intelligitur Verum doctrinæ; ut apud Davidem, "Apparuerunt alvei aquarum, & *revelata sunt fundamenta urbis*, ab increpatione Jehovæ," Psalm: XVIII: 16; quod urbs sit doctrina veri, videatur n: 402. 2450. 2943. 3216. 4492. 4493: inde constare potest, quid significatur per fundamenta

menta urbis Sanctæ Hierosolymæ apud Johannem, "Murus urbis Sanctæ Hierosolymæ *habebat fundamenta duodecim*; & in illis nomina duodecim Apostolorum Agni; *fundamenta muri* omni lapide pretioso exornata," Apoc: XXI: 14 ad 20; qui non scit quid Sancta Hierosolyma, quid urbs, quid murus, quid fundamentum, & quid duodecim Apostoli significant, nihil arcani, quod ibi latet, videre potest, cum tamen per Sanctam Hierosolymam intelligitur nova Domini Ecclesia, huic nostræ successura, per urbem doctrina, per murum verum tutans & defendens, per fundamenta fidei vera, per duodecim Apostolos omnia bona amoris & vera fidei in complexu; inde constare potest, cur dicitur quod fundamenta erunt duodecim, & illa omni lapide pretioso exornata; lapis enim pretiosus est verum fidei ex bono amoris, n: 114. 3858. 6640. 9476; & duodecim Apostoli sunt omnia amoris & fidei in complexu, n: 3488. 3858 fin: 6397; inde patet quid significatur per fundamenta ibi, & quoque per fundamenta apud Esaiam, "Ecce Ego disponens cum stibio lapides tuos, & *fundamenta tua ponam in sapphiris*," LIV: 11, sapphiri sunt vera interiora, n: 9407. Apud Eundem, "Jehovah baculo percutiet Aschurem: tunc erit omnis transitus *baculi fundamenti*, super quo faciet requiescere Jehovah," XXX: 31. 32; baculus fundamenti est potentia veri, quod baculus sit potentia, videatur n: 4013. 4015. 4876. 4936. 6947. 7011. 7026: & apud Jeremiam, "Non sument de te lapidem pro angulo, aut *lapidem fundamentorum*," LI: 26, lapis fundamentorum pro veris fidei. Apud Hiobum, "Ubi fuisti *cum fundavi terram*, indica si nosti intelligentiam; quis posuit *mensuras ejus*, si scis *super quid bases ejus*, aut quis posuit *lapidem anguli ejus*; cum canerunt simul stellæ matutæ, & clangerent omnes filii Dei," XXXVIII: 4 ad 7; qui non scit quid in sensu interno significat terra, mensuræ ejus, bases ejus, tum quid lapis anguli, stellæ matutæ, & filii Dei, nihil arcani inibi videt, credet quod terra sit quæ intelligitur, tum ejus fundamentum, mensuræ, bases, lapis anguli, ac nesciret prorsus quid sit quod canerent stellæ matutæ, & clangerent filii Dei; sed e tenebris in lucem veniet, qui scit quod terra sit Ecclesia, fundamenta ejus verum fidei, mensuræ ejus status boni & veri, bases ipsa vera sustentantia, lapis anguli potentia veri, stellæ matutæ cognitiones boni & veri ex bono, filii Dei vera Divina, hi dicuntur clangere cum existunt, illæ canere cum exoriuntur.

9644. Sub viginti asseribus, quod significet quod procedit ex bono quod a Divino Domini, constat ex significatione viginti, quod sint plenum, ita omnimode & prorsus, de qua supra n: 9641; & ex significatione asserum Habitaculi, quod sint bonum sustentans cœlum, de qua n: 9634; quod id bonum sit bonum meriti, ita Divini Humani Domini, videatur n: 7850. 9127; & quod id sit unicum bonum quod regnat in cœlo, n: 9486: quod verum, quod per bases significatur, sit procedens ex illo bono, significatur per quod bases essent sub asseribus.

9645. Duas bases sub assere uno, quod significet conjunctionem ejus cum bono, constat ex significatione duorum, quod sint conjunctio, de qua n: 5194. 8423; ex significatione basium, quod sint verum per quod sustentatio, de

qua

qua n: 9643; & ex ſignificatione aſſeris, quod ſit bonum ſuſtentans, ut mox ſupra n: 9644.

9646. Duabus manibus ejus, quod ſignificet inde potentiam, conſtat ex ſignificatione manuum, quod ſint potentia, de qua n: 9638.

9647. Et duas baſes ſub aſſere uno duabus manibus ejus, quod ſignificet ita in omnibus & ſingulis, conſtat ex eo quod tales baſes & manus eſſent applicatæ unicuique aſſeri, & quod repetitio id involvat, ideo ſignificatur quod ita eſſet omnibus & ſingulis. Sciendum eſt, quod bonum cum veris ſibi ſimile ſit in omni particulari apud hominem & angelum, quale eſt in communi, n: 920. 1040. 1316. 4345, ita in omnibus & ſingulis.

9648. Et lateri Habitaculi alteri ad angulum ſeptentrionis, quod ſignificet verſus exteriora illius cœli ubi vera in obſcuro, conſtat ex ſignificatione Habitaculi, quod ſit cœlum, de qua n: 9594; & ex ſignificatione ſeptentrionis, quod ſint exteriora ubi verum in obſcuro, de qua n: 3708; inde patet, quod per latus Habitaculi ad angulum ſeptentrionis, ſignificetur verſus exteriora cœli ubi verum in obſcuro. Sunt quatuor ſtatus, quibus correſpondent quatuor plagæ in mundo, quæ ſunt oriens, occidens, meridies & ſeptentrio; oriens correſpondet ſtatui boni in ſuo ortu, occidens ſtatui boni in ſuo occaſu, meridies correſpondet ſtatui veri in ſua luce, ſeptentrio autem ſtatui veri in umbra, n: 3708; ſtatus boni cui correſpondet oriens, & ſtatus veri cui correſpondet meridies, ſunt ſtatus interiores; & ſtatus boni cui correſpondet occidens, & ſtatus veri cui ſeptentrio, ſunt exteriores, nam omnis ſtatus quo interior eo perfectior, & quo exterior eo imperfectior, ita obſcurior; inde eſt, quod homo, quo altius verſus interiora elevari poteſt, eo magis in perceptionem boni ac in lucem veri perveniat; quapropter homo, quando exuit corporea, quæ ſunt ipſa externa, quod fit cum e mundo decidit, ſi veri ac boni vitam vixerat, in intelligentiam & ſapientiam, & ſic in perceptionem omnium felicitatum veniat, & in eo majorem, quo per vitam boni ex doctrina veri ſe paſſus fuerit elevari verſus interiora cœli.

9649. Viginti aſſeres, quod ſignificet bonum ſuſtentans omnimode & prorſus, conſtat ex ſignificatione viginti, quod ſint omnimode & prorſus, de qua ſupra n: 9641; & ex ſignificatione aſſerum Habitaculi, quod ſint bonum ſuſtentans cœlum, de qua n: 9634.

9650. Et quadraginta baſes eorum argento, ſignificat etiam ibi plenariam ſuſtentationem per verum, ut ſupra n: 9643.

9651. Duas baſes ſub aſſere uno, ſignificat per conjunctionem cum bono, ut quoque ſupra n: 9645.

9652. Et duas baſes ſub aſſere uno, ſignificat ubivis, quia omnibus & ſingulis, n: 9647, nam quod eſt omnibus & ſingulis, hoc ubivis eſt.

9653. Et duobus cruribus Habitaculi verſus mare, quod ſignificet conjunctionem cum cœlo ubi bonum eſt in obſcuro, conſtat ex ſignificatione duorum, quod ſint conjunctio, ut ſupra n: 9645; ex ſignificatione crurum, quod ſint termini ubi bonum vergit in obſcurum, de qua n: 7859; ex ſignificatione Habitaculi, quod ſit cœlum, de qua n: 9594; & ex ſignificatione

occidentis seu maris, quod sit status boni in obscuro, de qua n: 3708. 8615; quod per Occidentem ille status significetur, est quia per Solem significatur Dominus quoad bonum amoris, n: 3636. 3643. 4060. 4321 fin: 7078. 7083. 7171. 8644. 8812, inde per ortum ejus significatur bonum amoris a Domino in perceptione clara, & per occasum bonum ab Ipso in perceptione obscura; & quia perceptio clara homini & Angelo est, quando elevatus est versus interiora, seu in lucem cœli, & perceptio obscura quando in exterioribus, n: 9648, ita quando in luce mundi, ideo occidens etiam mare dicitur, mare enim significat scientificum in communi, n: 28. 2850, & scientificum est in externo seu naturali homine, ubi bonum in obscuro est; omne scientificum, quia naturalis hominis, est in luce mundi.

9654. Facies sex asseres, quod significet ubi bonum a Divino Humano Domini omnimodum, constat ex significatione sex, quod sint omnia in complexu, de qua n: 7973, ita quoque omnimodum; & ex significatione asserum Habitaculi, quod sint bonum a Divino Humano Domini sustentans cœlum, de qua n: 9644.

9655. Et duos asseres facies angulis Habitaculi in duobus cruribus, quod significet quale conjunctionis ibi cum bono, constat ex illis quæ sequuntur, ubi dicitur quod asseres ibi geminati erunt ab infra, & simul geminati ad caput ejus ad angulum unum, quæ sunt quale conjunctionis ibi cum bono, per duos enim significatur conjunctio n: 9645, per asseres bonum sustentans, n: 9634; per angulos Habitaculi in duobus cruribus, termini ubi id, n: 9653.

9656. Et erunt geminati ab infra, & simul geminati ad caput ejus, quod significet conjunctionem ab exteriori & ab interiori, constat ex significatione geminari, quod sit conjunctim agi; ex significatione ab infra, quod sit ab exteriori, nam quod extra est, hoc exprimitur in Verbo per infra, & quod intra est, per supra n: 3084. 4599. 5146. 8325; inde profunda sunt exteriora, & alta sunt interiora, n: 3148. 4210. 4599; & ex significatione capitis, cum dicitur ab infra ad caput, quod sit ab interiori; quod id per caput significetur, est quia caput est supra corpus, & per superiora significantur interiora, ut nunc dictum est; & præterea interiora hominis sunt in ejus capite, ibi enim sunt principia sensuum & motuum, & principia sunt intima, quia ab illis derivantur reliqua, principia namque sunt sicut venæ fontium, a quibus rivi: inde quoque est, quod interiora exprimantur per Caput in Verbo, ut apud Esaiam, "Exscindet Jehovah ab Israele *caput* & *caudam*, ramum & juncum uno die," IX: 14: apud Eundem, "Non erit Ægypto opus, quod faciet *caput* & *cauda*, ramus & juncus," XIX: 15; agitur ibi de Ecclesia, cujus interiora sunt caput, ab exteriora cauda. Apud Eundem, "*In omnibus Capitibus* calvities, omnis barba rasa," XV: 2; calvities in capitibus pro non bono & vero in interioribus, barba rasa pro non bono & vero in exterioribus. Apud Jeremiam, "Ab Ægypto pudefies, sicut pudefacta es ab Aschure, & *manus tuæ super capite tuo*; & quod abominatus est Jehovah præsidia tua," II: 36. 37; ita describitur pudor propter deperdita

bona

bona & vera Ecclesiæ per scientifica & per ratiocinia ex illis; Ægyptus est scientificum; Aschur est ratiocinatio ex illis; manus super capite pro contegere interiora ob pudorem: similiter alibi apud Eundem, "Pudefacti sunt, & ignominia affecti, *ac obtexerunt caput suum*," xiv: 3. 4, & 2 Sam: xiii: 19.

9657. Ad annulum unum, quod significet sic consistentiam, constat ex significatione annuli, quod sit conjunctio, de qua n: 9493. 9495, hic per conjunctionem consistentia, quia dicitur, quod asseres erunt geminati ad annulum unum.

9658. Et erit ambobus illis ad duos angulos erunt, quod significet similem conjunctionem ubivis, constat ex significatione amborum seu duorum, quod sint conjunctio, de qua supra n: 9655, quia hoc utrinque, significatur conjunctio similis ubivis, nam asseres geminati ad binos angulos spectabant ad omnem plagam; ita construebant bina crura ad binos angulos, & spectare ad omnem plagam est ubivis; & quia utrinque similiter, est ubivis similis conjunctio.

9659. Et erunt octo asseres, & bases eorum argento, quod significet omnimodam sustentationem a bono, & per verum ex bono, constat ex significatione octo, quod sint omnimodum, de qua sequitur; ex significatione asserum, quod sint bonum sustentans, de qua n: 9634; ex significatione basium ex argento, quod sint sustentatio per verum quod ex bono, de qua n: 9643. Quod octo sint omnimode, est quia per illum numerum significatur idem quod per duo & per quatuor, nam ab illis in se multiplicatis exsurgit, & per duo ac quatuor significatur conjunctio ad plenum, n: 5194. 8423. 8877, & inde quoque plenum n: 9103, proinde omnimodum, nam quod plene est, id etiam omnimode est: per octo etiam significatur plenum & omnimodum ex eo, quia per septimanam significatur integra periodus a principio ad finem, n: 2044. 3845, inde per diem octavum status plenus, a quo dein fit novum principium; inde erat quod masculi octo dierum circumciderentur, Gen: xvii: 12. Cap: xxi: 4; per circumcisionem enim significabatur purificatio ab amoribus spurcis per verum fidei, n: 2039. 2046 fin: 2799. 3412. 3413. 4462; præputium correspondebat conspurcationi boni per illos amores, n: 4462. 7045. 7225; & gladius petrarum, quo circumcisio peragebatur, significabat verum fidei per quod purificatio, n: 2039 fin: 2046 fin: 2799. 7044. Plenum & omnimodum per octo post septem etiam significatur apud Micham, "Aschur cum venerit in terram nostram, & calcaverit palatia nostra, tunc constituemus super eum *septem pastores* & *octo principes hominum*, & pascent terram Aschuris gladio, & liberabit ab Aschure," v: 4. 5; Aschur pro ratiocinatione de bonis & veris Ecclesiæ ex propria intelligentia, liberatio totalis seu omnimoda a falsitate inde significatur per octo principes hominum qui destruent, principes hominum sunt primaria vera boni. Quod octo sint plenum & omnimodum etiam constat ab experientia de Intromissione & receptione societatum in cœlum, de qua videatur n: 2130; societates primum receptæ apparebant usque ad duodecim, & postea usque ad octo; qui enim

 intro-

intromittuntur & recipiuntur in cœlum, sunt qui purificati a terrestribus, ita ab amoribus illorum, & dein instructi; per numerum octo tunc significabatur plenum. Simile significatur per octo alibi in Verbo, ut per quod porticus portæ a domo esset octo ulnarum, & quod octo gradus essent ad domum, apud Ezechielem Cap: XL: 9. 31. 41; agitur ibi de Nova Domo, per quam significatur nova Domini Ecclesia; vera ducentia ad bonum & a bono ad vera significantur per porticum & per gradus. Qui non scit quod numeri in Verbo involvant res, nusquam aliud comprehendere potest, quam quod mensuræ & numeri, ubi de Tabernaculo, de Templo Salomonis, & dein de nova Domo, deque novo Templo, & de Nova Terra, apud Ezechielem agitur, nihil rei & sic nihil sancti significent, cum tamen in Verbo nulla vocula vana est; expendat qui intelligentiam habet, mensuras & numeros apud Ezechielem a Cap: XL ad Cap: XLVIII; tum mensuras & numeros apud Johannem in Apocalypsi Cap: XXI, ubi etiam dicitur, *quod Angelus mensus sit murum Novæ Hierosolymæ, centum quadraginta quatuor cubitorum, & quod illa mensura sit hominis, hoc est, Angeli,"* Vers: 17 etiam alibi, "*Qui habet intelligentiam, computato numerum bestiæ, numerus enim hominis est, nempe numerus ejus sexcenta sexaginta sex,"* Apoc: XIV: 18; præter multis in locis alibi: quod omnes numeri in Verbo res significent, videatur n: 482. 487. 575. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 5291. 5335. 5708. 7973. 6175; & in locis ubi ostensum quid aliqui numeri in specie significant.

9660. Sedecim bases, quod significet sustentationem prorsus, constat ex significatione sedecim, quod sint prorsus; sedecim enim simile significant cum octo, quoniam numeri multiplicati simile cum simplicibus, a quibus n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod octo sint plenum, & omnimodum, nunc supra n: 9659, ostensum est, ita quoque prorsus; & ex significatione basium, quod sint sustentatio, de qua n: 9643.

9661. Duæ bases sub assere uno, & duæ bases sub assere uno, quod significet per conjunctionem veri cum bono ubivis, constat ex significatione duorum, quod sint conjunctio, de qua n: 1686. 3519. 5194. 8423; ex significatione basium, quod sint verum sustentans, de qua n: 9645; & ex significatione asseris, quod sit bonum sustentans, de qua n: 9634; quod ita omnibus & singulis, proinde ubivis, involvit repetitio, ut quoque prius aliquoties.

9662. Et facies vectes lignis Schittim, quod significet potentiam veri ex bono, constat ex significatione vectium, quod sint potentia quæ veri ex bono, de qua n: 9496; ex significatione ligni Schittim, quod sit bonum meriti quod Solius Domini, de qua n: 9472. 9486; quod id bonum sit unicum bonum quod regnat in cœlo, videatur n: 9486, proinde ex quo potentia veris.

9663. Quinque asseribus lateris Habitacula unius, quod significet quo spectat versus cœli interiora, ubi verum in luce, constat ex significatione quinque, quod sint omnia illius partis, de qua n: 9604; ex significatione asserum, quod sint bona sustentantia, de qua n: 9634; & ex significatione

lateris

lateris Habitaculi, quod sit plaga cœli quo spectatur, Habitaculum enim est cœlum n: 9596; & latus est plaga quo spectatur; quod sit versus interiora ubi verum in luce, ita versus meridiem, est quia ter dicuntur eadem, & tertio seu ultimo dicitur ad bina crura versus mare, & latera memorantur tria, primum ad meridiem, Vers: 18, secundum ad septentrionem Vers: 20, ad tertium ad mare, Vers: 22; quod ad meridiem sit ad interiora ubi verum in luce, videatur n: 9642; quod ad septentrionem sit versus exteriora, ubi verum in obscuro, n: 9648; & quod ad mare sit ubi bonum in obscuro, n: 9653.

9664. Et quinque vectes asseribus lateris Habitaculi alterius, quod significet potentiam veri ex bono quo spectat versus exteriora, ubi verum est in obscuro, constat ex illis quæ nunc supra n: 9662. 9663, explicata sunt.

9665. Et quinque vectes asseribus lateris Habitaculi ad bina crura versus mare, quod significet potentiam veri ex bono quo spectat cœlum illud ubi conjunctio est cum bono quod in obscuro, constat etiam ex illis quæ supra n: 9653. 9662. 9663, explicata sunt.

9666. Et vectis medius in medio asserum transiens ab extremitate ad extremitatem, quod significet potentiam primariam e qua potentiæ ubivis continuantur, constat ex significatione vectis, quod sit potentia, de qua n: 9496; ex significatione medii, quod sit intimum & primarium, de qua n: 1074. 2940. 2973. 5897. 6084. 6103; ex significatione transire ab extremitate ad extremitatem, cum de vecte per quem significatur potentia, quod sint potentiæ inde derivatæ & continuatæ ubivis. Quomodo cum his se habet, non sciri potest, nisi sciatur quomodo cum interioribus & cum exterioribus in spirituali mundo se habet; quæ optima & purissima sunt, ita quæ perfectiora reliquis, in intimo sunt, quæ inde procedunt versus exteriora, secundum gradus remotionis ab intimis, minus perfecta sunt, & tandem illa quæ in extremis, omnium minime perfecta, n: 9648; minus perfecta dicuntur, quæ facilius a sua forma & pulchritudine, ita a suo ordine, possunt detorqueri; se habent illa sicut cum fructibus, intime in illis sunt semina, extra hæc est caro, semina in perfectiori statu sunt quam caro quæ extra, ut constare potest ex eo, quod dum caro putrescit, usque tamen semina manent integra: similiter se habet cum seminibus, intime in illis est prolificum, quod in perfecto statu est præ illis quæ ibi extra sunt, nam prolificum manet in sua integritate, & producit novam arborem aut plantam, cum exteriora dissolvuntur: similiter se habet in cœlo, intima ibi quia propiora Domino, in perfecto statu sunt præ exterioribus, inde est quod cœlum intimum in sapientia & intelligentia, ac inde in felicitate sit præ cœlis, qui infra: similiter se habet in unoquovis cœlo, intimum in illis perfectum est præ illis quæ circumcirca: similiter apud hominem qui in bono amoris & veris fidei est, internum ejus est in perfectiori statu quam externum, nam internus homo est in calore & luce cœli, externus autem in calore & luce mundi: similiter in omni forma perfecta, intimum ejus est optimum: intimum est quod intelligitur per medium. Quod per transire ab extremitate ad extremitatem, cum dicitur de vecte, signifi-

significetur potentia inde derivata & continuata ubivis, est quia per ab extremitate ad extremitatem significatur finis primus & ultimus, ita a principio ad finem, finis enim primus est principium; inde est, quod per extremitates significentur omnia & ubivis; ut apud Jeremiam, "Gladius Jehovæ devorans *ab extremitate terræ ad extremitatem ejus*," XII: 12, gladius pro vero pugnante contra falsum, & destruente illud, ac in opposito sensu pro falso pugnante contra verum, & destruente illud, n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294; devorans ab extremitate terræ ad extremitatem ejus, pro omnia Ecclesiæ, terra enim est Ecclesia, n: 9334. Apud Davidem, "*Ab extremitate cœlorum* exitus Ipsius, & circuitio Ipsius *ad extremitates eorum*," Psalm: XIX: 7, ibi etiam ab extremitate cœlorum ad extremitates illorum pro omnibus & ubivis. Apud Marcam, "Mittet Angelos suos, & congregabit electos suos ex quatuor ventis, ab *extremitate terræ usque ad extremitatem cœli*," XIII: 27, extremitas terræ & extremitas cœli pro omnibus externis & internis Ecclesiæ; quod terra sit externum Ecclesiæ & cœlum internum ejus, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355 fin: 4535, ubi explicatur quid nova terra & novum cœlum. Similiter extremitates in plurali, apud Esaiam, "Respicite ad Me, ut salvemini *omnes extremitates terræ*," XLV: 22: apud Davidem, "Deus salutis nostræ, fiduciæ *omnium extremitatum terræ*, & maris longinquorum," Psalm: LXV: 6. Et quoque in singulari, cum dicitur usque ad extremitatem, apud Esaiam, "Sit salus mea *usque ad extremitatem terræ*," LXIX: 6: apud Eundem, "Jehovah audiri faciet *usque ad extremitatem terræ*, dicite filiæ Zionis, ecce salus tua veniet," LXII: 11. Apud Jeremiam, "Venit tumultus *usque ad extremitatem terræ*," XXV: 31, usque ad extremitatem involvit ab extremitate ad extremitatem. Cum autem per extremitatem modo intelligitur extremum seu ultimum, tunc per illam significatur id quod ultimum cœli aut Ecclesia est; ut apud Esaiam, "Cantate Jehovæ canticum novum, laudem Ipsius *extremitas terræ* descendentis mare, & plenitudo ejus, insulæ & habitatores earum," XLII: 10, extremitas terræ descendentis mare pro ultimo Ecclesiæ ubi bonum & verum est in obscuro, quod mare id sit, videatur, n: 9653; insulæ pro illis qui remotiores sunt a veris, & inde a cultu, n: 1158. Apud Eundem, "Adduc filios meos *e longinquo*, & filias meas *ab extremitate terræ*," XLIII: 6, filii e longinquo sunt qui in obscuro quoad vera, filiæ ab extremitate terræ sunt qui in obscuro quoad bona, quales fuerunt gentes; quod filii sint qui in veris, & in sensu abstracta vera, videatur, n: 264. 489. 491. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704; & quod filiæ sint qui in bonis, & in sensu abstracto bona, n: 489. 490. 491. 2362. 3963. 8994; inde etiam patet quod extremitas prædicetur de bono, & longinquum de vero, ut quoque Psalm: LXV: 6: & Esai: XIII: 5. Sed sciendum, quod per extremitatem cœli non sit extremitas spatii quæ intelligitur, sed status boni & veri, nam in cœlo non est spatium, sed modo apparentia ejus secundum status boni & veri.

9667. Et asseres obduces auro, & annulos eorum facies auro, domos vectibus, & obduces vectes auro, quod significet repræsentativum boni ex quo &

& per quod omnia, constat ex significatione obducere auro & facere ex auro, quod sit repræsentativum boni, de qua n: 9510; per asseres etiam significatur bonum sustentans, n: 9634; per annulos conjunctio boni & veri, n: 9493. 9495; & per vectes potentia veri ex bono, n: 9496: quod omnia ex bono & per bonum, est quia omnia quæ in universo sunt, se referunt ad bonum & ad verum, & bonum est ex quo verum, ita ex quo omne; bonum originem ducit ex ipso Divino; Divinus amor Domini est Divinum Bonum, nam omne bonum est amoris; Ipse Divinus amor ita Divinum Bonum est Ipsum Esse quod vocatur Jehovah, & quoque Dominus, existere inde est Verum; inde constare potest, quod ex Bono omnia.

9668. Et statues Habitaculum secundum modum quem videre factus es in monte, quod significet ad plagas secundum status boni & inde veri in cœlo quod repræsentatur, constat ex significatione Habitaculi, quod sit repræsentativum cœli, de qua n: 9594; ex significatione secundum modum quem videre factus es in monte, quod sit ad plagas secundum status boni & inde veri in cœlo, nam illud per modum, secundum quem statueretur Habitaculum, intelligitur; quod mons Sinai, ubi visum est, sit cœlum videatur n: 9420. Ex descriptione patet, quod Habitaculum positum fuerit quoad Longitudinem ab oriente ad occidentem, & quod ad orientem esset introitus, & ad occidentem arca; inde latera erant ad meridiem & ad septentrionem: plaga orientalis Habitaculi repræsentabat statum boni in suo ortu; plaga occidentalis statum boni in suo occasu; plaga meridionalis statum veri in sua luce; & plaga septentrionalis statum veri in sua umbra. Introitus erat ad plagam orientalem, ex causa quia Dominus intrat per bonum amoris in cœlum; quod etiam constare potest apud Ezechielem, ubi agitur de Novo Templo, ubi hæc, "*Duxit me ad portam, quæ spectans versus orientem; cum ecce gloria Dei Israel venit a via orientis; & gloria Jehovæ intravit in domum via portæ, cujus facies versus orientem, & implevit gloria Jehovæ domum,*" XLIII: 1 ad 6: & dein "*Dixit ad me Jehovah, portu spectans orientem clausa erit, non aperietur, & vir non intrabit per eam, sed Jehovah Deus Israëlis intrabit per eam,*" XLIV: 1. 2; ex quibus manifeste patet, quod Dominus solus intret in cœlum per Bonum amoris, & quod Bonum amoris a Domino impleat cœlum & faciat illud: oriens significat Dominum quoad Bonum amoris, ex causa quia Dominus est Sol cœli, n: 3636. 3643. 7078. 7083. 7271. In cœlo autem ita se habet, oriens est, ubi Dominus apparet ut Sol, quod est antrorsum e regione oculi dextri, n: 4321 f. 7078. 7171, versus occidentem inde, ita in linea recta ab oriente & ad occidentem sunt qui in bono amoris; ad austrum autem sunt qui in luce veri, & ad septentrionem qui in umbra veri: Omnes qui in cœlo spectant ad Dominum, nam ibi antrorsum spectare est ad Ipsum, nemo ibi potest retro ab Ipso spectare utcunque se vertit, videatur n: 4321 fin: sed hoc arcanum est quod naturalis homo non potest comprehendere. Talia sunt quæ repræsentabantur per modum visum Moschi in monte, secundum quem statueretur Habitaculum.

9669. Vers: 31. 32. 33. *Et facies Velum hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, opere excogitatoris faciet illud, cherubis. Et dabis illud super quatuor columnas Schittim obductas auro, & unci earum auro super quatuor basibus argenti. Et dabis velum sub ansulis, & induces illuc ab intra velum arcam Testimonii, & distinguat Velum vobis inter sanctum & inter sanctum sanctorum.* Et facies velum, significat medium uniens hoc cœlum & cœlum intimum, ita bonum spirituale cum bono cœlesti: hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, significat bona amoris & fidei conjuncta; opere excogitatoris faciet illud, significat intellectuale: Cherubis, significat custodiam ne commisceantur: & dabis illud super quatuor columnas Schittim, significat bonum meriti, quod solius Domini, conjungens & sustentans: obductas auro, significat ibi repræsentativum: & unci earum auro, significat conjunctionis modos per bonum: super quatuor basibus argenti, significat conjunctionis potentiam per verum: & dabis velum sub ansulis, significat conjunctionis facultatem & inde actualitatem: & induces illuc ab intra velum Arcam Testimonii, significat existentiam cœli intimi intra illud medium uniens: & distinguat velum vobis inter sanctum & inter sanctum sanctorum, significat inter bonum spirituale quod est bonum charitatis erga proximum & bonum fidei in Dominum, & inter bonum cœleste quod est bonum amoris in Dominum & bonum amoris mutui.

9670. Et facies velum, quod significet medium uniens hoc cœlum & cœlum intimum, ita bonum spirituale cum bono cœlesti, constat ex significatione Veli, quod erat distinguens inter Habitaculum, ubi erat Arca Testimonii, & ubi candelabrum ac mensa, super qua panes facierum, quod sit medium uniens cœlum medium & cœlum intimum; per arcam enim, in qua Testimonium, repræsentabatur cœlum intimum, ubi Dominus n: 9457. 9481. 9485; & per Habitaculum extra Velum repræsentabatur cœlum medium, n: 9594: & quia bonum amoris in Dominum facit cœlum intimum, & bonum charitatis erga proximum facit cœlum medium, ideo per velum etiam significatur medium uniens bonum spirituale & bonum cœleste, bonum spirituale est bonum charitatis erga proximum, & bonum cœleste est bonum amoris in Dominum; quod cœli secundum illa bona distinguentur, videantur citata, n: 9277: ex his nunc patet, quid Velum significabat tam in Tabernaculo quam in Templo. Bini illi cœli, nempe intimum & medium, ita distincti sunt, ut non possit intrari ab uno in alterum, sed usque unum cœlum constituunt per societates angelicas medias, quæ tali genio sunt, ut accedere ad utriusque cœli bonum possint; hæ societates sunt, quæ constituunt medium uniens, quod repræsentabatur per velum: cum angelis ex illis societatibus etiam aliquoties datum est loqui. Quales angeli cœli intimi sunt, & respective quales angeli cœli medii, constare potest ex correspondentia; angelis intimi cœli correspondent illa apud hominem, quæ ad cordis & quæ ad cerebelli provincias pertinent; angelis autem medii cœli correspondent illa apud hominem, quæ ad Pulmonum & ad Cerebri provincias pertinent; quæ cordis & cerebelli sunt, vocantur involuntaria & spontanea, quia ita apparent, quæ

autem Pulmonum & Cerebri sunt, vocantur voluntaria; qualis perfectio unius cœli præ altero, & quale discrimen, inde aliquantum potest constare Angelis autem mediis, qui accedunt ad utrumque cœlum, & conjungunt, correspondent Plexus cardiaci & pulmonares, per quos conjunctio cordis fit cum pulmonibus; tum medulla oblongata, ubi conjungitur fibra cerebellum cum fibra cerebri. Quod Angeli qui ex cœlesti Regno Domini sunt, hoc est, qui in intimo cœlo, constituant provinciam Cordis in Maximo Homine, & quod Angeli qui ex spirituali Regno Domini sunt, hoc est, qui in medio cœlo, constituant provinciam Pulmonum ibi, videatur n: 3635. 3886 ad 3890; & quod inde correspondentia Cordis & Pulmonum apud hominem, n: 3883 ad 3896; similiter se habet cum correspondentia Cerebri & Cerebelli. Quales cœlestes seu qui in intimo cœlo sunt, & quales spirituales seu qui in medio, & quæ differentia, videatur n: 2046. 2227. 2669. 2708. 2715. 2718. 2935. 2937. 2954. 3166. 3235. 3236. 3240. 3246. 3374. 3833. 3887. 3969. 4138. 4286. 4493. 4585. 4938. 5113. 5150. 5922. 6296. 6289. 6366. 6427. 6435. 6500. 6647. 6648. 7091. 7233. 7470. 7977. 7992. 8042. 8152. 8234. 8521; inde patere potest, quales sunt Angeli intermedii, qui constituunt medium uniens, quod repræsentabatur per Velum. Quod Velum Templi disruptum sit in binas partes, quando Dominus passus est crucem, Matth: XXVII: 51. Marc: XV: 31. Luc: XXIII: 45, significabat glorificationem Domini; Dominus enim cum in mundo fuit, Humanum suum fecit Divinum Verum, at cum abivit e mundo, Humanum suum fecit Divinum Bonum, a Quo dein Divinum Verum procedit, videantur citata n: 9199 fin: 9315 fin: Divinum Bonum est Sanctum Sanctorum: Glorificatio Humani Domini usque ad Divinum Bonum quod Jehovah, describitur etiam in sensu interno per processum expiationis, cum Aharon intrabat in sanctum sanctorum intra Velum, de quo in ~~Exodo~~ Lev Cap: XVI: 1 ad fin: & in sensu respectivo per eundem processum describitur Regeneratio hominis usque ad bonum cœleste, quod est bonum intimi cœli: Processus ille talis erat; Aharon acciperet juvencum bovis in sacrificium, & arietem in holocaustum, pro se & sua domo: ac indueret vestes sanctitatis, quæ erant tunica lini, caligæ lini, baltheus lini, & cidaris lini, & lavaret aquis carnem: & acciperet binos hircos, super quos sortem jaceret, quorum unus offerretur Jehovæ, & alter emitteretur in desertum; hoc pro concione filiorum Israelis. Cum sacrificaret juvencum, quod suffimentum inferret intra velum; & de sanguine juvenci ac hirci spargeret septies super propitiatorio versus ortum; & quoque daret sanguinem super cornua altaris. Postea confiteretur peccata filiorum Israelis, quæ daret supra hircam, qui emitteretur in desertum. Tandem exueret vestes lini, & indueret suas, & faceret holocaustum pro se & pro populo: & quæ ex sacrificiis non adolebantur: ita fieret quotannis, cum Aharon intraret ad Sanctum Sanctorum intra velum. Sacerdotium, quo Aharon fungebatur, repræsentabat Dominum quoad Divinum Bonum; sicut Regium, quod postea erat apud Reges, repræsentabat Dominum quoad Divinum Verum, n: 6148: Processus Glorificationis Humani Domini usque ad

Divinum Bonum, in sensu interno ibi describitur: is processus manifestabatur Angelis, cum Aharon perageret illa, ac intraret intra velum, & quoque nunc manifestatur Angelis, cum id in Verbo legitur. Per juvencum bovis in sacrificium peccati, & per arietem in holocaustum, significatur purificatio boni a malis in externo & in interno homine; per tunicam lini, caligas lini, baltheum lini, & cidarim lini, quæ indueret cum ingrederetur, & per lavationem carnis, significatur quod purificatio illa fieret per vera ex bono; per duos hircos caprarum in sacrificium peccati & per arietem in holocaustum, & per hircum qui offerabatur, & per alterum qui emittebatur, significatur purificatio veri a falsis in externo homine; per suffimentum, quod inferret intra velum, significatur aptatio per sanguinem juvenci, & per sanguinem hirci, qui septies spargeretur super propitiatorium ortum versus, & dein super cornua altaris, significatur Divinum Verum ex Divino Bono; per confessionem peccatorum super hirco vivo, qui emitteretur in desertum, significatur omnimoda separatio & ejectio mali a bono; per exuitionem vestium lini, & induitionem vestium suarum, cum facturus holocausta, tum per eductionem carnis, cutis, & fimi sacrificiorum extra castra, & per combustionem eorum, significatur induitio cœlestis boni apud regeneratum, & glorificatio Humani usque ad Divinum Bonum in Domino, rejectis omnibus illis, quæ fuerunt humani ex matre, usque adeo ut non amplius filius ejus esset, videantur citata n: 9315 fin: Hæc sunt quæ significantur per illum processum purificationis, cum Aharon intraret ad Sanctum Sanctorum intra velum; nam illis peractis Aharon repræsentabat Dominum quoad Divinum Bonum. Ex his constare potest, quod per Velum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, etiam significetur medium uniens Divini Veri & Divini Boni in Domino.

9671. Hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byssino contexto, quod significet bona amoris & fidei ibi conjuncta, constat ex significatione hyacinthini, quod sit cœlestis amor veri, de qua n: 9466; ex significatione purpuræ, quod sit cœlestis amor boni, de qua n: 9467; ex significatione coccinei dibaphi, quod sit bonum spirituale, de qua n: 4922. 9468; & ex significatione byssini contexti, quod sit verum ex origine cœlesti, de qua n: 9469; inde patet, quod per quatuor illa significentur bona amoris & fidei in medio uniente conjuncta. Cum his ita se habet, qui in cœlo referunt medium uniens, quod repræsentatur per Velum, conjuncta in se habent bona amoris & bona fidei; nam per bona amoris conjunguntur cœlestibus qui in intimo cœlo, & per bona fidei spiritualibus qui in medio cœlo; nam bonum amoris in Dominum vocatur bonum cœleste, & bonum fidei in Ipsum vocatur bonum spirituale. Qui in cœlo referunt medium uniens, vocantur cœlestes spirituales & spirituales cœlestes; illi repræsentantur in Verbo per Josephum, & hi per Benjaminem; quod Josephus in sensu repræsentativo sit cœleste spirituale, videatur n: 4286. 4592. 4963. 5249. 5307. 5331. 5332. 5417. 5869. 5877. 6224. 6526; & quod Benjamin sit spirituale cœleste, n: 3969. 4592; & sic quod Josephus sit medium uniens internum, & Benjamin medium uniens externum, n: 4585. 4592. 4594. 5411. 5413.

5442. 5639. 5686. 5688. 5689. 5822; quod cœleste spirituale, & spirituale cœleste videatur, n: 1577. 1824. 2184. 4585. 4592. 4594. Etiam ex oppositis, qui sunt in infernis, noscitur quale discrimen est inter cœlestes & inter spirituales in cœlis; qui in infernis oppositi sunt cœlestibus, illi vocantur genii, & qui ibi contrarii sunt spiritualibus, vocantur spiritus: genii, qui oppositi cœlestibus, a tergo sunt, spiritus autem, qui oppositi spiritualibus, a facie sunt; & medii ad latera; genii, quia oppositi cœlestibus, in interiori malo sunt quam spiritus; de his & illis ab experientia, videatur n: 5977. 8593. 8622. 8625: Infernum geniorum prorsus separatum est ab Inferno spirituum, usque adeo, ut qui in uno sunt transire, in alterum nequeant: sunt enim ibi intermedii qui conjungunt, qui oppositi sunt intermediis in cœlis.

9672. Opere excogitatoris faciet illud, significat intellectuale, ut supra n: 9598.

9673. Cherubis, quod significet custodiam ne commisceantur, nempe bonum spirituale & bonum cœleste, ita cœlum medium & cœlum intimum, constat ex significatione Cheruborum, quod sint Custodia & Providentia ne Dominus nisi per bonum adeatur, & ne bonum quod a Domino in cœlo & apud hominem lædatur, de qua n: 9509; quod etiam sit ne bonum spirituale & bonum cœleste, ita bini illi cœli, commisceantur, est quia si commiscerentur, bonum utrumque læderetur, usque adeo ut ipsi cœli perirent. Hoc constare potest ex differentia utriusque boni, ita utriusque cœli, in locis supra n: 9670, citatis: idcirco societates angelicæ mediæ sunt, quæ in bono cœlesti spirituali, & in bono spirituali cœlesti, per quas conjunctio fit, n: 9671: apud has societates angelicas nec illa bona conjuncta sunt, sed inter se distincta. Ex his patet, quod illæ societates sint Custodiæ, ne utraque bona commisceantur; & sic quod etiam illa Custodia & Providentia Domini significetur per Cherubos.

9674. Et dabis illud super quatuor columnas Schittim, quod significet bonum meriti quod solius Domini, conjungens & sustentans, constat ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 1686. 8877; quod quatuor sint conjunctio, est quia is numerus ex duobus in se multiplicatis exsurgit, & per numeros multiplicatos idem significatur quod per numeros simplices, ex quibus n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod duo sint conjunctio, videatur n: 5194. 8423; ex significatione columnarum, quod sint sustentatio, de qua sequitur; & ex significatione ligni Schittim, quod sit bonum meriti, quod solius Domini, de qua n: 9472. 9486, quod id bonum sit unicum bonum quod regnat in cœlo, videatur n: 9486, ita quoque quod sustentat cœlum. Quod Columnæ significent sustentationem, est quia sustentabant Velum, sicut asseres etiam ex lignis Schittim cortinas Habitaculi, n: 9634. Per Columnas in spirituali sensu significantur illa quæ sustentant Cœlum & Ecclesiam, quæ sunt bona amoris & bona fidei a Domino; hæc per Columnas significantur apud Davidem, "Ego rectitudinibus judicabo, liquescentes terræ, & omnes habitatores ejus, *Ego firmabo columnas ejus*,"

Psalm: LXXV: 4: apud Hiobum, "Deus qui tremefacit terram e loco suo, *eo ut columnæ ejus contremiscant*," IX: 6; columnæ terræ pro bonis & veris quæ sustentant Ecclesiam, nam Terra in Verbo est Ecclesia, n: 9325; quod non telluris columnæ sint quæ contremiscent, patet. Apud Johannem, "Qui vicerit, *eum faciam columnam in Templo Dei mei*, & foras non exibit amplius; & scribam super eo Nomen Dei mei, & nomen urbis Dei mei, novæ Hierosolymæ quæ descendit e cœlo a Deo meo, & Nomen meum novum," Apoc: X: 1, columna in Templo pro bonis & veris Ecclesiæ, quæ etiam sunt Nomen Dei, & Nomen urbis novæ Hierosolymæ; quod Nomen Dei sit omne bonum & verum Ecclesiæ, seu omne in complexu, per quod colitur Dominus, videatur n: 2724. 3006. 6674. 9310.

9675. Obductas auro, quod significet ibi repræsentativum boni, nempe quod per columnas Schittim significatur, constat ex significatione obducere auro, & facere ex auro, quod sit repræsentativum boni, de qua n: 9510.

9676. Et unci earum auro, quod significet conjunctionis modos per bonum, constat ex significatione uncorum, quod sint conjunctionis modi; illam significationem unci habent ex forma; & ex significatione auri, quod sit bonum, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9490.

9677. Super quatuor basibus argenti, quod significet conjunctionis potentiam per verum, constat ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua mox supra n: 9674; ex significatione basium, quod sint potentia, de qua n: 9643; & ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999.

9678. Et dabis velum sub ansulis, quod significet conjunctionis facultatem & inde actualitatem, constat ex significatione ansularum, quod sint conjunctionis facultas, de qua n: 9611; actualitas inde est dare sub illis velum.

9679. Et induces illuc ab intra velum arcam Testimonii, quod significet existentiam cœli intimi intra illud medium uniens, constat ex significatione veli, quod sit medium uniens binos cœlos, de qua n: 9670. 9671; & ex significatione arcæ Testimonii, quod sit cœlum intimum, de qua n: 9485; existentia hujus significatur per inducere illuc arcam.

9680. Et distinguet vobis Velum inter sanctum & inter sanctum sanctorum, quod significet inter bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum, & bonum fidei in Dominum, & inter bonum cœleste, quod est bonum amoris in Dominum, & bonum amoris mutui; constat ex significatione sancti, quod sit bonum regnans in cœlo medio, & ex significatione sancti sanctorum, quod sit bonum regnans in cœlo intimo; quod hoc bonum sit bonum amoris in Dominum & bonum amoris mutui, ac illud, nempe bonum regnans in cœlo medio sit bonum charitatis erga proximum & bonum fidei in Dominum, patet ex omnibus illis, quæ de utroque bono, cœlesti & spirituali, in locis citatis n: 9670, ostensa sunt: bonum amoris in Dominum in intimo cœlo, est bonum internum ibi, at bonum amoris mutui est bonum externum ibi; bonum autem charitatis erga proximum est

internum in medio cœlo, & bonum fidei in Dominum eſt bonum externum ibi; in unoquovis cœlo eſt internum & externum, ſicut in Eccleſia, quæ quod ſit interna & externa, videatur n: 409. 1083. 1098. 1238. 1242. 4899. 6380. 6587. 7840. 8762. 9375. Omne bonum eſt ſanctum, & omne verum quantum boni in ſe habet; bonum dicitur ſanctum a Domino, quia Dominus eſt ſolus Sanctus, & ab Ipſo omne bonum & omne verum, n: 9229. 9479; inde patet cur Habitaculum dicitur ſanctum, & Arca in qua Teſtimonium, ſanctum ſanctorum; Teſtimonium enim eſt Ipſe Dominus quoad Divinum Verum, n: 9503; & Arca eſt cœlum intimum ubi Dominus, n: 9485; Dominus etiam eſt in cœlo medio, ſed præſentior in cœlo intimo; qui enim Domino per bonum amoris conjuncti ſunt, illi cum Ipſo ſunt; qui autem Domino conjuncti ſunt per bonum fidei, quidem cum Ipſo ſunt, ſed remotius: in cœlo medio eſt conjunctio cum Domino per fidem implantatam bono charitatis erga proximum. Ex his patet, cur Habitaculum, quod extra velum, dicatur Sanctum, & Habitaculum quod intra velum dicatur Sanctum Sanctorum. Quod Dominus ſit, a Quo omne Sanctum, & quod ſit ipſum Sanctum Sanctorum, conſtat apud Danielem, "Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum meum, *ad ungendum Sanctum Sanctorum*," IX: 24: & in Apocalypſi, "Quis non timeat Te Domine, & glorificet Nomen tuum, *quia ſolus Sanctus*," XVIII: 20; ideo etiam Dominus dicitur *Sanctus Iſraelis*, Eſai: I: 4. Cap: V: 19. 24. Cap: X: 20. Cap: XII: 6. Cap: XVII: 7. Cap: XXIX: 19. Cap: XXX: 11. 12. 15. Cap: XXXI: 1. Cap: XXXVII: 25. Cap: XLI: 14. 16. 20. Cap: XLIII: 9. 14. Cap: XLV: 11. Cap. LX: 9. 14. Jerem: V: 29. Cap: LI: 5. Ezech: XXXIX: 7. Pſalm: LXXI: 2. Pſalm: LXXVIII: 41. Pſalm: LXXXIX: 18. 2 Reg: XIX: 22, & alibi. Quicquid itaque apud filios Iſraelis repræſentabat Dominum, ſeu bonum & verum quæ procedunt ab Ipſo, poſt inaugurationem vocabatur Sanctum, ex cauſa quia ſolus Dominus Sanctus. Sanctus ſpiritus in Verbo eſt quoque ſanctum quod a Domino procedit.

9681. Verſ: 34 ad 37. *Et dabis Propitiatorium ſuper Arcam Teſtimonii in Sancto Sanctorum. Et pones menſam ab extra velum, & candelabrum e regione menſæ ſuper latere Habitaculi verſus auſtrum, & menſam dabis ad latus ſeptentrionis. Et facies tegumentum oſtio Tentorii, hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byſſino contexto, opere acupictoris. Et facies tegumento quinque columnas Schittim, & obduces illas auro; & unci earum auro; & fundes illis quinque baſes æris.* Et dabis Propitiatorium ſuper Arcam Teſtimonii in Sancto Sanctorum, ſignificat auditionem & receptionem omnium quæ cultus ex bono amoris in intimo cœlo a Domino: & pones menſam ab extra velum, ſignificat influxum per cœleſtia quæ amoris: & Candelabrum e regione menſæ ſuper latere Habitaculi verſus auſtrum, ſignificat illuminationem Regni ſpiritualis per Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini illis qui in bono: & menſam dabis ad latus ſeptentrionis, ſignificat bonum in obſcuro: & facies tegumentum oſtio Tentorii, ſignificat medium uniens cœlum ſecundum ſeu medium cum primo ſeu ultimo: hyacinthino & purpura &

coccineo

coccineo dibapho & byssino contexto, significat ex bono charitatis & fidei: opere acupictoris, significat quæ scientifici: & facies tegumento quinque columnas Schittim, significat sustentationem medii unientis quantum satis per bonum meriti quod Divini Humani Domini: & obduces illas auro, significat repræsentativum boni: & unci earum auro, significat conjunctionis modos per bonum: & fundes illis quinque bases æris, significat potentiam ex bono externo.

9682. Et dabis Propitiatorium super Arcam Testimonii in Sancto Sanctorum, quod significet auditionem & receptionem omnium quæ cultus ex bono amoris in intimo cœlo a Domino, constat a significatione Propitiatorii, quod sit auditio & receptio omnium quæ cultus ex bono amoris, de qua n: 9506; ex significatione Arcæ Testimonii, quod sit intimum cœlum ubi Dominus, de qua n: 9485; & quod Testimonium ibi sit Dominus, n: 9503; & ex significatione sancti sanctorum, quod sit ubi bonum amoris a Domino, de qua supra n: 9680; ex his patet, quod per dabis Propitiatorium super Arcam Testimonii in Sancto Sanctorum, significetur auditio & receptio omnium quæ cultus ex bono amoris in intimo cœlo a Domino. Quomodo se habet cum præsentia Domini in intimo cœlo, & quomodo cum præsentia Ipsius in medio cœlo, & quoque in ultimo, constare potest ex illis quæ de influxu boni & veri a Domino multis in locis ostensa sunt; præsentia Domini fit per influxum, & influxus se habet secundum vitam boni & veri; qui in bono amoris in Dominum sunt, illi sunt qui proxime recipiunt influxum; qui autem in bono charitatis erga proximum sunt, etiam recipiunt illum, sed remotius, quin bonum charitatis erga proximum remotius est ipso bono amoris in Dominum; qui autem in bono fidei sunt, quidem etiam recipiunt illum, sed quantum boni fides in se habet; quapropter qui in bono vitæ sunt ex veris fidei, illi recipiunt eum: Dominus enim in bono est, quia omne bonum est ab Ipso, & prorsus nihil ab homine, nec ab angelis in cœlo. Quod porro Domini præsentiam in cœlo, & per cœlum, apud hominem, concernit, sciendum quod Dominus supra cœlos sit, est enim Ipse Sol cœli, sed usque per Lucem & Calorem inde est præsens Lux inde est Divinum Verum quod fidei, & Calor inde est Divinum Bonum quod amoris; quod a Domino procedit, Ipse est; ex quibus patet, quod Dominus præsens ubi bonum quod ad Ipso recipitur: sed omnia hæc melius comprehendi possunt ex illis quæ de Influxu ostensa sunt, quod nempe omne vitæ a Domino influat, ita omne bonum & verum, quoniam hæc faciunt vitam hominis, & quæ influunt, se habeant secundum receptionem apud unumquemque, n: 2536. 2706. 2886 ad 2889. 2893. 3001. 3318. 3484. 3742. 3743. 4151. 5846. 5850. 5986. 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6327. 6466 ad 6495. 6598 ad 6626. 6982. 6985. 6996. 7004. 7055. 7056. 7058. 7147. 7270. 7343. 8321. 8685, 8701. 8717. 8728. 9110. 9111. 9216; & quod Influxus a Domino sit immediatus, & quoque mediatus per cœlos, n: 5147. 6058. 6063. 6466. 6472. 6473. 6982. 6985. 6996. 7004. 7007. 7055. 7056. 7058. 7270. 8685. 8701. 8717. 8728. 9216.

9683. Et pones mensam ab extra velum, quod significet influxum per cœlestia quæ amoris, constat ex significatione mensæ, super qua panes facierum, quod sit receptaculum cœlestium, de qua 9527. 9545; & ex significatione extra velum, quod sit extra medium uniens, per quod influxus mediatus, per Velum enim significatur medium uniens, n: 9670; & quia mensa illa pone velum erat, ideo significatur influxus per cœlestia, quæ intimi cœli, quæ sunt bona amoris; quod influxus sit a Domino mediatus per cœlum intimum, & immediatus ab Ipso, constare potest a locis supra n: 9682 ad fin: citatis. Cum omni bono, quod facit vitam cœlestem, ita vitam æternam, apud hominem & apud angelum, ita se habet; intimum boni est Ipse Dominus, proinde bonum amoris quod immediate ab Ipso; proxime succedens est bonum amoris mutui, dein bonum charitatis erga proximum, tandem bonum fidei; hic ordo successivus est bonorum ab intimo; inde constare potest, quomodo se habet cum influxu immediato & mediato; in genere, quantum bonum succedens in ordine seu exterius in se habet bonum interius, tantum est bonum, nam tantum propius est Ipsi Domino, Qui est bonum intimum, ut dictum est; sed dispositio & ordinatio bonorum interiorum in exterioribus successiva, variatur in omnibus & singulis subjectis secundum receptionem, & receptio secundum vitam cujusvis spiritualem & moralem in mundo, nam vita in mundo manet unumquemvis in æternum. Influxus Domini est quoque immediatus apud unumquemvis, nam absque immediato influxu mediatus nihil efficit; immediatus influxus recipitur secundum ordinem, in quo homo seu angelus est, ita secundum Divinum Verum quod a Divino, hoc enim est ordo, n: 1728. 1919. 2247. 4839. 5703. 7995. 8512. 8513. 8700. 8988; ipse ordo itaque apud hominem est, ut vivat in bono quod a Domino, quod est ut vivat a Domino: hic influxus continuus est, & adjunctis omnibus & singulis voluntatis hominis, & illa dirigit quantum potest ad ordinem; voluntas enim propria hominis continue abducit: se habet hoc sicut cum voluntariis & involuntariis apud hominem; voluntaria ejus continue abducunt ab ordine, sed involuntaria continue reducunt ad ordinem; inde est, quod motus cordis, qui est involuntarius, plane exemtus sit a voluntate hominis, similiter actio cerebelli, & quod cordis motus ac cerebelli vires regant voluntaria, ne hæc extra limites ruant, & ante tempus exstinguant vitam corporis; propterea principia agentia ex utrisque, nempe tam ex involuntariis quam ex voluntariis in toto corpore conjuncta incedunt. Hæc dicta sunt, ut illustretur aliquo modo idea de Influxu immediato & mediato cœlestium amoris & spiritualium fidei a Domino.

9684. Et Candelabrum e regione Mensæ super latere Habitaculi versus austrum, quod significet illuminationem Regni Spiritualis per Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini illis qui in bono, constat ex significatione Candelabri, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum procedens ex Divino Humano Ipsius, & inde illuminatio Regno Spirituali Ipsius, de qua sequitur, ex significatione mensæ, super quæ panes facierum, cujus e regione Candelabrum, quod sit Dominus quoad bonum cœleste,

cœleste, ita ipsum illud bonum, ex quo & per quod Dominus influit in Regnum spirituale, seu in Cœlum medium, de qua etiam sequitur; & ex significatione super latere Habitaculi versus austrum, quod sit in cœlo ubi Divinum Verum procedens a Divino Humani Domini est in maxima luce; Habitaculum enim extra velum, ubi Candelabrum, est cœlum medium n: 9594; & austrum seu meridies est, ubi Divinum Verum est in sua luce, n: 9642. Quod in Habitaculo prope velum esset Candelabrum, & quoque mensa super qua panes facierum, & quod Candelabrum ad latus versus austrum ac mensa ad latus versus septentrionem, arcana cœli sunt, quæ non manifestari possunt, nisi sciatur, quod Habitaculum repræsentaverit cœlum, & quæ in Habitaculo cœlestia & spiritualia quæ in cœlo; quid Candelabrum repræsentavit, prius n: 9548, ostensum est, & quid mensa, super qua panes facierum, n: 9527. 9545; & quid significat austrum seu meridies, n: 9642; & quid septentrio, n: 3708; inde constare potest, quod per Candelabrum super latere Habitaculi versus austrum significetur illuminatio Regni spiritualis per Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini. Sed ut ipsa arcana pateant, dicetur quomodo se res habet in cœlis; Dominus apparet illis qui e Regno cœlesti sunt, ut Sol, at illis qui a Regno spirituali ut Luna; Dominus ut Sol apparet ad mediam altitudinem e regione oculi dextri, & ut Luna etiam ad mediam altitudinem e regione oculi sinistri; ex Domino ut Sole est Lux illis qui in Regno Ipsius cœlesti, & ex Domino ut Luna est Lux illis qui in Regno spirituali, de utroque illo Regno videantur loca citata n: 9277; Lux in cœlis est Divinum Verum procedens ex Divino Humano Domini, quod receptum ab Angelis, qui e Regno spirituali sunt, vocatur verum fidei ex bono charitatis erga proximum, ex hoc bono & illo vero consistit cœlum medium, quod cœlum spirituale vocatur; Candelabrum in Habitaculo repræsentabat Lunam, ex qua Lux illis qui e Regno spirituali, ita repræsentabat Dominum quoad Divinum Verum ibi; nam, ut dictum est, Dominus apparet illis qui ex eo Regno ut Luna. Ex his nunc constare potest, cur Candelabrum positum erat versus austrum, austrum enim seu meridies est ubi Divinum Verum est in luce, n: 9642; & cur mensa, super qua panes facierum, versus septentrionem, septentrio enim est ubi Divinum Verum est in obscuro, n: 3708, & similiter tunc Divinum Bonum, quod per panes super illa mensa significatur; id bonum fit bonum spirituale per receptionem Divini Veri, sicut lucis ex Luna: hæc arcana sunt, quæ per candelabrum & ejus situm versus austrum, & per mensam super qua panes facierum, & ejus situm versus septentrionem, significantur. Quod Candelabrum sit Divinum Verum procedens a Divino Humano Domini, constat ex Apocalypsi, "*Vidi septem Candelabra aurea*, & in medio septem Candelabrorum *similem Filio hominis*, indutum talari, & circumcinctum ad ubera Zona aurea," I: 12. 13. 14. Filius hominis est Dominus quoad Divinum Verum ex Divino Humano Ipsius, n: 2803. 2813. 3704: & alibi in eodem Libro, "Gloria Dei illustrabit Civitatem Sanctam Hierosolymam, & *Lucerna ejus Agnus*," XXI: 23; Gloria Dei est Divinum Verum procedens a Domino, n: 9429; Lucerna,

quæ

quæ Agnus, hoc eſt, Dominus, eſt fides, & inde intelligentia veri & ſapientia boni, quæ a ſolo Domino, n: 9548; Nova Hieroſolyma eſt Nova Domini Eccleſia, n: 2117. Quod Dominus ſit Sol illis qui in Regno cœleſti, ac appareat ut Luna illis qui in Regno ſpirituali, videatur n: 1053. 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643. 5097. 7083. 7173. 7270. 8644. 8812; quod inde in Verbo per Solem ſignificetur Dominus quoad cœleſte bonum, & per Lunam Dominus quoad ſpirituale bonum, n: 1529. 1530. 2441. 2495. 4060. 4696. 7083. 8644; & quod Dominus ut Sol appareat ad mediam altitudinem e regione oculi dextri, ac ut Luna etiam ad mediam altitudinem e regione oculi ſiniſtri, n: 1531. 4321 fin: 7078. 7171; inde eſt, quod Oriens in cœlo ſit ubi Dominus apparet ut Sol, & Auſtrum ubi Dominus apparet ut Luna: quod Lux a Domino ut Sole & Luna ſit Divinum Verum procedens a Divino Humano Ipſius, n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1692. 2776. 3094. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3337. 3339. 3341. 3636. 3643. 3862. 3993. 4060. 4180. 4302. 4408. 4414. 4415. 4419. 4527. 4598. 5400. 6032. 6313. 6315. 6608. 6907. 7174. 8644. 8707. 8861. 9399. 9407: & quia Lux a Domino ut Sole ac ut Luna, eſt Divinum Verum procedens ab Ipſo; ideo calor a Domino ut Sole ibi eſt Divinum Bonum Divini Amoris Ipſius, n: 3338. 3339. 3636. 3643. 5215. 6032; inde conſtare poteſt, qualis differentia eſt inter Regnum cœleſte & Regnum ſpirituale Domini quoad receptionem Divini Veri, quod nempe ſit ſicut inter lucem a Sole & inter lucem a Luna: quod ideo, qui in Spirituali Regno ſunt, in obſcuro ſint quoad Verum fidei & bonum amoris reſpective, n: 2708. 2715. 2718. 2831. 2849. 2935. 2937. 3241. 3833. 6289. 6500. 6945. 7233; quod illi imprimis per adventum Domini in mundum ſalvati ſint, n: 2661. 2716. 3969. 6372. 6854. 6914. 7035. 7091. 7826. 7932. 8018. 8054, 8159. 8321. 9596; & quod illis illuminatio ſit in Divino Humano Domini, n: 2716. 2833. 2834; at quod illi qui ab Eccleſia ſpirituali ſunt, ſalventur qui in bono vitæ per vera fidei, n: 2954. 6435. 6647. 6648. 7977. 7992. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701.

9685. Et menſam dabis ad latus ſeptentrionis, quod ſignificet bonum in obſcuro, conſtat ex ſignificatione menſæ, ſuper qua panes facierum, quod ſit receptaculum cœleſtium, de qua n: 9527, panes enim ſunt bonum cœleſte, quod a Domino, n: 9545; & ex ſignificatione ſeptentrionis, quod ſit obſcurum quoad vera fidei, de qua n: 3708; & uno cum verum in obſcuro eſt, etiam bonum in obſcuro eſt, nam in ſpirituali Regno Domini, bonum apparet per verum, & verum appercipitur ut bonum cum ab intellectu in voluntatem venit, hoc bonum eſt bonum charitatis erga proximum, & vocatur bonum ſpirituale: aliter in Regno cœleſti Domini, ibi bonum non apparet bonum per verum, ſed percipitur ex ipſo bono: inde conſtare poteſt, cur menſa illa ad latus verſus ſeptentrionem poſita fuit, & candelabrum ad latus verſus auſtrum: ſed videantur quæ de his mox ſupra n: 9684, dicta & oſtenſa ſunt.

9686. Et facies tegumentum ostio Tentorii, quod significet medium uniens cœlum secundum seu medium cum primo seu ultimo, constat ex significatione tegumenti, quod sit medium uniens hoc cœlum, quod per Tentorium conventus repræsentatur, cum cœlo quod per Atrium, de quo in Capite sequente; nam sicut Velum inter Sanctum & Sanctum Sanctorum significabat medium uniens inter cœlum intimum seu tertium & cœlum medium seu secundum, ita tegumentum hoc significat simile inter cœlum medium seu secundum & cœlum primum seu ultimum: quod tres cœli sint, & quod bini repræsentati sint per Habitaculum quod intra velum, & per Habitaculum quod extra velum, supra ostensum est; & quod tertium seu ultimum cœlum repræsentetur per Atrium, in Capite sequente ex Divina Domini Misericordia, ostendetur; introitus ab uno in alterum significatur per ostium ubi tegumentum; quod ostium sit introitus, videatur n: 2145. 2152. 2356. 2385; & inde communicatio n: 8989; proinde tegumentum ibi, quod loco ostii erat, est medium communicans & uniens.

9687. Hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byssino contexto, quod significet ex bono charitatis & fidei, constat ex significatione hyacinthini, purpuræ, coccinei dibaphi, & byssini contexti, ubi agitur de Velo, per quod significatur medium uniens inter cœlum intimum & medium, quod sint bona amoris & fidei, de qua n: 9671, hic autem bona charitatis & fidei, quia agitur de tegumento, per quod significatur medium uniens inter cœlum secundum & ultimum, n: 9686; in cœlo enim intimo regnat bonum amoris in Dominum, in cœlo autem medio bonum charitatis erga proximum; & in cœlo ultimo bonum fidei; inde est, quod per hyacinthinum, purpurum, coccineum dibaphum, & byssinum contextum, bona in illis cœlis regnantia significentur.

9688. Opere acupictoris, quod significet quæ scientifici, constat ex significatione operis acupictoris seu acupicturæ, quod sit scientificum: pluribus in locis in Verbo dicitur acupictum & acupictura, & ubivis per id significatur scientificum: hoc ducit causam ex repræsentativis in altera vita; ibi apparent vestes acupictæ vario modo, & per illas significantur vera scientifica. Vera scientifica differunt a veris intellectualibus, sicut externa ab internis, seu sicut naturale a spirituali apud hominem; scientifica enim inserviunt intellectui pro objectis, ex quibus excludat vera; intellectuale enim est visuale Interni hominis, & scientifica sunt objecta ejus in externo seu naturali homine, hæc per opus acupictoris significantur, illud autem per opus excogitatoris, n: 9598; excogitare enim est intellectus, & acupingere est scientis & efficientis ex intellectu: inde est, quod illa in Habitaculo, quæ significabant interna, "*ex opere excogitatoris* essent, sicut ipsa aulæa ibi, Vers: 1, & Velum inter sanctum & sanctum sanctorum," Vers: 31; at quod illa quæ significabant externa, *ex opere acupictoris* essent; sicut tegumentum pro ostio Tentorii, & pro porta atrii, Exod: XXXVIII: 18; tum etiam baltheus," Exod: XXXIX: 29, baltheus enim est externum conjungens omnia interna; atrium est

eſt ultimum cœli, & oſtium Tentorii eſt ubi exitus e cœlo medio in ultimum. Quod acupictura & acupictum ſit ſcientificum quod externi ſeu naturalis hominis, conſtat ex his locis in Verbo, apud Ezechielem, "*Byſſus in acupictura ex Ægypto* fuit expanſio tua; hyacinthinum & purpura ex inſulis Eliſha fuit tegumentum tuum: Syria negotiatrix tua per multitudinem operum tuorum, cum Chryſopraſo purpuram, & *acupictum*, & byſſum. Negotiatores Schebæ cum glomeribus hyacinthini & *acupicto*," XXVII: 7. 16. 24; agitur ibi de Tyro, per quam ſignificantur illi qui in cognitionibus veri & boni ſunt, & in ſenſu abſtracto illæ ipſæ cognitiones, n: 1201; per byſſum in acupictura, ſignificatur verum ſcientificum, byſſus enim eſt verum ex origine cœleſti, n: 5319. 9469; & acupictura eſt ſcientificum; ideo quoque dicitur ex Ægypto, quia per Ægyptum ſignificatur ſcientificum, n: 1164. 1186. 1462. 2588. 4749. 4964. 4966. 5700. 5702. 6004. 6015. 6125. 6651. 6679. 6683. 6692. 6750. 7779 fin: 9391; & quoque ex Syria & ex Scheba, quia per Syriam ſignificantur cognitiones veri & boni, n: 1232. 1234. 3051. 3249. 3664. 3680. 4112, ſimiliter per Schebam n: 1171. 3240; cognitiones veri & boni ſunt ſcientifica Eccleſiæ; quiſque qui gaudet facultate intellectualiter cogitandi & res expendendi, videre poteſt quod non acupictura ibi, nec byſſus, nec hyacinthinum, nec purpura intelligantur, ſed quod per illa ſignificentur talia quæ digna Verbo ſunt, ita ſpiritualia quæ Cœli & Eccleſiæ. Apud Eundem, "Deſcendunt ſuper thronis ſuis omnes principes maris, & abjicient amicula ſua, & *veſtes acupicturæ ſuæ exeunt*, terroribus induentur," XXVI: 16, ibi etiam de Tyro; principes maris ſunt primaria ſcientifica, quæ dogmata vocantur; quod principes ſint primaria, videatur n: 1482. 2089. 5044; & mare ſcientificum in genere, n: 28. 2850; amicula ſunt vera externa; acupicturæ ſunt vera ſcientifica, quæ etiam ſunt externa; quod veſtes ſint vera, n: 2576. 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6914. 6917. 6918. 9093. 9158. 9212. 9216. Apud Eundem, "*Veſtivi te acupicto*, & calceavi te taxo, accinxi te byſſo, & obtexi te ſerico: ſic ornata es auro & argento, & veſtes tuæ byſſus, ſericum, & *acupictum*: ſed ſumſiſti *veſtes acupicti tui*, & texiſti imagines, cum quibus ſcortata es," XVI: 10. 13, ibi de Hieroſolyma, per quem Eccleſia ſignificatur; veſtes acupicti pro veris ſcientificis; tegere imagines, cum quibus ſcortata, pro confirmare falſa, ſcortari enim eſt pervertere vera per applicationes ad falſa aut mala: quis non videt, quod per byſſum, ſericum, & acupictum, ibi non byſſus, ſericum, & acupictum intelligantur, agitur enim de Hieroſolyma; ſed quid intelligitur, Orbis Chriſtianus non inquirit, quia cœleſtia & ſpiritualia Verbi ponit in ſenſu ejus literali, ac interiora ejus vocat myſtica, quæ non curat. Apud Eundem, "Aquila magna, magna alis, longa pennis, plena plumis, *cui acupictura*," XVII: 13. 18; ibi de domo Iſraelis, per quam ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, quæ aquila dicitur ex perceptione, n: 3901. 8764, cui acupictura pro cui ſcientificum. Apud Davidem, "Tota glorioſa filia Regis intus, ex implexis auri veſtis ejus, *in acupicto adducitur Regi*," Pſalm: XLV: 14. 15, filia Regis pro affectione veri; acupictum pro ſcientifico veri. In Libro Judicum,

"Divident prædam, prædam colorum Siseræ, *prædam colorum acupicti, colorem acupictorum*, collis prædæ," v: 30; Canticum Deboræ & Baraki, acupictum ibi pro scientifico quod naturalis hominis.

9689. Et facies tegumento quinque columnas Schittim, quod significet sustentationem medii unientis quantum satis per bonum meriti quod Divini Humani Domini, constat ex significatione tegumenti pro ostio Tentorii, quod sit medium uniens cœlum secundum seu medium cum primo seu ultimo, de qua supra n: 9686; ex significatione quinque, quod sint aliqua pars aut aliquid, de qua n: 4638, & quoque quantum satis; ex significatione columnarum, quod sint sustentatio, de qua n: 9674; & ex significatione ligni Schittim, quod sit bonum meriti, quod solius Domini, de qua n: 9472, 9486, ita Divini Humani Ipsius, nam Huic meritum, n: 9486.

9690. Et obduces illas auro, quod significet repræsentativum, nempe boni, constat ex significatione obducere auro & facere ex auro, quod sit repræsentativum boni, de qua n: 9510.

9691. Et unci earum auro, quod significet conjunctionis modos per bonum, ut supra n: 9676.

9692. Et fundes illis quoque bases æris, quod significet potentiam ex bono externo, constat ex significatione basium, quod sint potentia sustentans, de qua n: 9643; & ex significatione æris, quod sit bonum naturale seu bonum externum, de qua n: 425. 1551.



Continuatio de Prima Tellure in Cœlo Astrifero.

9693. *Postquam per magnum illum hiatum translatus sui, tandem perveni ad locum ubi morabar; & tunc apparebant mihi spiritus superne, cum quibus loqui datum est; ex loquela eorum, & ex genio appercipiendi res, & exponendi illas, clare animadverti quod essent ex alia Tellure, nam prorsus differebant a spiritibus mundi nostri solis: illi etiam vicissim ex mea loquela appercipiebant, quod e longinquo essem.*

9694. *Postquam de variis aliquantisper loquuti sumus, quærebam quem Deum colerent; dicebant, quod aliquem Angelum, qui sicut Divinus homo illis apparet, fulget enim ex luce; & quod is instruat illos, & det percipere quid faciendum. Dicebant porro, quod Maximus Deus sit in Sole cœli angelici, & quod Is appareat angelo suo, & non sibi; & quod Ille major sit, quam ut ausint Ipsum adorare.*

9695. *An-*

9695. *Angelus, quem colebant, erat societas angelica, cui a Domino datum est praeesse illis, ac docere viam justi & recti; ideo illis lux est ex quadam flamma, quae instar faculae apparet, satis ignea & flava: causa venit ex eo, quod non adorent Dominum; inde illis non est lux ex sole caeli angelici, sed ex societate angelica; nam societas angelica, cum datur a Domino, talem lucem potest sistere spiritibus, qui in sphaera inferiore sunt.*

9696. *Caeteroquin erant modesti, aliquantum simplices, sed usque satis bene cogitabant. Ex luce apud illos concludi potuit, quale illis intellectuale, nam secundum receptionem lucis, quae in caelis, est intellectus; quoniam Divinum Verum procedens a Domino ut Sole est quod ibi lucet, & dat angelis non modo videre, sed etiam intelligere.*

9697. *Interrogati sunt de sole mundi eorum, qui illuminat tellurem eorum, dicebant, quod sol illis appareat flammeus; & cum magnitudinem solis nostrae telluris repraesentarem, dicebant quod minor sit, nam Sol illis est coram nostris oculis stella; & ab angelis audivi, quod esset stella inter minores: dicebant etiam, quod e tellure sua quoque caelum stelliferum videatur.*

9698. *Instruebar, quod incolae & spiritus illius telluris referant in Maximo Homine aliquid in Liene; quod etiam confirmatum est per influxum in Lienem, quum mecum loquebantur.*

9699. *Postmodum aperiebatur mihi visus, ut aliquantum spectare possem in ipsam tellurem; & apparebant prata plura ac sylvae cum arboribus foliaceis; tum lanigerae oves.*

9700. *Continuatio de Prima Tellure visa in Caelo astrifero, ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9701. NUNC de Interno & Externo homine dicetur.

9702. Qui modo communem ideam de Interno & Externo homine habent, credunt quod Internus homo sit qui cogitat & qui vult, ac Externus qui loquitur & qui facit, quoniam cogitare & velle internum est, & inde loqui & facere externum.

9703. Sed sciendum est, quod non modo Internus homo cogitet & velit, sed etiam Externus; verum aliter cum conjuncti, & aliter cum separati.

9704. Cum homo intelligenter cogitat & sapienter vult, tunc cogitat & vult ab Interno; at cum homo non intelligenter cogitat & non sapienter vult, tunc non cogitat & vult ab Interno. Consequenter cum homo bene de Domino, & de illis quæ Domini sunt, & cum bene de proximo, ac de illis quæ proximi sunt, cogitat, & illis bene vult, tunc cogitat & vult ab Interno: at cum homo male de illis cogitat, & male illis vult, tunc non cogitat & vult ab Interno. Bene cogitare est ex fide veri, & bene velle est ex amore boni; at male cogitare est ex fide falsi, & male velle est ex amore mali.

9705. Verbo, quantum homo in amore in Dominum est, & in amore erga proximum, tantum in Interno homine est, & ex eo cogitat & vult, & quoque ex eo loquitur, & ex eo facit: at quantum homo in amore sui, & in amore mundi est, tantum in Externo homine est, ut & quantum audet, ex eo loquitur & facit.

9706. Causa est, quia homo creatus est ad imaginem cœli, & ad imaginem mundi, Internus homo ad imaginem cœli, & Externus ad imaginem mundi; quapropter ab Interno cogitare & velle, est ex cœlo, hoc est, per cœlum a Domino, at ab Externo cogitare & velle, est ex mundo, hoc est, per mundum a semet.

9707. Ita provisum & ordinatum est a Domino, ut quantum homo ex cœlo, hoc est, per cœlum a Domino, cogitat & vult, tantum aperiatur ejus Internus homo; aperitio est ad cœlum usque ad Ipsum

Dominum; inde vice versa, quantum homo ex mundo, hoc est, per mundum ex semet cogitat & vult, tantum clauditur Internus homo, & aperitur Externus; aperitio est ad mundum, & ad semet.

9708. Externus homo ut in ordinem redigatur, subordinandus est Interno, & tunc subordinatur cum obedit; quantum hoc fit, tantum Externus etiam sapit. Hoc intelligitur per quod Vetus homo cum suis concupiscentiis moriturus sit, ut homo fiat nova Creatura.

9709. Illi, apud quos Internus homo est clausus, non sciunt quod Internus homo sit, nec credunt quod cœlum sit, & quod vita æterna; & quod mirum, illi usque putant se sapienter præ aliis cogitare, nam amant se & sua, ac adorant illa. Aliter illi, apud quos Internus homo est apertus versus cœlum ad Dominum; hi enim in luce cœli sunt, ita in illuminatione a Domino: illi autem non in luce cœli sunt, sed in luce mundi, ita in illuminatione a semet; qui illuminantur a semet, & non a Domino, vident falsum ut verum, ac malum ut bonum.

CAPUT XXVII.

1. ET facies Altare lignis Schittim, quinque cubiti longitudo, & quinque cubiti latitudo; quadratum erit Altare; & tres cubiti altitudo ejus.

2. Et facies cornua ejus super quatuor angulis ejus; ex illo erunt cornua ejus; & obduces illud ære.

3. Et facies lebetes ejus ad decinerandum illud, & palas, & crateres ejus, & fuscinulas ejus, & forcipes ejus; omnibus vasis ejus facies æs.

4. Et facies ei cribrum opus retis, ære; & facies super reti quatuor annulos æris, super quatuor extremitatibus ejus.

5. Et dabis illud sub ambitu Altaris deorsum; & erit rete usque ad medium Altaris.

6. Et facies vectes altari, vectes lignis Schittim, & obduces illos ære.

7. Et immittentur vectes ejus in annulos, & erunt vectes super duobus lateribus Altaris, in portando illud.

8. Cavum tabulatum facies illud, quemadmodum visum tibi in monte, ita facient.

9. Et facies Atrium Habitaculi ad angulum meridiei ad austrum; tapetes,

tapetes, atrio byssino contexto, centum in cubito longitudo ad angulum unum.

10. Et columnæ ejus viginti, & bases earum viginti, ære; unci columnarum & cincturæ illorum argento.

11. Et ita ad angulum septentrionis in longitudine; tapetes centum longitudine, & columnæ ejus viginti, & bases earum viginti, ære; unci columnarum & cincturæ eorum argento.

12. Et latitudo atrii ad angulum maris, tapetes quinquaginta cubitorum, columnæ illorum decem, & bases harum decem.

13. Et latitudo Atrii ad angulum orientis versus ortum, quinquaginta cubiti.

14. Et quindecim cubitorum tapetes alæ, columnæ illorum tres, & bases harum tres.

15. Et alæ alteri quindecim tapetes, columnæ illorum tres, & bases harum tres.

16. Et portæ Atrii tegumentum viginti cubitorum, hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, & byssino contexto, opus acupictoris, columnæ eorum quatuor, & bases harum quatuor.

17. Omnes columnæ Atrii circumcirca cinctæ cincturis argenti, & unci earum argenti, & bases earum æris.

18. Longitudo Atrii centum in cubito, & latitudo quinquaginta in quinquaginta, & altitudo quinque cubiti, byssino contexto, & bases illarum ære.

19. Et omnibus vasis Habitaculi in omni servitio ejus, & omnes paxilli ejus, & omnes paxilli Atrii ære.

20. Et tu præcipies filiis Israelis, & accipiant ad te oleum olivæ purum, tusum, luminari, ad ascendere faciendum lucernam jugiter.

21. In Tentorio conventus ad extra velum, quod super Testimonium, ordinabit illud Aharon, & filii ejus, a vespera usque ad mane, coram JEHOVAH; statutum sæculi generationibus illorum a cum filiis Israelis.

CONTENTA.

9710. AGitur in hoc Capite in sensu interno de Cultu Domini ex bono Amoris; is cultus significatur per Altare, & describitur in genere per omnia quæ altaris.

9711. Postea agitur de cœlo ultimo, quod repræsentatur & describitur per Atrium.

9712. Ultimo

9712. Ultimo agitur de bono charitatis, per quod cœlum ſpirituale in veris fidei illuminatur a Domino, hæc ſignificantur per oleum olivæ, ac per Luminare.



SENSUS INTERNUS.

9713. VERS: 1 ad 8. *Et facies Altare lignis Schittim, quinque cubiti longitudo & quinque cubiti latitudo: quadratum erit Altare, & tres cubiti altitudo ejus. Et facies cornua ejus ſuper quatuor angulis ejus, ex illo erunt cornua ejus; & obduces illud ære. Et facies lebetes ejus ad decinerandum illud, & palas, & crateres ejus, & fuſcinulas ejus, & forcipes ejus, omnibus vaſis ejus facies æs. Et facies ei cribrum, opus retis, ære, & facies ſuper reti quatuor annulos æris ſuper quatuor extremitatibus ejus. Et dabis illud ſub ambitu Altaris deorſum, & erit rete uſque ad medium altaris. Et facies vectes Altari, vectes lignis Schittim, & obduces illos ære. Et immittentur vectes ejus in annulos, & erunt vectes ſuper duobus lateribus Altaris in portando illud. Cavum tabulatum facies illud, quemadmodum viſum tibi in monte, ita facient.* Et facies Altare, ſignificat repræſentativum Domini & cultus Ipſius: lignis Schittim, ſignificat juſtitiam: quinque cubiti longitudo, & quinque cubiti latitudo, ſignificat æque ex bono & ex vero: quadratum erit Altare, ſignificat ſic juſtum: & tres cubiti altitudo ejus, ſignificat plenum quoad gradus: & facies cornua ejus, ſignificat potentiam: ſuper quatuor angulis ejus, ſignificat omnimodam: ex illo erunt cornua, ſignificat quod potentia ex bono: & obduces illud ære, ſignificat repræſentativum boni: & facies lebetes ejus ad decinerandum illud, ſignificat removenda poſt uſus: & palas & crateres & fuſcinulas ejus & forcipes ejus, ſignificat ſcientifica continentia & omni uſui inſervientia: omnibus vaſis ejus facies æs, ſignificat ex bono omnia: & facies ei cribrum, opus retis, ſignificat ſenſuale, quod ultimum: ære, ſignificat quod etiam ex bono: & facies ſuper reti quatuor annulos æris, ſignificat ſphæram boni per quam conjunctio: ſuper quatuor extremitatibus ejus, ſignificat ubivis: & dabis illud ſub ambitu altaris deorſum, ſignificat hoc in ultimis: & erit rete uſque ad medium altaris, ſignificat extenſionem ſenſualis: & facies vectes altari, ſignificat potentiam continendi in ſtatu boni: vectes lignis Schittim, ſignificat bonum juſtitiæ: & obduces illos ære, ſignificat repræſentativum boni: & immittentur vectes ejus in annulos, ſignificat potentiam ſphæræ Divini Boni: & erunt vectes ſuper duobus lateribus altaris, ſignificat potentiam boni per verum & veri ex bono: in portando illud, ſignificat exiſtentiam & ſubſiſtentiam: cavum tabulatum facies illud, ſignificat applicationem: quemadmodum viſum tibi in monte, ita facient, ſignificat ex correſpondentia Divinorum in cœlo.

9714. Et facies Altare, quod significet repræsentativum Domini ac cultus Ipsius, constat ex significatione Altare quod pro holocaustis & sacrificiis, quod sit repræsentativum Domini, & quia per holocausta & sacrificia significabantur omnia cultus Domini, ideo quoque altare erat repræsentativum cultus Ipsius; sed Dominus non per holocausta & sacrificia, sed per illa quæ repræsentabantur, quæ sunt cœlestia amoris & spiritualia fidei, colitur, n: 922. 923. 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. 3519. 6905. 8680. 8936. Duo erant, per quod Dominus quoad Divinum Humanum repræsentabatur, Templum & Altare; quod per Templum, docet Ipse apud Johannem, "Jesus dixit, *solvite Templum hoc, in tribus tamen diebus exsuscitabo illud:* Ipse loquebatur de *Templo corporis sui,*" II: 19. 20: quod per Altare, etiam ex verbis Domini, ubi de Templo & simul de Altari loquitur, constare potest, apud Matthæum, "Stulti & cæci, quia dicitis, quicunque juraverit, *per Templum,* nihil est; quicunque vero juraverit per *aurum Templi,* reus est; utrum majus est *aurum* quam *Templum* quod *sanctificat aurum.* Item, quicunque juraverit *per Altare,* nihil est, quicunque vero juraverit *per donum* quod *super illo* est, reus est; stulti & cæci, utrum majus est *donum* quam *Altare quod sanctificat donum:* qui juraverit *per Altare, jurat per illud & per omne quod super illo est*; & qui juraverit *per Templum, jurat per illud, & per Ipsum qui habitat in eo*; & qui juraverit *per cœlum,* jurat per thronum Dei, & per Ipsum qui sedet super illo," XXIII: 16 ad 22; inde patet, quod sicut Templum, ita quoque Altare esset repræsentativum Divini Humani Domini, nam simile de Altari dicitur, quod de Templo, nempe quod id sit quod sanctificat donum quod super eo, ita quod Altare esset subjectum, a quo sanctificatio, proinde etiam repræsentativum Divini Humani Domini, a quo omne sanctum procedit; sed Altare erat repræsentativum Domini quoad Divinum Ipsius bonum, Templum autem quoad Divinum Ipsius Verum, ita quoad Cœlum, nam Divinum Verum procedens a Domino facit cœlum; ideo dicitur de Templo, quod, qui juraverit per Templum, juret per illud & per Ipsum qui habitat in eo; & additur, qui juraverit per cœlum, jurat per thronum Dei, & per Ipsum qui sedet super illo: Thronus Dei est Divinum Verum procedens a Domino, ita cœlum, & sedens super illo est Dominus, n: 5313. Simile quod per Templum, etiam repræsentabatur per Habitaculum, Dominus quoad Divinum Verum ibi est Testimonium quod in Arca, n: 9503. Quia per Altare repræsentatus est Dominus quoad Divinum Bonum, ideo erat illud ipsum sanctum sanctorum, & sanctificabat omne quod tetigit illud, ut constare potest in sequentibus hujus Libri, ubi dicitur, "Septem dies *expiabis super Altare,* & sanctificabis illud, *ut sit Altare sanctum sanctorum, ac omne quod tetigerit illud, sanctificetur,*" Exod: XXIX: 37; & ideo ignis super Altari perpetuo ardebat, & nusquam exstinguebatur," Levit: VI: 5. 6; & ex illo igne accipiebatur ignis suffimenti, & non aliunde; Levit: X: 1 ad 6; per ignem enim Altaris significabatur Divinum Bonum Divini Amoris Domini, n: 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. Quod Altare fuerit repræsentativum Domini, patet ab his apud Davidem, "Lux & Veritas

ritas tua deducant me ad montem ſanctitatis tuæ, & ad habitacula tua, *ut ingrediar ad Altare Dei, ad Deum,"* Pſalm: XLIII: 3. 4: & apud Eundem, "Lavo in innocentia manus meas, & *circumdo Altare tuum, Jehovah,"* Pſalm: XXVI: 6. 7. At quod Altare fuerit repræſentativum cultus Domini, apud Eſaiam, "Omnia pecora Arabiæ congregabuntur Tibi; arietes Nebaioth miniſtrabuntur Tibi, *aſcendit ad beneplacitum Altare meum,"* LX: 7: apud Jeremiam, "*Deſeruit Dominus Altare ſuum,* abominatus & ſanctuarium ſuum," Thren: II: 2; deſerere Altare, pro abolere repræſentativum cultus Domini ex bono amoris; abominari ſanctuarium pro abolere repræſentativum cultus Domini ex veris fidei. Apud Ezechielem, "Deſtruentur *Altaria veſtra,* diſpergam oſſa veſtra *circum Altaria veſtra*; devaſtabuntur & deſolabuntur *Altaria veſtra,* & frangentur, & ceſſabunt idola veſtra," VI: 4. 5. 6, deſtrui, devaſtari & deſolari altaria pro quod cultus repræſentativi. Apud Eſaiam, "Non expiabitur iniquitas Jacobi, *cum poſuerit omnes lapides Altaris* ſicut lapides calcis diſperſos," XXVII: 9, lapides altaris diſperſi, pro omnibus veris cultus. Apud Eundem, "In die illo ſpectabit homo ad Factorem ſuum, & oculi ejus ad Sanctum Iſraelis, non *autem ſpectabit ad altaria;* opus manuum ſuarum, & quod fecerunt digiti illorum," XVI: 7. 8, altaria opus manuum, & quod fecerunt digiti pro cultu ex propria intelligentia. Apud Hoſcheam, "*Multiplicavit Ephraim Altaria ad peccandum,"* VIII: 11, multiplicare altaria ad peccandum pro fingere inania cultus. Apud Eundem, "Tribulus & ſpina aſcendet *ſuper altaria veſtra,"* X: 8, pro quod mala & falſa intrabunt & facient cultum. Apud Eſaiam, "*In die illo erit altare Jehovæ* in medio Ægypti," XIX: 19, Altare Jehovæ pro cultu Domini. Altare, de quo nunc agitur, quia erat portatile, factum erat ex lignis Schittim, & obductum ære; aſt altare quod manſurum in ſuo loco, erat vel ex humo vel ex lapidibus non cæſis; Altare ex humo erat principale repræſentativum Domini ex bono amoris; ex lapidibus autem non cæſis, repræſentativum cultus ex bonis & veris fidei, n: 8935. 8949; altare autem portatile, de quo hic, erat repræſentativum cultus Domini ex bono amoris; ideo erat ex lignis Schittim, & obductum ære.

9715. Lignis Schittim, quod ſignificet juſtitiam, conſtat ex ſignificatione lignorum Schittim, quod ſint bonum meriti & juſtitia, quæ ſolius Domini, de qua n: 9472. 9486. Quid Juſtitia & quid meritum, quæ ſolius Domini, hic nunc dicetur: creditur, quod Domino Meritum & Juſtitia fuerit, quod impleverit omnia legis, & quod per paſſionem crucis ſalvaverit genus humanum; ſed hæc non per Juſtitiam & Meritum Domini intelliguntur in Verbo; ſed per Meritum & Juſtitiam Ipſius intelligitur, quod pugnaverit ſolus cum omnibus Infernis, & ſubjugaverit illa, & ſic in ordinem redegerit omnia in infernis, & ſimul tunc omnia in cœlis: nam apud unumquemvis hominem ſunt ſpiritus ab Inferno, & ſunt Angeli e Cœlo; homo abſque illis prorſus non vivere poteſt; niſi inferna fuiſſent a Domino ſubjugata, & cœli in ordinem redacti, nuſquam aliquis homo ſalvari potuiſſet. Hoc non fieri potuit quam per Humanum Ipſius, nempe per pugnas cum illis ex ſuo

 Humano;

Humano; & quia Dominus ex propria potentia, ita solus, hoc fecit, ideo soli Domino est Meritum & Justitia; & ideo est Solus qui apud hominem adhuc vincit inferna; nam qui semel illa vincit, in æternum vincit; quapropter homini prorsus nihil meriti & justitiæ est, sed ei Meritum & Justitia Domini, cum agnoscit quod nihil a se, sed omne a Domino, imputatur: inde est, quod solus Dominus regeneret hominem; nam regenerare hominem est inferna ab illo abigere, proinde mala & falsa quæ ab infernis, & loco illorum implantare cœlum, hoc est, bona amoris & vera fidei, hæc enim faciunt cœlum. Per continuas pugnas cum infernis etiam Dominus glorificavit Humanum suum, hoc est, Divinum fecit; nam sicut homo per pugnas, quæ sunt tentationes, regeneratur, ita Dominus per pugnas, quæ erant tentationes, glorificatus est; inde Glorificatio Humani Domini ex propria potentia etiam est Meritum & Justitia, nam per id salvatus est homo, per id enim omnia inferna subjugata in æternum a Domino tenentur. Quod ita sit, constat a locis in Verbo, ubi agitur de Merito & Justitia Domini, ut apud Esaiam, "Quis hic qui venit ex Edom, consperssus vestes ex Bozra, incedens in multitudine roboris sui, *Ego qui loquor in Justitia*, magnus ad salvandum; quare rubicundus quoad vestes tuas, & vestes tuæ sicut calcantis in torculari; *torcular calcavi solus*, & de populis non vir Mecum; propterea calcavi eos in ira mea; unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, & omne vestimentum meum pollui; nam dies vindictæ in corde meo, & annus redemtorum meorum venerat. *Circumspexi, sed non auxilians, & obstupui, sed non suffulciens, ideo salutem præstitit Mihi brachium meum*, & excandescentia mea sustentavit Me; atque calcavi populos in ira mea, & descendere feci in terram victoriam illorum: *ideo factus est in Salvatorem*, LXIII: 1 ad 8; quod hæc dicantur de Domino, notum est; *pugnæ Ipsius cum infernis* describuntur per quod consperssus vestes, rubicundus quoad vestes suas, & quod vestes sicut calcantis in torculari, perque dies vindictæ: *victoriæ & subjugationes infernorum* describuntur per quod calcaverit eos in ira sua, unde sparsa victoria eorum super vestes suas, quod conculcaverit populos in ira, & descendere fecerit in terram victoriam eorum: *quod Dominus illa fecerit ex propria potentia*, describitur per quod torcular calcaverit solus, & de populis non vir cum Ipso, quod circumspexerit sed non auxilians, obstupuerit & non suffulciens, quod salutem præstiterit Ipsi brachium suum: *quod inde salus*, describitur per quod incedens in multitudine roboris sui magnus ad salvandum, quod annus redemtorum suorum venerit, & quod ideo factus illis in Salvatorem. Quod hæc omnia sint Justitiæ adhuc evidentius patet alibi apud Eundem Prophetam, "Vidit quod non Vir, & obstupuit quod non intercedens, ideo salutem præstitit Ipsi brachium suum, & *Justitia Ipsius suscitavit Ipsum*; *unde induit Justitiam sicut loricam*, & galeam salutis super caput suum; induit vestes vindictæ, & texit se sicut pallio Zelo," LIX: 16. 17: & apud Eundem, "*Propinqua Justitia mea*, exivit salus mea, & brachia mea populos judicabunt; in Me insulæ sperabunt, & super brachio meo confident," LI: 5; brachium quod præstitit Ipsi salutem; & super quo confident,

est

est propria potentia, qua inferna subjugavit; quod brachium sit potentia, videatur, n: 4932. 7305; inde patet, quid Justitia, & quid Meritum, quae solius Domini. Similiter alibi apud Eundem, "Quis excitavit ab Oriente, *quem in Justitia vocavit* ad sequelam sui, dedit coram Ipso gentes, & regibus dominari fecit," XLI: 2: apud Eundem, "*Appropinquare feci Justitiam meam*, non procul est, salus mea non morabitur," XLVI: 13: apud Eundem, "Jehovah induet Me *vestibus salutis, amiculo Justitiae texit Me*," LXI: 10. Apud Davidem, "Os meum *enumerabit Justitiam tuam*, toto die *salutem tuam*, non novi numerationes: *memorabo Justitiam tuam*, ne desere me usque dum enarravero *brachium tuum, virtutem tuam*, nam *Justitia tua* usque ad excelsum, qui fecisti magna," Psalm: LXXI: 15, 16. 18. 19. 24. Apud Jeremiam, "Ecce dies veniunt quum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, & prosperabitur, facietque judicium & justitiam in terra: in diebus illis salvabitur Jehudah, & Israel habitabit secure; & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum, *Jehovah Justitia nostra*," XXIII: 5. 6. Cap: XXXIII: 15. 16: & apud Danielem, "Septimanae septuaginta decisae sunt ad expiandum iniquitatem, & *ad adducendum Justitiam saeculorum*," IX: 24. Quod subjugatio infernorum, ordinatio coelorum a Domino, & glorificatio Humani Ipsius, & inde salus homini qui Dominum amore & fide recipit, sint Justitia & Meritum, quae Soli Domino, ex locis nunc allatis constare potest: sed qui non sciunt, quod Spiritus ab infernis sint apud hominem, & inde ei mala & falsa, & quoque quod Angeli e coelo, & quod inde ei bona & vera, & quod sic vita hominis ab una parte juncta sit infernis, & ab altera coelis, hoc est, per coelos Domino; ac ita quod homo nequaquam salvari potuerit, nisi inferna subjugata fuerint, & coeli in ordinem redacti, ac sic omnia Domino subjecta, hanc rem capere non possunt. Ex his constare potest, unde est, quod Bonum meriti Domini sit unicum Bonum quod in coelis regnat, ut supra n: 9486, dictum est; Bonum enim Meriti est etiam nunc continua subjugatio infernorum, & sic tutatio fidelium; id Bonum est Bonum amoris Domini, nam ex Divino amore in mundo pugnaverat & vicerat; ex Divina potentia in Humano inde acquisita dein in aeternum pro Coelo & pro Ecclesia, ita pro universo humano genere solus pugnat, vincit, & sic salvat; hoc nunc est bonum meriti, quod Justitia vocatur, quia Justitiae est inferna conantia perdere humanum genus, compescere, ac tutari & salvare bonos & fideles. De pugnis seu tentationibus Domini cum in mundo fuit, videatur n: 1663. 1668. 1690. 1691 fin: 1692. 1737. 1787. 1812. 1813. 1820. 2776. 2786. 2795. 2803. 2814. 2816. 4287. 7193. 8273: & quod Dominus solus pro humano genere contra inferna pugnet, n: 1692 fin: 6574. 8159. 8172. 8175. 8176. 8159. 8273. 8969.

9716. Quinque cubiti longitudo, & quinque cubiti latitudo, quod significet aeque ex bono & ex vero, constat ex significatione quinque, quod sint aeque, nam cum bina sunt similia, ut hic longitudo & latitudo, est aeque. Quod Altaris longitudo & latitudo essent quinque cubitorum, erat quia quinque etiam simile significant cum decem, cum centum, & cum mille, & per hos numeros

numeros significatur multum, omne, plenum, & in supremo sensu, in quo de Domino, infinitum; ita quoque quinque; nam numeri compositi simile cum simplicibus, a quibus sunt, & sic simplices simile cum suis compositis, significant, n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod decem, centum, & mille sint multum, omne & plenum, videatur n: 3107. 2836. 4400. 4638. 8715; & quoque quinque, n: 5708. 5956. 9102; & quod mille, cum de Divino, sint infinitum, n: 2575; & significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487; & ex significatione latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487; inde patet, quod per quinque cubitorum longitudinem & quinque cubitorum latitudinem significetur æque ex bono & ex vero. Æque ex bono & ex vero dicitur, cum verum est boni, & bonum est veri, ita cum verum & bonum agunt, & formant conjugium, quale in cœlo a Domino: hoc illustrari potest per Intellectuale & Voluntarium apud hominem, cum Intellectuale unum agit cum Voluntario, hoc est, cum homo percipit verum esse boni, & bonum esse veri, tunc ei æque ex bono & ex vero: Intellectuale etiam dicatum est perceptioni veri ex bono, & voluntarium perceptioni boni in vero.

9717. Quadratum erit Altare, quod significet sic justum, constat ex significatione quadrati, quod sit justum, de qua sequitur; & ex significatione Altaris quod sit repræsentativum Domini & cultus Ipsius; inde per quadratum erit Altare, significatur justum in Domino, & inde in cultu: cultus dicitur justus, cum bonum & verum, quæ in illo, sunt a Domino, & non ab homine, nam a Domino solo justum, n: 9263. Quod quadratum sit justum, originem ducit ex repræsentativis in altera vita, ibi bona sistuntur ut rotunda, ac bona Externi hominis, quæ dicuntur justa, ut quadrata; vera autem & recta sistuntur ut linearia & triangularia; inde nunc est, quod per quadratum significetur justum, sicut etiam *per quadratum Altaris suffitus*, Exod: XXIX: 2; tum *per quadratum duplicatum pectoralis judicii*," Exod: XXVIII: 16; ut & per quod *Nova Hierosolyma esset quadrangularis*," Apoc: XXI: 16; nova Hierosolyma ibi est nova Domini Ecclesia, huic nostræ successura; ejus bonum externum, quod est justum, significatur per quadrangulare.

9718. Et tres cubiti altitudo, quod significet plenum quoad gradus, constat ex significatione trium, quod sint plenum, de qua n: 4495. 7715. 9488. 9489; & ex significatione altitudinis, quod sit gradus, quoad bonum, de qua n: 9489.

9719. Et facies cornua, quod significet potentiam, constat ex significatione cornuum, quod sint potentia veri ex bono, de qua n: 2832. 9081.

9720. Super quatuor angulis ejus, quod significet omnimodum, constat ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 9601. 9674; & ex significatione angulorum, quod sint firmitas & robur, de qua n: 9494, tum omnia veri & boni, n: 9642, inde per cornua super quatuor angulis significatur potentia omnimoda.

9721. Ex illo erunt cornua, quod significet quod potentia ex bono, constat ex significatione Altaris, ex quo cornua, quod sit repræsentativum Domini ac

Cultus

Cultus Ipsius ex bono amoris, de qua n: 9714; & ex significatione cornuum, quod sint potentia, ut supra n: 9719; inde patet, quod per ex illo erunt cornua, significetur quod potentia erit ex bono: quod in spirituali mundo omnis potentia sit boni per Verum, videatur n: 6344. 6413. 9643.

9722. Et obduces illud ære, quod significet repræsentativum boni, constat ex significatione æris, quod sit bonum naturale seu externum, de qua n: 425. 1551; quod obductio & inductio æris sit repræsentativum illius boni, patet.

9723. Et facies lebetes ad decinerandum, quod significet removentia post usus, constat ex significatione lebetum ad decinerandum, quod sint removentia post usus; cinis enim significat talia in memoria naturali seu externa hominis, quæ post usus remanent, & quæ removenda ne obstent, quin alia, per quæ iterum usus, succedant; lebetes sunt talia, per quæ remotio, quoniam per illos decineratio ut sciatur, quid significatur per cinerem super altari remanentem post holocaustum seu sacrificium, dicetur primum quomodo se habet cum remanentibus post usus in homine; homo ab infantia usque ad finem suæ vitæ in mundo, perficitur quoad intelligentiam & sapientiam, & si bene ei erit, quoad fidem & amorem; scientifica ad illum usum præcipue conducunt; scientifica hauriuntur per auditum, visum & lectionem, & reponuntur in memoria externa seu naturali; hæc inserviunt visui interno seu intellectui pro plano objectorum, ut eligat & eliciat inde talia ex quibus sapiat; visus enim interior seu intellectus ex sua luce, quæ est e cœlo, spectat in planum illud, seu in memoriam illam, quæ infra se, & ex variis ibi eligit & elicit talia quæ conveniunt amori suo; ea ad se inde evocat, & reponit in sua memoria, quæ est memoria interna, de qua videatur n: 2469 ad 2494, inde vita Interni hominis, & ejus intelligentia & sapientia: similiter se habet cum illis quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ spiritualis, quæ sunt fidei & amoris, illis Interno homini implantandis pariter inserviunt scientifica, sed scientifica ex Verbo seu ex doctrina Ecclesiæ, quæ cognitiones veri & boni vocantur; hæ in memoria Externi hominis repositæ similiter inserviunt pro objectis visui Interni hominis, qui videt ex luce cœli, & ex illis eligit & elicit talia quæ conveniunt amori, nam Internus homo in Externo non alia videt; quæ enim homo amat, illa videt in luce, quæ autem non amat, illa videt in umbra, hæc rejicit, illa autem eligit. Ex his constare potest, quomodo se habet cum veris fidei & cum bonis amoris apud hominem qui regeneratur, quod nempe bonum quod amoris eligat sibi vera fidei convenientia, & per illa se perficiat; & sic quod bonum amoris primo loco sit, & verum fidei secundo, prout multis ostensum est prius, n: 3325. 3494. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 3576. 3603. 3701. 4925. 4977. 6256. 6269. 6272. 6273. Scientifica seu cognitiones boni & veri in memoria Externi hominis, postquam illum usum præstiterunt, e memoria illa quasi evanescunt: se habent illa sicut cum instructivis, quæ ab infantia serviverunt homini pro mediis ad perficiendum vitam ejus moralem & civilem, postquam illa usum istum præstiterunt, & homo vitam inde traxerat, e memoria pereunt, & solum quoad exercitium

seu

ſeu uſum remanent; ita homo diſcit loqui, diſcit cogitare, diſcit diſcernere & judicare, diſcit moraliter converſari, ac decore ſe gerere; verbo diſcit linguas, mores, intelligentiam & ſapientiam. Scientifica, quæ uſibus illis inſervive-runt, ſignificantur per cinerem, qui removendus; ac cognitiones veri & boni, per quas vita ſpiritualis homini, poſtquam inſerviverant uſui, hoc eſt, imbue-rant vitam, per cinerem altaris, qui etiam removendus: at cum removetur, primum reponitur juxta altare, ſed poſtea extra caſtra educitur in locum mundum, igne altaris ſemper ardente in uſum novi holocauſti aut ſacrificii, juxta proceſſum deſcriptum a Moſche in Levitico, "Sacerdos holocauſtum aſcendere debet ſuper focum ſuper altari tota nocte uſque ad auroram; deinde induet amictum lini & femoralia lini, & tollet cinerem, in quem combuſſit ignis holocauſtum ſuper altari: poſt exuet veſtes ſuas, & induet veſtes alias, & educet cinerem foras extra caſtra in locum mundum: ignis autem ſuper altari ardebit, nec exſtinguetur; ſacerdos accendet ſuper eo ligna ſub auroris ſingulis, & diſponet ſuper eo holocauſtum, & adolebit ſuper eo adipes ſacri-ficiorum; ignis jugiter ardebit ſuper altari; nec exſtinguetur," VI : 1 ad 6; ſingula hæc involvunt arcana cœli, & ſignificant Divina cultus Domini ex bono amoris: quid itaque cinis, ſupra dictum eſt; quod aliquid cœleſte per cinerem altaris ſignificetur, conſtare poteſt unicuivis qui expendit; ſicut quod cum ſacerdos decineraret altare, indueret amictum lini & femoralia lini, & dein in aliis veſtibus educeret eum extra caſtra, & reponeret in loco mundo; nulla res in Verbo inanis eſt, ne quidem ullum verbum, ita nec ullum momentum hujus proceſſus. Ex his aliquantum conſtare poteſt, quid ſignificatur *per cinerem ex vacca rufa combuſta*, quo medio aqua ſeparationis & mundationis parabatur, de quo Num: XIX: 2 ad 11. 17: & quid in op-poſito ſenſu per cinerem ſignificatur, quod nempe damnatum remanens poſt combuſtionem ex igne amoris ſui: id ſignificatur per cinerem, quem ferebant ſuper capite, & in quo ſe voluebant in luctu ob peccata, Jerem: VI: 26. Cap: XXVII: 30. Jonæ: III: 6.

9724. Et palas & crateres & fuſcinulas ejus, quod ſignificet ſcientifica continentia & omni uſui inſervientia, conſtat ex ſignificatione vaſorum in genere, quod ſint res memoriæ externæ ſeu ſcientifica, de qua n: 3068. 3069; & in rebus ſanctis, quod ſint cognitiones boni & veri, quæ media cultus Domini, n: 9544; ita quoque vaſa miniſterii circa altare; ſed unum-quodvis vas ibi ſignificabit ſcientifica ſingularis uſus; ita omnia vaſa ibi ſcien-tifica omni uſui inſervientia.

9725. Omnibus vaſis ejus facies æs, quod ſignificet ex bono omnia, conſtat ex ſignificatione vaſorum, quod ſint ſcientifica, de qua mox ſupra n: 9724, hic omnia, quia dicitur omnibus vaſis; & ex ſignificatione æris, quod ſit bonum externum ſeu naturale, de qua n: 425. 1551.

9726. Et facies ei cribrum opus retis, quod ſignificet ſenſuale, quod ulti-mum, conſtat ex ſignificatione cribri operis retis, quod ſit ſenſuale externum, ita quod ultimum vitæ eſt apud hominem; & quia ultimum ideo etiam cir-cumcirca altare poſitum erat: ſenſuale illud repræſentatum eſt per cribrum,

quoniam

quoniam id quasi cribrat & cernit primum illa quæ intrant apud hominem, & sistuntur intellectui & voluntati, ita vera & bona; si sensuale ex bono est, tunc non admittit nisi bona, & vera quæ ex bono, & tunc rejicit mala & falsa quæ ex malo; sensuale enim est ipsum perceptivum & sensitivum intellectualium & voluntarium in extremis, prorsus ad illorum affectiones formatum. Quale id est, illustrari potest a permultis in corpore; ubivis in extremis corporis sunt reticulares formæ & quasi cribra, quæ alluentia e mundo cernunt, convenientia admittendo ex desiderio, & disconvenientia rejiciendo ex aversatione; tales formæ exquisitissimæ in ventriculo sunt, quæ secundum desideria propter utilitates convenientia chyli in sanguinem admittunt, & secundum aversationem propter damna, disconvenientia rejiciunt: cum sensuali, quod ultimum vitæ hominis est, similiter se habet; sed hoc apud hominem prorsus deperditum est, ex causa, quia id proxime mundo exstat, & ideo ultimum est quod regeneratur, & usque ad illud vix aliquis hodie regenerari potest: quale itaque apud hos sensuale illud est, videantur quæ de illo prius n: 4009. 5077. 5081. 5084. 5094. 5125. 5128. 5580. 5767. 5774. 6183. 6201. 6310 ad 6318. 6564. 6598. 6612. 6614. 6622. 6624. 6844. 6845. 6948. 6949. 7442. 7645. 7693. 9212. 9216, ostensa sunt; ideo homo elevatur ab illo versus interiora a Domino, ut videat & capiat vera quæ fidei & bona quæ amoris. Sensuale autem, quod per cribrum opus retis circum altare significatur, est Sensuale Divini Humani Domini; altare enim est repræsentativum Domini & cultus Ipsius ex bono amoris, n: 9714.

9727. Ære, quod significet quod etiam ex bono, constat ex significatione æris, quod sit bonum externum seu naturale; de qua n: 425. 1551: quia per cribrum opus retis circum altare significatur Sensuale Divini Humani Domini, n: 9726 fin: ideo bonum, quod hic significatur est Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius; omnia Divini Humani Domini ex illo Bono sunt.

9728. Et facies super reti quatuor annulos æris, quod significet sphæram boni per quam conjunctio, constat ex significatione retis, quod sit extremum vitæ correspondens vitæ interiori, quæ est intellectus & voluntatis, de qua mox supra n: 9726; ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 1686. 8877. 9601. 9674; ex significatione annulorum, quod sint sphæra Divini Boni ac Veri, per quam conjunctio, de qua n: 9498. 9501; & ex significatione æris, quod sit bonum, ut supra n: 9727.

9729. Super quatuor extremitatibus ejus, quod significet ubivis, constat ex significatione quatuor extremitatum, quod sint ubivis, de qua n: 9666.

9730. Et dabis illud sub ambitu altaris deorsum, quod significet hoc in ultimis, constat ex significatione cribri operis retis, quod daretur sub ambitu altaris, quod sit sensuale, de qua supra n: 9726; ex significatione ambitus, cum de Sensuali, quod sit ultimum; quod sensuale externum sit ultimum vitæ apud hominem, videatur n: 9726; & ex significatione deorsum, quod sit extrorsum, nam per superiora significantur interiora, & per inferiora exteriora, n: 6952. 6954. 7814 ad 7821. 8604, inde per sursum significatur introrsum, & per deorsum extrorsum. Per sensuale externum non intelligitur

ſenſuale ipſius corporis, ſicut ejus viſus, auditus, guſtus, olfactus, tactus, ſed quod eſt ex illis proxime; nam ſenſualis homo dicitur, qui cogitat & cupit ſecundum ſenſus illos corporis & eorum appetitus, & non expendit ulterius; qui expendit ulterius & explorat, quid ſenſuale cupit, & quid ipſe ex ſenſuali cogitat, is dicitur elevari ſupra ſenſuale, aut ſubduci ab illo, ac cogitare interius; hoc fit apud illos hodie, qui in bono charitatis & fidei ſunt; cum hoc fit, quieſcit ſenſuale, & orbatur ſua vita activa, quam habet ex mundo & ejus objectis. Sunt binæ determinationes intellectualium & voluntariorum apud hominem; una determinatio eſt extrorſum verſus mundum, & altera eſt introrſum verſus cœlum; apud naturales & ſenſuales homines, eſt determinatio intellectualium & voluntariorum, ita cogitationum & affectionum, verſus mundum; at apud ſpirituales & cœleſtes homines eſt determinatio illorum verſus cœlum, & quoque alternatim verſus mundum; cardo determinationum vertitur introrſum, cum homo regeneratur, & quantum tunc is verti poteſt introrſum, tantum elevari poteſt homo a Domino verſus cœlum ad Se, & inde tantum imbui ſapientia, fide & amore; nam homo tunc vivit in interno homine, proinde in ſuo ſpiritu, & Externus homo ei ſubordinatus eſt: at ſi homo ſe non regenerari patitur, tunc omnia interiora ejus determinata verſus mundum manent, & tunc vita ejus eſt in Externo homine, & Internis ei ſubordinatus eſt, quod fit cum hic ratiocinia faventia cupiditatibus malis ſuppeditat: hi vocantur naturales homines, & qui in maxime externis ſunt, vocantur ſenſuales: inde conſtare poteſt, quid intelligitur per ſenſuale.

9731. Et erit rete uſque ad medium altaris, quod ſignificet extenſionem ſenſualis, conſtat ex ſignificatione retis, quod ſit ſenſuale, de qua ſupra n: 9726; extenſio ejus ſignificatur per quod eſſet ad medium altaris. Arcanum quod extenſio hæc involvit, non deſcribi ad captum poteſt, niſi ſciatur, quod ſenſuale hoc, quod ſignificatur per cribrum opus retis, extendat ſe apud hominem a Capite uſque ad lumbos, ac ibi deſinat; hæc extenſio eſt, quæ repræſentabatur per extenſionem retis uſque ad medium altaris; nam repræſentativa, quæ in natura, ſe referunt ad formam humanam, & ſecundum relationem ad illam ſignificant, n: 9496: a lumbis autem apud hominem continuatur ſenſuale proxime interius, quod repræſentatum & per obductionem ſeu inductionem æris communem circum altare, de qua ſupra n: 9722.

9732. Et facies vectes Altari, quod ſignificet potentiam continendi in ſtatu boni, conſtat ex ſignificatione vectium, quod ſint potentia, de qua n: 9496; quod ſint potentia continendi in ſtatu boni, & quia vectes erant altaris, & per altare repræſentabatur Dominus & cultus Ipſius ex bono amoris.

9733. Vectes lignis Schittim, quod ſignificet bonum juſtitiæ, & inde potentiam, conſtat ex ſignificatione vectium, quod ſint potentia, ut ſupra n: 9732; & ex ſignificatione lignorum Schittim, quod ſint bonum meriti, ſeu bonum juſtitiæ, de qua n: 9472. 9486; quod id bonum ſit bonum amoris Divini Humani Domini, videatur n: 9715.

9734. Et obduces illos ære, significat repræsentativum boni, ut supra n: 9722.

9735. Et immittentur vectes ejus in annulos, quod significet potentiam sphæræ Divini boni, constat ex significatione vectium, quod sint potentia, ut supra n: 9732; & ex significatione annulorum, quod sint sphæra Divini Boni & Veri, per quam conjunctio, de qua etiam supra n: 9728.

9736. Et erunt vectes super duobus lateribus altaris, quod significet potentiam boni ex quo verum, & veri ex bono, constat ex significatione vectium, quod sint potentia, ut nunc supra; & ex significatione duorum laterum, quod sint bonum ex quo verum, ac verum ex bono, ita conjugium boni cum vero & veri cum bono; quod ita, est quia illa quæ sunt a latere dextro apud hominem se referunt ad bonum ex quo verum, & illa quæ sunt a latere sinistro, ad verum ex bono, videatur n: 9604, & quod sic per conjunctionem significetur conjugium boni & veri, n: 9495: inde nunc est, quod similia per latera altaris, ubi vectes, significentur; nam omnia repræsentativa in natura se referunt ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significant, n: 9496.

9737. In portando illud, quod significet existentiam & subsistentiam, constat ex significatione portare, quod sit continere in statu boni & veri, ita existere & subsistere, de qua n: 9500: simile per portare significatur apud Esaiam, "Attendite ad Me domus Jacobi, & omnes reliquiæ domus Israelis; *portavi ab utero*, usque etiam ad senectam, Ego idem, & *usque ad canitiem Ego portabo*, Ego feci, & *Ego portabo*, & Ego feram," LVI: 3. 4, ibi facere pro ut existat, portare pro ut subsistat, ferre pro ut perpetuo existat.

9738. Cavum tabulatum facies illud, quod significet applicationem, constat ex significatione cavi tabulati, cum de altari, super quo comburerentur holocausta, & adolerentur pinguia sacrificiorum, quod sit applicatio, nam altare per id ad eum usum applicabile reddebatur; inde quoque significatur applicatio quoad illa quæ sunt cultus Domini ex bono amoris, quæ repræsentabantur per altare, & per holocausta & sacrificia super illo, n: 9714.

9739. Quemadmodum visum tibi in monte, ita facient, quod significet ex correspondentia Divinorum in cœlo, constat ex significatione altaris visi in monte, quod sit forma correspondens Divinis in cœlo; mons enim Sinai est cœlum, n: 8805. 9420; & formæ, quæ in cœlis apparent, correspondent prorsus ipsis Divinis cœlestibus & Divinis spiritualibus, quæ sunt boni & veri: quod hæc ita reddantur aspectabilia coram visu interno Angelorum & Spirituum, constare potest ex omnibus illis, quæ de repræsentatione rerum cœlestium in formis naturalibus, prius dicta & ostensa sunt, n: 1619. 1971. 1980. 1981. 2987 ad 3003, 3213 ad 3227. 3475. 3485. 6319. 9457, 9481. 9574. 9576. 9577; Divina, quibus correspondebat Altare, sunt quæ hactenus descripta sunt.

9740. Vers: 9 ad 19. *Et facies Atrium Habitaculi ad angulum meridiei ad austrum; tapetes, atrio byssino contexto, centum in cubito longitudo ad angulum unum. Et columnæ ejus viginti, & bases earum viginti, ære; unci columnarum,*

& cincturæ illorum, argento. Et ita ad angulum septentrionis in longitudine; tapetes centum longitudine, & columnæ ejus viginti, & bases earum viginti, ære; unci columnarum, & cincturæ eorum, argento. Et latitudo Atrii ad angulum maris, tapetes quinquaginta cubitorum, columnæ illorum decem, & bases harum decem. Et latitudo Atrii ad angulum orientis versus ortum, quinquaginta cubiti. Et quindecim cubitorum tapetes alæ, columnæ illorum tres, & bases harum tres. Et alæ alteri quindecim tapetes, columnæ illorum tres, & bases harum tres. Et portæ Atrii tegumentum viginti cubitorum, hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, opus acupictoris; columnæ eorum quatuor, & bases harum quatuor. Omnes columnæ Atrii circumcirca cinctæ cincturis argenti, unci earum argento, & bases earum ære. Longitudo Atrii centum in cubito, & latitudo quinquaginta in quinquaginta, & altitudo quinque cubiti, byssino contexto, & bases illorum ære. Et omnibus vasis Habitaculi in omni servitio ejus, & omnes paxilli ejus, & omnes paxilli Atrii ære. Et facies Atrium Habitaculi, significat cœlum ultimum: ad angulum meridiei ad austrum, significat quod in luce veri: tapetes Atrio, significat vera illius cœli: byssino contexto, significat ex intellectuali: centum in cubito longitudo, significat plenum bono a Domino: ad angulum unum, significat ubi vera in luce: & columnæ ejus viginti, significat bona veri sustentantia plene: & bases earum viginti, significat vera ex bono etiam plene sustentantia: unci columnarum & cincturæ illorum, significat conjunctionis modos per verum: & ita ad angulum septentrionis, in longitudine, significat ubi bonum veri in obscuro: tapetes centum longitudine, significat etiam plenum veris ex bono: & columnæ ejus viginti, significat bona veri sustentantia plene: & bases earum viginti ære, significat vera ex bono etiam plene sustentantia: unci columnarum & cincturæ earum argento, significat conjunctionis modos per verum: & latitudo Atrii ad angulum maris, significat statum illius cœli quoad vera scientifica: tapetes quinquaginta cubitorum, significat vera quantum ad usus: columnæ illarum & bases harum decem, significat bona & inde vera sustentantia etiam quantum ad usus: & latitudo Atrii ad angulum orientis versus ortum, significat statum veri illius cœli, ubi bona: quinquaginta cubiti, significat quantum ad usus: & quindecim cubitorum tapetes alæ, significat vera in luce quantum satis: columnæ illorum tres, & bases harum tres, significat bona & inde vera sustentantia plene: & quindecim cubitorum alæ, columnæ illorum & bases harum tres, significat similia ubi vera in obscuro & portæ Atrii tegumentum, significat introductionem in illud cœlum, & custodiam ne intretur nisi a præparatis: viginti cubiti, significat ad plenum: hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, & byssino contexto, significat bona charitatis & fidei: opus acupictoris, significat quæ in scientifico: columnæ ejus quatuor, & bases harum quatuor, significat bona & inde vera sustentantia conjunctionem: omnes columnæ Atrii circumcirca, significat omne bonum sustentans cœlum: cinctæ cincturis argenti, & unci earum argento, significat omnes conjunctionis modos per verum: & bases earum ære, significat sustentationes per bonum: longitudo Atrii centum in cubito, significat bonum illius

illius cœli ad plenum: & latitudo quinquaginta in quinquaginta, significat verum quantum satis: & altitudo quinque cubiti, significat gradus boni & veri etiam quantum satis: byssino contexto, significat ex intellectuali: & bases illorum ære, significat sustentationem omnium per bonum: & omnibus vasis Habitaculi in omni servitio ejus, significat vera & bona scientifica quæ externi hominis: & omnes paxilli ejus, & omnes paxilli atrii ære, significat omnia conjungentia & firmantia utriusque cœli, medii & ultimi, per bonum.

9741. Et facies Atrium Habitaculi, quod significet cœlum ultimum, constat ex significatione Atrii Habitaculi, quod sit Externum cœli, ita cœlum ultimum sunt enim tres cœli, intimum, medium, & ultimum; intimum repræsentatum est per intimum Habitaculi, ubi Arca Testimonii; medium per Habitaculum extra velum; ultimum per Atrium, de quo nunc agitur. Hoc cœlum dicitur Atrium, quia in illo sunt qui in bono fidei, & nondum in bono charitatis erga proximum, qui in bono charitatis sunt, illi in cœlo medio sunt. Qui in cœlo ultimo sunt, quod vocatur Atrium, vocantur Angelici Spiritus; qui in cœlo medio, vocantur Angeli spirituales; qui autem in cœlo intimo, angeli cœlestes. Ipsum bonum fidei, quod est bonum cœli ultimi, etiam est Atrium, nam per illud introducitur homo in bonum charitatis erga proximum, quod est bonum medii cœli. Sciendum est, quod bonum apud hominem faciat cœlum ejus, & quod tale ei cœlum sit, quale ei bonum: sunt tria bona, quæ ordine consequuntur, Bonum fidei, Bonum charitatis erga proximum, & Bonum amoris in Dominum: Bonum fidei facit cœlum ultimum seu primum, ut supra dictum est; Bonum charitatis erga proximum facit cœlum medium seu secundum; & Bonum amoris in Dominum facit cœlum intimum seu tertium. Ut melius adhuc sciatur, quomodo se habet cum cœlis, paucis dicetur, cœli distinguuntur in bina Regna, in Regnum cœleste & in Regnum spirituale; & in utroque Regno est Internum & Externum; in Interno Regni cœlestis sunt qui in Bono amoris in Dominum, & in Externo ejus sunt qui in Bono amoris mutui; in Interno autem Regni spiritualis sunt qui in Bono charitatis erga proximum, & in Externo ejus sunt qui in Bono fidei, videatur n: 9680: Externum utriusque cœli est, quod vocatur cœlum ultimum seu primum, & repræsentabatur per Atrium; inde est quod duplex Atrium fuerit circa Templum, Exterius & Interius; Atrium exterius pro illis qui in Externis Regni spiritualis, & Atrium interius pro illis qui in externis Regni cœlestis; de duobus illis Atriis Templi Hierosolymitani, videatur 1 Reg: vi: 3. 36. Cap: xxi. 5. De Atrio exteriori Templi Novi apud Ezechielem, Cap: xl: 17. 31. 34. Cap: xlii: 1 ad fin: & de Atrio interiori ibi, Cap: xl: 23. 28. 32. 44. Cap: xlii: 3. Cap: xliii: 5: inde patet, quod in ultimo cœlo, quod repræsentabatur per Atrium exterius Templi, sit Bonum fidei quod facit illud; & in ultimo cœlo, quod repræsentabatur per Atrium interius, sit bonum amoris mutui: qui in Bono amoris mutui sunt, illi in affectione boni sunt propter bonum, qui autem in Bono fidei sunt, illi in affectione veri sunt propter verum; nam Bonum dominatur

dominatur in Regno cœlesti, Verum autem in Regno spirituali. Quod cœlum ultimum per Atria significetur, patet a locis in Verbo ubi nominantur, ut apud Ezechielem, "Sustulit se gloria Jehovæ desuper Cherubo super limen Domus, & impleta est Domus nube, & *nubes implebat Atrium interius*, & *Atrium* plenum erat splendore Gloriæ Jehovæ; & vox alarum Cheruborum audita est usque *ad Atrium Exterius*," x: 3. 4. 5; quia Atrium erat repræsentativum Cœli ultimi, ideo implebatur illud nube & splendore gloriæ Jehovæ, sicut ipsa Domus; nubes enim & gloria est Divinum Verum; quod nubes id sit, videatur n: 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8443; & quoque gloria, n: 8267. 8427. 9429; vox alarum est verum fidei ex bono, n: 8764. 9514. Apud Eundem, "Sustulit me Spiritus, & *introduxit me in Atrium Templi interius*; cum ecce implevit gloria Jehovæ domum; & audivi loquentem ad me e Domo, dicentem; fili hominis, locus throni mei, & locus volarum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Israelis in æternum," XLIII: 4 ad 7, ibi Templum cum Atrio dicitur locus throni Jehovæ, & locus volarum pedes Ipsius, quia Templum cum Atrio repræsentabat cœlum; Thronus Jehovæ est cœlum spirituale, n: 5313. 8625, locus volarum pedum Ipsius est cœlum ultimum. Cœlum ultimum etiam per Atrium & per Atria significatur in sequentibus his locis; apud Davidem, "Beatus, quem eligis, & appropinquare facis, *inhabitabit Atria tua*; saturabimur bono Domus tuæ, sancto Templi tui," Psalm: LXV: 5, quod inhabitare atria sit inhabitare cœlum, patet. Apud Eundem, "*Bonus dies in Atriis tuis præ millibus*, elegi ad januam stare in Domo Dei mei," Psalm: LXXXIV: 11. Apud Eundem, "Date Jehovæ gloriam Nominis Ipsius, ferte munus, & *venite in Atria Ipsius*," Psalm: XCVI: 8. Apud Eundem, "Laudate Nomen Jehovæ, laudate servi Jehovæ, qui stantes in Domo Jehovæ, *in Atriis Domus Dei nostri*," Psalm: CXXXV: 1. 2. Apud Esaiam, "Colligent frumentum & mustum, comedent & laudabunt Jehovam, & *qui congregaturi illud bibent in Atriis Sanctitatis meæ*," LXII: 9: in illis locis atria pro cœlis ultimis, nam cœli interiores vocantur Domus Jehovæ & Templum Ipsius, n: 3720. Apud Johannem, "Angelus dixit surge & metire Templum, & Altare, & adorantes in eo, *sed Atrium quod intra Templum ejice foras*, & illud non metiaris, quia datum est gentibus, quæ civitatem sanctam conculcabunt menses quadraginta duos," Apoc: XI: 1. 2. Templum & Altare, & adorantes in eo, sunt Ecclesia & Ecclesiæ cultus; Atrium intra Templum est bonum amoris mutui, ut supra dictum, gentes quibus datum est civitatem sanctam conculcare, sunt mala amoris sui & mundi, quæ destruunt Ecclesiam, n: 6306; menses quadraginta duo simile cum sex septimanis significant, & sex septimanæ simile cum sex diebus unius septimanæ, nam sex multiplicati in septem sunt quadraginta duo; septimana significat integram periodum, majorem vel minorem, n: 2044. 3845; sex dies, qui præcedunt septimum, qui sabbathum, significant priorem Ecclesiam usque ad finem, & novæ instaurationem; sabbathum est conjunctio boni & veri, ita Ecclesia, n: 8495. 8540. 8890. 8893. 9274.

9742. Ad

9742. Ad angulum meridiei ad austrum, quod significet quod in luce veri, constat ex significatione meridiei ad austrum, quod sit ubi verum in luce, de qua n: 9642. Quod Atrium ab illo latere esset, erat causa quoniam qui in Atrio cœli sunt, hoc est, qui in ultimo cœlo, illi in bono fidei sunt, & bonum fidei existit per illuminationem a luce quæ a Domino; lux quæ a Domino est verum fidei, hoc cum fit voluntatis vocatur bonum fidei: apud illos qui in atrio exteriori sunt, novum voluntarium in parte intellectuali formatur, n: 9596, quod ut formetur, necessum est ut in luce veri sint; inde est, quod Atrium factum sit ad austrum respective ad Habitaculum.

9743. Tapetes Atrio, quod significet vera illius cœli, constat ex significatione cortinarum seu aulæorum, quod sint vera, de qua n: 9595. 9596, ita quoque tapetes; & ex significatione Atrii, quod sit cœlum ultimum, de qua supra n: 9741.

9744. Byssino contexto, quod significet ex intellectuali, constat ex significatione byssini, quod sit verum ex origine cœlesti, de qua n: 5319. 9469; inde byssinum contextum est intellectuale, quoniam hoc consistit & quasi contextum est ex veris ex origine cœlesti: sunt enim bina, ad quæ omnia in universo se referunt, Verum & Bonum; ideo binæ facultates homini sunt, una dicata receptioni veri, altera receptioni boni; facultas dicata receptioni veri vocatur Intellectus, & facultas dicata receptioni boni vocatur voluntas; quantum itaque Intellectus formatus est ex genuinis veris, tantum excellet, & tantum est byssinum contextum, nam byssus est verum a Divino, n: 5319; quod byssinum contextum inde sit Intellectuale, videatur etiam n: 9596.

9745. Centum in cubito longitudo, quod significet plenum bono a Domino, constat ex significatione centum, quod sint omne, multum & plenum, de qua sequitur; & ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487; quod sit bonum a Domino, est quia bonum fidei, in quo sunt qui in ultimo cœlo, quod repræsentatur per Atrium Habitaculi, est a Domino. Quod Centum sint omne, multum & plenum, est quia centum ejusdem significationis sunt cum decem, cum mille, & cum myriadibus, per quos numeros quod talia significentur, videatur n: 2575. 3107. 4638. 8715; & quod per centum, n: 2636. 4400.

9746. Ad angulum unum, quod significet ubi verum in luce, constat ex significatione anguli meridiei ad austrum, qui hic est angulus unus, quod sit ubi verum in luce, de qua supra n: 9742.

9747. Et columnæ ejus viginti, quod significet bona veri sustentantia plene, constat ex significatione columnarum, quod sint bona Cœli & Ecclesiæ sustentantia, de qua n: 9674; hic bona veri, quia dicuntur de cœlo ultimo, quod sustentatur per bonum fidei, quod idem est cum bono veri; & ex significatione viginti, quod sint plene, de qua n: 9641.

9748. Et bases earum viginti ære, quod significet vera ex bono etiam plene sustentantia, constat ex significatione basium, quod sint vera fidei ex bono, de qua n: 9643; ex significatione viginti, quod sint plene, ut nunc supra n: 9747; & ex significatione æris, quod sit bonum, de qua n: 425. 1551.

9749. Unci columnarum & cincturæ illorum argento, quod significet conjunctionis modos per verum, constat ex significatione uncorum & cincturarum, quod sint conjunctionis modi; quod unci id sint, videatur n: 9676; quod cincturæ, est per applicationem; & ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999.

9750. Est ita ad angulum septentrionis in longitudine, quod significet ubi bonum veri in obscuro, constat ex significatione anguli septentrionis, quod sit ubi verum in obscuro; & ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487.

9751. Tapetes centum longitudine, quod significet etiam plenum veri ex bono, constat ex significatione tapetum atrii, quod sint vera cœli ultimi, de qua supra n: 9743; ex significatione centum, quod sint plenum, de qua etiam supra n: 9745: & ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487.

9752. Et columnæ ejus viginti, significat bona veri sustentantia plene, ut supra n: 9747.

9753. Et bases earum viginti ære, significat vera ex bono etiam plene sustentantia, ut quoque supra n: 9748.

9754. Unci columnarum & cincturæ earum argento, significat conjunctionis modos per verum, ut etiam supra n: 9749.

9755. Et latitudo Atrii ad Angulum maris, quod significet statum illius cœli quoad vera scientifica, constat ex significatione latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487; ex significatione Atrii, quod sit cœlum ultimum, de qua supra n: 9741; & ex significatione maris, quod sit ubi collectio scientificorum, ex quibus ratiocinatio de veris, ita quoque naturale & sensuale, nam hæc sunt continentiæ; hic per angulum maris intelligitur angulus occidentis, & per Occidentem significatur bonum in obscuro; at cum non dicitur occidens sed mare, tunc significatur scientificum, quod etiam in obscuro est respective, quia scientificum est naturalis seu externi hominis, & naturalis seu externus homo est in luce mundi, quæ lux respective ad lucem cœli, in qua est Internus homo, & sicut umbra occidente Sole: hoc etiam constate potest ex illis quæ apparent in altera vita; Sol cœli, qui est Dominus, apparet versus oculum dextrum in media altitudine, inde angelis cœlorum omnis lux, & cum luce omnis intelligentia & sapientia; sol autem mundi non apparet, cum de illo cogitatur; sed loco ejus apparet tenebricosum quid ex opposito a tergo; ibi etiam est cœlis occidens, nam Dominus ibi ut Sol est oriens: inde constare potest, quod per occidens significetur bonum in obscuro, & quod in illo sit externus seu naturalis homo, qui, ut dictum est, in luce mundi est, quæ lux respective ad lucem cœli est sicut umbra occidente sole: verum autem naturalis hominis significatur per aquam maris, id verum est scientificum; nam verum in Naturali seu Externo homine est Verum scientia, at Verum in spirituali seu Interno homine est verum fide; nam ex Vero scientia fit verum fide, cum illud ex naturali seu externo homine elevatur in spiritualem seu Internum: inde est, quod vera apud hominem in

pueritia

pueritia sint vera scientia, at in adulta ætate si regenerari se patitur, fiant vera fide; Internus enim homo successive usque ad illam ætatem aperitur. Quod Mare sit Collectio scientificorum est ex eo, quia Aquæ, Fontes, & Fluvii, significant Vera, inde collectiones eorum sunt maria. Quod ita sit, etiam constat ex locis in Verbo, ubi Mare ac Maria nominantur; ut apud Davidem, "Jehovæ terra, & plenitudo ejus, orbis & habitantes in eo; *Ille super Maria fundavit illum*, & *super flumina* stabilivit illum," Psalm: xxiv: 1. 2; terra & orbis pro Ecclesia; maria super quibus fundavit orbem, sunt vera scientifica; flumina super quibus stabilivit illum, sunt vera fidei: quod ibi non terra, orbis, maria & flumina intelligantur, patet, nam orbis non super maribus fundatus est, & super fluminibus stabilitus. Apud Eundem, "*Tu perrupisti robore tuo mare*, fregisti capita balænarum super aquis, Tu confregisti capita Leviathanis, dedisti eum cibum populo Ziim, *Tu exsiccasti fluvios roboris*," Psalm: LXXIV: 13. 14: 15; agitur ibi in sensu interno de scientiis destruentibus vera fidei; balænæ, quarum capita frangentur, sunt scientifica in communi, n: 42. 7293; similiter Leviathan, n: 7293; populus Ziim, quibus daretur in cibum, sunt qui in falsis, seu ipsa falsa; inde patet, quid mare, quod nempe sit scientificum male applicatum ad infirmanda & destruenda vera. Apud Habakuk, "*Calcasti mare equis tuis, lutum aquarum multarum*," III: 15; calcare mare equis, cum de Jehovah, pro instruere naturalem hominem, cui scientifica. Apud Sachariam, "In die illo exibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma, pars earum *ad Mare orientale*, & pars earum *ad mare posterius*," XIV: 8; aquæ vivæ ex Hierosolyma sunt vera fidei viventia ex bono amoris; mare orientale & mare posterius, sunt naturale & sensuale, ubi scientifica, quæ sunt collectiones veritatum. Apud Hoscheam, "Post Jehovam ibunt, & *cum honore accedent filii a mari*; cum honore venient sicut avis ex Ægypto," XI: 10. 11; filii a mari sunt vera scientifica quæ naturalis hominis; inde dicitur, quod venient sicut avis ex Ægypto, Ægyptus enim in Verbo est scientificum, n: 9340. 9391. Apud Ezechielem, "Descendent desuper thronis suis *omnes principes maris*, & abjicient amicula sua, & vestes acupicturæ suæ exeunt, terroribus induentur, dicent, quomodo periisti *habitata in maribus*, urbs laudata, quæ fuit *valida in mari*," XXVI: 16. 17, agitur ibi de vastatione cognitionum boni & veri, quæ sunt Tyrus, de qua ibi, n: 1201; cognitiones boni & veri, sunt scientifica Ecclesiæ; principes maris, sunt primariæ cognitiones, n: 1482. 2089. 5044; abjicere amicula & vestes acupicturæ, est vera scientifica, n: 9688: quia illa per Tyrum significantur, ideo Tyrus dicitur habitata in maribus, & urbs valida in mari. Apud Jeremiam, "*Ascendit super Babelem Mare, multitudine fluctuum ejus obtecta est*; redactæ sunt urbes ejus in desolationem," LI: 42. 43; Babel pro cultu, qui in externis apparet sanctus, sed in internis est prophanis, n: 1182. 1326; mare super Babelem est falsum ex scientificis, fluctus ejus sunt ratiocinationes ex illis, & inde negationes; urbes quæ in desolationem, sunt doctrinalia. Similiter in Apocalypsi, "Omnis gubernator, & omnis qui *super maribus versatur*, & nautæ, & omnes *qui in mari negotiantur*, e longinquo steterunt videntes fumum combustionis Babylonis,

lonis, dicentes, væ, væ, urbs magna, in qua divites facti sunt omnes *qui habent naves in mari* ex pretiositate ejus: tunc sustulit unus Angelus lapidem sicut molarem magnum, & *conjecit in mare*, dicens, sic impete dejicietur Babylon," XVIII: 17 ad 21; naves sunt doctrinalia ex Verbo, n: 6385; inde patet quid gubernator, & nauta, tum mare, & in hoc negotiatores; lapis sicut molaris est verum per quod fides, conjici in mare est in falsum scientificorum: apparent in altera vita maria, & quoque naves in illis, has & illa mihi sæpe videre datum est; maria ibi in sensu malo significant falsa scientificorum, & qui super navibus illos qui talia venditant, & instruunt. Apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, dans solem in lucem diei, statuta lunæ & stellarum in lucem noctis, *commovens mare ut tumultuentur fluctus ejus*," XXXI: 35; sol in lucem diei est bonum amoris ex quo lux veris; statuta lunæ & stellarum in lucem noctis, sunt bona fidei & cognitionum, ex quibus lux veri in tenebris; commovere mare & tumultuentur fluctus ejus, est discutere falsa scientificorum, ex quibus ratiocinia de veris. Apud Esaiam, "Num abbreviando abbreviata manus mea, ut non sit redemtio, aut num non in Me virtus ad eripiendum; en per increpationem meam *exsicco mare, pono fluvios desertum*, putrescet piscis eorum, eo quod non sit aqua, & moriatur siti," L: 2; exsiccare mare pro delere bonum & verum scientificorum; ponere fluvios desertum pro vastare ipsa vera; piscis qui putrescet, est scientificum quod naturalis hominis, n: 40. 991, eo quod non aqua, est quod non verum, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568: similiter alibi apud Eundem, "*Deficient aquæ a mari*, & *fluvius* exsiccabitur & exarescet, & recedent flumina, comminuentur & exsiccabuntur fluvii Ægypti, XIX: 5. 6; deficient aquæ a mari, pro vera ubi collectio illorum; fluvii Ægypti qui exsiccandi, sunt scientifica. Apud Eundem, "Plena est terra *scientia Jehovæ*, sicut *aquæ mare contegunt*," XI: 9; aquæ pro veris, mare pro collectione eorum seu pro scientificis, ideo dicitur plena terra a scientia Jehovæ. Apud Johannem, "Secundus Angelus clanxit & quasi mons magnus igne ardens *projectus est in mare*, & *facta est tertia pars maris sanguis*; unde mortua est tertia pars creaturarum, *quæ in mari*, habentium animas, & tertia *pars navium* corrupta est," Apoc: VIII: 8. 9; mons magnus igne ardens est amor sui; mare in quod projectus est, est scientificum in genere; sanguis qui inde est verum falsificatum & prophanatum, n: 4735. 4978. 7317. 7326; creaturæ inde mortuæ sunt qui in doctrinalibus veri. Similiter alibi apud Eundem, "Secundus Angelus *effudit phialam suam in mare*, factumque est sanguis sicut mortui, *unde omnis anima vivens mortua est in mari*," Apoc: XVI: 3. 4; scientificum inserviens malis ad destruenda vera, & ad confirmanda falsa, est ibi mare. Apud Eundem, "*Bestia ascendens ex mari* loquens blasphemias," Apoc: XIII: 1 seq: bestia ex mari est scientificum destruens vera fidei. Ex his constare potest, quod mare sit ubi collectio scientificorum, ex quibus ratiocinatio de veris fidei. Quia mare id significat, ideo de Zebulone dicitur, Quod habitet *ad litus marium*, & ad *portam navium*, Gen: XLIX: 13: & alibi, "Quod *affluentiam maris suget*, & obtecta occultorum arenæ," Deut: XXXIII: 19; per Zebulonem

lonem in ſenſu repræſentativo intelliguntur qui ex ſcientificis concludunt de veris fidei, ideo dicitur, quod ad litus marium habitaret. Mare autem in ſenſu oppoſito eſt ſcientificum ſpectans mundum, fluctus ejus ſunt tunc ratiocinationes ex mundanis de Divinis; inde immergi mari eſt immergi ſcientificis ex mundanis & terreſtribus uſque ad negationem Veri Divini, ut apud Matthæum, "Qui ſcandalizaverit unum parvorum credentium in Me, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria in collum ejus, & *demergatur in profundum maris,*" XVIII: 6; mola eſt verum inſerviens fidei, n: 4335. 7780; aſinus eſt naturale, quia ſervitium, n: 2781. 5741. 5958. 6389. 8078, inde mola aſinaria eſt ſcientificum naturale & mundanum; collum eſt conjunctio interiorum & exteriorum, n: 3542; ſuſpendi ibi, eſt interclusio & interceptio boni & veri n: 3542. 3603; demergi in profundum maris, eſt in mere mundanum & corporeum, ita in infernum. Hæc quæ Dominus loquutus eſt, ſicut omnia reliqua, ita ſignificativa ſunt. Sed Scientificum per mare ſignificatur ſecundum aquarum ejus denſitatem & nigritudinem, & vice verſa ſecundum illarum tenuitatem & pelluciditatem; inde eſt, quod ſcientificum ſpectans cœlum, quod eſt ſpirituale in naturali homine, dicatur *mare vitreum,*" Apoc: XV: 1. 2. Quod non ratiocinatio de veris fidei ex ſcientificis, ſed quid vera erunt impreſſa cordibus, ſignificatur per *quod mare non erit amplius,*" Apoc: 1.

9756. Tapetes quinquaginta cubitorum, quod ſignificet vera quantum ad uſus, conſtat ex ſignificatione tapetum Atrii, quod ſint vera qualia in cœlo ultimo, de qua ſupra n: 9743; & ex ſignificatione quinquaginta, quod ſint omnia unius partis, ut & quantum ſatis; nam quinquaginta ſimile ſignificant cum quinque, quod quinque id ſint, videatur n: 9604. 9689, ita quoque quantum ad uſus, nam hoc eſt quantum ſatis.

9757. Columnæ illorum & baſes harum decem, quod ſignificet bona & inde vera ſuſtentantia etiam quantum ad uſus, conſtat ex ſignificatione columnarum, quod ſint bona ſuſtentantia, ut ſupra n: 9747; ex ſignificatione baſium, quod ſint vera ex bono etiam ſuſtentantia, de qua ſupra n: 9748; & ex ſignificatione decem, quod ſint quantum ſatis, ſeu quantum ad uſus; ſimiliter ſe habet cum bonis & veris ſuſtentantibus, ſicut cum ipſis veris, quæ ſuſtentantur, n: 9756; ideo decem hic involvunt ſimile cum quinquaginta, ſeu cum quinque, nempe quantum ad uſus; decem etiam exſurgunt ex quinque per multiplicationem, eſt enim duplum ejus; & numeri multiplicati ſimile cum ſimplicibus, ex quibus ſunt, ſignificant, n: 5291. 5335. 5708. 7973.

9758. Et latitudo Atrii ad Angulum orientis verſus ortum, quod ſignificet ſtatum veri illius cœli, ubi bona, conſtat ex ſignificatione latitudinis, quod ſit ſtatus veri, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487; ex ſignificatione Atrii, quod ſit cœlum ultimum, de qua ſupra n: 9741; & ex ſignificatione orientis & ortus, quod ſit bonum amoris, de qua n: 1250. 3249. 3708.

9759. Quinquaginta cubiti, ſignificat quantum ad uſus, ut ſupra n: 9756.

9760. Et quindecim cubitorum tapetes alæ, quod significet vera in luce quantum satis, constat ex significatione quindecim, quod sint quantum satis; ex significatione tapetum, quod sint vera, de qua supra n: 9743; & ex significatione alæ, quod sit ubi verum in luce; quod ala id sit, est quia per alam significatur una pars latitudinis atrii ad angulum orientis; latitudo enim ejus erat quinquaginta cubitorum, in media latitudine erat porta, cujus tegumentum erat viginti cubitorum, Vers: seq: 16, binæ partes, una ad dextram portæ & altera ad sinistram vocantur alæ tapetes pro qualibet viginti cubitorum, inde tota latitudo, ut dictum, erat quinquaginta cubitorum; patet itaque quod una ala esset versus meridiem, altera autem versus septentrionem; inde per tapetes alæ versus meridiem significantur vera in luce, meridies enim est ubi verum est in luce, n: 9642, & per tapetes alæ versus septentrionem, de quibus Vers: seq: significantur vera in obscuro, septentrio enim est ubi verum in obscuro, n: 3708.

9761. Columnæ illorum tres, & bases harum tres, quod significet bona & inde vera sustentantia plene, constat ex significatione columnarum, quod sint bona sustentantia, ut supra n: 9747. 9757; ex significatione basium, quod sint vera ex bono etiam sustentantia, de qua etiam supra n: 9748; & ex significatione trium, quod sint plenum, de qua n: 2788. 4495. 7715.

9762. Et quindecim cubitorum tapetes alæ, columnæ illorum & bases harum tres, quod significet similia ubi vera in obscuro, sunt enim eadem verba cum illis quæ nunc supra explicata sunt; quod autem per tapetes hujus alæ significentur vera in obscuro, videatur mox supra n: 9760.

9763. Et portæ atrii tegumentum, quod significet introductionem in illud cœlum, & custodiam ne intretur nisi a præparatis, constat ex significatione portæ, quod sit communicatio & introductio, de qua 8989; ex significatione atrii, quod sit cœlum ultimum, de qua n: 9741; & ex significatione tegumenti, quod sit custodia ne intretur, nam per tegumentum custodiebatur porta: quod sit custodia ne intretur nisi a præparatis, est quia nemo in cœlum introducitur nisi præparatus: cum hoc ita se habet; qui e mundo in alteram vitam veniunt, quod fit statim post obitum, secum ferunt mundana & terrestria quæ non concordant cum spiritualibus & cœlestibus, in quibus sunt angeli; quapropter illi qui in cœlum elevandi sunt, prius præparantur, quod fit per separationem mundanorum & terrestrium, quæ homo secum tulit; nam si prius in cœlum elevaretur, nequaquam in societatibus ibi manere posset, crassiora enim sapit & amat, quam quæ conveniunt puritati in quæ sunt Angeli; cum autem præparati sunt, tunc elevantur & introducuntur a Domino in cœlum, ac immittuntur illis societatibus angelicis, cum quibus quoad vera & bona fidei & amoris concordant. Ex his constare potest, quid intelligitur per custodiam ne cœlum intretur nisi a præparatis.

9764. Viginti cubiti, quod sint ad plenum, constat ex significatione viginti, quod sint plenum, de qua n: 9645.

9765. Hya-

9765. Hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, quod significet bona charitatis & fidei, constat ex illis quæ n: 9687, ostensa sunt, ubi similia.

9766. Opus acupictoris, quod significet quæ scientifici, constat ex significatione operis acupictoris; quod sint scientificum, de qua n: 9688.

9767. Columnæ ejus quatuor, & bases harum quatuor, quod significet bona & inde vera sustentantia conjunctionem, constat ex significatione columnarum & basium, quod sint bona & inde vera sustentantia, ut supra n: 9761; & ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 8877. 9601. 9674.

9768. Omnes columnæ Atrii circumcirca, quod significet omne bonum sustentans cœlum, constat ex significatione omnium columnarum circumcirca, quod sint omne bonum sustentans, quod columnæ sint bona sustentantia, videatur n: 9747. 9758; & ex significatione Atrii, quod sit cœlum ultimum, de qua n: 9741.

9769. Cinctæ cincturis argenti, & unci earum argento, quod significet omnes conjunctionis modos per verum, constat ex significatione cincturarum & uncorum, quod sint conjunctionis modi, de qua supra n: 9749; & ex significatione argenti, quod sit verum, de qua n: 1851. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 7999.

9770. Et bases earum ære, quod significet sustentationes per bonum, constat ex significatione basium, quod sint sustentationes, de qua n: 9643; & ex significatione æris, quod sit bonum, de qua n: 425. 1551.

9771. Longitudo Atrii centum in cubito, quod significet bonum illius cœli ad plenum, constat ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487; ex significatione Atrii, quod sit cœlum ultimum; de qua n: 9741; & ex significatione centum, quod sint ad plenum, de qua supra n: 9745.

9772. Et altitudo quinquaginta in quinquaginta, quod significet verum quantum satis, constat ex significatione latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487; & ex significatione quinquaginta, quod sint quantum satis, de qua n: 9756.

9773. Et altitudo quinque cubiti, quod significet gradus boni & veri etiam quantum satis, constat ex significatione altitudinis, quod sint gradus quoad bonum; de qua n: 9489, & quia de cœlo ultimo prædicatur, sunt etiam gradus quoad verum, nam id cœlum in bono & vero fidei est; & ex significatione quinque, quod sint quantum satis, de qua n: 9689; quod per altitudinem significentur gradus quoad bonum & verum, est quia per altum significatur internum, n: 1735. 2148. 4599; ideo quo altius eo interius; interius in cœlo est propius ad Dominum, nam Dominus est in intimo, & ab intimo procedunt omnia; distantiæ ex intimo sunt gradus boni & veri ab Ipso; quia Dominus est Intimum, etiam est Altissimum, est enim Sol cœli, a quo omnis altitudo in cœlis, inde est quod Dominus in Verbo dicatur Altissimus.

9774. Byssino

9774. Byssino contexto, quod significet ex intellectuali, constat ex significatione byssini contexti, quod sit intellectuale, de qua n: 9596. 9744.

9775. Et bases illorum aere, significat sustentationes omnium per bonum, ut supra n: 9770; quod sint omnium, est quia in hoc Versu agitur de omnibus Atrii.

9776. Et omnibus vasis Habitaculi in omni servitio, quod significet vera & bona scientifica quae externi hominis, constat ex significatione vasorum, quod sint scientifica, de qua n: 3068. 3079. 9394. 9544; ex significatione Habitaculi, quod sit coelum, de qua n: 9594. 9596. 9632; & ex significatione servitii, quod sit externum seu naturale hominis, de qua n: 3019. 3020. 5305. 7998. Quod externum seu naturale hominis sit servitium, est quia id inservire debet interno seu spirituali hominis: est enim homo creatus ad imaginem coeli, & ad imaginem mundi, internus seu spiritualis homo ad imaginem coeli, & externus seu naturalis ad imaginem mundi n: 9279; sicut mundus servire debet coelo, ita externum seu naturale hominis interno seu spirituali ejus; est etiam illud ad servitium creatum, nam ex se non vivit, ita ex se nihil potest, sed ex interno seu spirituali, hoc est, per hunc a Domino; inde quoque patet, quod externum seu naturale hominis non sit aliquid nisi inserviat interno seu spirituali, & quod tantum sit quantum inservit; inservire est obedire, & tunc obedit, quando ex intellectuali non desumit rationes faventes malis amorum sui & mundi, sed cum obsequitur rationi & doctrinae Ecclesiae dictanti, quod faciendum sit bonum & verum non propter se & mundum ut fines, sed propter ipsum bonum & verum; ita Dominus per coelum hominis, hoc est, per Internum ejus, illa facit; nam omne bonum & verum est ex Domino, usque adeo, ut bonum & verum apud hominem sit Ipse Dominus. Ex his constare potest, unde est, quod Externus homo erit servitium Interno.

9777. Omnes paxilli ejus, & omnes paxilli atrii aere, quod significet omnia conjungentia & firmantia utriusque coeli, medii & ultimi, per bonum, constat ex significatione paxillorum, quod sint conjungentia & firmantia, de qua sequitur; ex significatione Habitaculi, quod hic intelligitur per ejus, quod sit coelum, in specie coelum medium, de qua n: 9594. 9596. 9632; ex significatione Atrii, quod sit coelum ultimum, de qua n: 9741; & ex significatione aeris, quod sit bonum externum, de qua n: 425. 1551. Quod paxilli seu clavi sint conjungentia & firmantia, est quia conjungunt & firmant: similia etiam per illos significantur ubivis in Verbo, ut apud Esaiam, "Amplifica locum *tentorii* tui, & *cortinas habitaculorum* tuorum expandant, ne prohibeas; *longos fac funes tuos*, & *clavos tuos firma*," LIV: 2; agitur ibi de Nova Ecclesia a Domino; amplificare locum tentorii, & cortinas habitaculorum expandere, pro doctrinam boni & veri, & inde cultum, n: 9596; longi funes, & clavi, pro ampla connexione & confirmatione veritatum: quod etiam Atrii fuerint funes, videatur Exod: XXXV: 18. Num: III: 37. Cap: IV: 32. Apud Eundem, "Specta Zionem, oculi tui videant Hierosolymam, Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non dissipatur; *non*

removebuntur clavi ejus in perpetuum, & nulli funes ejus avellentur." XXXIII : 20; clavi & funes hic similiter pro confirmantibus & conjungentibus: clavus pro firmatione & conjunctione etiam apud Esaiam, Cap: XLI: 7: & apud Jeremiam Cap: X: 4, sed ibi agitur de idolis, per quæ significantur doctrinæ falsi, quia ex propria intelligentia, n: 8941. 9429. Per clavum autem, super quo aliquid suspenditur, significatur affixio & adjunctio apud Esaiam Cap: XXII: 23. 24. & apud Ezechielem Cap: XV: 3.

9778. Vers: 20. 21. *Et tu præcipies filiis Israelis, & accipiant ad te oleum olivæ purum, tusum, luminare, ad ascendere faciendum lucernam jugiter. In tentorio conventus ab extra velum, quod super Testimonium, ordinabit illud Aharon & filii ejus a vespera usque ad mane coram Jehovah: statutum sæculi generationibus illorum a cum filiis Israelis.* Et tu præcipies Israelis, significat Ecclesiæ per Verbum a Domino: & accipiant ad te oleum olivæ, significat bonum charitatis & fidei: purum, tusum, significat inde genuinum & perspicuum: luminari, significat cœlum spirituale ad ascendere faciendum lucernam jugiter, significat inde fidem, & per illam a Domino intelligentiam veri & sapientiam boni: in Tentorio conventus, significat ubi præsentia Domini: ab extra velum quod super Testimonium, significat ubi communicatio: & per medium uniens conjunctio cum Domino in cœlo intimo: ordinabit illud Aharon & filii ejus, significat perpetuum influxum a Domino: a vespera usque ad mane coram Jehovah, significat jugiter in omni statu: statutum sæculi, significat Divinum ordinem: generationibus illorum a cum filiis Israelis, significat æternum Regno spirituali.

9779. Et tu præcipies filiis Israelis, quod significet Ecclesiæ per Verbum a Domino, constat ex repræsentatione Moschis, qui hic est tu, quod sit Dominus quoad Verbum, seu Verbum quod a Domino, de qua n: 4859 fin: 5922. 6752. 7014. 7089. 9372; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sit Ecclesiæ spiritualis, de qua n.: 9340; inde patet, quod per quod Moscheh præciperet filiis Israelis, significetur quod Ecclesiæ per Verbum a Domino.

9780. Et accipiant ad te oleum olivæ, quod significet bonum charitatis & fidei, constat ex significatione olei olivæ, quod sit bonum amoris cœlestis, de qua n: 886, hic autem bonum amoris spiritualis, quod est bonum charitatis erga proximum & bonum fidei; quod hoc bonum hic per oleum olivæ significetur, est quia erat pro luminari seu candelabro, & per candelabrum significatur cœlum spirituale, n: 9548; cœlum spirituale in terra est Ecclesia spiritualis: oleum & olea significant in Verbo tam bonum cœleste quam bonum spirituale; bonum cœleste, ubi agitur de Regno seu Ecclesia cœlesti, & bonum spirituale, ubi agitur de Regno seu Ecclesia spirituali; distinguuntur illa Regna seu illæ Ecclesiæ per bona; bona Regni seu Ecclesiæ cœlestis sunt bonum amoris in Dominum, & bonum amoris mutui; & bona Regni seu Ecclesiæ spiritualis sunt bonum charitatis erga proximum, & bonum fidei, n: 9741; de his bonis & inde veris agitur in Verbo ubivis, nam Verbum est Doctrina boni, est enim Doctrina amoris in Dominum, & amoris

erga

erga proximum, Matth: xxii: 34 ad 39; & omne bonum eſt amoris, etiam bonum fidei, nam hoc ex bono amoris exiſtit, & non abſque eo. Quia Verbum eſt Doctrina boni, idcirco ut Verbum intelligatur, ſciendum eſt quid bonum; & nemo ſcit quid bonum, niſi vivat in bono ſecundum Verbum; cum enim vivit in bono ſecundum Verbum, tunc Dominus inſinuat bonum in vitam ejus; inde homo appercipit illud, & ſentit illud, proinde capit illud quale eſt; alioquin non apparet, quia non appercipitur: inde conſtare poteſt, in quo ſtatu ſunt, qui modo ſciunt ea quæ in Verbo, & perſuadent ſibi quod ita ſit, & non faciunt illud; ſunt illi in nulla cognitione de bono, conſequenter in nulla de vero; nam verum noſcitur ex bono, & nuſquam abſque bono, niſi ſicut ſcientificum nullius vitæ, quod in altera vita perit. Quod Oleum & quoque oliva ſint bonum, conſtat a locis in Verbo, ubi nominantur, ut apud Sachariam, "Vidi Candelabrum auri, *duæ oleæ juxta id*, una a dextra lechyti, & una ad ſiniſtram ejus, *hi ſunt duo filii olei* ſtantes juxta Dominum totius terræ," iv: 2. 3. 14; duæ oleæ & duo filii olei, ſunt bonum amoris in Dominum, quod a dextra Ipſius, & bonum charitatis erga proximum, quod ad ſiniſtram. Similiter apud Johannem, "Duo teſtes prophetabant dies mille ducentos ſexaginta ſex; *hi ſunt duæ oleæ*, & *duo candelabra* coram Deo terræ ſtantia," Apoc: xi: 3. 4; duæ oleæ & duo candelabra ſunt eadem illa bona; quæ quia ſunt a Domino, vocantur duo teſtes. Apud Eundem, "Audivi vocem in medio quatuor animalium, dicentem, *Oleo & Vino ne damnum inferas*," Apoc: vi: 6, oleum pro bono amoris & charitatis, Vinum pro bono & vero fidei. Apud Eſaiam, "Dabo in deſerto cedrum Schittæ, & myrrhum & *lignum olei*," xli: 19. Apud Jeremiam, "Venient & canent in altitudine Zionis, & *confluent ad bonum Jehovæ*, ad triticum, & ad muſtum, & *ad oleum*," xxxi: 12. Apud Joelem, "Devaſtatus eſt ager, luxit terra quia devaſtatum eſt frumentum, exaruit muſtum, *languet oleum*," i: 10. Apud Eundem, "Plenæ ſunt areæ frumento puro, & exundant torcularia muſtum & *oleum*," ii: 24. Apud Moſchen, "Dabo pluviam terræ veſtræ in tempore ſuo, ut colligas frumentum tuum, muſtum tuum, & *oleum tuum*," Deut: xi: 14; dicitur hic frumentum, muſtum & oleum, ſed quod illa non intelligantur, conſtare poteſt unicuivis qui expendit, Verbum enim, quia Divinum, eſt ſpirituale, non mundanum, ita non agit de frumento, muſto & oleo terræ, quatenus inſerviunt corpori pro cibis, ſed quatenus inſerviunt animæ, nam omnes cibi in mundo in Verbo ſignificant cibos cœleſtes, ſicut etiam Panis & Vinum in Sancta Cœna: quid in allatis locis ſignificant frumentum & muſtum, videatur n: 3580. 5295. 5410. 5959; quid oleum inde patet. Similiter ſe habet cum omnibus illis quæ Dominus, cum fuit in mundo, loquutus eſt, ſicut quod de Samarita, quod ille ad vulneratum a latronibus accedens obligaverit ejus vulnera, & *infuderit Oleum & Vinum*," Luc: x. 33. 34; hic non intelligitur oleum & vinum, ſed bonum amoris & charitatis, per oleum bonum amoris, & per vinum bonum charitatis & fidei, agitur enim de proximo, ita de charitate erga illum, quod vinum id ſit videatur n: 6377: ſimiliter quæ Dominus

Dominus loquutus est de decem virginibus, quarum quinque acceperunt lampades, & *non simul oleum*, & quinque *etiam oleum*, & quod hæ in cœlum admissæ, illæ vero rejectæ," Matth: xxv: 3. 4. seq: oleum in lampadibus est bonum amoris & charitatis in veris fidei, virgines quæ acceperunt lampades & non oleum, sunt qui audiunt Verbum, legunt illud, & dicunt se credere, & tamen propterea nihil boni faciunt, & si faciunt non est ex amore boni aut veri, sed ex amore sui & mundi. Quia oleum significabat bonum charitatis; ideo etiam inungebantur oleo ægroti, & sanabantur, ut legitur de Domini discipulis, qui exeuntes ejecerunt dæmonia, & *unxerunt oleo infirmos*, & sanaverunt," Marc: vi: 13. Apud Davidem, "*Pinguefacies oleo caput meum*, poculum meum abundabit," Psalm: xxiii: 5; pinguefacere oleo caput pro dona e bono cœlesti. Apud Moschen, "Jehovah cibavit proventu agrorum, sugere fecit eum mel e rupe, & *oleum e saxo petræ*," Deut: xxxii: 13, ibi de antiqua Ecclesia, sugere oleum e saxo petræ, pro imbui bono per vera fidei. Apud Habakuk, "Ficus non florebit, nec proventus in vitibus, *mentietur opus oliva*, & agri non ferent cibum," iii: 17, hic non ficus, nec vites, nec oliva, nec agri intelliguntur, sed cœlestia quibus correspondent; quod etiam quisque ex se agnoscere potest, qui agnoscit quod Verbum de talibus quæ sunt cœli & Ecclesiæ, ita quæ sunt animæ, agat; at qui non cogitant nisi de mundanis, terrestribus, & corporeis, illa non vident, imo nec videre volunt, dicentes secum, quid spiritualia, quid cœlestia, ita quid victus cœlestes; quod sint talia quæ intelligentiæ & sapientiæ, quidem sciunt cum dicitur, sed quod sint fidei & amoris, non volunt; causa est, quia talibus non imbuunt vitam, & inde non usque in intelligentiam & sapientiam veritatum & bonitatum cœlestium perveniunt. Apud Ezechielem, "Lavi te aquis, & ablui sanguines tuos desuper te, & *unxi te oleo*, vestivi te acupicto; vestes tuæ byssus, sericum & acupictum; similam, & mel, *& oleum* comedisti: sed sumsisti vestes acupicti tui, & texisti imagines, & *oleum meum* & suffimentum meum dedisti coram illis," xvi: 9. 10 18; quis non videre potest, quod ibi non intelligantur vestes ex acupicto, byssus & sericum, nec quod oleum, mel, simila, sed quod Divina quæ Cœli & Ecclesiæ sunt, nam agitur de Hierosolyma, per quam intelligitur Ecclesia; & ideo per illa quæ memorantur, intelliguntur talia quæ Ecclesiæ sunt; quod per singula aliquod speciale Ecclesiæ, constat, nam in Verbo, quod Divinum, nullum verbum est vanum: quod Hierosolyma sit Ecclesia, videatur n: 3654; quid porro acupictum, n: 9688; quid byssus, n: 5319 9469; quid similia, n: 2177; quid mel, n: 5620. 6857; quid lavare aquis, n: 3147. 5954 fin: 9089, & quid abluere sanguines, n: 4735. 9127. Apud Hoscheam, "Ephraim pascens ventum, fœdus cum Assyrio pangunt, & *oleum in Ægyptum defertur*," xii: 2; hæc prorsus non intelliguntur, nisi sciatur quid Ephraim, quid Assyrius, & quid Ægyptus; describitur tamen ibi Intellectuale hominis Ecclesiæ, quod per ratiocinia ex scientificis pervertitur, Ephraim enim est Intellectuale illud, n: 3969. 5354. 6222. 6238. 6267; Assyrius ratiocinatio, n: 1186; & Ægyptus scientificum, n: 9391, inde oleum in Ægyptum deferre, est

bonum Ecclesiæ ita conspurcare. Quod Dominus tam sæpe ascenderit *Montem Olivarum*, Luc : XXI : 37. Cap : XXII : 39, erat quia oleum & oliva significabat bonum amoris, & quoque mons, n : 6435. 8758; causa erat, quia in Domino, cum in mundo, omnia repræsentativa cœli erant; universum enim cœlum per illa Ipsi adjungebatur; quapropter quicquid agebat, & quicquid loquutus est, erat Divinum & cœleste, & ultima erant repræsentativa; Mons Olivarum repræsentabat Cœlum quoad bonum amoris & charitatis; ut quoque constare potest apud Sachariam, "Jehovah exibit, & pugnabit contra gentes; *stabunt pedes Ipsius in die illo super Monte Olivarum, qui ante facies Hierosolymæ*; & diffendetur *Mons Olivarum*, ut pars ejus versus ortum & versus mare valle magna, & recedet pars montis versus septentrionem, & pars ejus versus meridiem," XIV : 3. 4; agitur ibi de Domino, ac Ipsius adventu, per montem olivarum, significatur bonum amoris & charitatis, ita Ecclesia, nam bona illa faciunt Ecclesiam; quod Ecclesia recederet a gente Judaica, & instauraretur apud gentes, significatur per quod mons ille diffinderetur versus ortum, versus mare, & versus septentrionem & meridiem, simile quod per Domini verba apud Lucam, "Vos eritis dejecti foras, contra venient ab ortibus & occasibus, & a septentrione & meridie, accumbentes in Regno Dei," XIII : 28. 29: in sensu universali per quod Jehovah exibit & pugnabit contra gentes, & stabunt pedes Ipsius super monte olivarum qui ante facies Hierosolymæ, intelligitur quod Dominus ex Divino amore pugnaturus esset contra inferna, gentes enim sunt mala quæ ab infernis, n : 1868. 6306; & mons olivarum, super quo pedes, est Divinus amor.

9781. Purum, tusum, quod significet genuinum & perspicuum, constat ex significatione puri, cum de bono quod per oleum significatur, quod sit genuinum, nam bonum quo magis cœleste, ita quo magis genuinum, eo purius; & ex significatione tusi, cum de bono quod per oleum significatur, quod sit perspicuum; bonum dicitur perspicuum, cum fit verum, nam bonum per verum apparet, est enim verum forma boni, & bonum non apparet in luce nisi in forma, quo itaque bonum in meliori forma sistitur, eo magis perspicue apparet, elucet enim inde ipsum bonum, usque ut afficiat alterius & intellectuale & simul voluntarium; nam sicut se habet cum bono & vero, ita se habet cum voluntate & cum intellectu apud hominem, nam voluntas dicata est receptioni boni, & intellectus dicatus est receptioni veri, voluntas nec apparet in luce, nisi per intellectum, est enim intellectus qui format voluntarium, & sistit id perspicuum: quod formatur, hoc dividitur quasi in partes, & inter illas analytice consociatas instituuntur varii respectus seu variæ relationes, ita sistitur bonum in intellectu, & redditur perspicuum; bonum in intellectu perspicuum redditum est verum illius boni: inde nunc est, quod oleum esset tundendum, sicut etiam thus, de quo dicitur, quod erit purum, & *quod tundetur de eo minutim*, & sic suffiretur, Exod : XXX : 34. 35. Simile quod per tusum, etiam per commolitum significatur, ut constare potest ex significatione tritici & similaginis, triticum significat bonum, & simila verum ejus. Sicut tusum & commolitum in genuino sensu significat bonum perspicuum,

ſpicuum, ita tuſum & commolitum in oppoſito ſenſu ſignificat malum perſpicuum; hoc ſignificatur per quod Moſcheh *Vitulum aureum contuderit molendo probe, & attenuatum in pulverem* projecerit in rivum deſcendentem e monte," Deut: IX: 21, de quo videatur n: 9391.

9782. Luminari, quod ſignificet cœlum ſpirituale, conſtat ex ſignificatione luminaris ſeu Candelabri, quod ſit cœlum ſpirituale, de qua n: 9546.

9783. Ad aſcendere faciendum lucernam jugiter, quod ſignificet inde fidem, & per illam a Domino intelligentiam veri & ſapientiam boni, conſtat ex ſignificatione lucernæ, quod ſit fides ac inde intelligentia veri & ſapientia boni, de qua n: 9548: quod lucerna ſit fides, eſt quia Divinum Verum procedens a Domino eſt lux in cœlis; ea lux recepta ab Angelis ibi, aut ab homine, eſt inſtar lucernæ, illuminat enim omnia mentis, & dat intelligentiam & ſapientiam; lux recepta eſt fides. Sed ſciendum, quod fides non ſit lucerna, ſeu illuminet mentem, niſi illa ſit ex charitate, ita niſi illa ſit charitas; ſe habet cum fide & charitate, ſicut cum vero & bono, verum eſt forma boni, ſeu bonum formatum ut appareat in luce, ita fides eſt forma charitatis, ſeu formata charitas; ad fidem etiam pertinet verum, & ad charitatem bonum; quod enim verum eſt, id creditur & fit fidei, & quod bonum eſt hoc amatur & fit charitatis, ipſum verum & bonum quod amatur eſt proximus, & amor ejus eſt charitas.

9784. In tentorio conventus, quod ſignificet præſentiam Domini, conſtat ex eo quod Tentorium ideo factum ſit, ut Dominus ibi conveniret Moſchen & Aharonem, ut & filios Iſraelis, ideo etiam ſanctum cultus ibi inſtituebatur, ut conſtare poteſt ex his ſequentibus in Exodo, "*Holocauſtum jugis facient ad oſtium Tentorii conventus coram Jehovah*, ubi *conveniam vos*, ad loquendum tecum ibi, & *conveniam ibi filios Iſraelis*; & ſanctificabitur per gloriam meam; & ſanctificabo *Tentorium conventus*, & altare, & Aharonem, & filios ejus ſanctificabo, ut ſacerdotio fungantur Mihi, & *habitabo in medio filiorum Iſraelis*," XXIX: 42 ad 45; & quod Dominus ibi convenerit illos, ſeu præſens fuerit ibi, alibi "Cum abſoluta erant omnia, obtexit nubes *Tentorium conventus*, & gloria Jehovæ implevit Habitaculum, nec potuit Moſcheh intrare in Tentorium conventus, eo quod habitaret ſuper eo nubes, & gloria Jehovæ impleret Habitaculum; nubes Jehovæ fuit ſuper Habitaculo interdiu, & ignis fuit noctu in eo, in oculis omnis domus Iſraelis," Exod: XL: 33 ad fin: ex his conſtare poteſt, quod per Tentorium conventus ſignificetur ubi præſentia Domini, cauſa quod ita, erat, quia Tentorium repræſentabat cœlum, & cœlum eſt cœlum ex præſentia Domini ibi, ideo etiam vocabatur Habitaculum Jehovæ.

9785. Ab extra velum quod ſuper Teſtimonium, quod ſignificet ubi communicatio & per medium uniens conjunctio cum Domino in cœlo intimo, conſtat ex ſignificatione veli, quod ſit medium uniens cœlum intimum & medium, de qua n: 9670. 9671; ita ubi communicatio & conjunctio; & ex ſignificatione Teſtimonii, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum.

9786. Ordinabit illud Aharon & filii ejus, quod ſignificet perpetuum influxum a Domino, conſtat ex ſignificatione ordinare, cum de Domini qui repræſentabatur per Aharonem, quod ſit influxus, nam omnis communicatio Divini Boni & Divini Veri a Domino, & omnis conjunctio cum Ipſo fit per Influxum; ſunt angeli & homines formæ recipientes; quod influxus perpetuus ſignificetur, eſt quia agitur de ordinatione lucernæ a veſpera uſque ad mane, per quod ſignificatur jugiter & perpetuo; quod a Domino, eſt quia per Aharonem repræſentabatur Dominus quoad Divinum Bonum, & per filios ejus quoad Divinum Verum, de quibus in ſequentibus.

9787. A veſpera uſque ad mane a coram Jehovah, quod ſignificet jugiter in omni ſtatu, conſtat ex ſignificatione veſperæ, quod ſit finis unius ſtatus de qua n: 8426; & ex ſignificatione mane, quod ſit principium alterius, de qua n: 8427; quod ſit jugiter in omni ſtatu, eſt quia veſpera involvit omnem ſtatum umbræ, qui ſignificatur per ſequentem noctem, & mane involvit omnem ſtatum lucis, qui ſignificatur per ſequentem diem; nam apud Dominum ſequentia & futura ſimul in præſenti ſunt, omne enim quod Dominus apud hominem & angelum ordinat, hoc eſt, providet, eſt æternum, ex his conſtare poteſt, quod per ordinationem lucernæ a veſpera uſque ad mane, ſignificetur perpetuus influxus boni & veri a Domino jugiter in omni ſtatu.

9788. Statutum ſæculi, quod ſignificet Divinum ordinem, conſtat ex ſignificatione ſtatuti, quod ſit Divinus ordo, de qua n: 9884. 7995. 8357; & ex ſignificatione ſæculi, quod ſit æternum; quod Divinum eſt, hoc etiam æternum eſt.

9789. Generationibus illorum a cum filiis Iſraelis, quod ſignificet æternum Regno ſpirituali, conſtat ex ſignificatione generationum, quod ſint æternum, de qua ſequitur; & ex ſignificatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia ſpiritualis, de qua n: 9340, ita quoque Regnum ſpirituale, nam Regnum ſpirituale Domini in cœlis eſt cœlum ſpirituale, in terris eſt Eccleſia ſpiritualis. Quod generationes ſint æternum eſt quia per illas in ſenſu interno intelliguntur generationes fidei & charitatis, n: 613. 2020. 2584. 6239. 9042. 9079, ita quæ Cœli & Eccleſiæ, quæ æterna ſunt; per filios Iſraelis, de quibus generationes prædicantur, etiam ſignificatur Eccleſia, n: 9340. Quod per generationes ſignificetur æternum, patet a ſequentibus locis in Verbo; apud Eſaiam, "Juſtitia mea *in æternum* erit, & ſalus mea *in generationes generationum*, expergiſcere juxta dies antiquitatum, *generationes æternitatum*," LI: 8. 9. Apud Eundem, "Ponam te in magnificentiam *æternitatum*, gaudium *generationis & generationis*," LX: 15. Apud Eundem, "*In æternum* aſcendet fumus ejus, *a generatione in generationem* vaſtata erit, *in perpetuitatem perpetuitatum* non tranſiens per eam," XXXIV: 10. Apud Davidem, "Conſilium Jehovæ *in æternum* ſtabit, cogitationes cordis Ipſius *in generationem & generationem*," Pſalm: XXXVI: 11. Apud Eundem, "Laudabo Nomen tuum *in æternum* & perpetuum; *generatio generationi* laudabit opera tua," Pſalm: CXLV: 3. 4. Apud Eundem, "Timebunt Te cum Sole,

&

& ante Lunam, *a generatione generationum*," Psalm : LXII : 5. Apud Moschen, "Hoc Nomen meum *in æternum*, & hoc memoriale meum *in generationem & generationem*," Exod : III : 15; præter pluries alibi : dicitur in æternum & in generationem & generationem, & æternum prædicatur de Divino Cœlesti seu Bono, ac generatio de Divino Spirituali seu Vero; sunt enim in Verbo imprimis prophetico plerumque binæ expressiones de una eademque re, sicut in locis allatis *in æternum* ac *in generationem & generationem*, & hoc propter conjugium cœleste in omnibus & singulis Verbi; conjugium cœleste est conjugium Boni & Veri, seu Conjunctio Domini & Cœli, videantur loca citata n : 9263.



Continuatio de Prima Tellure visa in Cœlo Astrifero.

9790. *Datum etiam est videre aliquot incolas, qui ex viliore sorte erant, visi sunt in veste, in quali rustici in Europa : visus etiam est vir cum sua fœmina; hæc apparebat pulchra statura & gestu decoro; vir similiter; sed quod miratus sum, ille ambulabat magnificus, gressu quasi fastuoso; sed mulier vicissim gressu humili : dicebatur ab Angelis, quod talis mos in illa tellure sit, & quod viri, qui tales, amentur, quia usque boni sunt. Dictum porro, quod non liceat illis plures uxores habere, quoniam id contra leges.*

9791. *Homo, qui in spiritu est, quando id datur a Domino, spectare potest obvia in tellure, prope quam est; nam in altera vita non est spatium, ita nulla longinquitas illis qui in simili statu sunt, secundum illa quæ prius n :* 9579. 9580. 9581, *dicta sunt : similiter hoc factum est, sicut cum spiritibus quarundam tellurum in mundo nostro solari, quibus a Domino datum est per meos oculos videre plura in nostra tellure, de qua re aliquoties prius.*

9792. *Fœmina, quæ visa, ante pectus habebat latum indumentum, post quod se abscondere potuit; quod ita factum erat, ut inserere brachia posset, ac illo se induere, & sic abire : id quoad inferiorem partem subduci potuit, & subductum & corpori applicatum apparuit instar pectoralis, quale fœminis nostræ telluris : sed idem etiam inserviebat viro pro indumento, visum quod sumeret id a fœmina, & applicaret tergo suo, & solveret inferiorem partem, quæ sic defluebat ad pedes sicut toga, & ita ambulabat vestitus.*

9793. *Postea loquutus sum cum Spiritibus qui ex illa tellure, quibus narrabam plura de nostra tellure, sicut quod Scientiæ hic sint, quæ non alibi, ut Astronomica, Geometrica, Mechanica, Physica, Chymica, Medica, Optica, Philosophica; præter Artes, quæ nec alibi cognitæ, ut naves construendi, metalla fundendi, scribendi super chartis, & eadem vulgandi typis, & sic communicandi cum omnibus in tota tellure, etiam conservandi in posteritatem millium annorum: & quod ita factum sit cum Verbo, quod a Domino; & quod ideo Verbum revelatum constanter manens sit in hac tellure, videatur n:* 9350 *ad* 9360.

9794. *Tandem mihi ostensum est infernum illorum qui ab illa tellure; qui inde visi terrebant quam maxime; monstrosas eorum facies non describere ausim: visæ etiam ibi magæ, quæ diras exercent artes; hæ indutæ apparebant viridi, & incutiebant horrorem.*

9795. ***De Secunda Tellure visa in Cælo Astrifero, ad finem Capitis sequentis.***



EXODI

E X O D I

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9796. CUM notum eſt, quid Homo Internus, & quid Externus, ſciri poteſt unde Intellectus Veri & Voluntas boni.

9797. Quantum Internus homo apertus eſt verſus cœlum, ita ad Dominum, tantum in luce cœli eſt, ita tantum in Intellectu veri; Lux cœli eſt Divinum Verum procedens a Domino; ab illa illuſtrari eſt intelligere verum.

9798. Quantum Internis homo apertus eſt ad Dominum, & Externus illi ſubordinatus, tantum in igne cœli eſt, ita tantum in voluntate boni; ignis cœli eſt Divinus amor procedens a Domino, ab illo accendi eſt velle bonum.

9799. Eſt itaque Intellectus veri videre ex illuſtratione a Domino vera ex Verbo; & Voluntas boni eſt ex affectione velle illa.

9800. Qui in amore & in fide in Dominum ſunt, & in charitate erga proximum, illi in Intellectu veri & in Voluntate boni ſunt; nam apud illos eſt receptio boni & veri, quæ a Domino.

9801. Quantum autem Internus homo clauſus eſt verſus cœlum ad Dominum, tantum in frigore & in caligine eſt quoad illa quæ cœli ſunt; & tunc quantum Externus homo apertus eſt verſus mundum, tantum cogitat falſum & vult malum, ac ita inſanit; lux enim mundi apud illum exſtinguit lucem cœli; & ignis vitæ mundi exſtinguit ignem vitæ cœli.

9802. Qui in amore ſui ſunt, & in perſuaſione intelligentiæ & ſapientiæ a ſemet, illi in tali frigore & caligine ſunt.

9803. Inde patet, quod Intelligens & Sapiens eſſe, non ſit intelligere & ſapere multa quæ mundi ſunt, ſed intelligere & velle illa quæ cœli ſunt: nam dantur, qui intelligunt & ſapiunt multa quæ mundi ſunt, & tamen non credunt nec volunt illa quæ cœli ſunt, ita inſaniunt: hi ſunt, de quibus Dominus dicit, apud Matthæum, "*Per parabolas loquor, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt*, XIII: 13; & apud Johannem, "*Mundus non poteſt*

poteſt accipere Spiritum veritatis, quoniam non videt illum, neque cognoſcit illum," XIV : 17.



CAPUT XXVIII.

1. ET tu appropinquare fac ad te Aharonem fratrem tuum, & filios ejus cum illo, e medio filiorum Iſraelis, ad fungendum eum ſacerdotio Mihi, Aharon, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar, filii Aharonis.

2. Et facies veſtes ſanctitatis Aharoni fratri tuo ad gloriam & ad decus.

3. Et tu loqueris ad omnes ſapientes corde, quos implevi ſpiritu ſapientiæ, & facient veſtes Aharonis, ad ſanctificandum eum, ad ſacerdotio fungendum eum Mihi.

4. Et hæ veſtes quos facient, Pectorale & Ephodum, & Pallium, & Tunicam teſſelatam, Cidarim, & Baltheum; & facient veſtes ſanctitatis Aharoni fratri tuo, & filiis ejus, ad fungendum eum ſacerdotio Mihi.

5. Et illi accipient aurum, & hyacinthinum, & purpurum, & coccineum dibaphum & byſſinum.

6. Et facient Ephodum auro, hyacinthino & purpura, coccineo dibapho & byſſino contexto, opere excogitatoris.

7. Duo humeri conjuncti erit illi ad duas extremitates ejus, & conjungetur.

8. Et cingulum Ephodi ejus, quod ſuper illo, ſecundum opus ejus ex illo erit, auro, hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho & byſſino contexto.

9. Et accipies duos lapides ſchoham, & ſculpes ſuper illis nomina filiorum Iſraelis.

10. Sex de nominibus illorum ſuper lapide uno, & nomina ſex reliqua ſuper lapide altero, ſecundum generationes illorum.

11. Opere opificis lapidis, ſculpturis ſigilli ſculpes duos lapides ſuper nominibus filiorum Iſraelis, circumdatos fundis auri facies illos.

12. Et pones duos lapides ſuper humeris Ephodi, lapides recordationis filiis Iſraelis; & feret Aharon nomina illorum coram JEHOVAH ſuper duobus humeris ejus & recordationem.

13. Et facies fundas auri.

14. Et duas catenulas auri puri, a terminis facies illas, opere funiculi, & dabis catenulas funiculorum super fundis.

15. Et facies Pectorale judicii, opere excogitatoris, ficut opus Ephodi facies illud, auro, hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, & byffino contexto, facies illud.

16. Quadratum erit duplicatum, fpithama longitudo ejus, & fpithama latitudo ejus.

17. Et opplebis illud oppletura lapidis; quatuor ordines lapidis, ordo, Rubinus, Topazius, Carbunculus, ordo unus.

18. Et ordo fecundus, Chryfoprafus, Sapphirus, & Adamus.

19. Et ordo tertius, Cyanus, Achates, & Amethyftus.

20. Et ordo quartus, Tharfchifch, & Schoham, & Jafpis; inclufi auro erunt in oppleturis fuis.

21. Et lapides erunt fuper nominibus filiorum Ifraelis, duodecim fuper nominibus eorum, fculpturæ figilli, cuique fuper nomine ejus, erunt duodecim tribubus.

22. Et facies fuper Pectorali catenulas termini opere funiculi, auro puro.

23. Et facies fuper Pectorali, duos annulos auri, & dabis duos annulos fuper duabus extremitatibus Pectoralis.

24. Et dabis duos funiculos auri fuper duobus annulis ad extremitates Pectoralis.

25, Et duas extremitates duorum funiculorum dabis fuper duabus fundis, & dabis fuper humeros Ephodi e regione facierum ejus.

26. Et facies duos annulos auri, & pones illos fuper duabus extremitatibus Pectoralis fuper ora ejus, quæ citra Ephodum introrfum.

27. Et facies duos annulos auri, & dabis illos fuper duobus humeris Ephodi inferius e regione facierum ejus contra juncturam ejus fupra cingulum Ephodi.

28. Et alligabunt Pectorale ex annulis ejus ad annulos Ephodi in filo hyacinthini, ad effe fuper cingulo Ephodi, nec recedet Pectorale a fuper Ephodo.

29. Et portabit Aharon Nomina filiorum Ifraelis in Pectorali Judicii fuper corde fuo in intrando illo ad Sanctum, ad recordationem coram Jehovah jugiter.

30. Et dabis ad Pectorale Judicii Urim & Thumim, & erunt fuper corde Aharonis in intrando illo coram Jehovah: & portabit Aharon Judicium filiorum Ifraelis fuper corde fuo coram Jehovah jugiter.

31. Et facies pallium Ephodi, totum hyacinthino.

32. Et erit os capitis ejus in medio ejus; labrum erit ori ejus circumcirca, opus textoris, ficut os loricæ erit illi, ne laceretur.

33. Et facies fuper fimbrias ejus malogranata hyacinthini & purpuræ & coccinei dibaphi fuper fimbrias ejus circumcirca; & tintinnabula auri in medio illarum circumcirca.

34. Tintinnabulum auri & malogranatum, tintinnabulum auri & malogranatum, fuper fimbrias pallii circumcirca.

35. Et erit fuper Aharone ad miniftrandum, & audietur vox ejus in intrando illo ad Sanctum coram Jehovah, & in exeundo illo, ne moriatur.

36. Et facies bracteam auri puri, & fculpes fuper illa fculpturis figilli Sanctitas Jehovæ.

37. Et pones illam fuper filo hyacinthini, & erit fuper cidari, e regione facierum cidaris erit.

38. Et erit fuper fronte Aharonis, & portabit Aharon iniquitatem Sanctorum, quæ fanctificabunt filii Ifraelis quod omnia dona fanctorum illorum, & erit fuper fronte ejus jugiter, ad beneplacitum illis coram Jehovah.

39. Et teffelabis tunicam byffi & facies cidarin byffi, & baltheum facies opere acupictoris.

40. Et filiis Aharonis facies tunicas, & facies illis baltheos, & tiaras facies illis ad gloriam & ad decus.

41. Et indues illis Aharonem fratrem tuum, & filios ejus cum eo, & unges eos, & implebis manum eorum, & fanctificabis eos, & Sacerdotio fungentur Mihi.

42. Et fac eis femoralia lini ad tegendum carnem nuditatis, a lumbis & ufque ad femora erunt.

43. Et erunt fuper Aharone, & fuper filiis ejus in intrandis illis ad Tentorium conventus, aut accedendis illis ad Altare ad miniftrandum in Sancto, ne portent iniquitatem & moriantur; ftatutum fæculi ei & femini ejus poft illum.

CONTENTA.

9804. AGitur hic de Veftibus Sanctitatis, quibus induendi Aharon & filii ejus, cum miniftrarent; per Sacerdotium, quo functurus Aharon cum filiis, repræfentabatur Dominus quoad Divinum cœlefte, quod eft Divinum Bonum in cœlo; & per veftes illius,

lius, repræsentabatur Divinum Spirituale, quod est Divinum Verum inde procedens.



SENSUS INTERNUS.

9805. VERS: 1: 2. *Et tu appropinquare fac ad te Aharonem fratrem tuum, & filios ejus cum illo, e medio filiorum Israelis, ad fungendum eum sacerdotio Mihi, Aharon, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar, filii Aharonis. Et facies vestes sanctitatis Aharoni fratri tuo ad gloriam & ad decus.* Et tu appropinquare fac ad te Aharonem fratrem tuum, significat conjunctionem Divini Veri cum Divino Bono, in Divino Humano Domini: & filios ejus, significat Divinum Verum ex Divino Bono procedens: e medio filiorum Israelis, significat in cœlo & in Ecclesia: ad fungendum eum sacerdotio Mihi, significat repræsentativum Domini: Aharon, significat quoad Divinum cœleste: Nadab & Abihu, significat quoad Divinum Spirituale inde: Eleazar & Ithamar, significat quoad Divinum Naturale: filii Aharonis, significat quæ ex Divino cœlesti procedunt: & facies vestes sanctitatis Aharoni fratri tuo, significat repræsentativum Regni spiritualis adjuncti Regno cœlesti: ad gloriam, & ad decus, significat ad sistendum Divinum Verum quale in Regno spirituali adjuncto Regno cœlesti in forma interna & externa.

9806. Et tu appropinquare fac ad te Aharonem fratrem tuum, quod significet conjunctionem Divini Veri cum Divino Bono in Divino Humano Domini, constat a repræsentatione Moschis, qui hic appropinquare faceret ad se Aharonem, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 6752. 6771. 7014. 9372; ex significatione appropinquare, quod sit conjunctio & præsentia, de qua n: 9378; ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua sequitur; & ex significatione fratris, quod sit bonum, de qua n: 3303. 3803. 3815. 4121. 4191. 5686. 5692. 6756; ex his patet, quod per quod Moscheh appropinquare faceret ad se Aharonem fratrem suum, significetur conjunctio Divini Veri cum Divino Bono in Domino; quod in Divino Humano Ipsius, est quia Ipsum Id erat, in quo conjunctio illa facta est; Dominus enim Humanum suum primum fecerat Divinum Verum, postea Divinum Bonum, videantur citata n: 9199. 9315. Quod Aharon electus fuerit, ut fungeretur Sacerdotio, fuit causa, quia erat frater Moschis, sic enim simul repræsentabatur fraternitas Divini Veri ac Divini Boni in cœlo, nam prout supra dictum est, per Moschen repræsentabatur Divinum Verum, & per Aharonem Divinum Bonum. Omnia in universo, tam Cœlo quam Mundo, se referunt ad bonum & ad verum ut sint aliquid, bonum enim est Esse veri, & verum est Existere boni; quapropter bonum absque vero non Existit, & verum absque bono non Est; inde patet, quod conjuncta erunt: conjunctio illorum repræsentatur in Verbo per binas con-

juges, & quoque per binos fratres; per binas Conjuges, quando agitur de Conjugio cœlesti, quod est boni & veri, ac de successiva derivatione inde; per binos fratres, quando agitur de bino ministerio, quod est Judicii & Cultus; qui fungebantur Ministerio Judicii, vocabantur judices, postea reges; qui autem fungebantur ministerio cultus, vocabantur sacerdotes; & quia omne judicium fit per verum, & omnis cultus ex bono, ideo per judices in Verbo significatur in sensu abstracto a persona verum ex bono, per reges autem Verum ex quo bonum, ac per sacerdotes significatur ipsum bonum; inde est quod Dominus in Verbo dicatur Judex, tum Propheta, ut & Rex, ubi agitur de Vero, at Sacerdos ubi de bono; pariter Christus, Unctus, seu Messias cum de Vero, at Jesus seu Salvator cum de bono. Ob illam fraternitatem, quæ est Veri quod Judicii, ac boni quod Cultus, Aharon frater Moschis, electus est ut sacerdotio fungeretur: quod per Aharonem & ejus domum ideo significetur bonum, constat apud Davidem, "*Israel* confide in Jehovah, Hic est auxilium eorum & scutum eorum; *domus Aharonis* confidite in Jehovah, Hic auxilium eorum & scutum eorum. Jehovah recordatus est nostri, benedicet *domui Israelis*, benedicet *domui Aharonis*," Psalm: CXV: 9. 10. 12. Apud Eundem, "Dicat nunc *Israel*, quod in æternum Misericordia Ipsius; dicant nunc *domus Aharonis*, quod in æternum Misericordia Ipsius," Psalm: CXVIII: 3: apud Eundem, "*Domus Israelis* benedicite Jehovæ; *domus Aharonis* benedicite Jehovæ," Psalm: CXXXII: 2; domus Israelis pro illis qui in Veris sunt; domus Aharonis pro illis qui in bonis; nam in Verbo ubi agitur de Vero etiam agitur de bono, ob conjugium cœleste, n: 9263. 9314; quod domus Israelis sint qui in veris, videatur n: 5414. 5879 5951. 7956. 8234. Apud Eundem, "Jehovah misit *Moschem* servum suum, *Aharonem* quem elegit," Psalm: CV: 26, Moscheh dicitur servus, quia servus prædicatur ex Veris, n: 3409, & electus ex bono n: 3755 fin: Apud Eundem, "Ecce quam bonum & jucundum *habitare fratres una*, sicut oleum bonum super capite descendens in barbam, barbam *Aharonis*, quod descendit super os vestium illius," Psalm: CXXXIII: 3, qui non scit quid significat frater, tum quid oleum, quid caput, quid barba, quid vestes, ut & quid repræsentat Aharon, non capere potest, cur talia comparata sunt cum cohabitatione fratrum, nam quid oleum descendens a capite in barbam Aharonis, & inde in ejus vestes, simile habet cum concordia fratrum; sed similitudo comparationis patet ex sensu interno, in quo agitur de influxu boni in vera, ac ita describitur illorum fraternitas; oleum enim est bonum, caput Aharonis est intimum boni, barba est maxime externum ejus, vestes sunt vera, descendere est influxus, inde liquet, quod per illa verba significetur influxus boni ab interioribus ad exteriora in vera, & ibi conjunctio; quis absque sensu interno videre potest, quod illis verbis ea cœlestia insint; Oleum quod sit bonum amoris videatur n: 886. 4582. 4638. 9780; Caput quod sit intimum, n: 5328. 6436. 7859. 9656; barba quod sit maxime externum, patet apud Esaiam Cap: VII: 20. Cap: XV: 2: apud Jeremiam Cap: XLVIII: 37: & apud Ezechielem Cap: V: 1; Vestes quod sint vera n: 2576. 4545. 4763.

5319. 5954. 6914. 6917. 9093. 9212. 9216; quod Aharon sit cœleste bonum, videatur supra. Ex eo quod Aharon electus sit ad fungendum sacerdotio, ita ad ministrandum sanctissima, comprehendi potest, quomodo cum Repræsentationibus in Ecclesia Judaica se habuerat, quod nempe non spectaverint personam, quæ repræsentabat, sed rem quæ repræsentabatur; ita quod rem sanctam, imo sanctissimam, repræsentare potuerint personæ, quarum interiora immunda, imo idololatria fuerunt, modo externa, cum erant in cultu, disposita ad sanctitatem fuerunt, qualis Aharon fuerat, constare potest ex his apud Moschen, "*Aharon sumsit* e manu filiorum Israelis aurum, & formavit illud cœlo, fecitque illud vitulum fusilis: & *exstruxit Aharon* Altare coram eo, & *proclamavit Aharon*, & dixit, festum Jehovæ cras," Exod: XXXII: 4. 5. 25: & alibi apud Eundem, "*Contra Aharonem* ira motus est Jehovah valde, ad perdendum eum; oravi vero etiam pro Aharone in tempore illo," Deut: IX: 20: quod Repræsentativa Ecclesiæ apud gentem Israeliticam & Judaicam non spectaverint personas, sed ipsas res, videantur citata n: 9229.

9807. Et filios ejus, quod significet Divinum Verum ex Divino Bono procedens, constat ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704, hic Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, quia erant filii Aharonis, & per Aharonem, ut summum Sacerdotem, repræsentabatur Dominus quoad Divinum Bonum, quemadmodum mox supra ostensum est. Quod filii sint vera est quia omnia in Verbi sensu interno spiritualia sunt; & filii in sensu spirituali sunt qui nascuntur e novo a Domino, ita qui in veris ex bono sunt; consequenter abstracte a personis, ipsa vera quæ ex bono: hæc itaque sunt quæ per filios Dei, filios regis, & filios regni, in Verbo intelliguntur; sunt etiam filii novæ nativitatis seu regenerationis: Vera etiam & bona apud hominem regeneratum seu e novo a Domino natum, se prorsus habent sicut familiæ in ampla & longa serie ab uno patre; sunt quæ ibi referunt filios & filias, quæ nepotes & neptes, quæ generos & nurus, & sic affinitates plurium graduum, ac ita generum: vera & bona ita disposita, sunt quæ in spirituali sensu sunt filii, filiæ, nepotes, neptes, generi, nurus, verbo affines varii gradus & inde varii generis: quod generationes spirituales in tali ordine sint, ostensum est per vivam experientiam, & simul dictum, quod ideo vera & bona apud hominem regeneratum in tali ordine sint, quia Societates Angelicæ in cœlo in tali sunt, ac vera & bona apud hominem societatibus illis correspondent; quapropter etiam homo, cujus vera & bona in tali correspondentia sunt, est cœlum in minima forma. Qui scit, quod per filios significentur vera & per filias bona, plura arcana in Verbo imprimis prophetico, videre potest, quæ alioquin laterent abscondita; sicut etiam quid in specie intelligitur per *Filium Hominis*, quem se Dominus sæpe in Verbo vocat; quod intelligatur Divinum Verum procedens a Divino Humano Ipsius, constat a locis ubi nominatur; quæ adducere licet, ut simul confirmetur, quod Filius sit Verum, ut apud Johannem, "Turba dixit ad Jesum, quomodo Tu dicis, oportet exaltari

Filium

Filium hominis; quis est hic Filius hominis: respondit illis Jesus, adhuc breve tempus *Lux vobiscum est*, ambulate quousque *Lucem* habetis, ne tenebræ vos apprehendant, quousque *lucem* habetis, *credite in Lucem, ut filii lucis sitis*," XII : 34. 35. 36; ex his patet, quod per Filium hominis simile quod per Lucem significetur, nam cum quærebant quis hic Filius hominis, respondit Dominus, quod Ipse esset Lux in quam crederent, quod Lux sit Divinum Verum, videatur citata, n: 9548. 9684; ita quoque Filius homiuis. Apud Lucam, "Beati quando odio habebunt vos homines *propter Filium hominis*," VI : 22, propter Filium hominis est propter Divinum Verum, quod procedit a Domino; Divinum Verum est omne fidei & amoris in Dominum, propter illa odio haberi, est beatitudo. Apud Eundem, "Venient dies, cum desiderabitis *unum dierum Filii hominis* videre, sed non videbitis; tunc dicet vobis, ecce hic aut ecce illic, ne abite nec investigate," XVII : 22; desiderare unum dierum Filii hominis videre est unum statuum veri Divini, quod genuinum; agitur ibi de fine Ecclesiæ, quando nulla amplius fides quia nulla charitas, quo tempore periturum omne genuinum verum Divinum; & quia Verum Divinum significatur per Filium hominis, ideo dicitur, tunc dicent, ecce hic aut ecce illic, ne investigate, quod de Vero Divino a Domino, non autem de Ipso Domino dici potest. Apud Eundem, "*Filius hominis veniens* num inveniet fidem super terra," XVIII : 8, hoc est, cum Verum Divinum e cœlo revelabitur, quod non credetur; Filius hominis etiam hic est Dominus quoad Verum Divinum, seu Verum Divinum procedens a Domino; adventus Domini est revelatio Veri Divini in fine Ecclesiæ. Apud Matthæum, "Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem, *ita erit adventus Filii hominis:* tunc apparebit signum; & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt *Filium hominis* venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria," XXIV : 27. 30; adventus Filii hominis pro revelatione Veri Divini in consummatione sæculi, hoc est, in fine Ecclesiæ; omnes tribus terræ quæ tunc plangent, sunt omnia vera & bona fidei & amoris a Domino & sic in Dominum in complexu; nubes cœli, in qua venturus, est sensus literalis Verbi; virtus & gloria est sensus internus, in quo sensu intime agitur de Solo Domino; porro videantur illa explicata n: 4060. Similiter alibi apud Eundem, "Dico vobis, ex nunc videbitis *Filium hominis* sedentem ex dextris potentiæ, & venientem super nubibus cœli," XXVI : 64: & apud Lucam, "Ex hoc nunc erit *Filius hominis* sedens a dextris virtutis Dei," XVIII : 8; Filius hominis pro Divino Vero procedente a Domino; sedere a dextris potentiæ pro quod Ipsi omnipotentia, nam Divino Bono est omnipotentia per Divinum Verum; quod dicatur quod ex nunc id visuri essent, significat quod Divinum Verum in sua omnipotentia esset, cum Dominus in mundo vicerat inferna, ac omnia ibi & in cœlis in ordinem redegerat; & quod sic salvari possent qui Ipsum fide & amore reciperent, videatur n: 9715: quod sedere a dextris, sit omnipotentia, videatur n: 3387. 4592, 4933, fin: 7518, 8281. 9133; quod omnis potentia boni sit per verum, n: 6344. 6413. 8304. 9327. 9410. 9639. 9643; quod ipsa potentia Divina sit Divinum Verum, n: 6948; nubes

nubes in quibus venturus Filius hominis, hoc est, Divinum Verum, quod sint Verbum in litera, Præfat: ad Cap: XVIII Genes: n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8443. 8781; & quod gloria sit ipsum Divinum Verum, quale in sensu Verbi interno, Præfat: ad Cap: XVIII Genes: 4809. 5922. 8627. 9429. Ex his nunc constare potest, quid significatur per hæc in Apocalypsi, "Vidi cum ecce nubes alba, & super nube *sedens similis Filio hominis*, habens super capite suo coronam auream," XIV: 14: & apud Danielem, "Videns fui in visionibus noctis, & ecce cum nubibus cœlorum sicut *Filius Hominis* venit, VII: 13. Apud Johannem, "Pater dedit Ipsi etiam judicium faciendi, *quia Filius hominis est*," V: 27, quoniam omne judicium fit ex vero, ideo dicitur, quod datum Domino judicium facere quia Filius hominis est; Filius hominis est, ut dictum, Divinum Verum, Pater a Quo id procedit, est Divinum Bonum, n: 2803. 3704. 7499. 8328. 8897; quia Divino Vero est judicium facere, ideo dicitur, "Quod cum venturus *Filius hominis* sedebit super throno gloriæ suæ," Matth: XIX: 28. Cap: XXV: 31; &, quod *Filius hominis* reddet unicuique secundum facta sua," XVI: 27. Apud Matthæum, "Qui seminat bonum semen est *Filius hominis*, ager est mundus, *semen sunt filii regni*, Zizania sunt *filii mali*," XIII: 37. 38: bonum semen est verum Divinum, ideo dicitur quod Filius hominis id seminet; filii regni sunt vera Divina in Cœlo & in Ecclesia; filius enim est Verum, n: 489. 491. 533. 1147. 2623, ac in opposito sensu falsum, quod etiam est filius mali; regnum est Cœlum, ut & Ecclesia. Apud Johannem, "Nemo ascendit in cœlum, nisi qui e cœlo descendit, *Filius hominis qui in cœlis est*," III: 13; quod Filius hominis sit Divinum Verum in cœlis, inde patet; nam hoc descendit & sic ascendit, nemo enim ascendere potest in cœlum, nisi Divinum Verum in illum descenderit e cœlo, nam influxus est Divinus, non autem vicissim; quia Dominus id Verum est, ideo se vocat Filium hominis qui in cœlis. Apud Matthæum, "Filius hominis non habet ubi Caput inclinet," VIII: 20; Filius hominis pro Divino Vero, non habere ubi caput inclinet, pro quod non locum ullibi, seu apud ullum hominem eo tempore. *Quod Filius hominis passurus sit*, & occideretur, Matth: XVII: 12. 22. Cap: XVIII: 18. Cap: XXVI: 2. 24. 45. Marc: VIII: 31. Cap: IX: 12. 31, & alibi, involvit quod ita cum Divino Vero actum sit, proinde cum Domino, Qui ipsum Divinum Verum erat, quod etiam Ipse dicit apud Johannem, "Ego sum Via, & *Veritas*, & Vita," XIV: 6. Apud Jeremiam, "Non habitabit ibi Vir, nec commorabitur in ea *Filius hominis*," XLIX: 18: 33: & apud Eundem, "In urbibus non habitabit vir ullus, neque transibit per eas *Filius hominis*," LI: 43; qui non scit Verbi sensum spiritualem, credet quod per urbes hic intelligantur urbes, & per virum perque filium hominis, vir & filius; & quod urbes sic desolarentur, ut nullus ibi; sed est status Ecclesiæ quoad doctrinam veri, qui per illa describitur; urbes enim sunt doctrinalia Ecclesiæ, videatur n: 402. 2450. 3216. 4492. 4493; vir est ipsum ejus verum conjunctum bono, n: 3134. 7716. 9007; ita filius hominis est Verum. Quia per filium hominis significabatur Divinum Verum procedens a Domino,

Domino, ideo quoque Prophetæ, per quos id revelabatur, vocabantur *Filii hominis*, prout Daniel, Cap: VIII: 17 ibi: & Ezechiel, Cap: ii: 1. 3. 6. 8. Cap: III: 1. 3. 4. 10. 17. 25. Cap: IV: 1: 16. Cap: VIII: 5. 6. 8. 12. 15. Cap: XII: 2. 3. 9. 18. 22. 27, & pluries alibi. Sicut pleraque in Verbo sensum etiam oppositum habent, ita quoque significatio *filii hominis*, qui in eo sensu est falsum oppositum vero; ut apud Esaiam, "Quid tu quod times ab homine, moritur, & *a filio hominis*, gramen datur," LI: 12, gramen datum filio hominis, est scientificum per quod falsum. Apud Davidem, ne confidite in principibus, *in filio hominis*, cui non salus," Psalm: CXLVI: 3; principes sunt primaria vera, n: 2089. 5044, ita in opposito sensu primaria falsa; & filius hominis est ipsum falsum.

9808. E medio filiorum Israelis, quod significet in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione Israelis, quod sint qui ab Ecclesia, ita abstracte ipsa Ecclesia, de qua n: 4286. 6406. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 8805. 9340, & quia Israel est Ecclesia, etiam est Cœlum, nam Cœlum & Ecclesia unum faciunt, & est quoque Ecclesia cœlum Domini in terris; apud unumquemque etiam hominem Ecclesiæ est Cœlum intus in eo, cum in vero & simul in bono est ex Domino.

9809. Ad fungendum eum sacerdotio Mihi, quod significet repræsentativum Domini, constat ex repræsentatione sacerdotii, quod in supremo sensu sit omne officium, quod Dominus obit ut Salvator; & quicquid ut Salvator obit, est ex Divino Amore, ita ex Divino Bono, nam omne Bonum est amoris; inde quoque per Sacerdotium in supremo sensu significatur Divinum Bonum Divini Amoris Domini. Est Divinum Bonum, & est Divinum Verum; Divinum Bonum est in Domino, ita est Esse Ipsius, quod in Verbo vocatur Jehovah; Divinum autem Verum est ex Domino, ita est Existere ex illo Esse, hoc in Verbo intelligitur per Deum; & quia id quod Existit ex Ipso, etiam est Ipse, ideo quoque Dominus est Divinum Verum, quod est Ipsius Divinum in cœlis; cœli enim existunt ex Ipso, sunt enim Angeli ibi receptiones Ipsius Divini, Angeli cœlestes receptiones Divini boni quod ab Ipso, Angeli autem spirituales receptiones Divini Veri quod inde: ex his constare potest, quid Domini repræsentatum est per sacerdotium, & quid Domini repræsentatum est per regium; nempe per Sacerdotium Divinum Bonum Divini Amoris Ipsius, & per Regium Divinum Verum inde. Quod per Sacerdotium repræsentatum sit Divinum Bonum Divini Amoris Domini, ita omne officium, quod Dominus obit ut Salvator, constat ex sequentibus in Verbo; apud Davidem, "Dictum Jehovæ ad Dominum meum, sede ad dextram meam, donec posuero hostes tuos scabellum pedibus tuis; sceptrum roboris mittet Jehovah e Zione; dominare in medio hostium tuorum: populus tuus promptitudinum, in die fortitudinis tuæ; in honoribus sanctitatis: ex utero ab aurora tibi ros nativitatis tuæ: juravit Jehovah, & non pœnitebit Ipsum, *Tu Sacerdos in æternum*, juxta verbum meum *Malkizedech*: Dominus ad dextram tuam, percussit in die iræ suæ reges; judicavit inter gentes; implevit cadaveribus; percussit caput super terram multam: e flumine

flumine in via bibet, propterea exaltabit caput," Psalm: cx: 1 ad 7; ex his patet, quid Dominus ut Sacerdos, consequenter quid sacerdotium in Domino repræsentaverat, quod nempe omne opus salvationis humani generis; agitur enim ibi de pugnis Domini cum infernis, quando in mundo fuit, per quas sibi acquisivit Divinam omnipotentiam super inferna, per quam salvavit genus humanum, & quoque hodie salvat omnes, qui Ipsum recipiunt; ipsa hæc salvatio, quia ex Divino Bono Divini Amoris, est ex qua de Domino dicitur, Tu *Sacerdos in æternum*, juxta *verbum meum Malkizedech*; Malkizedech est Rex justitiæ, ita dictus Dominus ex eo quod Justitia factus, & sic Salus, secundum illa, quæ n: 9715, ostensa sunt. Sed quia singula ibi arcana de pugnis Domini, cum in mundo fuit, continent, quæ relevari absque sensu interno nequeunt, ideo licet breviter illa explicare: *Dictum Jehovæ ad Dominum meum*, significat quod de Domino, cum in mundo, quod per Dominum ibi Dominus quoad Divinum Humanum intelligatur, constat apud Matth: Cap: xxii: 41. 42. 43. Marc: xii: 36: Luc: xx: 42. 43. 44, *sede ad dextram meam*, significat omnipotentiam Divini Boni per Divinum Verum, quod Dominus tunc fuit, & ex quo pugnavit & vicit; quod sedere a dextris sit status potentiæ, & cum de Divino quod sit omnipotentia, videatur n: 3387. 4592. 4933. 7518. 7673. 8281. 9133; & quod omnis potentia boni sit per verum, n: 6344. 6413. 8304. 9327. 9410. 9639. 9643: *donec posuero hostes tuos scabellum pedibus tuis*, significat usque dum mala, quæ in infernis & ab infernis subjugata, & Divinæ Ipsius potentiæ subjecta fuerint: *sceptrum roboris mittet Jehovah e Zione*, significat potentiam tunc ex bono cœlesti, quod Zion sit id bonum, videatur n: 2362. 9055: *dominare in medio hostium tuorum*, significat cui bono dominium est super mala, mala sunt hostes, quia sunt contra Divinum, in specie contra Dominum: *populus tuus promptitudinum in die fortitudinis tuæ*, significat Divina Vera tunc pugnantia: in *honoribus sanctitatis*, significat quæ ex Divino Bono: *ex utero ab Aurora tibi ros nativitatis tuæ*, significat conceptionem ab Ipso Divino Bono, ex quo Ipsi Divinum Verum: *juravit Jehovah, & non pænitebit*, significat firmum & certum: *Tu Sacerdos in æternum*, significat Divinum Bonum Divini Amoris in Ipso: *juxta verbum meum Malkizedech*, significat Divinum Humanum Ipsius simile, Malkizedech est Rex justitiæ, ita per pugnas & victorias Jehovah Justitia factus, n: 9715: *Dominus ad dextram tuam*, significat Divinum Verum tunc ab Ipso, per quod omnipotentia, ut supra: *percussit in die iræ suæ reges*, significat destructionem falsorum tunc; dies iræ erat cum pugnavit contra mala & ea destruxit; reges sunt vera & in opposito sensu falsa, n: 2015. 2069. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148: *judicavit inter gentes*, significat dissipationem malorum; gentes enim sunt bona, & in opposito sensu mala, n: 1259. 1260. 1849. 6005: *complevit cadaveribus* significat ita mortem spiritualem, quæ est deprivatio totalis veri & boni: *percussit caput super terram multam*, significat dejectionem infernalis amoris sui in inferna, & ejus damnationem: *e flumine in via bibet, propterea exaltabit caput*, significat conatum emergendi per ratiocinia de veris: hic sensus illorum

verborum est, qui in cœlo percipitur, cum ille Psalmus ab homine legitur. Quia Sacerdotium erat repræsentativum Domini quoad omne opus salvationis ex Divino Amore, ideo etiam omnis cultus Divinus erat Officii Sacerdotis, qui cultus tunc præcipue constabat in offerendis holocaustis, sacrificiis, & minchis, inque disponendis panibus super mensa facierum, in accendendis lucernis quotidie, inque suffiendo, proinde in expiando populo, & in remittendis peccatis; præterea etiam in explicanda Lege Divina, inque docendo, cum simul essent prophetæ: quod hæc omnia Aharon cum filiis obiverit, constat ex institutione sacerdotii apud Moschen: quod illa omnia fuerint repræsentativa operum salvationis Domini, patet: ideo quoque ex sacrificiis & minchis dabantur Aharoni, quæ erant Jehovæ, hoc est, Domini; similiter primitiæ varii generis, tum decimæ, videatur Exod: XXIX: 1 ad 36. Levit: VII: 35. 36. Cap: XXIII: 15 ad 22. Cap: XXVII: 21. Num: V: 6 ad 11. Cap: XVIII: 8 ad 20. & 25 ad fin: Deut: XVIII: 1 ad 4: etiam primogenita; at loco omnium primogenitorum ex hominibus Levitæ, qui quod dono dati Aharoni, videatur Num: I: 47. Cap: III: 9, ex causa quia erant Jehovæ, Num: III: 12. 13. 40 ad 45. Quoniam Dominus quoad omne opus salvationis repræsentabatur per summum Sacerdotem, ac ipsum opus salvationis per officium ejus, quod Sacerdotium vocatur, ideo Aharoni & filiis ejus non data erat hæreditas & portio cum populo, dicitur enim quod Jehovah Deus eis hæreditas & portio, Num: XVIII: 21; nec Levitis, quia Aharonis, Num: XXVI: 58 ad 63. Deut: X: 9. Cap: XVIII: 1. 2; populus enim repræsentabat Cœlum & Ecclesiam, Aharon autem cum filiis & cum Levitis bonum amoris & fidei, quod facit Cœlum & Ecclesiam, ita Dominum a quo illud; ideo populo cessit terra in hæreditatem, non autem Sacerdotibus, est enim Dominus in illis, non autem inter illos ut unus & distinctus. Simile involvunt hæc apud Esaiam, "*Vos sacerdotes Jehovæ* vocabimini, ministri Dei nostri: dicetur vobis, opes gentium comedetis, & in gloria earum gloriabimini," LXI: 6, opes gentium comedere, pro appropriare sibi bona; in gloria earum gloriari, pro frui veris, ita gaudio & felicitate ex utrisque quod gentes sint bona, videatur n: 1259. 1260. 4574. 6005; & quod gloria sit verum a Divino n: 9429. In Verbo in una serie passim memorantur Reges & Sacerdotes, tum Reges, Principes, Sacerdotes & Prophetæ; at ibi in sensu interno per *Reges* significantur Vera in complexu, per *Principes* primaria vera, per sacerdotes bona in complexu, & per Prophetas Doctrinæ; ut in Apocalypsi, "Jesus Christus fecit nos *Reges* & *Sacerdotes*," I: 6. Cap: V: 10. Apud Jeremiam, "Pudefacti sunt domus Israelis, ipsi, *Reges* eorum, *Principes* eorum, & *Sacerdotes* eorum, & *Prophetæ* eorum," II: 26. Apud Eundem, "In die illo peribit *cor Regis*, & *cor Principum*, & obstupescent *Sacerdotes* ac *Prophetæ* admirabuntur," IV: 9. Apud Eundem, "In tempore illo extrahent ossa *Regum* Jehudæ, & ossa *Principum* ejus, & ossa *Sacerdotum*, & ossa *Prophetarum*," VIII: 1; quod per Reges in sensu abstracto a personis significentur vera in complexu, videatur n: 1672. 2015. 2069. 4581. 4966. 5041. 6148; quod per Principes primaria vera, n: 1482. 2089. 5044; quod

sacerdotes sint bona, n: 1728. 2015 fin: 3670. 6148; & quod Prophetæ sint doctrinæ ex illis & de illis n: 2534. 7269: Regium Domini etiam significetur per Nomen Ipsius Christus, Unctus, Messias, & Sacerdotale Ipsius per Nomen Jesus, nam Jesus significat Salvatorem seu Salutem, de qua ita apud Matthæum, "Angelus in somno apparens Josepho, dixit, vocabis *Nomen Ipsius Jesus*, quia *Ille salvabit* populum suum a peccatis suis." 1: 21; hoc quia erat Sacerdotii, ideo simile repræsentatum est per Summi Sacerdotis munus expiandi populum a peccatis, Levit: IV: 26. 31. 35. Cap: V: 6. 10. 13. 16. 18. 26. Cap: IX: 7. Cap: XV: 15. 30. Quoniam bono nequaquam adjungi potest malum, aversantur enim se mutuo, ideo varii generis purificationes mandatæ fuerunt pro Aharone & filiis ejus, cum sacerdotio fungerentur, sive ad Altare, sive in Tentorio conventus: sicut etiam quod summus Sacerdos non nisi quam virginem duceret in uxorem, non viduam, non repudiatam, non meretricem," Levit: XXI: 13. 14. 15: quod immundi ex filiis Aharonis si comederent ex sanctificatis, exscinderentur," Levit: XXII: 2 ad 9: quod non aliquis ex semine Aharonis, in quo vitium, offerret panem," Levit: XXI: 17 ad 21: quod summus Sacerdos non raderet caput, non dissueret vestes, non pollueret se ullo mortuo, ne quidem patre ac matre; nec e Sanctuario exiret," Levit: XXI: 10. 11. 12; hæ & plures leges, ut dictum est, latæ sunt ob causam, quia summus Sacerdos repræsentabat Dominum quoad Divinum Bonum, & Bonum tale est, ut non ei adjungi possit malum, nam bonum fugit malum, & malum horret bonum, sicut infernum cœlum, quapropter illorum nulla datur conjunctio: quod autem attinet Verum, id tale est, ut ei adjungi possit falsum, at non falsum in quo malum, sed in quo bonum, quale est apud infantes & pueros ac puellas dum adhuc in innocentia, apud gentes probas quæ in ignorantia; & quale apud omnes, qui in Verbi sensu literæ, inque doctrina inde manent, & usque pro fine habent bonum vitæ, hoc enim bonum, ut finis, omne malevolum falsi abigit, ac per applicationem id format in quandam similitudinem veri.

9810. Aharon, quod significet quoad Divinum cœleste, nempe repræsentativum Domini, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua supra n: 9806; Divinum cœleste & Divinum Domini in cœlo intimo, angeli enim ibi vocantur angeli cœlestes & sunt receptiones Divini Veri in parte sua voluntaria; Divinum Verum procedens a Domino receptum in illa parte vocatur bonum cœleste; at receptum in parte intellectuali vocatur bonum spirituale: quale unum bonum & alterum, seu bonum cœleste & bonum spirituale, & quæ differentia, videatur in locis citatis, n: 9277. 9543.

9811. Nadab & Abihu, quod significet quoad Divinum Spirituale inde, constat ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sint Divinum Verum ex Divino Bono procedens, de qua supra n: 9807; Divinum spirituale est Divinum Verum procedens ex Divino cœlesti, ita Divinum Domini receptum in cœlo medio seu secundo; hoc repræsentatur per binos filios Aharonis primogenitos, quoniam hoc procedit, & sic quasi nascitur ex Bono cœlesti, quod in cœlo intimo sicut filius a patre. At per binos filios Aharonis minorennes,

 qui

qui sunt Eleasar & Ithamar, quamdiu vixerunt primogeniti Nadab & Abihu, repræsentatur Divinum in cœlo ultimo, quod priori seu medio proxime succedit, quod est Divinum Naturale, de quo in nunc sequenti articulo.

9812. Eleazar & Ithamar, quod significet quoad Divinum Naturale, constat ex eo, quod filii minorennes Aharonis essent, & per Aharonem repræsentatur Dominus quoad Divinum cœleste, ideo per filios ejus repræsentatur Dominus quoad Divinum, quod ordine succedit, ita per majorennes Dominus quoad Divinum spirituale, & per minorennes quoad Divinum Naturale; eo enim ordine succedunt Divina bona in cœlis, imo succedunt ipsi cœli, qui in illis bonis sunt; existit etiam unum bonum per alterum, & quoque subsistit. Divinum bonum cœleste, quod facit cœlum tertium seu intimum est bonum amoris in Dominum; Divinum bonum spirituale, quod facit cœlum medium seu secundum, est bonum charitatis erga proximum; & Divinum bonum naturale, quod facit cœlum primum seu ultimum, est bonum fidei & obedientiæ; ad Divinum bonum naturale pertinet etiam bonum civile, quod vocatur justum inter cives, & quoque bonum morale, quod est omnium virtutum quæ sunt honesti; illa tria bona ordine consequuntur, sicut finis, causa, & effectus; & sicut finis est anima causæ, & causa est omne efficiens in effectu, ita bonum cœleste est anima boni spiritualis, & bonum spirituale est omne in bono naturali: quod est anima, & quod est omne in alio, id ei inest sicut conatus motui, seu sicut voluntas actioni, quod voluntas sit anima & omne in actione, patet, nam cessante voluntate cessat actio: ex his constare potest, quomodo se habet cum cœlesti, spirituali, & naturali quod nempe in bono naturali intime erit bonum cœleste, hoc est, bonum amoris in Dominum, quod etiam est bonum innocentiæ.

9813. Filii Aharonis, quod significet quæ ex Divino cœlesti procedunt, constat ex significatione filiorum, quod sint quæ nascuntur ab alio ut patre, ita quæ procedunt; & ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum cœleste, de qua mox supra n: 9810; inde patet, quod per filios Aharonis significentur quæ procedunt a Divino cœlesti.

9814. Et facies vestes sanctitatis Aharon fratri tuo, quod significet repræsentativum Regni spiritualis adjuncti Regno cœlesti, constat ex significatione vestium, quod in genere sint vera, & quidem vera investientia bonum, de qua n: 5954. 9212. 9216. Quod Vestes sint vera, ducit causam e cœlo, ubi Angeli apparent vestibus induti secundum vera ex bono, n: 165. 5248. 5954. 9212; unde constare potest, quod per Vestes Aharonis repræsentatum sit Regnum spirituale Domini adjunctum Regno cœlesti Ipsius; Aharon enim repræsentabat Dominum quoad Divinum cœleste, n: 9810; inde vestes ipsi adjunctæ repræsentabant Divinum spirituale adjunctum Regno cœlesti sicut vestis corpori; Divinum Spirituale est Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini; id in cœlo apparet ut Lux, & quoque est Lux quæ illuminat Angelorum visum tam externum quam internum; modificatio hujus lucis secundum subjecta quæ recipiunt, quæ sunt angeli, videnda sistit varia phænomena, sicut nubes, irides, colores & splendores varii generis, & quoque vestes nitentes circum angelos: inde constare potest, quod Regnum spirituale

Domini

Domini repræsentatum sit per vestes sanctitatis Aharonis. Sunt enim duo Regna, in quæ cœli divisi sunt, Regnum cœleste & Regnum spirituale, de quibus videatur n: 9277; qui in Regno cœlesti sunt, illi apparent nudi, qui autem in Regno spirituali, apparent amicti; inde iterum constat, quod Divinum Verum, seu Divinum spirituale, quod ut Lux apparet, sit quod investit. Sed quis usquam credere potest, quod intra Ecclesiam, ubi tamen Verbum est, & inde illustratio de Divinis & cœlestibus, tanta ignorantia regnet, ut non sciatur quod angeli & spiritus sint in forma humana, ac appareant sibi ut homines, & quoque quod se invicem videant, audiant, interque se colloquantur; utque adhuc minus sciatur, quod appareant vestibus induti: quod ita sit, non modo cadit in dubitationem, sed etiam prorsus in negationem apud illos, qui tantum in externis sunt, ut credant modo corpus vivere, & id nihil esse quod non corporeis oculis vident, & corporeis manibus tangunt, videatur n: 1881; cum tamen cœli pleni sunt hominibus, qui Angeli, & illi vestibus varie splendentibus induti: sed hi videri prorsus nequeant ab homine in terris per oculos ejus corporis, sed per oculos ejus spiritus, quando illi a Domino aperiuntur: Angeli, qui antiquis visi sunt, sicut Abrahamo, Saræ, Lotho, Jacobo, Joschuæ, Guideoni, tum Prophetis, nec visi sunt oculis corporis, sed oculis spiritus eorum, qui tunc aperti: quod etiam vestimentis induti apparuerint, constat ab Angelis sedentibus ad sepulchrum Domini visis Mariæ Magdalenæ & Mariæ Jacobi, in vestibus albis splendentibus, Matth: XXVIII: 3. Marc: XVI: 5. Luc: XXIV: 4; imprimis ex Domino viso Petro, Jacobo, & Johanni, in sua gloria, quod tunc Vestimentum Ipsi album fulgurans & sicut lux, Matth: XVII: 2. Luc: IX: 29, per quod Vestimentum etiam repræsentatum est Divinum Spirituale, seu Divinum Verum quod ab Ipso. Inde constare potest, quid per Vestimenta alba significatur in Apocalypsi, "Habes pauca Nomina in Sardibus, *quæ non polluerunt vestimenta sua*, & *ambulabunt Mecum in albis*, quia digni sunt: qui vicerit, *hic inductus vestimentis albis*," IV: 4; vestimenta ibi sunt vera spiritualia, quæ sunt vera ex bono, ut supra ostensum; & album est genuinum verum, n: 3301. 4007. 5319: similiter alibi, "Vidi cœlum apertum, cum ecce Equus albus, & qui sedens super eo vocabatur fidelis & verus, qui in Justitia judicat & pugnat; exercitus Ipsius in cœlo sequebantur Ipsum *induti byssino albo* & *mundo*," XIX: 14: & alibi, "Super thronis vidi viginti & quatuor seniores, *indutos vestimentis albis*,' IV: 4.

9815. Ad gloriam & ad decus, quod significet ad sistendum Divinum Verum, quale in Regno spirituali adjuncto Regno cœlesti in forma interna & externa, constat ex significatione gloriæ, quod sit Divinum Verum, de qua Præf: ad Cap: XVIII: Genes: & n: 5922. 9429; & ex significatione decoris, quod etiam sit Divinum Verum, sed in forma externa, nam splendor & pulchritudo Divini Veri apparens in externis intelligitur per decus; inde est, quod Verbum in sensu interno dicatur gloria, at in sensu interno respective ad splendorem & pulchritudinem inde decus: consequenter cœlum spirituale, quod hic intelligitur per vestes sanctitatis, quæ ad gloriam & decus, est gloria.

gloria quatenus ibi est Divinum Verum in forma interna, & quoque est decus. Simile per decus significatur in sequentibus his locis; apud Jeremiam, "Obnubilat in ira sua Dominus filiam Zionis; projecit e cœlis in terram *decus Israelis*, nec recordatur scabelli pedum suorum," Thren: ii: 4, filia Zionis pro Ecclesia cœlesti; decus Israelis pro Ecclesia spirituali, quæ decus dicitur ex Veri splendore & pulchritudine: similiter apud Esaiam, "Appropinquare seu Justitiam meam, non procul est, & salus mea non morabitur, dabo in Zione salutem, *Israeli decus meum*," XLVI: 13. Apud Eundem, "Prospice e cœlis, ex habitaculo sanctitatis tuæ, & *decoris tui*," LXIII: 15; habitaculum sanctitatis pro Regno cœlesti, & habitaculum decoris pro Regno spirituali. Apud Danielem, "Exivit cornu unum de exiguo, & crevit valde versus meridiem, & versus ortum, & *versus decus*," VIII: 9; & alibi apud Eundem, "Rex septentrionis etiam *stabit in terra decoris*, & consummatio per manum ejus; cumque venerit *in terram decoris*, multi corruent," XI: 16: 41; terra decoris pro Ecclesia Domini ubi Verum Divinum seu Verbum.

9816. Vers: 3. 4. *Et tu loqueris ad omnes sapientes corde, quos implevi spiritu sapientiæ, & facient vestes Aharonis ad sanctificandum eum, ad sacerdotio fungendum eum Mihi. Et hæ vestes quas facient, Pectorale, & Ephodum, & Tunica tessellata, Cidaris & Baltheus; & facient vestes sanctitatis Aharoni fratri tuo, & filiis ejus, ad fungendum eum sacerdotio Mihi.* Et tu loqueris ad omnes sapientes corde, significat influxum Domini per Verbum in omnes qui in bono amoris sunt: quos implevi spiritu sapientiæ, significat quibus inscriptum est Divinum Verum: & facient vestes Aharonis, significat per quos Regnum spirituale: ad sanctificandum eum Mihi, significat sic repræsentativum Divini Veri in illo Regno: ad sacerdotio fungendum eum Mihi, significat repræsentativum Domini: & hæ vestes quas facient, significat Divina Vera in Regno spirituali, quo ordine: Pectorale, significat Divinum Verum elucens ex Divino Bono: & Ephodum, significat Divinum Verum ibi in forma externa, in quod desinunt interiora: & Pallium, significat Divinum Verum ibi in forma interna: & Tunica tessellata, significat Divinum Verum ibi intime procedens immediate a Divino cœlesti: & Cidaris, significat intelligentiam & sapientiam: & Baltheus, significat commune vinculum, ut omnia ad unum finem spectent: & facient vestes sanctitatis Aharoni fratri tuo, filiis ejus, significat sic repræsentativum Regni spiritualis adjuncti Regno cœlesti: ad fungendum eum sacerdotio Mihi, significat repræsentativum Domini.

9817. Et tu loqueris ad omnes sapientes corde, quod significet influxum Domini per Verbum in omnes qui in bono amoris sunt, constat a significatione loqui, quod sit influxus, de qua n: 2951. 5481. 5743. 5797. 7270; & ex significatione sapientum corde, quod sint qui in bono amoris, de qua sequitur: quod significetur influxus Domini *per Verbum*, est quia Dominus apud hominem Ecclesiæ per illud imprimis influit; causa est, quia Verbum tale est, ut omnia & singula ibi correspondeant Divinis spiritualibus & Divinis cœlestibus, quæ in cœlis, inde communicatio affectionum & cogitationum

num hominis cum Angelis, usque adeo ut quasi unum sint; inde est, quod mundus cum cœlo conjunctus sit per Verbum, sed apud illos qui in bono fidei & amoris sunt; ex quibus constare potest, quod influxus Domini apud hominem Ecclesiæ sit per Verbum, nam Dominus est omne in cœlis, Divinum enim procedens a Domino, & receptum ab angelis, facit cœlum. Quod sapientes corde sint qui in bono amoris sunt, & quia sapientia prædicatur de vita cœli apud hominem, tum quia per cor significatur bonum amoris: vita cœli apud hominem exprimitur in Verbo per Spiritum & per Cor; per Spiritum intelligitur vita partis intellectualis, & per cor vita partis voluntariæ hominis; ad partem intellectualem pertinet verum, ad partem autem voluntariam pertinet bonum; illud est fidei, hoc autem est amoris, nam Intellectus recipit vera quæ sunt fidei, & voluntas bona quæ sunt amoris: inde patet, quod per sapientes corde significentur qui in bono amoris a Domino sunt; bonum amoris est bonum cœleste, per quod bonum spirituale; & bonum spirituale est quod tegit bonum cœleste, sicut vestes corpus: & quia per Vestes Aharonis repræsentabatur Regnum spirituale Domini adjunctum Regno cœlesti Ipsius, & illud per hoc existit, ideo hic dicitur, quod sapientes corde, hoc est, qui in bono amoris a Domino sunt, facerent vestes Aharoni & filiis ejus, ut sequitur. Quod Cor sit bonum amoris seu bonum cœleste, videatur n: 3635. 3880. 3883 ad 3896. 9050: & quod ideo sit voluntas, n: 2930. 3888. 7542. 8910. 9113. 9300. 9494.

9818. Quos implevi spiritu sapientiæ, quod significet quibus inscriptum est Divinum Verum, constat ex significatione spiritus sapientiæ, cum de illis qui in cœlesti bono, quod sit Divinum Verum, de qua sequitur; illo impleri dicitur, cum inscriptum manet. Cum hoc ita se habet, qui in cœlesti Regno Domini sunt, illi sciunt vera non ex scientia, & inde fide, sed ex perceptione interna; sunt enim illi in bono amoris a Domino, & ei bono omnia vera insita sunt; ipsum bonum implantatum est parti eorum voluntariæ, & Verum inde parti intellectuali; ac pars voluntaria & intellectualis apud illos prorsus unum agunt, secus ac apud illos qui in Regno spirituali sunt; inde est quod illi qui in Regno cœlesti Domini sunt, ex parte sua intellectuali non sciant sed percipiant vera; bonum enim implantatum voluntati sistitur in suo quali & in sua forma in intellectu, & ibi in luce sicut flammea; forma boni & quale ejus est illis verum, quod non videtur sed percipitur ex bono: inde est, quod illis nusquam aliqua disceptatio sit de veris, usque adeo, ut cum de veris sermo incidit, dicant ita vel non ita, nec ultra, nam si ultra non est ex bono; hi sunt qui intelliguntur apud Matthæum, "Esto sermo vester ita ita, non non, quod ultra hæc est, ex malo est," v: 37; quod illi qui in cœlesti Domini Regno tales sint, videatur n: 2715. 2718. 3246. 4448. 5113. 6367. 7877. 9166 fin: 9543; quæ differentia sit inter illos qui in cœlesti Regno, & inter illos qui in Regno spirituali, videantur loca citata n: 9277: ex his nunc constare potest, quid intelligitur per quod Divina Vera inscripta sint. Multis in locis in Verbo dicitur Spiritus, & cum de homine, per spiritum ejus significatur bonum &

verum inscriptum parti intellectuali, proinde hujus vita: quod Spiritus, cum prædicatur de homine, id sit, est quia homo quoad interiora sua est Spiritus, etiam quoad interiora una cum spiritibus; de qua re videantur quæ prius copiose ostensa sunt, nempe, quod Spiritus & Angeli sint apud hominem, & quod homo regatur per eos a Domino, n: 50. 697. 986. 2796. 2886. 2887. 4047. 4048. 5846 ad 5866. 5976 ad 5993; quod homo sit inter Spiritus & Angelos tales, qualis ipse est, n: 4067. 4073. 4077. 4111; quod unicuique homini sit spiritus, per quem vita ejus corpori, n: 4672. Inde sciri potest, quid per Spiritum, cum de Domino, intelligitur, quod nempe sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipsius, & quod hoc Divinum, cum influit apud hominem, & recipitur ab illo, sit Spiritus Veritatis, Spiritus Dei, & Spiritus Sanctus, influit enim immediate a Domino, & quoque mediate per Angelos & Spiritus, videantur citata n: 9682; quod spiritus veritatis, spiritus Dei, & spiritus Sanctus id sit, videbitur in sequentibus; primo enim ostendendum est, quod Spiritus in Verbo, cum de homine, sit bonum & verum inscriptum ejus parti intellectuali, proinde quod sit hujus vita; est enim vita partis intellectualis, & vita partis voluntariæ; vita partis intellectualis est scire, videre & intelligere verum esse verum, & bonum esse bonum; vita autem partis voluntariæ est velle & amare verum propter verum, & bonum propter bonum; hæc vita in Verbo vocatur Cor, illa autem Spiritus. Quod ita sit, constat a locis in Verbo quæ sequuntur; apud Ezechielem, "Facite vobis *Cor novum*, & *Spiritum novum*, quare moriemini domus Israelis," XVIII: 31: & apud Eundem, "Dabo vobis *Cor novum* & *Spiritum novum* dabo in medio vestri," XXXVI: 26; Cor novum pro nova voluntate, & spiritus novus pro novo intellectu. Apud Sachariam, "Jehovah extendit cœlos, & fundat terram, & *format Spiritum hominis in medio ejus*," XII: 1; extendere cœlos & fundare terram, pro novam Ecclesiam; quod hæc sit cœlum & terra, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118 fin: 3355 fin: 4535; formare spiritum hominis in medio ejus, pro regenerare quoad intellectum veri & boni. Apud Davidem, "*Cor mundum crea mihi Deus*, & *Spiritum firmum innova* in medio mei: ne abjice me a coram Te, & *Spiritum sanctitatis tuæ* ne aufer a me; reduc mihi gaudium salutis tuæ; & *spiritus ingenuus* sustentet me: sacrificia Dei *Spiritus infractus*; *Cor infractum* & contritum Deus non spernit," Psalm: LI: 12. 13. 14. 19; cor mundum pro voluntate aversante mala, quæ sunt immunda; spiritus firmus pro intellectu & fide veri; spiritus infractus & cor infractum, pro tentationis statu & inde humiliatione utriusque vitæ; quod spiritus sit vita, ex singulis ibi patet; Divinum Verum, ex quo illa vita, est spiritus sanctitatis. Apud Eundem, "Generatio, non rectum facit *cor ejus*, nec constans cum Deo *Spiritus ejus*," Psalm: LXXVIII: 8; non rectum cor, pro quod non recta voluntas; non constans spiritus cum Deo, pro quod non constans intellectus & fides veri Divini. Apud Moschen, "Aggravaverat Jehovah Deus *Spiritum Sichonis* regis Chesbonis, & obfirmaverat *cor ejus*," Deut: ii: 30; ibi etiam spiritus & cor pro utraque vita, quæ obfirmata dicitur, cum nulla voluntas intel-

intelligendi verum & bonum, est nec faciendi illa. Apud Ezechielem, "*Liquescet omne cor*, & remittentur omnes manus, & *contrahetur omnis spiritus*," xxi : 13, similiter. Apud Esaiam, "Jehovah dans *animam* populo super terra, & *spiritum* ambulantibus in ea," xlii : 5; dare animam populo pro vitam fidei, quod anima sit vita fidei, videatur n : 9050, & dare spiritum pro intellectum veri. Apud Eundem, "*Anima mea* desideravi Te in nocte; etiam *spiritu meo in medio mei* exspectavi Te mane," xxvi : 9, similiter. Apud Eundem, "Concipite quisquilias, parite stipulam, *spiritum vestrum ignis comedet*," xxxiii : 1; spiritus, quem ignis comedet, pro intellectu veri, ita pro intelligentia; ignis pro concupiscentia, quæ, quia ex malo, destruit. Apud Ezechielem, "Væ prophetis stultis, *qui abeunt post spiritum suum*," xiii : 3 : apud Eundem, "Quod ascendit *super spiritum vestrum*, non fiet unquam," xx : 32. Apud Malachiam, "Non fecit unus & reliqui, *quibus spiritus*, quid ergo unus, quærens se non Dei : quare observate vos per *spiritum vestrum*, ut contra uxorem juventutis tuæ non agat perfide," ii : 15. Apud Davidem, "Beatus homo, cui non imputat Jehovah iniquitatem, *modo non in spiritu ejus dolus*," Psalm : xxxii : 2. Apud Matthæum, "Beati *pauperes spiritu*, quia eorum est Regnum cœlorum," v : 3 : apud Eundem, "Jesus ad discipulos, vigilate & orate, ne ingrediamini in tentationem; *quidem spiritus promptus est*, caro vero infirma," xxvi : 41. Quod in his locis per spiritum ipsa vita hominis intelligatur, manifeste patet; quod sit vita intellectualis, seu vita veri, constare potest ex eo, quod per spiritum in naturali sensu intelligatur vita respirationis hominis; & respiratio, quæ est pulmonum, correspondet vitæ veri, quæ est vita fidei & inde intellectus, dum pulsus qui est cordis, correspondet vitæ voluntatis, ita amoris; quod illa correspondentia pulmonum & cordis sit, videatur n : 3883 ad 3896. 9300. 9494 : inde constare potest, quæ vita in spirituali sensu intelligitur per spiritum. Quod spiritus in cummuni sensu sit vita respirationis hominis, evidenter patet apud Davidem, "Abscondis facies tuas, conturbantur; *colligis spiritum eorum*, exspirant : emittis *spiritum tuum*, creantur," Psalm : civ : 29. 30 : apud Eundem, "Responde mihi Jehovah, *consumtus est spiritus meus*, ne absconde facies tuas a me," Psalm : cxliii : 7 : apud Hiobum, "*Spiritus meus consumtus* est, dies mei sunt exstincti," xvii : 1 : apud Lucam, "Jesus apprehendens manum puellæ mortuæ, dicens, puella surge, *reversus itaque est spiritus ejus*, & surrexit extemplo," viii : 54. 55 : apud Jeremiam, "Stultus factus omnis homo scientia, mendacium sculptile, *neque spiritus in eo*," x : 14. Cap : li : 17 : apud Ezechielem, "Eduxit me *in spiritu Jehovæ*, & collocavit me in medio vallis; & ibi dixit Dominus Jehovih ossibus aridis, ecce *Ego adducens spiritum in vos* ut vivatis : sic dixit Dominus Jehovih, a *quatuor ventis veni spiritus*, & *inspira* in occisos hos, & *venit in eos spiritus*, & revixerunt," xxxvii : 5. 9. 10. In Apocalypsi, "Duo testes occisi a bestia ascendente ex abysso; sed post tres dies & dimidium *spiritus vitæ* a Deo intravit in illos, ut consisterent super pedes suos," xi : 7. 11 : ex his locis manifeste patet, quod spiritus sit vita hominis : quod in specie sit vita veri, quæ est vita partis intellectualis in homine, & vocatur intelligentia, liquet apud Johannem,

"Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem *in Spiritu* & *Veritate:* Spiritus Deus est, ideo eos, qui adorant Ipsum, *in Spiritu & veritate* oportet adorare," IV: 23. 24: apud Danielem, "Quod in Eo esset *spiritus excellens*, & scientiæ & *intelligentiæ*," V: 12. 14. Apud Lucam, "Johannes crevit, & *corroboratus est spiritu*," I: 80: & de Domino, "Jesus puer crevit, & *corroboratus est spiritu*, & impletus *sapientia*, II: 40. Apud Johannem, "Quem Pater misit, verba Dei loquitur, *non enim ex mensura dedit Deus Ei spiritum*," III: 34, hic spiritus pro intelligentia & sapientia, verba Dei loqui est Divina Vera. Ex his nunc patet, quid per spiritum significatur apud Johannem, "Jesus dixit Nicodemo, nisi quis generatus fuerit *ex aqua & spiritu*, non potest ingredi in Regnum Dei: quod natum est ex carne caro est, *sed quod generatum est a spiritu, spiritus est*," III: 5. 6, generari ex aqua est per verum, & generari ex spiritu, est inde vita ex Domino, quæ vita spiritualis vocatur; quod aqua sit verum, per quod regeneratio, videatur n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. 9323, caro autem est proprium hominis, in quo nihil vitæ spiritualis, n: 3813. 8409. Simile per spiritum & carnem significatur apud Eundem, "*Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam:* verba quæ Ego loquor vobis, *spiritus sunt*, & *vita sunt*," VI: 63, verba quæ Dominus loquutus est, sunt Divina Vera, vita inde est spiritus. Apud Esaiam, "Ægyptus homo non Deus, & *equi ejus caro & non spiritus*," XXXI: 3; Ægyptus pro scientia in communi; equi ejus pro scientifico ex intellectuali, quod dicitur caro & non spiritus, cum nihil vitæ spiritualis inest; quod Ægyptus sit scientia, videantur citata n: 9340. 9391; quod Equi sint intellectuale, n: 2761. 2762. 3217. 5321, & quod Equi Ægypti sint scientifica ex intellectuali, n: 6125. 8146. 8148: qui non scit, quid Ægyptus, quid Equi, tum quid Caro & Spiritus, nusquam scire potest quid illa verba involvunt. Quum notum est, quid significat Spiritus apud hominem, sciri potest quid significatur per Spiritum, cum dicitur de Jehovah seu Domino, cui tribuuntur omnia quæ homini, sicut facies, oculi, aures, brachia, manus, ut & Cor, Anima; ita quoque spiritus, qui in Verbo vocatur Spiritus Dei, Spiritus Jehovæ, Spiritus oris Ipsius, Spiritus sanctitatis seu Spiritus sanctus; quod per illum intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, constat ex pluribus in Verbo locis; causa quod Divinum Verum procedens a Domino per Spiritum Dei significetur, est quia omnis vita hominis inde est, ac vita cœlestis illis qui Divinum illud Verum fide & amore recipiunt; quod id sit spiritus Dei, Dominus Ipse docet apud Johannem, "*Verba quæ Ego loquor vobis, spiritus sunt & vita sunt*," VI: 63; verba quæ Dominus loquutus est, sunt Divina Vera. Apud Eundem, "Jesus magna voce clamavit, dicens, si quis sitiverit, venito ad Me & bibito; quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura, flumina e ventre illius fluent aquæ viventis: hoc *dixit de Spiritu*, quem accepturi erant credentes in Ipsum: *nondum enim erat Spiritus sanctus*, quia Jesus nondum glorificatus erat, VII: 37. 38. 39; quod per Spiritum, quem recepturi a Domino credentes in Ipsum, intelligatur vita quæ a Domino quæ est vita

fidei

fidei & amoris, patet a singulis ibi; sitire enim & bibere significat desiderium sciendi & percipiendi verum; flumina aquæ viventis quæ ex ventre fluent, sunt vera Divina; inde constat, quod spiritus, quem accepturi, qui etiam vocatur Spiritus Sanctus, sit vita ex Divino Vero procedente a Domino, quæ vita vocatur, ut mox dictum est, vita fidei & amoris, estque ipsa vita spiritualis & cœlestis apud hominem; quod dicatur quod spiritus sanctus nondum esset, quia Jesus nondum glorificatus, est, quia Dominus cum in mundo fuit, docuit Ipse Divinum Verum, at cum glorificatus, quod fuit post resurrectionem, docuit illud per Angelos & Spiritus; sanctum illud, quod procedit a Domino, ac influit per Angelos & Spiritus apud hominem, sive manifeste sive non manifeste est ibi Spiritus sanctus; Divinum enim Verum procedens a Domino, & quod vocatur Sanctum in Verbo, n: 9680; inde est quod Spiritus Sanctus dicatur *Spiritus Veritatis*; & quod *ducturus in omnem Veritatem*; & *quod non loquuturus sit a se, sed quæ audiverit a Domino*; & *quod a Domino accepturus sit*, quæ annuntiaturus esset," Joh: XVI: 13. 14: tum quod Dominus, cum abiret a discipulis, inspiraverit in illos, *& dixerit accipite Spiritum Sanctum*," Joh: XX: 21. 22; respiratio significat vitam fidei, n: 9229. 9281; inde inspiratio Domini, donatam facultatem percipiendi Divina vera, & sic recipiendi illam vitam; unde quoque nomen spiritus a flato & a vento, quia a respiratione, quapropter spiritus aliquoties vocatur Ventus; quod respiratio, quæ pulmonum correspondeat vitæ fidei, & pulsus qui cordis vitæ amoris, videatur n: 3883 ad 3896. 9300. 9494; simile per inspirationem significatur in Libro Geneseos, "*Et Jehovah inspiravit in nares hominis animam vitarum*," II: 7, inde Dominus, *dicitur Spiritus narium nostrarum*," Thren: IV: 10; & quia Divinum Verum consumit & vastat malos, inde dicitur apud Davidem, "Revelata sunt fundamenta orbis *a flatu spiritus nasi tui*," Psalm: XVIII: 16: & apud Hiobum, "*Ab halitu Dei pereunt*, & *a spiritu nasi Ipsius* consumuntur," IV: 9. Apud Davidem, "Per Verbum Jehovæ cœli facti sunt, & *per Spiritum Oris Ipsius* omnis exercitus illorum," Psalm: XXXIII: 6: Verbum Jehovæ est Divinum Verum, similiter Spiritus oris Ipsius; quod id sit Dominus, constat apud Johannem, "In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per Ipsum facta sunt; & Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos," I: 1. 2. 3. 14. Quod Divinum Verum, a quo vita cœlestis hominis, sit Spiritus Sanctus, patet etiam a sequentibus his locis; apud Esaiam, "Exibit virga de trunco Jischaii, quiescet super Eo *Spiritus Jehovæ*, *spiritus sapientiæ* & *intelligentiæ*, *spiritus consilii* & *virtutis*, *spiritus scientiæ* & *timoris Jehovæ*," XI: 1. 2; dicuntur illa de Domino, in quo Divinum Verum, proinde Divina Sapientia & Intelligentia, vocatur Spiritus Jehovæ, & Hic Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, consilii, virtutis & scientiæ. Apud Eundem, "*Dedi Spiritum meum super Illum*; *judicium* gentibus proferet," XLII: 1; ibi etiam de Domino, Spiritus Jehovæ super illo, est Divinum Verum, proinde Divina Sapientia & Intelligentia; Divinum Verum etiam vocatur Judicium, n: 2235. Apud Eundem, "Venturus sicut flumen angustum, *Spiritus Jehovæ* signum

 inferet

inferet in Ipsum," LIX : 19. Apud Eundem, "*Spiritus Domini Jehovih super Me*, ideo unxit Me Jehovah ad evangelizandum pauperibus," LXI : 1, ibi etiam de Domino; Divinum Verum quod in Domino cum in mundo, & quod Ipse tunc fuit, est Spiritus Jehovæ. Quod spiritus Jehovæ sit Divinum Verum, & inde vita cœlestis homini, qui illud recipit, patet adhuc ex his locis; apud Esaiam, "*Donec effundetur super vos spiritus ex alto*; tunc desertum erit in arvum, habitabit tunc in deserto judicium," XXXII : 15. 16; agitur ibi de regeneratione, spiritus ex alto est Vita a Divino, nam quod desertum erit in arvum, & quod judicium habitabit in deserto, significat intelligentiam ubi nulla prius, ita vitam novam. Similiter apud Ezechielem, "Ut cognoscatis, *quod daturus spiritum meum in vobis, ut vivatis*," XXXVII : 14. Apud Eundem, "Tunc non abscondam amplius facies meas ab illis, *quia effundam spiritum meum super domum Israelis*," XXXIX : 29. Apud Joelem, "*Effundam spiritum meum* super omnem carnem, & super servos, & super ancillas, in diebus illis *effundam spiritum meum*," III : 2. Apud Micham, "Ego impletus sum virtute *cum Spiritu Jehovæ*, & judicio & robore ad annuntiandum Jacobo prævaricationem, & Israeli peccatum ejus," III : 8. Apud Sachariam, "Equi exeuntes in terram septentriones, *quiescere fecerunt Spiritum meum* in terram septentrionis," VI : 8. Apud Esaiam, "Effundam aquas super sitientem, & rivulos super Aridam; *effundam spiritum meum super semen tuum*," XLIV : 3; quod in his locis spiritus Jehovæ sit Divinum Verum, & per id vita fidei & amoris, patet; quod id immediate a Domino, & mediate per spiritus & angelos ab Ipso influat, videatur 9682 fin: Similiter alibi apud Esaiam, "In die illo erit Jehovah Zebaoth in coronam ornatus, & in cidarin decoris reliquis populi sui, & *in spiritum judicii* sedenti super judicio, & in fortitudinem iis," XXXVIII : 5. 6, corona ornatus pro sapientia quæ boni, cidaris decoris pro intelligentia quæ veri; spiritus judicii pro Divino Vero, nam judicium prædicatur de Vero, n: 2235. 6397. 7206. 8685. 8695. 9260. 9383. Apud Eundem, "Angelus facierum Jehovæ liberavit eos, ob amorem suum & clementiam suam hic redemit illos; illi tamen rebellarunt, & *exacerbarunt Spiritum Sanctitatis Ipsius*, inde conversus est illis in hostem. Posuit in medio ejus *Spiritum sanctitatis suæ*; *Spiritus Jehovæ duxit eum*," LXIII : 9. 10. 11. 14, spiritus sanctitatis ibi est Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum quod a Domino; Angelus facierum est Dominus quoad Divinum Bonum, nam facies Jehovæ est Amor, Misericordia, Bonum. In Apocalypsi, "Testimonium Jesu est *Spiritus prophetiæ*," XIX : 10; Testimonium Jesu est Divinum Verum quod ab Ipso & de Ipso, n: 9503: Apud Davidem, "Jehovah Deus *facit Angelos suos Spiritus*, & ministros ignem flammentem," Psalm: CIV : 14, facere Angelos spiritus pro receptiones Divini Veri; facere illos ignem flammantem pro receptiones Divini Boni seu Divini amoris. Apud Matthæum, "Johannes dixit, ego vos baptizo aqua in pœnitentiam, qui vero post me venturus, ille vos *baptizabit spiritu sancto & igne*," III : 11, baptizare est regenerare; spiritu sancto est per Divinum Verum; & igne, est ex Divino Bono Divini Amoris; quod

2 baptizare

baptizare ſit regenerare, videatur n: 5120 fin: 9089; & quod ignis ſit Divinum Bonum Divini Amoris, n: 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. Apud Lucam, "Si vos pravi exiſtentes ſcitis bona dare liberis veſtris, quanto magis Pater qui in cœlo, *dabit Spiritum Sanctum* petentibus Ipſum," XI: 13; dare ſpiritum ſanctum eſt illuſtrare Divino Vero, & donare vita inde, quæ eſt vita intelligentiæ & ſapientiæ. "In Apocalypſi, "Septem lampades ignis ardentes coram throno *ſunt ſeptem Spiritus Dei*," IV: 5: & porro, "In medio Seniorum Agnus ſtans, habens cornua ſeptem, & oculos ſeptem, *qui ſunt ſeptem Dei Spiritus* emiſſi in omnem terram," V: 6; quod Spiritus ibi non ſint Spiritus, patet ex eo, quod lampades & oculi Agni dicantur Spiritus Dei; lampades enim ſunt Divina Vera, n: 4638. 7072; oculi ſunt intellectus Veri, & cum de Domino, Divina Intelligentia & Sapientia, n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534. 9051; inde patet quod Spiritus Dei ſignificent Divina Vera. Cum itaque notum eſt, quod Spiritus Sanctus ſit Divinum Verum procedens a Domino, quod eſt ipſum ſanctum, ſciri poteſt ſenſus Verbi Divinus ubicunque Spiritus Dei & Spiritus Sanctus nominatur, ut in ſequentibus his locis; apud Johannem, "Ego rogabo Patrem, ut alium Paracletum det vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, *Spiritus Veritatis*, quem mundus non poteſt accipere, quoniam non videt illum, nec cognoſcit illum; vos autem cognoſcitis illum, quia apud vos manet, & in vobis erit: non relinquam vos orphanos. *Paracletus*, *Spiritus Sanctus*, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia; & commonefaciet vobis de omnibus, quæ dixi vobis," XIV: 16. 17. 18. 26: & alibi, "Quando venerit *Paracletus*, quam Ego miſſurus ſum vobis a Patre, *Spiritus veritatis*, qui ex Patre exit, ille teſtabitur de Me, & vos teſtabimini," XV: 26: & adhuc alibi, "Ego *Veritatem* vobis dico, prodeſt vobis ut Ego abeam; ſi non abivero, *Paracletus* non veniet ad vos: ſi vero abivero, mittam illum ad vos," XVI: 7; ex his iterum patet, quod Divinum Verum procedens a Divino Bono, quod eſt Pater, ſit Paracletus & Spiritus Sanctus, quapropter etiam vocatur Spiritus Veritatis; & dicitur de eo, quod manſurus in illis, quod docebit omnia, quod teſtabitur de Domino, teſtari de Domino in ſpirituali ſenſu eſt docere Illum: quod dicatur, quod Paracletus, qui Spiritus Sanctus, mittatur a Patre in Nomine Domini, & dein quod Dominus miſſurus ſit illum a Patre, & poſtea quod Ipſe Dominus miſſurus, eſt quia Pater ſignificat Ipſum Divinum quod in Domino, & inde quod Pater & Ipſe unum ſint, prout Dominus manifeſte dicit apud Johannem Cap: X: 30. Cap: XIV: 9. 10. 11. Apud Matthæum, "Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, *Spiritus vero blaſphemia* non remittetur hominibus: ſi quis dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur illi, *qui vero dixerit contra Spiritum Sanctum*, non remittetur illi, neque in hoc ſæculo, neque in futuro," XII: 31. 32; dicere verbum contra Filium hominis, eſt contra Verum Divinum nondum implantatum ſeu inſcriptum vitæ hominis; quod Filius hominis ſit Divinum Verum, videatur ſupra n: 9807; at dicere contra Spiritum Sanctum eſt contra Divinum Verum implantatum ſeu inſcriptum vitæ hominis, im-

primis

primis contra Divinum Verum de Ipso Domino; dicere contra id seu negare illud, cum semel est agnitum, est prophanatio, & prophanatio talis est, ut prorsus destruat interiora hominis; inde dicitur quod id peccatur non remitti possit; quid prophanatio, videatur n: 3398. 3898. 4289. 4601. 6348. 6960. 6963. 6971. 8394. 8882. 9298. Et apud Eundem, "Jesus dixit discipulis, euntes baptizate in *Nomen Patris & Filii & Spiritus Sancti*, XXVIII: 19, Pater ibi est Ipsum Divinum, Filius est Ipsum illud Divinum in forma Humana, & Spiritus Sanctus est Divinum procedens, ita est unum Divinum, & usque Trinum: quod Dominus sit Ipsum Divinum sub forma Humana, Ipsa docet apud Johannem, "*Ex his cognovistis Patrem, & vidistis Illum; qui videt Me, videt Patrem: Ego in Patre & Pater in Me*," XIV: 7. 9. 10.

9819. Et facient vestes Aharonis, quod significet per quos Regnum Spirituale, constat ex significatione vestium Aharonis, quod sint repræsentativum Regni Spiritualis Domini adjuncti Regno cœlesti Ipsius, de qua supra n: 9814: quod sapientes corde, impleti spiritu sapientiæ, illas facerent, est quia per illos intelliguntur qui in Regno cœlesti sunt, & Regnum spirituale est quod inde, & sic quod tegit illud, sicut vestis corpus, ut quoque constare potest ex illis quæ n: 9818 dicta sunt.

9820. Ad sanctificandum eum, quod significet sic repræsentativum Divini Veri in illo Regno, constat ex significatione sanctificari, quod sit imbui Divino Vero a Domino; Divinum enim Verum procedens a Domino est quod in Verbo dicitur Sanctum, ex causa quia solus Dominus est Sanctus, ita quicquid procedit ab Ipso, videatur n: 9680; inde est quod Sanctum procedens ab Ipso dicatur Spiritus Sanctus, prout mox supra n: 9817, ostensum est, de qua re etiam videantur quæ in locis citatis n: 9229 allata sunt. Inde patet, quomodo intelligendum est, quod Angeli, Prophetæ, & Apostoli, dicantur sancti, Angeli Matth: XXV: 31. Marc: VIII: 38. Luc: IX: 26; Prophetæ, Apoc: XVI: 6. Cap: XVIII: 28; & Apostoli, Apoc: XVIII: 26; non quod Sancti essent ex se, sed ex Domino; *Angeli*, quia sunt receptiones Divini Veri quod a Domino, ac ideo per illos in Verbo significantur Vera Divina, & in genere aliquid Domini, n: 1925. 2821. 4085. 4295; *Prophetæ* autem, quia per illos significatur Verbum, quod est Divinum Verum, ac in specie Doctrinæ ex Verbo, n: 2534. 3652. 7269; & *Apostoli*, quia per illos significatur omne verum quod fidei, & bonum quod amoris, in complexu, n: 3488. 3858 fin: 6397. Quod Divinum Verum procedens a Domino sit Ipsum sanctum, ita Dominus a Quo illud, constat a pluribus locis in Verbo; solum nunc adducere licet Domini verba apud Johannem, "Pater sanctifica illos *in Veritate tua, Verbum tuum Veritas est: pro illis Ego sanctifico Me Ipsum, ut etiam illi sint sanctificati in Veritate*," XVII: 17. 19; inde patet, quod Dominus sit qui sanctificat hominem, spiritum, & angelum, quia *Ille Solus est Sanctus*," Apoc: XV: 4; & quod tantum sancti sint, quantum Domini recipiunt, id est, quantum fidei & amoris in Ipsum ab Ipso.

9821. Ad sacerdotio fungendum eum Mihi, quod significet repræsentativum Domini, constat ex illis quæ supra n: 9809, ostensa sunt.

9822. Et hæ vestes quas facient, quod significet Divina Vera in Regno spirituali in suo ordine, constat ex significatione Vestium Aharonis, quod sint Regnum Spirituale adjunctum Regno cœlesti, de qua supra n: 9814; quod sint Divina Vera ibi, est quia vestes significant vera, videatur n: 5954. 9212. 9216, & id Regnum dicitur Regnum Spirituale ex Divinis Veris ibi; sunt enim duo Regna, in quæ cœlum est distinctum, Regnum cœleste & Regnum spirituale; in Regno cœlesti regnat bonum, & in Regno Spirituali Verum, utrumque a Domino; & quia Vestes Aharonis id Regnum repræsentabant, & vestes illæ erant Ephodum, Pallium, & Tunica, ideo per illas Divina Vera ibi in suo ordine significantur.

9823. Pectorale, quod significet Divinum Verum elucens ex Divino Bono, constat ex significatione Pectoralis, quod sit Divinum Verum elucens ex Divino Bono, hic in ultimis progressive ab intimis in cœlis, nam Ephodum, super quo erat id Pectorale, repræsentabat ultima Regni Spiritualis, proinde ultima cœli: quod Pectorale id significet, est quia alligatum erat super pectore ubi cor, ac impletum lapidibus pretiosis, & cor correspondet Bono cœlesti, quod est Bonum amoris in Dominum a Domino, & duodecim lapides pretiosi correspondent Divinis veris inde; inde per Pectorale in supremo sensu significatur Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini: quod Cor correspondeat Bono cœlesti, seu Bono amoris in Dominum a Domino, videatur n: 170. 172. 176. 3635. 3883 ad 3896. 7542. 9050. 9300. 9494; & quod duodecim lapides pretiosi correspondeant Divinis Veris quæ ex Divino Bono, videbitur in sequentibus hujus Capitis ubi Pectorale hoc ample describitur, & vocatur Pectorale judicii, ac Urim & Thumim, ex duodecim lapidibus pretiosis quibus impletum. Quod id alligatum fuerit super pectore ubi Cor, constat ex descriptione ejus infra, ubi id aperte dicitur his verbis, "Portabit Aharon Nomina filiorum Israelis in Pectorali judicii *super corde suo*," Vers: 29: & adhuc, "*Erunt super Corde Aharonis* in intrando illo coram Jehovah, & portabit Aharon judicium filiorum Israelis *super corde suo* coram Jehovah jugiter," Vers: 30: quod Judicium etiam sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, videbitur in sequentibus.

9824. Et Ephodum, quod significet Divinum Verum ibi in forma externa in quod desinunt interiora, constat ex significatione Ephodi, quod sit Divinum Verum in forma externa; quod id per Ephodum significetur, est quia per vestes sanctitatis Aharonis repræsentabantur Divina Vera in Regno spirituali in suo ordine, videatur supra n: 9821; & Ephodum erat extremum trium vestium, nam vestes Sacerdotii Aharonis erant Ephodum, Pallium, & Tunica tessellata; quod extremum est, id non modo continet interiora, sed etiam interiora in illud desinunt; ita se habet in corpore humano, proinde etiam in cœlis, quibus illa quæ humani corporis sunt, correspondent; similiter cum veris & bonis, nam hæc & illa faciunt cœlos. Quia Ephodum repræsentabat maxime externum Regni spiritualis Domini, ideo erat id præ reliquis vestibus sanctum, & in eo Pectorale, in quo Urim & Thumim, per quæ responsa a Divino data sunt: quod maxime externum sit præ internis

sanctum,

ſanctum, eſt quia externum continet omnia interiora in ſuo ordine, inque forma & in nexu, uſque adeo, ut ſi removeretur externum, diſſiparentur interna, ibi enim interna non modo deſinunt, ſed etiam ibi ſimul ſunt: quod ita ſit, ſcire poſſunt illi, qui ſciunt quomodo ſe habet cum ſucceſſivis & cum ſimultaneis, quod nempe ſucceſſiva, quæ procedunt & conſequuntur in ſuo ordine, uſque etiam in ultimis ſe ſimul ſiſtant: ſint pro exemplo finis, cauſa, & effectus, finis eſt primum in ordine, cauſa eſt ſecundum, & effectus eſt ultimum; ita quoque ſucceſſive progrediuntur, at uſque in effectu, qui ultimum eſt, ſiſtitur cauſa ſimul, ac finis in cauſa; inde eſt effectus complementum, in quo interiora ſeu priora etiam collata ſunt & hoſpitantur. Similiter ſe habet cum velle, cogitare, & facere apud hominem, velle eſt primum, cogitare eſt alterum, & facere eſt ultimum, quod etiam eſt effectus, in quo priora ſeu interiora ſimul exiſtunt, nam quantum facere in ſe continet id quod homo cogitat, & quod vult, tantum in forma & in nexu continentur interiora; inde eſt, quod in Verbo dicatur, quod homo judicandus ſit ſecundum facta ſua ſeu ſecundum opera, quod ſignificat quod judicandus ſecundum cogitare & velle ſuum, nam hæc in factis ſunt ſicut anima in ſuo corpore. Quia nunc interiora in ultimo ſe ſimul ſiſtunt, ideo, ut dictum eſt, ultimum, ſi perfectus ordo, pro ſancto habetur præ interioribus, eſt enim ibi ſanctitas interiorum completa. Quia in ultimis interiora ſimul ſunt, ſicut, ut dictum, in factis ſeu operibus cogitare & velle hominis, ſeu in ſpiritualibus, fides & amor ejus ideo Johannes præ reliquis diſcipulis amatus fuit a Domino, & jacuit ad pectus Ipſius, Joh: XIII: 23. Cap: XXI: 20. 22; ex cauſa, quia ille diſcipulus repræſentabat opera charitatis, videatur Præfatio ad Cap: XVIII, & ad Cap: XXII Geneſ: tum n: 3934; inde quoque patet, cur externum ſeu ultimum, quod in perfecto ordine eſt, ſanctum ſit præ internis ſingillatim ſpectatis; eſt enim Dominus, cum in ultimo, ſimul in omnibus, & cum in illo eſt, interiora continentur in ſuo ordine, nexu, & forma, inque auſpicio & ductu ad beneplacitum: hoc arcanum eſt, quod intellectum eſt n: 9360, quod videatur. Hæc nunc cauſa eſt, quod Ephodum, quia repræſentativum ultimi in Regni ſpiritualis Domini erat, ſanctius habitum fuerit, quam reliquæ veſtes Sacerdotii; quapropter Ephodum principalis amictus ſacerdotalis fuit; & factum erat ex filis auri in medio hyacinthini, purpuræ, coccinei dibaphi, & byſſini contexti," Exod: XXXIX: 3, at reliquis ſacerdotibus erant Ephoda ex lino, 1 Sam: ii: 18. Cap: XXII: 18; & ideo Ephodum ſumebatur pro omni amictu Sacerdotis, & dicebatur portare Ephodum, quo ſignificabatur quod eſſet Sacerdos," 1 Sam: ii: 28. Cap: XIV: 3; ideo etiam Pectorale alligatum Ephodo fuit, & per Urim & Thumim ibi reſponſa dabantur, ex cauſa, quia is amictus repræſentativum ultimi in Regno ſpirituali Domini erat, & reſponſa Divina ſiſtuntur in ultimis, tranſeunt enim per omnia interiora ſucceſſive, ac ibi dictantur, quia ibi deſinunt; quod reſponſa darentur, cum induti Ephodo, conſtat ex 1 Sam: XXIII: 6 ad 13. & Cap: XXX: 7. 8; & quoque apud Hoſcheam, "Dies multos ſedebant filii Iſraelis, non Rex & non Princeps, & non Sacrificium & non ſtatua, *& non Ephodum* & Teraphim," IV: 4, Theraphim

phim significant responsa Divina, nam per illa olim dabantur, Sach: x: 2. Ephodum etiam in Lingua originali dicitur a concludere omnia interiora, ut patet a vocis illius significatione, Exod: xxix: 5, & Levit: viii: 7.

9825. Et pallium, quod significet Divinum Verum ibi in forma interna, constat ex significatione pallii, quod sit medium Regni Spiritualis, ita ipsum verum quod ibi, nam per vestes Aharonis repræsentabatur Regnum Spirituale Domini, n: 9814, ita vera quæ ibi in suo ordine, n: 9821; & quia Regnum illud in tres gradus distinctum est, in intimum, medium, & externum, ideo per pallium significabatur id quod in medio illius Regni est. Quod id Regnum in tres gradus distinctum sit, est quia intimum ibi communicat cum cœlesti, & externum cum naturali, & medium sic trahit æque ex utroque; ut etiam aliquid perfectum sit, erit distinctum in tres gradus; ita est cœlum, ac ita bona & vera ibi; quod tres cœli sint, notum est, proinde tres gradus bonorum & verorum ibi; unumquodvis etiam cœlum in tres gradus distinguitur, nam intimum ejus communicabit immediate cum superiori, externum cum inferiori, & medium sic per illa cum utroque, inde ejus perfectio: consimiliter se habet cum interioribus hominis, quæ in genere distincta sunt in tres gradus, nempe in cœleste, spirituale, & naturale; pariter unumquodvis horum in suos tres gradus; nam homo, qui est in bono fidei & amoris in Dominum, est cœlum in minima forma correspondens Maximo, n: 9279; ita quoque se habet in omnibus naturæ, quod naturale hominis distinctum sit in tres gradus, videatur n: 4570; & in genere omnia interiora & exteriora ejus, n: 4154. Causa, quod ita sit, est quia ubivis erit finis, causa, & effectus, finis erit intimum, causa medium, & effectus ultimum, ut res sit perfecta: inde est, quod tria in Verbo significent completum a principio ad finem, n: 2788. 4495. 7715. 9198. 9488. 9489. Ex his sciri potest, cur Vestes sanctitatis Aharonis essent Ephodum, Pallium, & Tunica; & quod Ephodum repræsentaverit Externum, Pallium Medium, & Tunica Intimum ibi. Quia Pallium repræsentabat Medium in Regno Spirituali, & medium trahit ab utroque, ideo illud pro ipso illo Regno repræsentative sumitur; ut in Libro 1 Samuelis, "Convertit se Samuel ad abeundum, sed *Schaul apprehendit alam Pallii ejus*, & abrupta est; unde dixit Samuel, abrumpet Jehovah Regnum Israelis a super te hodie, & dabit illud socio tuo, qui melior te," xv: 27. 28; ex his patet, quod disruptio alæ pallii Samuelis significaret abruptionem Regni Israelis a Schaule, regnum enim Israelis significat Regnum spirituale Domini, videatur n: 4286. 4598. 6426. 6637. 6862. 6868. 7035. 7062. 7198. 7201. 7215. 7223. 8805: similiter in eodem Libro, "Abscidit David *alam Pallii* Schaulis in occulto; & cum ostendit illam Schauli, dixit Schaul, nunc novi quod regnando regnabis, & consistet in manu tua Regnum Israelis," xxiv: 5. 6. 12. 21: Etiam cum Jonathan iniit fœdus cum Davide, *exuit ille sibi Pallium*, & dedit Davidi, usque ad gladium, arcum & cingulum," 1 Sam: xviii: 3. 4, per quæ repræsentabatur, quod Jonathan, qui hæres, abdicaret sibi regnum Israelis, & id transferret in Davidem. Quia Pallium repræsentabat Regnum Spirituale,

ita quoque vera illius Regni in genere; vera illius Regni sunt quæ vocantur vera spiritualia quæ sunt in parte intellectuali hominis; hæc per pallia significantur apud Ezechielem, "Descendent desuper thronis suis omnes principes maris, & *abjicient pallia sua*, & vestes acupicturæ suæ exuent," XXVI: 6; agitur ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones boni & veri, n: 1201, vastatio earum in Ecclesia ibi describitur, pallia quæ abjicient sunt vera fidei quæ in parte intellectuali, vestes autem acupicturæ sunt vera scientifica quæ in naturali, n: 9688; causa quod illa vera significentur, est quia in Regno Spirituali Domini regnat verum quod est intellectus, at in Regno cœlesti bonum quod est voluntatis. Apud Matthæum, "Scribæ & Pharisæi omnia opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus, & *magnificant fimbrias palliorum suorum*," XXIII: 5. 6, magnificare fimbrias palliorum, pro magnifice loqui vera, solum ut audiantur & spectentur ab hominibus. Quod talia per Pallium significentur, constabit adhuc melius ab ejus descriptione in sequentibus hujus Capitis, Vers: 31. 32. 33. 34. 35.

9826. Et tunicam tessellatam, quod significat Divinum Verum ibi intime procedens immediate a Divino cœlesti, constat ex significatione tunicæ, quod sit verum naturale, at cum de Aharone, cujus vestes repræsentabant vera Regni spiritualis Domini, n: 9814. 9822; est Tunica Divinum Verum intimum in illo Regno, ita quod proxime procedit ex Divino cœlesti, quod est Divinum Bonum Domini in cœlo intimo; quod talia per Tunicas significentur, videatur n: 4677: Cœli enim sunt tres, intimum quod vocatur cœleste, medium quod spirituale, & ultimum quod accedit ad naturale; in intimo cœlo regnat bonum amoris in Dominum, in medio bonum charitatis erga proximum, & in ultimum bonum fidei: illi cœli inter se distinctissimi sunt, usque adeo, ut qui in uno nequaquam transire possit in alterum; qui at unum cœlum sunt: conjunguntur per Angelicas Societates intermedias; ita procedit unum cœlum ab altero: cum itaque vestes Aharonis repræsentant cœlum spirituale, ac ita vera ibi in suo ordine, patet quod per intimam vestem, quæ vocatur tunica tessellata, repræsentatur verum ibi intimum procedens immediate a Divino cœlesti; tessellata dicitur quia erat texta, ut constat a sequentibus in Libro Exodi, "Fecerunt *Tunicas byssi, opus textoris*, pro Aharone & pro filiis ejus," XXXIX: 27; quod ex bysso, erat causa ut repræsentaretur verum ex origine cœlesti, quod id verum per byssum significetur, videatur n: 9469.

9827. Et cidarin, quod significet intelligentiam & sapientiam, constat ex significatione cidaris, quod sit intelligentia & sapientia: quod cidaris id sit, est quia est tegumentum capitis, & per caput significantur interiora hominis, quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, n: 9656: omnia indumenta trahunt significationem ab illa parte corporis, quam tegunt; quemadmodum indumentum quod tegit pectus, sicut pectorale, quod tegit lumbos sicut femoralia, quod pedes sicut tibialia, quod plantas pedum sicut calcei, ita quoque quod tegit caput sicut cidaris, tiara, pileus. Quod ita sit, constat ex repræsentativis in altera vita, ibi spiritus, cum eis sapientia & intelligentia aufertur,

quod

quod fit cum Societates Angelicæ ab illis removentur, tunc tegumentum capitis apparet eis auferri, quo facto fit stupidus, & nullius perceptionis veri & boni, & postea ut redit intelligentia & sapientia, caput rursus tegitur; at indumenta capitis ibi non ita significant sapientiam quæ boni, sed intelligentiam quæ veri; cidaris autem, quæ Aharoni, etiam significat sapientiam, quoniam ex bysso erat, & appositum coronamentum sanctitatis, quod erat bractea ex auro puro, cui insculptum sanctitas Jehovæ, de qua in sequentibus hujus Capitis Vers: 37. 39; tum Exod: XXIX: 6. Cap: XXXIX: 28: at cidaris lini, & reliquæ vestes lini, quæ etiam erant Aharoni, significabant intelligentiam quæ veri, non autem sapientiam quæ boni; de illis vestibus, & de illa cidari, videatur Levit: XVI: 4. Ezech: XLIV: 18; linum enim significat verum in naturali hominis, n: 7601, ita cidaris lini est intelligentia naturalis. Qui non sciunt, quomodo cum repræsentativis & correspondentiis se habet, ægre adduci possunt ad credendum, quod talia significentur; sed expendant quod spiritualia loco naturalium in cœlo percipiantur, ita loco cidaris, & in genere loco vestium, talia quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, tum fidei & amoris, in genere quæ sunt veri & boni, nam illa & hæc sunt spiritualia; est enim cœlum mundus spiritualis: expendant etiam, quod vestes Aharonis in monte Sinai a Jehovah descriptæ & mandatæ sint, & quod sic in singulis sit Divinum cœleste quod inest, & evolvitur solum per cognitiones de correspondentiis & repræsentativis.

9828. Et baltheus, quod significet commune vinculum, ut omnia ad unum finem spectent, constat ex significatione balthei seu cinguli, quod sit commune vinculum, colligit enim, concludit, in nexu continet & firmat omnia interiora, quæ absque illo solverentur & diffluerent: quod commune vinculum sit ob causam, ut omnia ad unum finem spectent, est quia in mundo spirituali regnat finis, usque adeo, ut omnia quæ ibi dicendo sint fines; est enim Regnum Domini, quod est mundus spiritualis, Regnum usuum, & usus ibi sunt fines, ita est Regnum finium: sed fines ibi in vario ordine sibi succedunt, & quoque consociantur; fines qui succedunt, vocantur fines medii, at fines qui consociantur vocantur fines consocii: omnes illi fines ita conjuncti sunt mutuo & subordinati, ut spectent unum finem, qui omnium universalis est, ille finis est Dominus, & in Cœlo apud recipientes amor & fides in Ipsum; amor ibi est finis omnium voluntatum ibi, & fides est finis omnium cogitationum, quæ sunt intellectus: cum omnia & singula spectant unum finem, tunc in nexu indivulso tenentur, & faciunt unum; nam sunt sub aspectu, regimine, & Providentia Unius, qui omnes secundum leges subordinationis & consociationis flectit ad se, & sic conjungit sibi, simul etiam tunc ad socios mutuo, & sic conjungit illos invicem: inde est, quod facies omnium in cœlo teneantur versi ad Dominum Qui ibi est Sol, & sic centrum omnium aspectuum; & quod mirabile, utcunque se Angeli vertunt, n: 3638: & quia Dominus in bono amoris mutui est, inque bono charitatis erga proximum, amat enim omnes, & per amorem conjungit omnes, ideo quoque ad Dominum vertuntur per spectare socios ex illo amore. Illa itaque, quæ

in ultimis sunt, & colligunt & concludunt ut omnia & singula in tali nexu contineantur, repræsentata sunt per baltheos seu per cingula; quæ non alia sunt in mundo spirituali, quam bona & vera in ultimis seu extremis, quæ interiora concludunt, per cingula lumborum bona cœlestia, & per cingula feminum, tum pectoris, bona & vera spiritualia in ultimis seu extremis; talia per cingula lumborum significantur in sequentibus his locis; apud Jeremiam, "Jehovah dixit ad prophetam, *eme tibi cingulum lini*, & pone id *super lumbos tuos*; sed per aquam non duces illud: *emi itaque cingulum*, ac posui *super lumbos meos*: tunc factum est verbum Jehovæ ad me, dicendo, *sume cingulum*, & abi ad Euphratem, & absconde illud in foramine petræ. A fine dierum multorum abivi ad Euphratem, & *recepi cingulum*, & ecce corruptum erat, non proderat ad quicquam: tunc dixit Jehovah; populus hic malus renuentes audire verba mea, & iverunt post deos alios; ideo erit *sicut cingulum* hoc quod non prodest ad quicquam," XIII: 1 ad 12, per cingulum lini ibi in sensu spirituali intelligitur bonum Ecclesiæ, quod concludit & in nexu continet vera ibi; quia bonum Ecclesiæ tunc nullum fuit, & inde vera dissipata; ideo dicitur, quod non duceretur per aquam, aqua enim est verum purificans & sic restituens; foramen petræ, in quo absconditum, est verum falsificatum; Euphrates est extensio & terminus cœlestium, quæ sunt boni in suo ultimo: qui non scit, quale est Verbum opinari potest, quod modo sit comparatio populi & ejus corruptionis cum cingulo & ejus corruptione; sed in Verbo omnes comparationes & loquutiones metaphoricæ sunt reales correspondentiæ, n: 3579. 8989; nisi singula ibi corresponderent, nequaquam mandatum fuisset, quod cingulum non duceretur per aquam, quod poneretur super lumbos, quod propheta iret ad Euphratem, & ibi absconderet illud in foramine petræ: dicitur quod cingulum poneretur super lumbos, quia lumbi ex correspondentia significant bonum amoris cœlestis, n: 3021. 4280. 5050 ad 5062, ita positio cinguli super lumbos est conjunctio cum Domino per bonum amoris mediante Verbo. Quod Cingulum sit bonum terminans & conjungens, patet quoque apud Esaiam, "Exibit virga de trunco Jischaii, erit *Justitia Cingulum lumborum Ipsius*, & *Veritas cingulum feminum Ipsius*," XI: 5, ibi de Domino, Justitia quæ cingulum lumborum est Bonum amoris Ipsius, quod Cœlum & Ecclesiam tutatur. Dicitur de filiis Israelis, cum comederent Pascha, "*quod essent cincti lumbis*," Exod: XII: 11, quod significat, quod sic omnia in ordine, & parata ad recipiendum bonum a Domino, & ad agendum, n: 1863; inde est, quod dicantur accincti qui parati, sicut etiam de septem angelis in Apocalypsi, "Exiverunt septem angeli habentes septem plagas a Templo, induti linteo albo & splendido, & *circumcincti circa pectora cingulis aureis*," XV: 6. De Elia dicitur, quod esset vir pilosus, "& *cingulo corii cinctus circa lumbos suos*," 2 Reg: 1: 8: similiter de Johanne, "Johannes habebat indumentum ex pilis cameli, & *cingulum coriaceum circa lumbum suum*," Matth: III: 4; quod Elias & Johannes ita vestiti & cincti fuerint, erat causa, quia uterque repræsentabat Verbum, inde Vestes eorum sunt Verbum in sensu externo, qui naturalis,

pili enim sunt naturale n: 3301. 5247. 5569 ad 5573; Cameli sunt scientifica communia in naturali, n: 3048, 3071. 3143. 3145; corium & pellis significant externum, n: 3540, ita cingulum coriaceum id quod colligit, concludit, & in nexu continet interiora; quod Elias repræsentaverit Verbum, videatur Præfatio ad Cap: XVIII Genes: & n: 2762. 5247 fin: similiter Johannes Baptista, n: 9372. Quia vera & bona solvuntur & dissipantur per malefacta, ideo de Joabo, cum dolo occiderat Abnerum, dicitur, quod dederit sanguines belli *in cingulo suo quod in lumbis*," 1 Reg: ii: 6, per quæ significatur quod dissipaverit & destruxerit illa; quare cum dissipata & destructa vera sunt, dicitur, quod *loco cinguli erit discissio*, & loco operis implexi calvities," Esa: III: 24, ibi de filiabus Zionis, per quas significantur bona quæ Ecclesiæ cœlestis; loco cinguli discissio pro dissipatione boni cœlestis. Dicitur etiam de Oholiba, quæ est Hierosolyma, apud Ezechielem, "Quod, cum vidisset viros pictos super pariete, imagines Chaldæorum pictas minio, *cinctos cingulis in lumbis*, adamaverit eos," XXIII: 14. 15, per quæ significantur vera prophanata; Chaldæi enim sunt qui in externis profitentur vera, sed in internis illa negant, ita prophanant; viri picti in pariete sunt apparentiæ veri in externis, similiter imagines pictæ minio; cingula quibus cincti in lumbis, sunt bona quæ fingunt ut inde vera credantur. Ex his nunc constare potest, quid cingula, quæ in unum colligabant vestes, in Ecclesia repræsentativa significabant: sed quod talia significaverint, naturalis homo ægre potest adduci ad credendum, ex causa quia ægre potest naturalem ideam de cingulis, & in genere de Vestibus rejicere, & loco ejus assumere ideam spiritualem, quæ est boni continentis vera in nexu; naturale enim, quod apparet coram visu, tenet mentem fixam in se, & non removetur, nisi visus intellectualis usque in lucem cœli elevari possit, & homo sic pæne abstracte a naturalibus cogitare, quod cum fit, spiritualia quæ veri fidei & boni amoris, imperceptabilia mere naturali homini, intrant.

9829. Et facient vestes sanctitatis Aharoni fratri tuo & filiis ejus, quod significet sic repræsentativum Regni spiritualis adjuncti Regno cœlesti, constat ex illis, quæ supra n: 9814 ostensa sunt.

9830. Ad fungendum eum sacerdotio Mihi, significat repræsentativum Domini, ut supra n: 9809. 9810.

9831. Vers: 5. 6. 7. 8. *Et illi accipient aurum, & hyacinthinum & purpuram, & coccineum dibaphum, & byssinum. Et facient Ephodum auro, hyacinthino & purpura, coccineo dibapho & byssino contexto, opere excogitatoris. Duo humeri conjuncti erit illi ad duas extremitates ejus, & conjungetur. Et cingulum Ephodi ejus, quod super illo, secundum opus ejus, ex illo erit, auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto.* Et illi accipient aurum, significat bonum universaliter regnans: & hyacinthinum, & purpuram, & coccineum dibaphum & byssinum, significat bonum charitatis & fidei: & facient Ephodum auro, hyacinthino & purpura, coccineo dibapho & byssino contexto, significat externum Regni spiritualis ex illo bono: opere excogitatoris, significat ex intellectuali: duo humeri conjuncti erit illi ad duas

extre-

extremitates ejus, & conjungetur, significat conservationem boni & veri undequaque in perpetuum omni opera & potentia per unitionem omnimodam: & cingulum Ephodi ejus quod super illo, significat colligamentum externum: secundum opus ejus ex illo erit, significat simile & continuum ab externo Regno spiritualis: auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, significat ita ex bono quod fidei & quod charitatis in externis.

9832. Et accipient aurum, quod significet bonum universaliter regnans, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9490. 9510; quod id sit universaliter regnans, significatur per quod Aurum intertextum esset ubivis in Ephodo, ut constat ex sequentibus in hoc Libro, "*Expanderunt laminas auri*, & *concidit in fila*, ad *faciendum in medio* hyacinthini, & *in medio* purpuræ, & *in medio* coccinei dibaphi, & *in medio* byssini," Exod: xxxix: 3. Universaliter regnans est quod dominans, & sic quod est in omnibus & singulis, videatur n: 5949. 6159. 7648. 8067. 8853 ad 8865. Quod aurum esset intertextum ubivis, erat causa, quia per vestes Aharonis repræsentabatur Cœlum spirituale, n: 9314, & in illo cœlo, sicut etiam in reliquis, bonum regnat, in cœlo intimo bonum amoris in Dominum, in medio bonum charitatis erga proximum, & in ultimo bonum fidei; Verum autem, quod fidei, introducit ad bonum, & dein producitur ex bono; inde patet, quod homo non in cœlo sit, priusquam in bono est; si modo in veris, quæ fidei vocantur, stat solum ante portam, & si ex illis spectat bonum, intrat in vestibulum; si autem ex illis non spectat bonum, non videt cœlum ne quidem e longinquo. Dicitur quod homo non in cœlo sit priusquam in bono est, quoniam homo, dum in mundo est, in se debet habere cœlum, ut post mortem intrare possit, nam cœlum est in homine, & ex Misericordia datur illis, qui per vera fidei in charitatem erga proximum, & in amorem in Dominum, hoc est, in bonum, dum in mundo vivunt, se introduci patiuntur. Quod homo non prius in cœlo sit, quam cum in statu est, ut ducatur a Domino per bonum, videatur n: 8516. 8539. 8722. 8772. 9139. Per bonum intelligitur bonum vitæ, & bonum vitæ est facere bonum ex velle bonum, & velle bonum est ex amore, nam quod homo amat, hoc vult.

9833. Et hyacinthinum & purpuram & coccineum dibaphum & byssinum, quod significet bonum charitatis & fidei, constat ex significatione hyacinthini, quod cœlestis amor veri, de qua n: 9466; ex significatione purpuræ, quod sit cœlestis amor boni, de qua n: 9467; ex significatione coccinei dibaphi, quod sit bonum spirituale, de qua n: 9422. 9468; & ex significatione byssini, quod sit verum ex origine cœlesti, de qua n: 5319. 9469; ita simul illa significant bonum amoris & fidei, hic autem bonum charitatis & fidei, quia prædicantur de Regno spirituali, n: 9814. Quod per hyacinthinum, purpuram, coccineum dibaphum & byssinum, illa quæ amoris seu charitatis & quæ fidei significentur, ducit causam ex coloribus eorum; colores enim qui apparent in cœlo, trahunt originem ex luce cœli, quæ lux est Divinum

Verum procedens a Domino, ex quo omnis intelligentia & sapientia, inde variegationes illius lucis, quæ coram visu externo ibi apparent ut colores, sunt variegationes intelligentiæ & sapientiæ ex veris & bonis quæ fidei, charitatis & amoris; videantur n: 1042. 1053. 1624. 3993. 4530. 4677. 4741. 4742. 4922. 9466; & quod colores ibi, quantum trahunt ex rubro, tantum significent bonum, quantum autem ex albo, tantum significent verum, n: 9467.

9834. Et facient Ephodum auro, hyacinthino & purpura, coccineo dibapho & byssino contexto, quod significet externum Regni spiritualis ex illo bono, constat ex significatione Ephodi, quod sit externum Regni spiritualis, de qua n: 9824; & ex significatione auri, quod sit bonum, hic bonum universaliter regnans, de qua supra n: 9832; & ex significatione hyacinthini, purpuræ, coccinei dibaphi, & byssini contexti, quod sit bonum charitatis & fidei, de qua mox supra n: 9833; ideo ducitur ex illo bono.

9835. Opere excogitatoris, quod significet ex intellectuali, constat ex significatione excogitatoris, quod sit intellectuale, de qua n: 9598, 9688, opus itaque excogitatoris est quod inde est. Quod excogitator sit intellectuale, est quia cogitatio est intellectus, sicut affectio quæ amoris est voluntatis: excogitator in sensu interno simile significat cum Cogitatione, nam in sensu interno non attenditur ad personam, sed ad ipsam rem, & excogitator involvit personam, quod ita sit, videatur, n: 5225. 5287. 5434. 8343. 8985. 9007. Quid significat quod ex intellectuali, paucis dicetur; agitur ibi de Regno Spirituali Domini, & id Regnum quoad omnia vera & bona quæ ibi, pertinent ad partem intellectualem; quæ autem in Regno cœlesti Domini sunt, pertinent ad partem voluntariam; sunt enim duo, ad quæ omnia in universo se referunt, bonum & verum; ideo in homine sunt duæ facultates, Voluntas & Intellectus; Voluntas est propter bonum, & Intellectus propter verum, nam voluntas recipit bonum, & intellectus verum. Similiter se habet in cœlis, ibi duo sunt Regna, cœleste & spirituale, Regnum cœleste est propter receptionem boni, & Regnum spirituale propter receptionem veri: & quia universum cœlum correspondet omnibus quæ apud hominem, & ideo cœlum coram Domino est sicut unus homo, cui sic quoque binæ facultates sunt, Voluntas & Intellectus, ejus Voluntas in Regno cœlesti, & ejus Intellectus in Regno spirituali: nunc quia Regnum spirituale repræsentatum est per Vestes Aharonis, & in Regno est intellectuale cœli, inde est quod per opus excogitatoris significetur intellectuale. Quod universum cœlum ex correspondentia cum omnibus & singulis apud hominem sit sicut unus homo, & dicatur Maximus Homo, videatur in locis citatis n; 9276 fin: quod bona & vera apud illos qui in Regno spirituali Domini sunt, inscripta sint parti eorum intellectuali, at apud illos qui in Regno cœlesti, parti voluntariæ, videatur etiam in locis citatis, n: 9277. 9596.

9836. Duo humeri conjuncti erit illi ad duas extremitates, & conjungetur, quod significet conservationem boni & veri undequaque & in perpetuum omni opera & potentia per unitionem omnimodam, constat ex significatione humerorum,

humerorum, quod sint omnis vis & potentia, de qua n: 1085. 4931 ad 4937; at ponere super humeris, & portare super illis, ut in sequentibus dicitur de binis lapidibus schoham, quibus insculpta erant nomina filiorum Israelis, & conservatio boni & veri in perpetuum; per nomina enim filiorum Israelis significantur omnia bona & vera in complexu, de qua re in sequentibus; ex significatione conjuncti esse & conjungi, quod sit unitio omnimoda; & ex significatione duarum extremitatum, seu ad dextrum & ad sinistrum, quod sit undequaque, de qua n: 8613. Cum his ita se habet, per Ephodum, ut supra ostensum est, repræsentabatur externum Regni Spiritualis Domini, ita per humeralia ejus, quibus impositi erant bini lapides schoham cum nominibus filiorum Israelis, conservatio perpetua boni & veri; perque conjunctionem Ephodi super humeris, & quoque ante pectus & post tergum unitio omnimoda; inde constare potest, quid significatur per illa quæ sequuntur de humeralibus & de sculpturis ibi, quod nempe conservatio boni & veri in perpetuum omni opera & potentia, ita conservatio cœlorum; lapides illi cum nominibus filiorum impositi erant humeralibus Ephodi, per quod repræsentabatur externum Regni spiritualis, ex causa quia omnis conservatio dependet a statu ultimorum, interiora enim omnia ibi desinunt, & formant ibi planum, in quo subsistant; sunt ultima veluti plantæ & pedes, quibus totum corpus insistit, & quoque sicut manus & brachia, per quæ corpus potentias suas exercet; etiam corporis vires illuc translatæ sunt: inde quoque est, quod manus & brachia, tum plantæ & pedes correspondeant ultimis cœli: quod in ultimis consistat potentia & robur, repræsentatum est in antiqua Ecclesia per crines apud Naziræos, in quibus consistebat illorum robur, ut patet a Simsone Judic: Cap: XIV: XV: XVI; tum sanctitas, n: 3301; quod crinis, qui apud illos erat Naziræatus, correspondeat ultimis boni & veri, seu bono & vero in ultimis, videatur n: 3301. 5247. 6437. Quod in ultimis sit potentia, & quoque conservatio interiorum in suo statu, intelligere possunt illi, qui sciunt quomodo se habet cum successivis & inde simultaneis in natura, quod nempe successiva tandem in ultimis forment simultaneum, in quo simili ordine sunt collateraliter; quapropter simultanea, quæ ultima, inserviunt successivis, quæ priora, pro correspondentibus fulcris quibus innituntur, & sic per quæ illis conservatio. Quod humeri significent *omnem vim & potentiam in resistendo, frangendo & agendo*, constat apud Ezechielem, "*Latere & humero impellitis*, & cornibus vestris feritis omnes oves infirmas, donec dispersferitis eas foras," XXXIV: 21. Apud Eundem, "Ægyptus baculus arundinis, domui Israelis; quando tenuerunt te manu, confractus es, & *perfodisti illi omnem humerum*," XXIX: 6. 7, perfodere omnem humerum, pro deprivare omni potentia capiendi vera, Ægyptus est scientificum perversum, quod deprivat. Apud Sachariam, "Renuerunt auscultare, & *dederunt humerum refractarium*," VII: 11; dare humerum refractarium pro resistere. Apud Davidem, "Cogitarunt facinus, non prævaluerunt, *quoniam pones illis humerum*," Psalm: XXI: 12. 13, ponere illis humerum, etiam pro resistere, ita pro potentia: quod humerus sit potentia, patet ex repræsentativis in altera vita, ubi illi qui

resistunt

resistunt videntur humerum opponere. *Quod ponere super humeros & portare sit conservare in statu boni & veri in perpetuum omni opera & potentia*, constat apud Esaiam, "Gentes adferent filios tuos in sinu, *& filias tuas super humero apportabunt*," XLIX : 22; agitur ibi de Nova Ecclesia, & per filios significantur vera, ac per filias bona, apportare super humero pro conservare illa: Conservatio boni in suo statu etiam repræsentabatur per quod filii Israelis, cum exirent Ægypto, *portaverint massam super humero*," Exod : XII : 34; & quod filii Kehathi *portarent opera sancti super humero*," Num : VII : 9: inde est, quod Dominus, qui per Correspondentias loquutus est, dixerit de ove perdita, quum inventa, *quod imposuerit super humero suo gaudens*," Luc : XV : 5, ovis perdita & inventa, est bonum apud hominem qui resipiscit. Quia per portare super humero id significabatur, ideo etiam dicitur de auro & argento, quæ amant & conservant, *quod portent illa super humero suo*," Esai : XLVI : 7; quod etiam *portare* sit continere in suo statu, videatur n : 9500. Ex his patet, quid significaverit, quod Nomina filiorum Israelis insculpta binis lapidibus schoham posita fuerint super humeralibus Ephodi, & quod dicatur, "quod Aharon feret seu portabit illa super duobus humeris suis ad recordationem," Vers : 12. Quod portare super humero, cum de subjectione significet *servitium*, videatur Genes : XLIX : 15. Psalm : LXXI : 7. Esai : IX : 4. Cap : X : 27. Matth : XXIII : 4. Zephan : III : 9: at cum de imperio, quod significet *summam potestatem*, Esai : IX : 5. Cap : XXII : 22.

9837. Et cingulum Ephodi ejus quod super illo, quod significet colligamentum externum, constat ex significatione cinguli, quod sit commune vinculum, quo in nexu continentur interiora, de qua supra n : 9828, ita colligamentum; quod sit colligamentum externum, est quia per Ephodum significatur externum Regni spiritualis, n : 9824.

9838. Secundum opus ejus ex illo erit, quod significet simile & continuum ab Externo Regni spiritualis, constat ex significatione secundum opus, quod sit simile, nam quod est secundum opus alterius; id ei simile est; & ex significatione ex illo esse, quod sit continuum, nam quod ex altero est, id non solum ei simile est, sed etiam ex illo continuum: quod continuum ab externo Regni spiritualis significetur, est quia intelligitur continuum ab Ephodo, & per Ephodum significatur Externum Regni spiritualis, n : 9824.

9839. Auro, hyacinthino, & purpura & coccineo dibapho & byssino contexto, quod significet ita ex bono quod fidei & quod charitatis in externis, constat ex significatione omnium illorum in summa, quod sint bonum fidei & charitatis, de qua n : 9687. 9833; quod in externis, est quia per vinculum, quod ex auro, hyacinthino, purpura, coccineo & byssino contexendum erat, significatur vinculum seu colligamentum externum, n : 9837.

9840. Vers : 9 ad 14. *Et accipies duos lapides schoham, & sculpes super illis nomina filiorum Israelis. Sex de nominibus illorum super lapide uno, & nomina sex reliqua super lapide altero, secundum generationes illorum. Opere opificis lapidis, sculpturis sigilli sculpes duos lapides super nominibus filiorum Israelis; circumdatos fundis auri facies illos. Et pones duos lapides super humeris Ephodi,*

lapides recordationis filiis Israelis; & feret Aharon nomina illorum coram Jehovah super duobus humeris ejus ad recordationem. Et facies fundas auri. Et duas catenulas auri puri, a terminis facies illas, opere funiculi; & dabis catenulas funiculorum super fundis. Et accipies duos lapides schoham, significet memoriam interiorem quæ ex veris fidei quæ ex amore; & sculpes super illis nomina filiorum Israelis, significat cui impressa sunt vera & bona Regni spiritualis quoad omne quale eorum: sex de nominibus illorum super lapide uno significat omne quale verorum ex bono: & nomina sex reliqua super lapide altero, significat quale verorum per quæ bonum: secundum generationes illorum, significat utrumque eo ordine quo gignitur & procedit unum ab altero: opere opificis lapidis, sculpturis sigilli, sculpes duos lapides super nominibus filiorum Israelis, significat formam cœlestem omnium veritatum in suo ordine in memoria ex bono amoris, ita intellectualia ibi secundum ordinationem a voluntario apud regeneratum: circumdatus fundis auri facies illos, significat existentiam & subsistentiam a bono: & pones duos lapides super humeris ephodi, significat conservationem boni & veri omni opera & potentia: lapides recordationis filiis Israelis, significat ex Misericordia in perpetuum Regno spirituali: & feret Aharon nomina illorum coram Jehovah super duobus humeris ejus ad recordationem, significat repræsentativum Divinæ conservationis boni & veri in perpetuum ex Misericordia: & facies fundas auri, significat existentiam & subsistentiam ex bono continuam: & duas catenulas auri puri, significat cohærentiam cum bono totius Regni: a terminis facies illas; significat ab extremis per quæ influxus: opere funiculi, significat modum conjunctionis: & dabis catenulas funiculorum super fundis, significat conjunctionem cum bono ex quo vera, & sic conservationem Regni spiritualis omni opera & potentia.

9841. Et accipies duos lapides schoham, quod significet memoriam interiorem quæ ex veris fidei quæ ex amore, constat ex significatione lapidum, quod sint vera, de qua n: 114. 643. 1298. 3720. 6426. 8609, & lapidum schoham, quod sint vera fidei ex amore, n: 9476: quod sint memoria, est quia illis insculpta erant nomina filiorum Israelis, & per sculpturam in lapidibus significatur memoria rerum quæ permansuræ; sicut sculptura seu scriptum Legis super Tabulis Lapideis, quæ quod significent illa quæ memoriæ & vitæ impressa sunt, & sic quæ permansura, videatur n: 9416 fin: Quod sculptura seu scriptura super lapidibus illa significet, est quia memoriæ hominis impressa sunt vera, & quæ veri apparentiam habent, usque adeo, ut ex talibus conflata sit, & lapides significant vera, & quando sculptura super illis, memoriam ubi vera; sicut sculptura super manus, apud Esaiam, "Etiamsi hæ obliviscerentur, Ego tamen non obliviscar tui, *ecce super manus insculpsi te*," XLIX: 16: inde est, quod lapides illi dicantur *lapides recordationis* filiis Israelis, Vers: 12 seq: Quod lapides schoham, ex sculptura in illis, significent memoriam interiorem, est quia illa, quæ inscripta sunt, quæ erant nomina filiorum Israelis, significant vera spiritualia, de quibus videantur sequentia, & quoque lapides schoham talia vera significant, etiam memoria

interior

interior hominis ex talibus consistet. Quod binæ memoriæ sint homini, Exterior & Interior, & quod memoria Exterior sit naturalis, ita ex talibus quæ in mundo existant conflata, at memoria Interior sit spiritualis, ita ex talibus, quæ in cœlo, videatur n: 2469 ad 2494. 5212. 8067. Quod lapides, in quibus sculptura, sint memoria cui vera inscripta, ducit originem ex repræsentativis in cœlo; homines qui post obitum in alteram vitam veniunt, & secum ferunt vera fidei modo in memoria naturali seu exteriore, & non in memoria spirituali seu interiore, apparent sibi, dum exeunt, vagari inter saxa petræ, & in sylvis; at qui secum ferunt vera fidei etiam in memoria spirituali, apparent sibi, dum exeunt, ambulare inter colles, qui exculti, & quoque in hortis; causa est, quia vera memoriæ exterioris seu naturalis, quæ sunt scientifica, nullius vitæ sunt, nisi simul sint in memoria interiore seu spirituali, quæ enim in hac sunt, vitæ facta sunt, nam memoria interior seu spiritualis est Liber vitæ hominis, n: 2474, & illa quæ vitæ sunt, repræsentantur in cœlo per hortulana, oloveta, vineas, & per roseta ac vireta, & quæ charitatis sunt per colles ubi talia, n: 6435; illa autem quæ non vitæ sunt, repræsentantur per petrosa & dumeta, quæ nuda & scabra. Paucis etiam dicetur, quid vera fidei ex amore; vera fidei ex amore sunt quæ amor dictat, & sic quæ ex amore trahunt suum esse; illa vera sunt viva, quia quæ ex amore sunt vivunt; inde vera fidei ex amore sunt illa quæ de amore in Dominum & de charitate erga proximum agunt, nam vera, quæ dictat amor, sunt illa; totum Verbum est Doctrina talium veritatum, nam Verbum in sensu suo spirituali unice agit de talibus quæ sunt Domini & quæ proximi ita quæ sunt amoris in Dominum & erga proximum, inde etiam Verbum est vivum; hoc intelligitur per quod ex binis illis præceptis Lex & Prophetæ pendeant, Matth: XXII: 34. 38, Lex & Prophetæ sunt Verbum in toto suo complexu: sed vera fidei ex amore non sunt nudæ cognitiones talium in memoria & inde in intellectu apud hominem, sed sunt affectiones vitæ apud illum, quæ enim homo amat, & inde facit, sunt ejus vitæ: sunt etiam vera fidei, quæ non de amore agunt, sed quæ solum confirmant illa propius vel remotius; hæc vera fidei vocantur vera secundaria: vera enim fidei se habent sicut familiæ, & illarum generationes successive ex uno patre; pater illarum veritatum est bonum amoris a Domino & inde in Ipsum, ita est Dominus; nam sive dicas Dominum, sive amorem ab Ipso & inde in Ipsum, idem est; amor enim est conjunctio spiritualis, & facit ut Ipse sit ubi amor, quippe amor sistit præsentem in se qui amatur.

9842. Et sculpes super illis nomina filiorum Israelis, quod significet cui impressa sunt vera & bona Regni spiritualis quoad omne quale eorum, constat ex significatione sculpere in lapidibus, quod sit memoriæ imprimere, de qua mox supra n: 9841; ex significatione hominum, quod sint quale, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 6674; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint omnia vera & bona Regni spiritualis; per filios Israelis intelliguntur hic duodecim Tribus, quoniam hæ quoad sua nomina insculptæ erant lapidibus illis, & per duodecim Tribus significantur omnia vera &

bona in complexu, n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337; & quia ex illis est Ecclesia seu cœlum, ideo per filios Israelis significatur Ecclesia & Regnum spirituale Domini, n: 4286. 6637. 7836. 7891. 7996. 7997. 9340. Ex his patet, quod per sculpes super illis nomina filiorum Israelis significetur impressum memoriæ omne quale verorum & bonorum Regni spiritualis, seu vera & bona illius Regni quoad omne quale.

9843. Sex de nominibus illorum super lapide uno, quod significet omne quale verorum ex bono, constat ex significatione numeri sex, quod sint omnia, de qua n: 3960 fin: 7973. 8148, hic omnia vera ex bono, de qua sequitur; ex significatione nominum, quod sint quale, ut nunc supra n: 9442; & ex significatione super lapide, quod sit impressio memoriæ, de qua etiam supra n: 9441. Quod sint omnia vera ex bono, est quia duo lapides erant, quibus insculpta nomina filiorum Israelis, & unus lapis super humero dextro, & alter super humero sinistro; & apud hominem quæ ad dextrum ejus sunt, correspondent bono ex quo vera, seu veris ex bono, & quæ a sinistro, veris per quæ bonum, videatur n: 9604 fin: 9736; ita nomina filiorum Israelis, insculpta lapidi qui super dextro humero, significabant vera ex bono, & qui super sinistro, veris per quæ bonum.

9844. Et nomina sex reliqua super lapide altero, quod significet omne quale verorum per quæ bonum, constat ex illis quæ nunc supra 9843, dicta sunt.

9845. Secundum generationes illorum, quod significet utrumque eo ordine quo gignitur & procedit unum ab altero, constat ex significatione generationum, quod sint quæ fidei & charitatis, seu quæ veri & boni in spirituali mundo, de qua n: 613, 2020. 2584. 6239. 9042. 9079; ita secundum generationes est secundum ordinem, quo gignitur & procedit unum ab altero, nempe bonum a vero, & verum a bono. Sunt enim bini status homini qui generatur e novo a Domino, primus status est veri & alter boni, cum homo in primo statu est, ducitur ille per vera ad bonum, cum autem in altero statu est, ducitur ille per bonum; hic status est status cœli apud hominem, nam non prius in cœlo est quam cum in bono, videantur quæ de his supra n: 9832, ostensa sunt: ex his patet, quid significat secundum generationes filiorum Israelis. Dicitur eo ordine quo gignitur & procedit unum ab altero, nam sicut bonum per vera gignitur, ita postea procedit; similiter sicut vera a bono gignuntur, ita postea procedunt; gignuntur enim successive, & procedunt dein eo ordine quo successive nata sunt: sed hæc illis dicta sint, qui sciunt quomodo series rerum producuntur successive.

9846. Opere opificis lapidis, sculpturis sigilli, sculpes duos lapides super nominibus filiorum Israelis, quod significet formam cœlestem omnium veritatum in suo ordine in memoria ex bono amoris, ita intellectualia ibi secundum ordinationem a voluntario apud regeneratum, constat ex significatione opificis lapidis, quod sit bonum amoris, ita voluntarium regenerati, nam hoc ex bono amoris est, voluntarium enim regenerati recipit bonum amoris, & intellectuale ejus recipit vera fidei; ex significatione sculpturarum sigilli,

quod

quod sit forma cœlestis omnium veritatum, qualis in intellectuali regenerati, nam inibi, vera fidei disposita sunt in formam cœlestem; inde est, quod homo regeneratus sit cœlum in parva imagine, videantur loca citata n: 9279 fin: & quod intellectuale hominis regenerati correspondeat Regno spirituali in cœlo, & voluntarium Regno cœlesti ibi, n: 9835; inde patet, quid forma cœlestis veritatum apud hominem; ex significatione sculpere lapides, quod sit memoriæ imprimere, de qua supra n: 9842, hic talem formam veritatibus quæ ibi; & ex significatione nominum filiorum Israelis, quod sint vera & bona quoad omne quale in suo ordine, de qua etiam supra n: 9842. 9843. 9844. 9845. Quod per opificem lapidis significetur bonum amoris seu voluntarium regenerati, est quia bonum amoris operatur, & disponit vera in ordinem apud hominem, cum regeneratur, & postea tenet illa in suo ordine cum regeneratus est; vera enim creantur ad omnem similitudinem boni, & ad omnem ejus nutum, ita ad omnem amoris; bonum enim est amoris, quod ita sit, constat ex eo, quod homo pro veris agnoscat quæ amat, & quod sic vera secundum amorem suum capiat & agnoscat; inde est, quod vera constituant formam boni: inde sciri potest, quomodo Dominus ducit hominem per vera fidei, seu per fidem, quod nempe per bonum amoris apud illum; & quoque quomodo Dominus regit hominem etiam mediate per cœlum; est enim homo regeneratus cœlum in parva imagine, ut supra dictum est, quapropter cum regit cœlum, etiam regit hominem talem simul.

9847. Circumdatos fundis auri facies illos, quod significet existentiam & subsistentiam a bono, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914 6917. 9490, inde circumdari fundis auri, est a bono continuari, & ducere existentiam, & quia existentiam etiam subsistentiam, nam a quo aliquid existit, per idem etiam subsistet, est enim subsistentia perpetua existentia. Cum bono & vero similiter se habet ac cum auro quo circumdatur gemma; bonum enim est sicut humus, & vera sunt sicut semina ibi, nam vera non alibi nascuntur quam in bono, & quoque florent secundum boni quale.

9848. Et pones duos lapides super humeris ephodi, quod significet conservationem boni & veri omni opera & potentia, constat ex illis quæ supra n: 9836, ostensa sunt.

9849. Lapides recordationis filiis Israelis, quod significet ex Misericordia in perpetuum Regno spirituali, constat ex significatione lapidum recordationis super humeris ephodi, quod sint conservatio boni & veri ex misericordia in perpetuum; quod lapides super humeris sint conservatio boni & veri, constat ex illis quæ n: 9836 ostensa sunt, & quod recordatio, cum de Domino, sit misericordia, constabit ex sequentibus; & ex significatione filiorum Israelis, quod sint Regnum spirituale Domini, de qua supra n: 9842. Dicitur in Verbo de Jehovah, hoc est, Domino, quod recordetur, & quod non recordetur, & per id significatur, quod tunc sit ex misericordia, sive sit conservatio sive liberatio; similiter ac quod videat, audiat, cognoscat, & quod

non

non videat, non audiat, & non cognoscat, per quæ etiam miserationes & non miserationes significantur; quod ita dicatur, est ex similitudine cum homine, & ex apparentia; cum enim homo avertit se a Domino, quod fit cum malum facit, tunc, quia Dominus ei a tergo est, apparet ei sicut Dominus non videat illum, non audiat & cognoscat illum, nec recordetur ejus, cum tamen id apud hominem est, inde ex apparentia ita dicitur in Verbo; vicissim autem cum homo vertit se ad Dominum, quod fit cum bene facit, videantur loca citata n: 9306: quisque scire potest, quod de Domino non prædicari possit recordari seu meminisse, quoniam præterita & futura in Ipso sunt æterna, hoc est, præsentia ab æterno in æternum. Quod recordari, cum de Domino, sit misereri, ac ita conservare aut liberare ex Misericordia, constat a sequentibus his locis; apud Davidem, "Notum fecit Jehovah salutem suam, coram oculis gentium revelavit Justitiam suam, *recordatus Misericordiæ suæ* & veritatis suæ domui Israelis," Psalm: XCVIII: 2. Apud Eundem, "Jehovah in humilitate nostra *recordatus est nostri*, quia in æternum *Misericordia Ipsius*," Psalm: CXXXVI: 23. Apud Eundem, "Peccatorum pueritiæ meæ & prævaricationum mearum *ne recorderis, juxta Misericordiam tuam recorderis mei Tu*, propter bonitatem tuam Jehovah," Psalm: XXV: 7. Apud Eundem, "*Recordatus est illis fæderis sui*, & pœnituit Ipsum ex multitudine misericordiarum Ipsius," Psalm: CVI: 45. Apud Eundem, "*Recordationem fecit* mirabilibus suis, gratiosus & *Misericors* Jehovah; cibum dedit timentibus Ipsum, *recordatus* in æternum fœderis sui," Psalm: CXI: 4. 5. Apud Eundem, "*Ne recorderis iniquitatum* priorum; præveniant *miserationes tuæ*," Psalm: LXXIX: 8. Apud Lucam, "Deus acceptavit Israelem servum suum, ita ut *recordaretur Misericordiæ suæ, ad faciendum Misericordiam* cum patribus nostris, & ad *recordandum fæderis sancti sui*," I: 54. 72. Apud Davidem, "Quid homo *quod recorderis ejus*," Psalm: VIII: 5. Apud Eundem, "*Recordare mei Jehovah* in beneplacito populi tui," Psalm: CVI: 4. Apud Eundem, "*Jehovah recordatus est nostri*, benedicit," Psalm: CXV: 12. In Libro I Samuelis, "Si respiciendo respexeris miseriam ancillæ tuæ, & *recordatus fueris mei, nec oblitus fueris* ancillæ tuæ," I: 11, votum Channæ matris Samuelis; quem cum peperit, dicitur, *quod Jehovah recordatus sit ejus*," Vers: 19, hoc est, respexerit ad miseriam ejus, & præstiterit misericordiam; similiter pluries alibi; ut Levit: XXVI: 41. 42. 45. Num: X: 9. Esai: XLIII: 25. Cap: XLIX: 1. Cap: LXIV: 8. Jerem: XXXI: 34.

9850. Et feret Aharon nomina illorum coram Jehovah super duobus humeris ejus ad recordationem, quod significet repræsentativum Divinæ conservationis boni & veri in perpetuum ex misericordia, constat ex significatione ferre seu portare super duobus humeris, quod sit Divina conservatio boni & veri, de qua n: 9836; ex significatione nominum filiorum Israelis, quod sint bona & vera quoad omne quale, de qua n: 9842; & ex significatione recordationis, cum de Domino, quod sit Misericordia, de qua mox supra 9849; quod sit repræsentativum talium, patet.

9851. Et

9851. Et facies fundas auri, quod significet existentiam & subsistentiam ex bono continuam, constat ex illis quæ supra n: 9847, dicta sunt; quod sit continua, est quia de fundis hic secundo dicitur.

9852. Et duas catenulas auri puri, quod significet cohærentiam cum bono totius Regni, constat ex significatione catenularum, quod sint cohærentia; quod catenulæ id sint, est quia per illas conjunctiones fiunt, & factæ cohærent, hic cum Regno spirituali, quia catenulæ factæ erant propter cohærentiam cum Ephodo, per quod repræsentabatur Regnum spirituale in communi, n: 9824; & ex significatione auri, quod sit bonum amoris de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9490: aurum purum dicitur, quia significatur bonum ex Divino, hoc enim est purum, & continet omnia in nexu & in forma in cœlo. Quod catenæ sint cohærentia, patet etiam apud Esaiam, "Sculptile fundit artifex, & conflator auro obducit illud, *& catenis argenti conflat*," XL: 19; sculptile est doctrina falsi, quæ ex propria intelligentia, ita quæ absque vita a Divino, n: 8869. 8941; talem Doctrinam excludere, significatur per quod sculptile fundat artifex; quæ ut appareat ex bono, significatur per quod conflator auro obducat illud; utque cohæreant falsa, significatur per quod catenas argenti conflet; quod argentum sit verum, & in opposito sensu falsum, videatur n: 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932.

9853. A terminis facies illas, quod significet ab extremis per quæ influxus, constat ex significatione terminorum, quod sint extrema; quod per illa influxus, nempe boni, est quia per catenulas significatur cohærentia, n: 9852; & omnis cohærentia in mundo spirituali sit per influxum.

9854. Opere funiculi, quod significet modum conjunctionis, constat ex significatione funiculi, quod sit conjungens; quod funiculus sit conjungens, est quia per illum fit conjunctio, hic autem significat modum conjunctionis, quia dicitur quod catenulæ auri faciendæ essent opere funiculi: in Lingua originali intelligitur funiculus qui factus opere contorto & implexo, per quod in sensu interno significatur conjunctio, qualis est veritatum in scientificis & inter scientifica, ita quæ in memoria naturali seu externa: quod talis conjunctio sit, est quia agitur hic de conjunctione verorum per bonum in ultimis Regni spiritualis, per ephodum enim & Pectorale, cum quo per catenulas funiculorum opere factas, erat conjunctio, significatur Regum spirituale in ultimis, n: 9824; quod implexum sit scientificum, videatur n: 2831. Apparent etiam funes variæ contorsionis & densitatis in altera vita, & per illos repræsentantur conjunctionis varii modi; inde est, quod etiam per funes in Verbo significentur conjungentia, ut in sequentibus his locis; apud Esaiam, "*Væ attrahentibus iniquitatem funibus vanitatis*, & sicut *funis currus* peccatum," V: 18; funes vanitatis sunt conjunctiones falsitatum, per quas iniquitas seu malum vitæ. Apud Eundem, "Specta Zionem, urbem festi stati nostri, oculi tui videant Hierosolymam, habitaculum tranquillum, tentorium quod non dissipabitur, non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & *omnes funes ejus avellentur. Demissi sunt funes tui*, non confirmabunt malum suum,"

suum," XXXIII: 20. 23; clavi & funes pro conjungentibus vera & bona cœli, nam habitaculum & tentorium, de quibus hic prædicantur funes, sunt cœlum, n: 9457. 9481. 9485. 9615. 9784. Apud Eundem, "Amplifica locum *tentorii tui*, cortinas *habitaculorum* tuorum expandant, ne prohibeas, *longos fac funes tuos*, & clavos tuos firma," LIV: 2: & apud Jeremiam, "*Tentorium* meum devastatum est, & *omnes funes mei evulsi*," X: 20; etiam hic funes pro conjungentibus & confirmantibus, tentorium pro Ecclesia, quæ est cœlum Domini in terris. Apud Hoscheam, "*Funibus hominis traxi eos, densis funibus amoris*," XI: 4, hic funes manifeste pro conjungentibus, nam amor est conjunctio spiritualis. Apud Ezechielem, "Aschur & Kilmad, negotiatores tui *cum thesauris vestium per funes ligatarum*," XXVII: 23. 24, ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones boni & veri, n: 1201, eorum conjunctiones externæ sunt vestes per funes ligatæ. Præterea funes in Verbo etiam significant portiones hæreditatum & terræ, ex causa quia per funes mensurationes fiebant, prout Deut: XXXII: 9: Amos VII: 17. Mich: ii: 4. 5. Sach: ii: 5. Psalm: XVI: 6. Psalm: LXXVIII: 55. Psalm: CV: 11. Psalm: CXL: 6; & plures alibi.

9855. Et dabis catenulas funiculorum super fundis, quod significet conjunctionem cum bono ex quo vera, & sic conservationem Regni spiritualis omni opera & potentia, constat ex significatione catenularum quæ opere funiculorum, quod sint cohærentia & conjunctio cum bono, de qua supra n: 9852. 9854; & ex significatione fundarum auri, quod sint existentia & subsistentia verorum ex bono, de quo etiam supra n: 9847; conservatio boni & veri in Regno spirituali, seu quod idem, conservatio Regni spiritualis omni opera & potentia, significatur per duos lapides schoham positos super humeralibus Ephodi, quibus insculpta erant nomina filiorum Israelis, n: 9836. 9848. 9849.

9856. Vers: 15 ad 30. *Et facies pectorale judicii, opere excogitatoris, sicut opus Ephodi facies illud, auro, hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, facies illud. Quadratum erit duplicatum, spithama longitudo ejus, & spithama latitudo ejus. Et opplebis illud oppletura lapidis; quatuor ordines lapidis ordo, Rubinus, Topazius, Carbunculus, ordo unus. Et ordo secundus, Chrysoprasus, Sapphirus, & Adamas. Et ordo tertius, Cyanus, Achates, & Amethystus. Et ordo quartus, Tharschisch, & Schoham, & Jaspis; inclusi auro erunt in oppleturis suis. Et lapides erunt super nominibus filiorum Israelis, duodecim super nominibus eorum, sculpturis sigilli, cuique super nomine ejus erunt duodecim tribubus. Et facies super pectorali catenulas termini opere funiculi auro puro. Et facies super pectorali duos annulos auri, & dabis duos annulos super duabus extremitatibus pectoralis. Et dabis duos funiculos auri super duobus annulis ad extremitates pectoralis. Et duas extremitates duorum funiculorum dabis super duabus fundis, & dabis super humeros ephodi e regione facierum ejus. Et facies duos annulos auri, & pones illos super duabus extremitatibus pectoralis super ora ejus, quæ citra ephodum introrsum. Et facies duos annulos auri, & dabis illos super duobus humeris ephodi inferius e regione, facierum ejus*

contra

contra juncturam ejus supra cingulum ephodi. Et alligabunt pectorale ex annulis ejus ad annulos ephodi in filo hyacinthini, ad esse super cingulo ephodi, nec recedet pectorale a super ephodo. Et portabit Aharon nomina filiorum Israelis in pectorali judicii super corde suo, in intrando illo ad sanctum, ad recordationem coram Jehovah jugiter. Et dabis ad pectorale judicii Urim & Thumim, & erunt super corde Aharonis in intrando illo coram Jehovah, & portabit Aharon Judicium filiorum Israelis super corde suo coram Jehovah jugiter. Et facies Pectorale judicii, significat quod ad Divinum Verum elucens, ex Divino Bono: opere excogitatoris, significat ex intellectuali: sicut opus ephodi facies illud, significat continuum externo Regni spritualis: auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto, facies illud, significat bonum charitatis & fidei: quadratum erit duplicatum, significat justum & perfectum: spithama longitudo ejus & spithama latitudo ejus, significat æque quoad bonum & quoad verum: & opplebis illud oppletura lapidis, significat ipsa vera in suo ordine ex uno bono: quatuor ordines lapidis, ordo, significat conjunctionem omnium: Rubinus, Topasius, Carbunculus, significat cœlestem amorem boni: ordo unus, significat trinum ibi ut unum: & ordo secundus, significat trinum etiam hoc ut unum: Chrysoprasus, Sapphirus, & Adamas, significat cœlestem amorem veri: & ordo tertius, significat trinum etiam hic ut unum: Cyanus, Achates & Amethystus, significat spiritualem amorem boni: & ordo quartus, significat ultimum trinum ut unum: Tharschisch & Schoham & Jaspis, significat spiritualem amorem veri: inclusi auro erunt in oppleturis suis, significat quod omnia & singula in communi & in particulari procedent ex bono quod amoris ex Domino in Dominum: & lapides erunt super nominibus filiorum Israelis, significat distinctim bona & vera quoad omne quale: duodecim super nominibus eorum, significat omnia & singula in complexu: sculpturis sigilli, significat ad formam cœlestem: cuique super nomine ejus, significat singulis in particulari: erunt duodecim tribubus, significat omnibus in communi: & facies super pectorali catenulas termini, significat conjunctionem totius cœli in extremis: opere funiculi, significat indissolubilem: auro puro, significat per bonum cœleste: & facies super pectorali duos annulos auri, significat sphæram Divini boni per quam conjunctio a parte superiore cœli: & dabis duos annulos super duabus extremitatibus pectoralis, significat in extremis: & dabis duos funiculos auri super duobus annulis, significat modum conjunctionis indissolubilis: ad extremitates pectoralis, significat in extremis: & duas extremitates duorum funiculorum dabis super duabus fundis, significat modum conjunctionis cum sustentantibus in extremis: & dabis super humeros ephodi, significat sic sustentationem cœli & conservationem boni & veri ibi omni opera & potentia: e regione facierum ejus, significat in æternum: & facies duos annulos auri, significat sphæram Divini Boni: & pones illos super duabus extremitatibus pectoralis, significat in extremis: super ora ejus quæ citra ephodum introrsum, significat conjunctionem & conservationem partis mediæ: & facies duos annulos auri, significat sphæram Divini Boni: &

dabis super duobus humeris ephodi inferius, significat conservationem boni & veri in parte infima cœli: e regione facierum ejus, significat in æternum: contra juncturam ejus supra cingulum ephodi, significat ubi conjunctio omnium proxime intra colligamentum externum, per quod omnia continentur in nexu & in forma: & alligabunt pectorale ex annulis ejus ad annulos ephodi, significat conjunctionem & conservationem omnium cœli per sphæram Divini Boni in externis Regni spiritualis: in filo hyacinthini, significat per cœlestem amorem veri: ad esse super cingulo ephodi, significat ut conservetur in perpetuum in suo nexu & in sua forma: nec recedet pectorale a super ephodo, significat omnia cœli inseparabilia ab externis Regni spiritualis: & portabit Aharon nomina filiorum Israelis, significat conservationem boni & veri quoad omne quale a Domino: in pectorali judicii, significat repræsentativum cœli quoad Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini: super corde suo, significat ex Divino amore in æternum: in intrando illo ad sanctum, significat in omni cultu: ad recordationem coram Jehovah jugiter, significat ex Misericordia in æternum: & dabis ad pectorale judicii Urim & Thumim, significat exsplendescentiam Divini Veri a Domino in ultimis: & erunt super corde Aharonis, significat ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius: in intrando illo coram Jehovah, significat in omni cultu: & portabit Aharon judicium filiorum Israelis, significat Divinum Verum Cœli & Ecclesiæ: super corde suo coram Jehovah jugiter, significat perpetuo elucens ex Bono.

9857. Et facies pectorale judicii, quod significet quod spectat Divinum Verum elucens ex Divino Bono, constat ex significatione Pectoralis, quod sit Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini in ultimis, de qua n: 9823; id vocatur Pectorale judicii, quia dabat responsa, & per illa revelabat Divinum Verum; per Judicium etiam in Verbo significatur Divinum Verum, proinde doctrina ac vita secundum illam; inde nunc est, quod Pectorale hoc dicatur Pectorale judicii, & quoque Judicium in sequentibus hujus Capitis, "*Portabit Aharon Judicium filiorum Israelis* super corde suo coram Jehovah jugiter," Vers: 30; & cum Joschua eligeretur in ducem super populo, dicitur, "Quod staret coram Eleazare sacerdote, qui *interrogaret eum per Judicium Urim coram Jehovah*," Num: XXVII: 21. Quod Judicium sit Divinum Verum ac inde intelligentia, consequenter quod sit doctrina & vita secundum illam, constat a pluribus locis in Verbo, ut a sequentibus; apud Esaiam, "Vinea Jehovæ Zebaoth domus Israelis; *exspectavit judicium*, sed ecce suppuratio, justitiam sed ecce clamor," v: 7; exspectare judicium est intelligentiam ex Divino Vero, & vitam secundum præcepta. Apud Eundem, Sedit super throno in Veritate, in Tabernaculo Davidis, *judicans & quærens judicium*," XVI: 5, ibi de adventu Domini, thronus super quo sessurus est Divinum Verum procedens ab Ipso, & inde Regnum spirituale, videatur n: 5313. 2129. 6397. 8625, 9039; judicare judicium est docere Divinum Verum, & quærere judicium est receptionem ejus apud hominem. Apud Eundem, "In die illo erit Jehovah in cidarin decoris reliquiis populi, & *in*

spiritum

ſpiritum judicii ſedenti ſuper judicio," xxviii : 4. 5, cidaris decoris cum de Jehovah, hoc eſt, Domino, eſt Divina Intelligentia, videatur ſupra n : 9827; & ſpiritus Judicii eſt ſapientia ex Divino Vero, n : 9818; ſedenti ſuper judicio & qui de Divino Vero inſtruit, ſeu id docet. Apud Eundem, " Jehovah implevit Zionem *Judicio* & *Juſtitia*," xxxiii : 5, Zion pro Eccleſia cœleſti, impleri judicio pro intelligentia ex Divino Vero, & impleri juſtitia, pro ſapientia ex Divino Bono. Apud Eundem, " Quis direxit ſpiritum Jehovæ, cum quo deliberavit, ut *intelligentem* redderet illum, & *inſtrueret illum viam judicii*, & doceret illum *ſcientiam*, & *viam intelligentiæ* oſtenderet illi," xl : 13. 14, Spiritus Jehovæ eſt Divinum Verum, n : 9818, quod inſtruere illum viam judicii, ſit ſcientem, intelligentem & ſapientem reddere, patet. Apud Jeremiam, " Ciconia in Cœlo novit tempora ſtata ſua, at populus Jehovæ non noverunt *Judicium Jehovæ*; quomodo dicitis *ſapientes* nos, & lex Jehovæ nobiſcum," viii : 7, non noſſe judicium Jehovæ pro Divinum Verum, ex quo ſapientia; ideo dicitur quomodo dicitis ſapientes nos. Apud Eundem, " Væ ædificanti domum ſuam *ſine juſtitia*, & hyperoa ſua *ſine judicio*," xxii : 13, ædificare hyperoa ſine judicio pro imbuere non vera. Apud Hoſcheam, " Deſponſabo te Mihi in æternum in Juſtitia & *in Judicio*; & deſponſabo te Mihi *in veritate*," ii : 20, deſponſare in judicio pro conjungere per Divinum Verum, ita per fidem & fidei vitam. Apud Amos, " *Fluat ſicut aqua judicium*, & juſtitia ſicut torrens fortis," v : 24. Apud Eundem, " *Convertitis in fel judicium*, & fructum juſtitiæ in abſinthium," vi : 12, judicium etiam ibi pro intelligentia ex Divino Vero, & inde vita. Apud Zephaniam, " Jehovah in matuta *judicium ſuum dabit in lucem*," iii : 5, judicium dare in lucem pro revelare Divinum Verum. Apud Moſchen, " *Omnes viæ Jehovæ Judicium*," Deut : xxxii : 4. Apud Davidem, " Jehovah, *veritas tua* uſque ad ætheres, Juſtitia tua ſicut montes Dei, *Judicia tua abyſſus magna*," Pſalm : xxxvi : 6. 7. Apud Eundem, " Jehovah educet ſicut lucem *Juſtitiam tuam*, & *Judicium tuum* ſicut meridiem," Pſalm : xxxvii : 6. Apud Eundem, " Vocem meam audi juxta Miſericordiam tuam, Jehovah, *juxta Judicia tua vivifica me*," Pſalm : cxix : 149; in locis illis Judicium & Judicia pro Divino Vero. Apud Lucam, " Væ vobis Phariſæis, *præteritis Judicium* & Amorem Dei; hæc oportebat facere," xi : 42, præterire judicium Dei pro Divinum Verum, & præterire amorem Dei, pro Divinum Bonum, ac vitam ex utroque; quia etiam vita intelligitur, dicitur, quod illa oporteat facere. Apud Eſaiam, " Exaltetur Jehovah Zebaoth *in Judicio*, & Deus ſanctificetur *in Juſtitia*, v : 6; apud Eundem, " Super throno Davidis *ad ſtabiliendum* Regnum *in Judicio* & in Juſtitia, a nunc & uſque in æternum," ix : 6. Apud Eundem, " Proferte conſilium, *facite judicium*, pone ſicut noctem umbram tuam in medio meridiei," xvi : 3, facere judicium pro ſecundum Verum Divinum. Apud Jeremiam, " Suſcitabo Davidi germen juſtum, qui *faciet judicium* & juſtitiam in terra," xxiii : 5. Cap : xxxiii : 15. Apud Ezechielem, " Si vir fuerit juſtus, *qui fecerit judicium* & juſtitiam, in ſtatutis ambulat, & judicia mea cuſtodit, *ad fa-*

faciendum veritatem, justus hic, vivendo vivet," XVIII : 5. 9. Apud Zephaniam, "Quærite Jehovam omnes mansueti terra, qui *Judicium Ipsius fecerunt*," ii : 3. judicium Dei facere pro Divinum Verum seu secundum illud. Apud Esaiam, "Dedi spiritum meum super Illum, *judicium gentibus proferet*, non exstinguet, neque confringet, *donec posuerit in terra judicium*," XLII : 1. 4, ibi de Domino, proferre gentibus judicium, & ponere in terra judicium, pro docere Divinum Verum, & id in Ecclesia instaurare. Apud Eundem, "Lex a Mecum exibit, *& Judicium meum in lucem populorum exsuscitabo*," LI : 4; judicium pro Divino Vero; in lucem populorum pro ad illustrationem. Apud Johannem, "*In judicium in mundum hunc venio*, ut non videntes videant, videntes autem cæci fiant," IX : 39, in judicium venire in mundum pro ad revelandum Divinum Verum, quod facit videre illos qui a Domino sapiunt, & cæcutire illos qui a semet, ita qui docti audiunt. Apud Jeremiam, "Jura per vivum Jehovam in Veritate, *in Judicio* & Justitia," IV : 2. Apud Eundem, "*Non judicans judicium ad sanitatem*, medicamenta restitutionis non tibi," XXX : 13. Apud Davidem, "*Justitia & Judicium* fulcrum throni tui; misericordia & veritas ante facies tuas," Psalm : LXXXIX : 15, justitia pro bono quod misericordiæ, & judicium pro vero quod fidei, inde dicitur etiam misericordia & veritas. Apud Ezechielem, "Hierosolyma mutavit *judicia mea* in impietatem præ gentibus, & statuta mea præ terris; ideo *faciam in te judicia* in oculis gentium, & dispergam omnes reliquias tuas," V : 6. 7. 8. 10. 15, mutare judicio pro vera quæ sunt status civilis, quod illa significentur per judicia quando etiam statuta nominantur, videatur n : 8972; at facere judicia est judicare vel ad mortem, quod est damnatio, vel ad vitam quod est salvatio: salvatio vel damnatio etiam significatur per judicium, ubi dicitur dies vel hora judicii, ut Matth : XI : 21. 23. Cap : XII : 36. 41. 42. Luc : X : 14. Cap : XI : 31. 32. Johan : V : 29. Apoc : XI : 10. Cap : XIV : 7; simile etiam per Judicium, ubi de officio Judicis agitur, ut Matth : V : 21. 22. Cap : VII : 1. 2. Cap : XXIII : 14. 83. Joh : V : 24. 26. 27. Cap : VII : 24. Cap : VIII : 15. 16. Cap : XII : 31. 47. 48. Luc : VI : 37. Cap : XII : 13. 14. 56. 57. Cap : XIX : 20. 21. 37. Cap : XX : 47. Marc : XII : 41. Esai : XLI : 1. Cap : IV : 12. Jerem : XXV : 31. Cap : XLVIII : 21. Joel : IV : 12. Psalm : VII : 8. 9. Psalm : IX : 5. 8. 9. Levit : XIX : 15. Deut : I : 16. 17. Cap : XXV : 1. Apoc : XVII : 1. Cap : XVIII : 10. Cap : XX. 12. 13.

9858. Opere excogitatoris, quod significet ex intellectuali, constat ex significatione excogitatoris, quod sit intellectuale, de qua n : 9598. 9688. Quod dicatur ex intellectuali, est quia Regnum spirituale Domini, quod repræsentur per Vestes Aharonis, est intellectuale cœli, sicut Regnum cœleste est voluntarium ejus; quod Intellectuale & Voluntarium apud hominem correspondeat illis cœlis, videatur n : 9835.

9859. Sicut opus ephodi facies illud, quod significet continuum Regno spirituali, constat ex repræsentatione ephodi, quod sit Divinum Verum in Regno spirituali in forma externa, in quod desinunt interiora, de qua n : 9824, proinde

proinde externum illius Regni; continuum ejus significatur per sicut opus ephodi, ut quoque n: 9838.

9860. Auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino contexto facies illud, significat bonum charitatis & fidei, ut supra n: 9687. 9832. 9833.

9861. Quadratum erit duplicatum, quod significet justum & perfectum, constat ex significatione quadrati, quod sit justum, de qua n: 9717; quod etiam sit perfectum, est quia erat duplicatum, & duplicatum involvit omnia boni & omnia veri; quod a parte dextra, involvit bonum ex quo verum, & quod a sinistra verum ex bono, n: 9604 fin: 9736. 9495; ita quoque perfectam conjunctionem utriusque; inde quoque est, quoad duo significent conjunctionem, n: 8423; & quoque omnia & singula, n: 9166; ut & plenum, n: 9103.

9862. Spithama longitudo ejus, & spithama latitudo ejus, quod significet æque quoad bonum & quoad verum, constat ex significatione longitudinis, quod sit bonum, de qua n: 1613. 9487; & ex significatione latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3933. 3934. 4482. 9487; æque ex utroque significatur per quod longitudo & latitudo equales essent.

9863. Et opplebis illud oppletura lapidis, quod significet ipsa vera in suo ordine ex uno bono, constat ex significatione Pectoralis, quod hic est illud, quod sit Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, de qua n: 9823; ex significatione oppleturæ lapidis, quod sint vera in suo ordine, nam Pectorale opplebatur lapidibus secundum nomina filiorum Israelis, & per lapides in communi sensu significantur Vera in ultimo ordinis, n: 114. 643. 1298. 3720. 6426. 8609, & per lapides pretiosos, quales in Pectorali vera ex bono elucentia, n: 9476. Dicitur ex uno bono, quia est unum bonum ex quo omnia vera, bonum illud est bonum amoris in Domino, ita Ipse Dominus; & inde bonum amoris a Domino, quod est bonum amoris in Dominum; nam bonum quod a Domino influit apud hominem, spiritum, aut angelum, apparet sicut illorum, inde amor in Dominum est amor a Domino: hoc bonum est unicum ex quo omnia vera, & ex quo ordo inter illa, nam vera sunt formæ boni. Quod Lapides pretiosi, qui in Pectorali, significaverint Divina Vera ex Divino Bono, constat ex locis in Verbo, ubi Lapides pretiosi nominantur; ut apud Johannem in Apocalypsi, " Fundamenta muri civitatis novæ Hierosolymæ *omni Lapide pretioso* exornata erant; fundamentum primum *Jaspis*, sucundum *Sapphirus*, tertium *Chalcedonius*, quartum *Smaragdus*, quintum *Sardonyx*, sextum *Sardius*, septimum *Chrysolithus*, octavum *Beryllus*, nonum *Topazius*, decimum *Chrysoprasus*, undecimum *Hyacinthus*, duodecimum *Amethystus*," XXI: 19. 20; quod Lapides illi pretiosi significent vera Ecclesiæ; quæ sunt Vera Divina, constat ex significatione civitatis novæ Hierosolymæ, muri ejus, & fundamentorum muri; Nova Hierosolyma significat novam Ecclesiam huic nostræ successuram; nam Liber Apocalypseos agit de statu Ecclesiæ, quæ nunc, usque ad ejus finem, & tunc de nova, quæ est sancta Hierosolyma descendens e cœlo; muri ejus sunt vera fidei quæ defendunt, &

& fundamenta sunt vera ex bono; ipsa illa vera in suo ordine designantur per lapides pretiosos ibi nominatos: quod Hierosolyma non descensura sit e cœlo, & quod reliqua, quæ de illa dicuntur, non ita exstitura, sed quod in singulis ejus descriptionis, talia quæ sunt Ecclesiæ, significentur, quisque videre potest; quod vera fidei per fundamenta muri ejus intelligantur, constat ex eo, quod illa sint quæ tutantur Ecclesiam ab omni insultu, sicut muri urbem; quod Hierosolyma sit Ecclesia, videatur n: 2117. 9166; quod muri sint vera fidei tutantia Ecclesiam, n: 6419; & quod fundamenta sint vera ex bono, n: 9643. Apud Ezechielem, "Fili hominis, tolle lamentum super Regem Tyri, & dic illi, sic dixit Dominus Jehovih, plenus sapientia & perfectus pulchritudine; in Eden horto Dei fuisti; *omnis lapis pretiosus* tegumentum tuum, *Rubinus*, *Topazius* & *Adamas*, *Tharschisch*, *Schoham* & *Jaspis*, *Sapphirus*, *Chrysoprasus*, & *Carbunculus*, & aurum: in monte sanctitatis Dei fueras, *in medio lapidum ignis* ambulaveras," XXVIII: 12. 13. 14, hic etiam per Lapides pretiosos significantur vera ex bono, nam Tyrus in sensu interno repræsentativo est qui in intelligentia & sapientia ex cognitionibus boni & veri, n: 1201; inde de Rege ejus dicitur, quod plenus sapientia & perfectus pulchritudine, sapientia prædicatur de bono, & pulchritudo de vero, nam omnis sapientia in cœlis est ex bono, & omnis pulchritudo ibi ex veris inde; Eden hortus significat intelligentiam ex bono, n: 100, hortus ipsam intelligentiam, n: 100. 108. 2702; inde patet, quod per lapides ibi nominatos significentur vera ex bono: quænam autem vera ex bono singuli lapides, qui in Pectorali, significant, constabit ex sequentibus; quod omnia vera & bona in complexu, constat ex eo quod duodecim fuerint, & illis inscripta nomina filiorum Israelis seu Tribuum; nam per duodecim Tribus significantur bona & vera Cœli & Ecclesiæ in omni complexu, n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397; & quod inde significaverint cœlum cum omnibus ibi societatibus, n: 7836. 7891. 7996. 7997; & quod varia significaverint secundum ordinem quo nominantur in Verbo, n: 3862. 3926. 3939. 4603. 6337. 6640: & quod duodecim sint omnia, n: 3272. 3858. 7973.

9864. Quatuor ordines, lapidis, ordo, quod significet conjunctionem omnium, nempe verorum ex bono, constat ex significatione quatuor, quod sint conjunctio, de qua n: 1686. 9601. 9674; & ex significatione ordinum lapidis, quod sint vera ex bono in suo ordine. Quod fuerint quatuor ordines, & in quovis ordine tres lapides, erat causa, ut repræsentaretur conjunctio omnium verorum ex uno bono, & sic perfectio; per quatuor enim significatur conjunctio, ut dictum est; & per tria perfectio, n: 9825; cum enim unum bonum est, ex quo omnia procedunt, n: 9863, consequenter quod omnia spectant, tunc id est omnium conjunctio: quod ita sit, illustrari potest ex illis quæ existunt in cœlis; omnes quicunque in cœlis sunt, vertunt faciem ad Dominum, & quod mirabile, ita fit ad quamcunque plagam se convertunt; inde est, quod omnes, qui in cœlis sunt, conjuncti sint sicut unum: at qui extra cœlum sunt, vertunt facies retro a Domino, & eo magis quo remotiores sunt a cœlo, inde apud illos est disjunctio, quia non amor erga Deum

Deum & erga proximum, sed erga se & erga mundum. Sed hoc arcanum non est credibile illis, qui secundum fallacias sensuum cogitant; hi enim non comprehendere possunt, quomodo directio omnium facierum in cœlo possit dari constans ad Dominum, qui ibi est Sol, in omni conversione; videantur quæ de hac re supra n: 9828, allata sunt.

9865. Rubinus, Topazius, Carbunculus, quod significet cœlestem amorem boni, constat ex significatione illorum lapidum, quod sint bonum cœlestis amoris, amor cœlestis est amor in Dominum a Domino. Quod lapides illi eum amorem significent, est ex colore illorum rubro & flammeo, & rubrum significat amorem, n: 3300; similiter flammeum, n: 3222. 6832. 7620. 7622. 9570; hic amorem cœlestem, quia in primo ordine sunt; & quæ in primo ordine, correspondent illis quæ in cœlo intimo, ubi amor cœlestis, hoc est, amor in Dominum regnat: duodecim Lapides in Pectorali, quia repræsentabant omnia vera ex bono, inde repræsentabant quoque totum cœlum, nam Cœlum est Cœlum ex Divino Vero procedente ex Divino Bono Domini; Angeli ibi, qui constituunt cœlum, sunt receptiones ejus; inde est, quod tres lapides, qui in primo ordine, repræsentent cœlum intimum, proinde amorem qui ibi, qui vocatur amor cœlestis boni, & amor cœlestis veri, lapides qui in primo ordine amorem cœlestem boni, qui in secundo amorem cœlestem veri: quod illi lapides eum amorem repræsentent, trahunt ex colore, ut dictum est, nam lapides pretiosi secundum colores suos repræsentant: apparent enim in cœlis colores pulchritudine ineffabili, nam sunt modificationes lucis cœlestis, & lux cœlestis est Divinum Verum procedens a Domino; inde patet, quod colores ibi sistantur secundum variationes boni & veri; ita sunt modificationes lucis procedentis a Domino per Angelos: Lux quæ a Domino procedit, apparet in intimo cœlo sicut flamma, quapropter colores, qui inde sunt, rubent & fulgurant; at eadem Lux apparet in medio cœlo sicut Lux candida; quapropter colores, qui inde sunt, candent, & quantum boni in se habent, coruscant: inde est, quod bini colores fundamentales sint, ad quos omnes reliqui se referunt, nempe color ruber & color albus, & quod color ruber sit repræsentativus boni, & color albus repræsentativus veri, videatur n: 9467. Ex his nunc constat, unde est quod lapides tot colorum secundum ordines in Pectorali positi fuerint, ut nempe repræsentarent omnia bona & vera quæ in cœlis in suo ordine, proinde universum cœlum: quod lapides primi ordinis, qui sunt Rubinus, Topazius & Carbunculus repræsentarent amorem cœlestem boni, est quia illi trahunt a rubro; Rubinus etiam, qui in primo loco est, in Lingua originali derivatur a voce, quæ significat Rubedinem; & Carbunculus, qui in tertio loco, in ea Lingua derivatur a voce quæ significat fulgurationem, qualis ab igne; Topazius autem, qui in medio loco, e qua voce derivatur, ignotum est, quod a rubre flammeo colore fuerit, verosimile est; inde est quod simile de illo quod de auro dicatur apud Hiobum, "Cum Sapientia non certabit *Topazius Æthiopiæ*, auro puro non æstimabitur," XXVIII: 13; aurum etiam est bonum amoris, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 6932. 9490. 9510.

9866. Ordo unus, quod significet trinum ibi ut unum, constat a significatione ordinis, quod sit trinum, nam tres lapides constituebant illum, & tria significant completum a principio ad finem, n: 2788. 4495. 7715. 9198. 9488: ut unum dicitur, qui unum ex tribus in successivo ordine existit, nam inde simultaneum ex illis tribus in ordine collaterali correspondet successivis a quibus exstiterunt, & a quibus subsistunt, videatur n: 9825; inde est, quod tres cœli unum sint in ultimis, similiter quodlibet cœlum: hoc trahit originem ex Ipso Divino, in quo Trinum, nempe Ipsum Divinum, Divinum Humanum, & Divinum procedens, & hæc unum sunt; Ipsum illud Trinum & Unum Divinum est Dominus. Ex his constare potest; cur in unoquovis ordine essent tres lapides, & quod per unumquemvis ordinem significetur trinum ut unum. Quod quatuor ordines fuissent, est causa, quia bina Regna in cœlis sunt, Regnum cœleste & Regnum spirituale, ac in unoquovis Internum & Externum; Internum & Externum Regni cœlestis, repræsentabatur per binos ordines a dextro Pectoralis, ac Internum & Externum Regni spiritualis per binos ordines a sinistro ejus, nam Pectorale erat Quadratum duplicatum.

9867. Et ordo secundus, quod significet trinum etiam hoc ut unum, constat ex illis quæ nunc ostensa sunt. In genere, quod omne unum ex harmonia & consensu plurium existat, videatur n: 457.

9868. Chrysoprasus, Sapphirus & Adamas, quod significet cœlestem amorem veri, a quo sequentia, constat ex significatione istorum lapidum, quod sint cœlestis amor veri, de qua sequitur dicitur quod ex eo sequentia, quia omnia bona & vera quæ sequuntur, procedunt ordine ex illis quæ præcedunt, nam nihil inconnexum a prioribus se dari potest, primum in ordine est amor cœlestis boni, secundum est amor cœlestis veri; tertium est amor spiritualis boni, & quartum est amor spiritualis veri; hic ordo est qui repræsentatus est in ordinibus Lapidum in Pectorali judicii, estque ipse ordo bonorum & verorum in cœlis; in intimo cœlo est amor cœlestis boni, & amor cœlestis veri, amor cœlestis boni est internum ejus, & amor cœlestis veri est externum ejus; in secundo autem cœlo est amor spiritualis boni, qui est internum ejus, & amor spiritualis veri qui est externum ejus, influit etiam unum in alterum eodem ordine, & constituunt sicut unum; inde patet, quod intelligitur per ex quo sequentia. Quod Lapides hujus ordinis concernit, trahunt illi significationem, sicut priores, & quoque reliqui, ex suis coloribus; quod Lapides pretiosi secundum colores significent, videatur supra n: 9865; & quod colores in cœlis sint modificationes lucis & umbræ ibi, ita quod sint variegationes intelligentiæ & sapientiæ apud Angelos, n: 3993. 4530. 4677. 4742. 4922. 9466, nam Lux cœli est Divinum Verum procedens ex Domino, unde omnis intelligentia & sapientia. Lapides prioris ordinis ex rubro traxerunt quod significarent amorem cœlestem boni, Lapides autem hujus ordinis trahunt ex cæruleo quod ex rubro; nam datur cæruleum ex rubro & cæruleum ex albo; cæruleum ex rubro intus ex flammeo coruscat, hoc cæruleum est quod significet amorem cœlestem veri, at cæruleum ex albo, qualis in

lapidibus ſequentis ordinis, qui ſignificat amorem ſpiritualem boni, intus non coruſcat ex flammeo, ſed ex lucido. Num *Chryſopraſus*, qui eſt primus lapis hujus ordinis, colore cæruleo fuerit, non conſtare poteſt ex derivatione ejus in Lingua originali; ſed quod ſignificet cœleſtem amorem veri, patet apud Ezechielem, "Syria negotiatrix tua ob multitudinem operum tuorum, cum *Chryſopraſo*, Purpura & Acupicto," XXVII: 16, ibi de Tyro, per quam ſapientia & intelligentia ex cognitionibus boni & veri ſignificatur, n: 1201; conjungitur ibi Chryſopraſus cum purpura, & quia purpura ſignificat amorem cœleſtem boni, n: 9467, ſequitur quod Chryſopraſus ſignificet amorem cœleſtem veri, nam in Verbo Prophetico ubi dicitur de bono, etiam dicitur de ejuſdem generis vero, ob conjugium cœleſte in ſingulis ibi n: 9263. 9314: Syria etiam, quæ negotiatrix, ſignificat cognitiones boni, n: 1232. 1234. 3249. 4112, cognitiones boni ſunt vera amoris cœleſtis. Quod Sapphirus, qui eſt ſecundus Lapis hujus ordinis, ſit coloris cærulei, qualis cœli, notum eſt, quare dicitur in Libro Exodi, "Septuaginta ex Senioribus viderunt Deum Iſraelis, & ſub pedibus Ipſius, *ſicut opus Sapphiri*, & ſicut *ſubſtantia cœli* quoad munditiem," XXIV: 10; quod lapis ille ſignificet tranſlucidum a veris interioribus, quæ ſunt vera amoris cœleſtis, videatur n: 9407. Quod autem *Adamas* qui eſt tertius Lapis hujus ordinis, ſit verum amoris cœleſtis, eſt ex tranſlucido ejus quod ad cæruleſcentiam interiorem accedit; ſic enim per illum, quia ultimus, tranſlucent colores lapidum hujus ordinis, ut & prioris, & communicantur cum illis qui in ſequenti ordine; ſimiliter ac ſe habet cum bono & veris in intimo cœlo; cum bono & veris in ſequentibus; hæc enim ſuam vitam charitatis & fidei trahunt ab illis per communicationem, ſicut per tranſlucentiam.

9869. Et ordo tertius, ſignificat trinum etiam hic ut unum, ut ſupra n: 9866.

9870. Cyanus, Achates, & Amethyſtus, quod ſignificet ſpiritualem amorem boni, conſtat ſimiliter ex colore illorum, color enim cæruleus ex albo ſignificat bonum ſpirituale, ſeu quod idem amorem ſpiritualem boni, videatur ſupra n: 9868; amor ſpiritualis boni eſt charitas erga proximum, & amor ſpiritualis veri eſt fides ex charitate; ex illo bono & ex hoc vero conſiſtit cœlum alterum; internum ejus eſt bonum charitatis, & externum eſt bonum fidei. Quod Cyanus ſit coloris cærulei, notum eſt, ut & quod Amethyſtus; quod etiam Achates, non ita notum eſt, nam in Lingua originali neſcitur cujus ſpecies lapis is ſit, num Achates, num thurcicus, vel num alius.

9871. Et ordo quartus, quod ſignificet ultimum trinum ut unum, conſtat ex illis quæ ſupra n: 9866, allata ſunt.

9872. Tharſchiſch & Schoham & Jaſpis, quod ſignificet ſpiritualem amorem veri, in quem deſinunt ſuperiora, conſtat ex illorum lapidum ſignificatione, quam trahunt ex ſuis coloribus; color enim omnium hujus ordinis accedit ad candorem ex cæruleo; quod *Tharſchiſch* ſignificet ſpiritualem amorem veri, conſtat ex locis in Verbo ubi nominatur, ut apud Ezechielem, "Ecce quatuor rotæ juxta Cherubos; *aſpectus rotarum ad inſtar Lapidis*

Tharſchiſch," 1 : 16. Cap : x : 9 ; rotæ chæruborum ſignificant ſimile cum brachiis & pedibus apud hominem, nempe potentiam agendi & progrediendi ; quæ eſt veri ex bono, videatur n : 8215 ; inde eſt, quod aſpectus illarum eſſet ad inſtar lapidis Tharſchiſch ; Tharſchiſch enim eſt verum ex bono ſpirituali, cui potentia. Apud Danielem, " Suſtuli oculos & vidi, ecce vir indutus linteis, cujus lumbi cincti auro uphaſi, & *corpus ejus ſicut Tharſchiſch*, facies ejus ſicut fulguris, & oculi ſicut faces ignis," x : 6, Vir indutus linteo erat angelus ex cœlo, linteum ſignificat Verum quod inveſtit bonum, n : 7601 ; lumbi ſignificant amorem conjugialem, qui eſt boni & veri, n : 3021. 4380. 5050 ad 5062, inde eſt, quod lumbi dicantur cincti auro Uphaſi, aurum enim eſt bonum amoris, n : 113. 1551. 1552. 5658. 9490. 9510 ; corpus autem ex Correſpondentia ſignificat bonum amoris cœleſtis, & quoque bonum amoris ſpiritualis, n : 6135 ; & externum ejus ſignificat verum ex illo bono, inde eſt, quod corpus ejus apparuerit ſicut Tharſchiſch ; ita quod Tharſchiſh ſit verum amoris ſpiritualis. Quod *Schoham*, qui eſt lapis ſecundus in hac ordine, ſignificet vera fidei ex amore, videatur oſtenſum n : 9476. 9841. Quod *Jaſpis*, qui eſt tertius lapis hujus ordinis & ultimus, ſignificet verum fidei, conſtat apud Johannem in Apocalypſi, " Luminare civitatis Sanctæ Hieroſolymæ *ſimile Lapidi pretioſiſſimo*, ſicut *lapidi Jaſpidi, inſtar Chryſtalli ſplendenti*," xxi : 11 ; per ſanctam Hieroſolymam ſignificatur Eccleſia huic noſtra ſucceſſura ; per luminare ejus Verum fidei, & inde intelligentia, n : 9548. 9551. 9555. 9558. 9561. 9684 ; quapropter id aſſimilatur lapidi Jaſpidi inſtar Chryſtalli ſplendenti ; Chryſtallum etiam eſt Verum fidei ex bono. Apud Eundem, " Structura muri Sanctæ Hieroſolymæ *erat jaſpis*, & urbs aurum purum ſimile vitro puro," xxi : 18, murus illius urbis dicitur Jaſpis, quia per murum ſignificatur Verum fidei tutans Eccleſiam, n : 6419 ; & quia per murum id ſignificatur, ideo primus lapis fundamentorum illius *dicitur Jaſpis*, Verſ : 19, ibi ; fundamentum enim eſt Verum fidei ex bono, n : 9643.

9873. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatum eſt per duodecim lapides pretioſos in Pectorali Judicii, quod nempe omnia bona & vera cœli in ſuo ordine ; cœlum eſt diſtinctum in duo Regna, Cœleſte & Spirituale ; Bonum Regni cœleſtis repræſentatum eſt per binos ordines primos, qui erant a latere dextro ibi ; & Bonum Regni ſpiritualis per binos ordines ſequentes, qui erant a latere ſiniſtro ; Bonum internum Regni cœleſtis eſt bonum amoris in Dominum, hoc bonum eſt quod intelligitur per amorem cœleſtem boni ; Bonum autem externum Regni cœleſtis eſt bonum amoris mutui, hoc bonum eſt quod intelligitur per amorem cœleſtem veri : Bonum autem internum Regni ſpiritualis eſt bonum Charitatis ergo proximum, hoc bonum eſt quod intelligitur per amorem ſpiritualem boni ; & Bonum externum Regni ſpiritualis eſt bonum fidei, hoc bonum eſt quod intelligitur per amorem ſpiritualem veri ; quod bona & vera in eo ordine conſtituant cœlos, videatur n : 9468. 9473. 9680. 9683. 9780 : inde nunc patet, quid repræſentatum eſt per duodecim lapides, qui Urim & Thumim dicebantur ; quomodo autem

Divina

Divina vera, quæ Responsa fuerunt, per illos manifestata fuerint, infra n: 9905, dicetur: quod ibi bonum amoris primo loco fuerit, & verum fidei ultimo, constat ex primo lapide qui Rubinus, & ex ultimo qui Jaspis, ita ex colore primi lapidis qui ruber, & ultimi qui albus, uterque pellucens, quod rubrum significet bonum amoris, videatur n: 3300. 9467; & quod album verum fidei, n: 3301. 3993. 4007. 5319: Simile quod per Lapides in Pectorali, etiam per contexturas in Ephodo significatum est; Ephodum contextum erat ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, & byssino, ut patet a Vers: 6 hujus Capitis, & per hyacinthinum significatum est Verum amoris cœlestis, per purpuram bonum amoris cœlestis, per coccineam dibaphum bonum amoris spiritualis, & per byssinum verum amoris spiritualis, n: 9833, causa erat, quia Ephodum significabat cœlum in ultimis, similiter ac Pectorale, n: 9824; sed bona & vera recensentur ibi in alio ordine, quia Ephodum significabat cœlum spirituale, Pectorale autem totum cœlum a primo ad ultimum: & quia Habitaculum cum Tentorio etiam repræsentabat cœlum, n: 9457. 9481. 9485. 9615, ideo contextura cortinarum & velorum ejus pariter ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho & byssino erat, videatur Cap: præc: XXVI: 1. 31. 36. Cap: XXVII: 16. & n: 9466. 9467. 9468. 9469. Præterea sciendum, quod SAPPHIRUS in communi sensu significet Externum Regni cœlestis, ac SCHOHAM Externum Regni spiritualis; & quia id duo illi lapides significabant, ideo erant Lapides medii ultimorum ordinum, nempe Sapphirus lapis medius in secundo ordine, & schoham lapis medius in quarto; lapides secundi ordinis significabant bonum externum Regni cœlestis, quod vocatum est amor cœlestis veri, & lapides quarti ordinis significabant bonum externum Regni spiritualis, quod vocatum est amor spiritualis veri, videantur quæ supra in hoc Articulo de illis dicta sunt. Quod Sapphirus significet Externum Regni cœlestis, patet a locis in Verbo ubi nominatur, ut in Libro Exodi, "Septuaginta ex Senioribus viderunt Deum Israelis, *& sub pedibus Ipsius sicut opus Sapphiri*, & sicut substantia cœli quoad munditiem," XXIV: 10; ita describitur Externum Regni cœlestis, nam dicitur sub pedibus Ipsius, quod est Externum, & ubi Deus Israelis, hoc est, Dominus, ibi est cœlum. Apud Esaiam, "Afflicta & procellis jactata, nec consolationem nacta; ecce dispono cum stibio *Lapides tuos*, & *fundamenta tua ponam in Sapphiris*," LIV: 11; agitur in eo Capite de Regno cœlesti, fundamenta, quæ ponentur in Sapphiris, sunt externa ibi, nam fundamenta substrata sunt. Apud Jeremiam, "Albi Naziræi ejus præ nive, candidi erant præ lacte, rubuerunt ossa præ margaritis, *Sapphirus polities eorum*," Thren: IV: 7; Nazirræi repræsentabant cœlestem hominem, ideo dicitur quod Sapphirus polities eorum, polities est externum. Apud Ezechielem, "Super expansum, quod super capite Cheruborum, *quasi Aspectus Lapidis Sapphiri*, similitudo throni, & super similitudine throni quasi aspectus Hominis sedentis super illo," I: 26. Cap: X: 1, ibi etiam Externum Regni cœlestis per Sapphirum describitur, nam quod supra expansum est, seu quod circumcirca est, id extra est, intimum est sedens super throno. Sicut Lapis Sapphirus

phirus significat Externum Regni cœlestis, ita Lapis *Schoham* Externum Regni spiritualis; ideo quoque hic Lapis erat, qui super binis Humeralibus Ephodi cum insculptis nominibus filiorum Israelis, ponebatur, de quibus in Vers: 9 ad 14 hujus Capitis; per Ephodum enim repræsentabatur Externum Regni spiritualis, n: 9824. Quia Schoham & Sapphirus in communi sensu Externa duorum cœlorum significabant, ideo etiam ponebantur in medio trium lapidum secundi & quarti ordinis, ut supra dictum est; nam medium involvit totum, similiter ac de Pallio, per quod in communi sensu repræsentatum est Regnum spirituale, quia medium, ut supra n: 9825, ostensum est. Quia bini illi Lapides involvunt omne, quod reliqui in ordinibus illis significabant, ideo dicitur apud Hiobum, "Sapientia non æquiparatur Auro Ophiro, *Schoham pretioso* & *Sapphiro*," xxviii: 16.

9874. Inclusi auro erunt in oppleturis suis, quod significet quod omnia & singula in communi, & in particulari procedent ex bono quod amoris ex Domino in Dominum, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9490. 9510; & ex significatione occludi illis in oppleturis suis, quod sit procedere ex illo; nam omnes & singuli lapides circumdabantur & sic includebantur auro, & quoniam aurum significat bonum amoris, ita inclusio id quod inde est, seu quod inde procedit; simile ac per fundas auri, quibus circumdabantur bini lapides Schoham, qui positi super humeralibus Ephodi, Vers: 11 hujus Capitis. Cum his ita se habet, Pectorale cum duodecim Lapidibus repræsentabat omne bonum & verum in cœlis, ita totum cœlum, ut supra ostensum est, & cœli non solum, sed etiam omnes societates quæ in cœlis, ut & unusquisque Angelus qui in societate, circumdatur Divina Sphæra, quæ est Divinum Bonum & Verum procedens a Domino, de qua videatur n: 9490. 9491. 9492. 9498. 9499. 9534; sicut recipitur bonum & verum illius sphæræ ab angelis, ita quoque omnia & singula apud illos procedunt inde, nam unusquisque angelus est cœlum in minima forma: ipsum illud bonum procedens a Domino est quod repræsentatur per aurum circum lapides, & includens illos. Quod id bonum sit bonum amoris a Domino in Dominum, constare potest ex eo, quod omne bonum sit amoris; nam quod homo amat, hoc dicit bonum, & quoque sentit bonum: inde patet, quod bonum cœleste sit bonum amoris in Dominum, nam per amorem illum conjungitur Angelus & homo Domino; & sic adducitur ad Ipsum, & fruitur omni bono cœli: quod id bonum sit a Domino, notum est in Ecclesia, doctrina enim ejus docet, quod omne bonum sit a Divino, & nihil a semet; inde patet, quod bonum amoris in Dominum erit a Domino, & quod bonum aliunde non sit bonum.

6875. Et lapides erunt super nominibus filiorum Israelis, quod significet distinctim bona & vera quoad omne quale, constat ex significatione lapidum, quod sint distinctim bona & vera, nam unusquisque Lapis distincte aliquod bonum & verum significat, prout ostensum videatur n: 9865 ad 9872; &

ex

ex significatione nominum filiorum Israelis, quod sint eadem bona & vera quoad omne quale, de qua n: 9842. 9843.

9876. Duodecim super nominibus eorum, quod significet omnia & singula in complexu, constat ex significatione duodecim, quod sint omnia, de qua n: 3272. 3858. 3913. 7973; & ex significatione nominum filiorum Israelis, quod sint bona & vera in complexu, quoad omne quale, de qua n: 9875.

9877. Sculpturis sigilli, quod significet ad formam cœlestem, constat ex significatione sculpturarum sigilli, quod sint forma cœlestis, de qua n: 9846. Quod formam cœlestem attinet, est illa secundum quam omnes societates in cœlis ordinatæ sunt, ita secundum quam omnia vera ex bono; nam Angeli in cœlis sunt receptiones verorum ex bono; Divinum Bonum procedens a Domino creat illam formam; secundum illam formam fluunt omnes affectiones quæ amoris, & inde omnes cogitationes quæ fidei, quippe secundum illam se diffundunt in societates angelicas, & faciunt communionem: inde est, quod qui in bono amoris in Dominum sunt, & inde in veris fidei, in liberrimo statu volendi & cogitandi sint; qui autem non in illo bono sunt, & consequenter in veris inde, in statu servo sunt, nam a semet, & non a Domino, a quo illa forma, volunt & cogitant. Sed qualis illa forma sit, non singillatim comprehendi potest, ex causa quia transcendit omnem intelligentiam.

9878. Cuique super nomine ejus, quod significet singulis in particulari; erunt duodecim tribubus, quod significet omnibus in communi, constat ex significatione nominum filiorum Israelis, quod sint bona & vera quoad omne quale, de qua supra n: 9842. 9843; & quia cuique lapidi erat suum nomen ex tribubus, ideo significatur quod ita singulis in particulari; & ex significatione duodecim tribuum, quod sint omnia bona & vera in complexu, per duodecim significantur omnia, n: 3272. 3858. 3913. 7973; & per Tribus bona amoris & vera fidei in omni complexu, n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6397. 7836. 7891. 7996. 7997; ita omnia in communi.

9879. Et facies super Pectorali catenulas termini, quod significet conjunctionem totius cœli in extremis, constat ex significatione Pectoralis, quod sit Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, de qua n: 9823, ita quoque cœlum, de qua sequitur; ex significatione catenularum, quod sint cohærentia, de qua supra n: 9852, ita quoque conjunctio; & ex significatione termini, quod sit extremum, ut quoque supra n: 9853. Quod Pectorale etiam sit cœlum, est quia omnia bona & vera in complexu ibi repræsentata sunt per duodecim lapides, & per nomina duodecim Tribuum, & bona & vera in complexu constituunt cœlum, usque adeo, ut sive dicas cœlum, sive illa, idem sit; Angeli enim, qui cœlum constituunt, sunt receptiones boni & veri a Domino, & quia sunt receptiones illorum, etiam sunt formæ illorum, quæ sunt formæ amoris & charitatis, vera fidei faciunt pulchritudinem, sed pulchritudinem secundum vera ex bono, hoc est, secundum vera per quæ elucet bonum; formæ amoris & charitatis, quales sunt angelorum in cœlis,

sunt

ſunt formæ humanæ; cauſa eſt, quia bona & vera quæ procedunt ex Domino, & quorum receptiones ſunt angeli, ſunt effigies & imagines Domini.

9880. Opere funiculi, quod ſignificet indiſſolubilem, conſtat ex ſignificatione funiculi, quod ſit conjunctio, de qua ſupra 9854, quod ſit conjunctio indiſſolubilis, eſt quia funiculus erat operis contorti & implexi, ut patet ex Lingua originali, in qua talis funiculus nominatur; quod operis contorti & implexi eſt, hoc in ſenſu ſpirituali eſt indiſſolubile.

9881. Auro puro, quod ſignificet per bonum cœleſte, conſtat ex ſignificatione auri, quod ſit bonum amoris, de qua n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9490. 9510: & quia dicitur aurum purum, eſt bonum cœleſte quod intelligitur, nam datur bonum cœleſte & bonum ſpirituale, ac utrumque internum & externum; bonum cœleſte eſt bonum amoris in Dominum, & bonum ſpirituale eſt bonum amoris erga proximum; omnia illa bona in Verbo vocantur aurum, & diſtinguuntur per aurum ex Uphaſi, ex Ophiris, ex Scheba & Chavillah, & quoque ex Tharſchiſh, *per aurum ex Uphaſi*, Jer: x: 9. Dan: x: 5, quod eſt bonum cœleſte; *per aurum ex Ophiris*, Eſai: xiii: 10. Pſalm: xlv: 9. Hiob: xxii: 14. Cap: xxviii: 16, quod eſt bonum ſpirituale; *per aurum ex Schebah*, Eſai: lx: 6. Ezech: xxvii: 22: Pſalm: lxxii: 15, quod eſt bonum cognitionum; ut & *per Aurum ex Chavillah*, Geneſ: ii: 11. 12: tum *per argentum* & *aurum ex Tharſchiſh*, Eſai: lx: 9, quod eſt verum & bonum ſcientificum.

9882. Et facies ſuper Pectorali duos annulos auri, quod ſignificet ſphæram Divini Boni, per quam conjunctio a parte ſuperiore cœli, conſtat ex ſignificatione Pectoralis, quod ſit ræpræſentativum cœli, de qua n: 9879; & ex ſignificatione duorum annulorum auri, quod ſit Sphæra Divini Boni, per quam conjunctio, de qua n: 9498. 9501; quod ſit a parte ſuperiore cœli, ſignificatur per quod annuli eſſent a ſuperiore parte Pectoralis, nam inde catenulæ ducebantur ad fundas auri ſuper humeralibus Ephodi.

9883. Et dabis duos annulos ſuper duabus extremitatibus Pectoralis, quod ſignificet in extremis, conſtat ex ſignificatione duorum annulorum, quod ſint ſphæra Divini Boni per quam conjunctio, de qua mox ſupra n: 9882; ex ſignificatione duarum extremitatum, quod ſint ultima ſeu extrema; & ex ſignificatione Pectoralis, quod ſit repræſentativum cœli, de qua ſupra n: 9879; ex quibus patet, quod per dabis duos annulos ſuper duabus extremitatibus Pectoralis ſignificetur conjunctio Sphæræ Divini Boni in extremis cœli.

9884. Et dabis duos funiculos auri ſuper duobus annulis, quod ſignificet modum conjunctionis indiſſolubilis, conſtat ex ſignificatione funiculorum, quod ſint conjunctio indiſſolubilis, de qua ſupra n: 9880; ex ſignificatione auri, quod ſit bonum amoris, de qua etiam ſupra n: 9881; modus autem conjunctionis ſignificatur per dare illos ſuper duobus annulis: ex his patet, quod per dabis duos funiculos auri ſuper duobus annulis, ſignificatur modus conjunctionis indiſſolubilis boni cum Divina ſphæra.

9885. Ad extremitates Pectoralis, quod ſignificet in extremis, conſtat ex illis quæ ſupra n: 9882, dicta ſunt.

9886. Et duas extremitates duorum funiculorum dabis super duabus fundis, quod significet modum conjunctionis sustentantibus in extremis, constat ex significatione extremitatum, quod sint ultima seu extrema, de qua supra n: 9882; ex significatione funiculorum, quod sint conjunctio indissolubilis, de qua etiam supra n: 9880; modus conjunctionis significatur per dare illos super fundis; & ex significatione fundarum, quæ super humeris, quod sint existentia & subsistentia, de qua n: 9847. 9851, quod etiam sint sustentatio, est quia super humeris erant, & per humeros significantur sustentantia, quoniam sustinent & portant.

9887. Et dabis super humeros Ephodi quod significet sic sustentationem cœli & conservationem boni & veri ibi omni opera & potentia, constat ex significatione dare super humeros ephodi, quod sit sustentatio & conservatio boni & veri in cœlis; quod sit sustentatio, videatur mox supra n: 9885, quod sit conservatio omni opera & potentia, n: 9836: quod sit sustentatio cœli per Divinum procedens a Domino, ut & conservatio boni & veri ibi, est quia Pectorale, quod per funiculos alligabatur humeralibus ephodi, & sic sustentabatur, significatur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, n: 9823, ita omnia bona & vera in complexu, quæ faciunt cœlum, n: 9879.

9888. E regione facierum ejus, quod significet in æternum, constat ex significatione e regione facierum, quod sit in æternum; per Pectorale enim significatur cœlum, ac omne bonum & verum quod id constituit, n: 9879; quod e regione facierum ibi est, hoc in perpetuo conspectu Domini, est, ita conservatur in æternum.

9889. Et facies duos annulos auri, quod significet sphæram Divini Boni, constat ex significatione annulorum, quod sint sphæra Divini Boni per quam conjunctio; de qua n: 9882; & ex significatione auri, quod sit bonum amoris, de qua n: 9880.

9890. Et pones illos super duabus extremitatibus Pectoralis, quod significet in extremis, constat ex significatione extremitatum, quod sint ultima seu extrema; & ex significatione Pectoralis, quod sit repræsentativum cœli, de quibus n: 9882.

9891. Super ora ejus quæ citra Ephodum introrsum, quod significet conjunctionem & conservationem partis mediæ, constat ex significatione oræ Pectoralis quæ citra Ephodum introrsum, quod sit conjunctio cum parte media cœli, & sic conservatio, per Ephodum enim significatur Divinum Verum in cœlo spirituali in forma externa, n: 9824; ita cœlum in externis; & ora quæ citra Ephodum, & pars media: agitur enim de conjunctione omnium bonorum & verorum cœli cum ultimis ibi, & inde de conservatione totius & omnium ejus partium: omnia bona & vera repræsentantur per duodecim Lapides Pectoralis, & per nomina duodecim Tribuum illis ibi; conjunctio illorum cum ultimis cœli repræsentatur per alligationem ejus ad Ephodum in sex locis, binis ad humeralia superius, binis ad mediam partem; & binis ad humeralia inferius supra cingulum; inde sistitur repræsentative con-

conservatio totius & cœli & omnium ibi; conjunctio Pectoralis ad humeralia superius repræsentat conservationem bonorum & verorum cœlestium ibi; conjunctio autem ad oram citra Ephodum introrsum seu ad mediam partem repræsentat conservationem bonorum & verorum spiritualium; & conjunctio ad humeralia inferius contra juncturam supra cingulum repræsentat conservationem bonorum & verorum naturalium a binis prioribus procedentium: nam bona & vera cœli in triplici ordine sunt; quæ in supremis vocantur cœlestia, quæ in mediis spiritualia, & quæ in inferioribus naturalia procedentia ab illis, de quibus infra.

9892. Et facies duos annulos auri, significat sphæram Divini Boni, ut supra n: 9881. 9888.

9893. Et dabis super duobus humeris Ephodi inferius, quod significet conservationem boni & veri in parte infima cœli, constat ex significatione dare super humeros, quod sit conservatio omni opera & potentia, ut supra n: 9886, per inferius ibi significatur pars infima cœli, ubi bonum & verum sunt in forma naturali, videatur mox supra n: 9890.

9894. E regione facierum ejus, significat in æternum, ut supra n: 9887.

9895. Contra juncturam ejus supra cingulum Ephodi, quod significet ubi conjunctio omnium proxime intra colligamentum externum, per quod omnia continentur in nexu & in forma, constat ex significatione contra juncturam Ephodi, quod sit ubi conjunctio omnium quæ per Ephodum significantur, quæ sunt bona & vera in Regno spirituali in forma externa, n: 9824; ex significatione supra cingulum Ephodi, quod sit proxime intra colligamentum externum, per quod omnia continentur in nexu & in forma, nam per supra significatur intra, quia per superiora interiora, n: 2148. 3084. 4599. 5146. 8325; & per cingulum ephodi colligamentum externum, per quod omnia continentur in nexu & in forma, n: 9828. 9837. Quomodo cum his se habet, paucis dicetur; quod per alligationem pectoralis ad humeralia superius, interius & inferius, significetur conjunctio omnium cœli, supra n: 9891, ostensum est; & quod per hanc ultimam alligationem, quæ supra cingulum, conservatio illorum a parte infima, ubi bonum & verum sistitur in forma naturali, n: 9893; quod illa quæ infima sunt, seu quæ ultima, contineant superiora seu interiora in nexu & in forma, videatur n: 9828; id infimum seu ultimum repræsentatur per cingulum ephodi, n: 9828. 9837; at quod proxime intra seu supra est, repræsentatum est per id quod est contra juncturam supra cingulum, ubi pectorale Ephodo inferius alligatum est.

9896. Et alligabunt Pectorale ex annulis ejus ad annulos ephodi, quod significet conjunctionem & conservationem omnium cœli per sphæram Divini Boni in externis Regni spiritualis, constat ex significatione alligare, quod sit conjunctio & conservatio, de qua in superioribus, ubi de alligatione Pectoralis ad Ephodum actum est; ex significatione Pectoralis, quod sit repræsentativum omnium cœli, de qua n: 9879. 9887; ex significatione annulorum, quod sint sphæra Divini Boni per quam conjunctio, de qua n: 9498. 9501. 9882; & ex significatione Ephodi, quod sit Divinum Verum in Regno

spirituali

ſpirituali in forma externa, in quod deſinunt interiora, de qua n: 9824, ita omne externum illius Regni.

9897. In filo hyacinthini, quod ſignificet per cœleſtem amorem veri, conſtat ex ſignificatione fili hyacinthini, quod ſit cœleſtis amor veri, de qua n: 9466. 9687. 9833.

9898. Ad eſſe ſuper cingulo ephodi, quod ſignificet ut conſervetur in perpetuum in ſuo nexu & in ſua forma, conſtat ex illis quæ ſupra n: 9895, dicta ſunt.

9899. Nec recedet Pectorale a ſuper Ephodo, quod ſignificet omnia cœli inſeparabilia ab externis Regni ſpiritualis, conſtat ex ſignificatione non recedere, quod ſit non ſeparari; ex ſignificatione Pectoralis, quod ſit repræſentativum omnium cœli, de qua n: 9879. 9887; & ex ſignificatione Ephodi, quod ſit omne externum Regni ſpiritualis, de qua n: 9824. 9896.

9900. Et portabit Aharon nomina filiorum Iſraelis, quod ſignificet conſervationem boni & veri quoad omne quale a Domino, conſtat ex ſignificatione portare, cum de Pectorali, per quod ſignificantur omnia bona & vera cœli, n: 9879. 9887, quod ſit conſervare, quod enim portatur ſuper pectore, hoc conſervatur; quod etiam portare, cum de Divino, ſit continere in ſtatu boni & veri, videatur n: 9500. 9737; ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9806; & ex ſignificatione nominum filiorum Iſraelis, quod ſint bona & vera cœli & Eccleſiæ quoad omne quale, de qua n: 9842.

9901. In Pectorali judicii, quod ſignificet repræſentativum cœli quoad Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, conſtat ex ſignificatione Pectoralis judicii, quod ſit Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, de qua n: 9857; & quod ſit repræſentativum cœli, n: 9879. 9882.

9902. Super corde ſuo, quod ſignificet ex Divino amore in æternum, conſtat ex ſignificatione cordis, quod ſit bonum amoris, de qua n: 3313. 3635. 3883 ad 3896. 7542. 9050; inde cum de Domino, qui hic per Aharonem repræſentatur, eſt Divinus amor; inde portare ſuper corde, eſt conſervare ex Divino amore in æternum.

9903. In intrando illo ad ſanctum, quod ſignificet in omni cultu, conſtat ex ſignificatione intrare ad ſanctum, quod ſit cultus; ſanctum enim vocabatur omnis adminiſtratio ejus ad altare, & in tentorio conventius, quæ adminiſtratio erat cultus.

9904. Ad recordationem coram Jehovah jugiter, quod ſignificet ex Miſericordia in æternum, conſtat ex ſignificatione recordationis, cum de Divino, quod conſervare aut liberare ex Miſericordia, de qua n: 9849; & ex ſignificatione jugiter, quod ſit in æternum.

9905. Et dabis ad Pectorale judicii urim & thumim, quod ſignificet exſplendeſcentiam Divini Veri a Domino in ultimis, conſtat ex ſignificatione Pectoralis judicii, quod ſit Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, de qua n: 9857; & ex ſignificatione Urim & Thumim, quod ſit Lux & Exſplendeſcentia inde: quod Urim & Thumim ſint Lux & Exſplendeſcentia,

tia, est quia per Lapides in Pectorali exsplendescebat Lux coeli cum varietate secundum responsa quæ per illos dabantur, ideo quoque erant diversicolores; Divinum enim Verum procedens a Divino Bono Domini apparet coram angelis ut Lux, inde est omnis Lux cœli; colores inde, qui sunt modificationes illius Lucis apud Angelos, sunt variegationes intelligentiæ & sapientiæ apud illos, nam omnis sapientia & intelligentia a Divino illo vero seu Luce est; inde constare potest, quod per varii coloris exsplendescentias ex luce illa sistantur Divina Vera, quæ responsa, in cœlis: similiter per Urim & Thumim, cum Divinum interrogabatur. Sed sciendum, quod cum exsplendescentia appareret, tunc simul viva voce dicebatur responsum rei quæ interrogabatur; quod factum per angelos, quibus per exsplendescentiam talem id a Domino revelabatur, nam ut dictum, Divina vera, quæ responsa, in cœlis ita apparent. Quod Lux cœli sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, videatur n: 1053. 1521 ad 1533. 1619 ad 1632. 2776. 3094. 3138. 3167. 3190. 3195. 3222. 3223. 3337. 3339. 3341. 3636. 3643. 3862. 3993. 4060. 4180. 4302. 4408. 4414. 4415. 4419. 4527. 4598. 5400. 6032. 6313. 6315. 6608. 6907. 7174. 8644. 8707. 8861. 9399. 9407. 9570. 9571 fin. Et quod colores in cœlis appareant, & quod illi sint modificationes illius Lucis apud angelos, ita variegationes intelligentiæ & sapientiæ apud illos, n: 3993. 4530. 4677. 4742. 4922. 9466. 9467. 9865. Quod ita sit, etiam constat ex significatione Urim & Thumim, Urim enim significat ignem lucentem, & Thumim exsplendescentiam inde; ignis lucens est Divinum Verum ex Divino Bono Divini Amoris Domini, & exsplendescentia est id Verum in ultimis, ita in effectu: ut sciendum, quod Thumim in Lingua Hebræa sit integritas, sed in Lingua angelica Exsplendescentia: dicitur in Lingua Angelica, quia Angeli inter se loquuntur ex ipsa essentia rei percepta intus in se, ita secundum quale ejus, sermo inde effluit in sonorum conforme, audibile solum angelis, exsplendescentia Divini Veri & sonorum *Thumim*, inde nunc est ejus denominatio: simile percipitur ab Angelis, quando *Thum* in Lingua Hebræa legitur, per quod significatur *Integrum* seu *Integritas*; inde est, quod per Integrum in Verbi sensu interno significetur Divinum verum in effectu, quod est vita secundum Divina præcepta, ut constare potest ex pluribus locis in Verbo, ut apud Joschuam Cap: XXIV: 14. In Libro Judicum Cap: IX: 16. 19. apud Davidem Psalm: XXV: 21. Psalm: XXXVII: 37. Psalm: LXXXIV: 12. Psalm: CI: 2. Psalm: CXIX: 1. Inde quoque est, quod Urim & Thumim dicantur *Judicium filiorum Israelis*, tum *Pectorale judicii*, ut & *Judicium Urim*, nam Judicium significat Divinum Verum doctrina & vita, videatur supra n: 9857. Ex his nunc constare potest, quod Pectorale per Urim & Thumim, hoc est, per Lucis cœli exsplendescentiam revelaverit Divina Vera in sphæra naturali, ita in ultimis: similis exsplendescentia etiam sistitur intus apud illos qui in veris ex bono sunt, quæ dictat & quasi responsa dat, quam ex affectione cordis verum inquiritur, & id amatur sicut bonum: quod talis exsplendescentia sit, per quam Divinum Verum e cœlo revelatur in naturali homine, apud illos qui illustrantur ex Verbo, non percipitur in mundo, ex

causa quia ignoratur quod Lux aliqua e cœlo intellectuale hominis illustret; sed quod ita sit, datum est percipere, & quoque videre. Sciendum porro, quod exsplendescentia illa appareat in ultimis, quoniam omnia quæ Lucis a Divino sunt descendunt usque ad fines ultimos; & quia illuc descendunt, etiam ibi & inde elucent: inde nunc est quod Pectorale super Ephodum & super ejus cingulum positum esset; nam Ephodum repræsentabat Divinum Verum in ultimis, n: 9824; & cingulum ejus repræsentabat commune vinculum, ut omnia tenerentur in nexu, n: 9828. 9837; ideo dicitur, "*Et alligabunt Pectorale ex annulis suis ad annulos Ephodi, ad esse super cingulo Ephodi, nec recedet Pectorale a super Ephodo,*" Vers: 28 hujus Capitis. Quod nomina filiorum Israelis etiam insculpta fuissent; erat causa, quia duodecim Tribus quoque repræsentabant omnia Divini Boni & Veri in cœlis, proinde cœlum cum omnibus ibi societatibus, & quod varia secundum ordinem in quo nominantur in Verbo, videantur n: 3858. 3862. 3926. 3939. 4060. 4603. 6335. 6337. 6397. 6640. 7836. 7891. 7973. 7996. 7997.

9906. Et erunt super corde Aharonis, quod significet ex Divino Bono Divini Amoris Domini, ut supra n: 9902.

9907. In intrando illo coram Jehovah, quod significet in omni cultu, constat ex significatione intrare coram Jehovah, vel quod idem, ad sanctum, quod sit cultus, de qua supra n: 9903.

9908. Et portabit Aharon Judicium filiorum Israelis, quod significet Divinum Verum cœli & Ecclesiæ, constat ex significatione Judicii, quod sit Divinum Verum doctrina & vita, de qua n: 9857. Quia erant Urim & Thumim, quæ hic vocantur Judicium, ideo est Divinum Verum procedens a Domino, ac elucens & exsplendens in ultimis, quod hic per Judicium intelligitur, nam Urim & Thumim id significant, n: 9905.

9909. Super corde suo coram Jehovah jugiter, quod significet perpetuo elucens ex bono, constat ex significatione cordis, quod sit bonum amoris, de qua n: 3313. 3635. 3883 ad 3896. 7542. 9050; & ex significatione jugiter, quod sit perpetuo; quod sit elucens, est quia Pectorale super corde erat, & per pectorale significatur Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, n: 9823.

9910. Vers: 31. 32. 33. 34. 35. *Et facies Pallium Ephodi totum hyacinthino. Et erit os capitis ejus in medio ejus; labrum erit ori ejus circumcirca, opus textoris, sicut os loricæ erit illi, ne laceretur. Et facies super fimbrias ejus malogranata hyacinthini & purpuræ, & coccinei dibaphi, super fimbrias ejus circumcirca, & tintinnabula auri in medio illorum circumcirca. Tintinnabulum auri & Malogranatum, Tintinnabulum auri & Malogranatum super fimbrias pallii circumcirca. Et erit super Aharone ad ministrandum, & audietur vox ejus in intrando illo ad sanctum coram Jehovah, & in exeundo illo, ne moriatur.* Et facies pallium, significat Divinum Verum in forma interna in Regno spirituali: totum hyacinthino, significat per influxum ex bono Regni cœlestis: & erit os capitis ejus in medio ejus, significat rationem influxus a superiori: & labrum erit ori ejus circumcirca, significat undequaque terminatum & clausum: opus

 textoris,

textoris, significat ex cœlesti: & os loricæ erit illi ne laceretur, significat ita validum & tutum a damno: & facies super fimbrias ejus, significat in extremis ubi naturale: malogranata, significat scientifica boni: hyacinthini & purpuræ & coccinei dibaphi, significat ex bono charitatis & fidei: super fimbrias ejus circumcirca, significat in extremis ubi naturale, undequaque: & tintinnabula auri, significat omnia doctrinæ & cultus transeuntia ad illos qui ab Ecclesia: in medio illorum circumcirca, significat ex interiori scientificorum boni undequaque: tintinnabulum auri & malogranatum, tintinnabulum & malogranatum super fimbrias pallii circumcirca, significat sic ubivis: & erit super Aharone, significat repræsentativum Domini: ad ministrandum, significat dum in cultu & evangelizatione: & audietur vox ejus, significat influxum veri apud illos qui in cœlis & qui in terris: in intrando illo ad sanctum coram Jehovah, significat in omni statu boni & veri in cultu: ne moriatur, significat ne repræsentativum pereat, & sic conjunctio cum cœlis.

9911. Et facies pallium, quod significet Divinum Verum in forma interna in Regno spirituali, constat ex significatione pallii, quod in genere sit Regnum spirituale, & in specie Divinum Verum in forma interna ibi, de qua n: 9825.

9912. Totum hyacinthino, quod significet per influxum ex bono Regni cœlestis, constat ex significatione hyacinthini, quod sit cœlestis amor veri, de qua n: 9466, quod est bonum amoris mutui, & bonum amoris mutui est bonum externum Regni cœlestis; nam bona in cœlis procedunt ordine ab intimis ad extrema, & quo ordine procedunt, etiam influunt, nam procedere est influere; quo ordine bona procedunt, videatur n: 9873; hoc bonum est, quod influit in bonum internum Regni spiritualis, quod per pallium significatur: inde existit ejus bonum, quod est bonum charitatis erga proximum; inde nunc est, quod pallium esset totum ex hyacinthino; cum influxu bonorum ita se habet; non datur aliquod bonum, quod bonum, nisi in se habeat bonum interius ex quo; bonum interius ex quo facit essentiam ejus; unde est, quod id bonum existat in sequenti pæne sicut anima in suo corpore: id sequens est, de quo dicitur quod procedat ex altero, quod est interius: quod bonum charitatis erga proximum procedat ex bono amoris mutui, quod est bonum prius seu interius, aliquoties ostensum est: bonum amoris mutui est bonum innocentiæ externum; & nisi bonum charitatis in se habeat bonum innocentiæ, non est bonum charitatis, n: 2526. 2780. 3183. 4797. 6765. 7840. 9262; consequenter nisi in se habeat bonum amoris mutui; inde nunc est, quod pallium ex hyacinthino totum fuerit; nam hyacinthinum est bonum amoris mutui, seu quod idem, bonum innocentiæ externum; & pallium est Divinum Verum in forma interna in Regno spirituali, quod idem est cum bono charitatis, n: 9825.

9913. Et erit os capitis ejus in medio ejus, quod significet rationem influxus a superiori, constat ex significatione oris capitis pallii in medio ejus, quod sit ubi influxus a superiori, seu quod idem, ab interiori, ita e Regno cœlesti in Regnum spirituale: quod bonum externum Regni cœlestis influat in

in bonum internum Regni ſpiritualis, videatur nunc ſupra n: 9912. Quod os capitis pallii in medio ejus id ſignificet, eſt quia per Pallium ſignificatur Regnum ſpirituale & in ſpecie internum ejus, n: 9825, & per collum, ubi os capitis pallii, influxus, communicatio & influxus cœleſtium cum ſpiritualibus, n: 3542. 5320. 5328; caput enim apud hominem correſpondet cœleſti Regno Domini, & corpus Regno ſpirituali Ipſius, inde collum intercedens, quod os capitis pallii ambit & veſtit, correſpondet intermediationi ſeu influxui Regni cœleſtis in Regnum ſpirituale. Quod talia per os capitis pallii in medio ejus ſignificentur, apparere poteſt ſicut paradoxon, & omnino apparet illis, qui nihil de cœlo, ac de ſpiritibus & angelis ibi ſciunt, proinde nihil de Correſpondentia; quod Correſpondentia ſit omnium apud hominem cum omnibus in cœlis, ad finem plurium Capitum oſtenſum eſt, videantur loca citata n: 9280; & quod in genere Caput correſpondeat cœleſtibus, corpus ſpiritualibus, & pedes naturalibus, n: 4938. 4939; inde patet quod collum ex correſpondentia ſignificet influxum, communicationem & conjunctionem cœleſtium cum ſpiritualibus; inde os capitis pallii, quod factum ut ambiret collum, ſignificat rationem influxus illius; nam per Veſtes Aharonis repræſentata ſunt in genere illa quæ ſunt Regni ſpiritualis Domini, n: 9814; inde patet quod per deſcriptionem oris ſeu ambitus illius deſcribatur ipſe influxus. Præterea ſciendum, quod angeli & ſpiritus appareant veſtibus induti, & quod veſtium ſingula repræſentent; hoc ſciunt omnes qui in cœlis: inde eſt, quod etiam ſingula veſtium Aharonis ſint repræſentativa talium quæ in cœlis; nam Verbum a Domino ita conſcriptum eſt, ut per illud ſit conjunctio: quod homo Eccleſiæ id non ſciat, tametſi tale Verbum habet, eſt quia interiora ſua ad mundum vertit, uſque adeo ut non elevari poſſit verſus cœlum, ac inſtrui, videatur n: 9706. 9707. 9709.

9914. Et labrum erit ori ejus circumcirca, quod ſignificet undequaque terminatum & clauſum, conſtat ex ſignificatione labri ſeu limbi circum os ſeu aperturam ſuperiorem pallii, quod ſit undequaque terminatum & clauſum; labrum enim illud, ſeu limbus ille, qui circumcirca terminabat & claudebat. Deſcribitur per hoc & per mox ſequentia ratio influxus boni cœleſtis in bonum ſpirituale; quod influxus ille ſe habeat ſimili ratione, qua influxus virium e capite per collum apud hominem, conſtat ex illis, quæ in ſuperiori articulo de correſpondentia, dicta ſunt. Qualis hic influxus ſit, paucis etiam dicetur; omnia prima, quæ Capitis ſunt, nempe quæ Cerebri & Cerebelli, colligunt ſe in faſciculos fibrarum & nervulos ibi, & collecta demittuntur per collum in corpus, ac inibi ſe diffundunt undequaque, & movent organica ibi prorſus ad nutum voluntatis, quæ inchoat in cerebris: ſimilis etiam defluxus & influxus potentiarum & virium eſt e Regno cœleſti, quod eſt caput in Maximo Homine ſeu in Cœlo, in Regnum ſpirituale, quod eſt ſicut corpus ibi. Ille etiam Influxus eſt qui intelligitur & deſcribitur per os capitis pallii in medio, & terminatio ejus per labrum circumcirca: inde nunc eſt, quod per labrum oris iſtius ſignificetur terminatum & clauſum undequaque: ipſa terminatio nunc deſcribitur.

9915. Opus

9915. Opus textoris, quod significet ex cœlesti, constat ex significatione operis textoris, quod sit ex cœlesti; per opus significatur id quod fit seu existit, ita quod *ex* alio; & textor est is qui facit ut sit seu ut existat; ita est cœleste, nam ex hoc & per hoc existit spirituale; quod bonum Regni cœlestis influat in bonum Regni spiritualis, & faciat ut hoc existat, supra n: 9913. 9914, ostensum est: sive dicas bonum Regni cœlestis, sive cœleste, idem est, nam cœleste est bonum illius Regni; similiter bonum Regni spiritualis & spirituale: quid bonum Regni cœlestis seu cœleste, & quid bonum Regni spiritualis seu spirituale, videantur loca citata n: 9277. In cœlis sunt tria quæ ordine succedunt, nempe cœleste, spirituale & naturale; cœleste facit cœlum intimum, spirituale cœlum medium, & naturale procedens ex spirituali cœlum ultimum: eadem hæc tria in homine sunt, & simili ordine in illo succedunt, quo in cœlis, nam homo regeneratus est cœlum in minima forma, correspondens Maximo, n: 9279; sed facultates recipientes illa vocantur Voluntarium, Intellectuale, & Scientificum ex quo cogitativum seu imaginativum Externi seu naturalis hominis; voluntarium recipit cœleste seu bonum, Intellectuale recipit spirituale seu verum inde, & scientificum, quod facit intellectuale naturalis hominis, concludit illa: hæc tria significantur in Verbo per Acupictorem, Excogitatorem, & Textorem; quod acupictor seu acupictura sit scientificum, videatur n: 9688; & quod excogitator seu excogitatio sit intellectuale, n: 9598. 9688; ita textor est voluntarium, ratio quod textor sit voluntarium, est quia voluntarium influit in intellectuale, & texit illud, usque adeo, ut illa quæ in intellectuali sint texturæ ex voluntario; nam quod voluntarium vult, hoc format ut appareat ad visum in intellectuali, visus ille est cogitatio, inde per excogitatorem significatur intellectuale. Quoniam per vestes Aharonis repræsentabatur cœlum spirituale adjunctum Regno cœlesti, n: 9814, & Regnum cœleste correspondet voluntario apud hominem, & Regnum spirituale Intellectuali apud illum, n: 9835, ideo applicate ad vestes dicitur opus acupictoris, excogitatoris, & textoris, & per illa significantur quæ ex scientifico, ex Intellectuali, & ex Voluntario, seu quod idem, ex naturali, ex spirituali, & ex cœlesti. Quod talia significentur, constare potest omnibus illis, qui credunt, quod Verbum sit Divinum, & quod sic interius contineat illa quæ sunt Domini, quæ Cœli, & quæ Ecclesiæ, nam hæc Divina sunt; absque illis, quid foret dicere ab Ipso Jehovah, ex quibus & ex quo opere essent vestes Aharonis, & quænam essent ex opere acupictoris, quænam ex opere excogitatoris, & quænam ex opere textoris; quæ etiam distincte nominantur in sequentibus Libri Exodi, his verbis. "Hos implevit sapientia cordis, ad faciendum omne opus Opificis, & *Excogitatoris*, & *Acupictoris*, in hyacinthino, & in purpura, & in coccineo dibapho, & *Textoris*; facientium omne opus, & excogitantium excogitationes, xxxv: 35; Opifex ibi est Divinum Bonum cœleste; ex quo voluntarium regenerati, n: 9846; ejus opus primo loco nominatur, quia ex Divino immediate; & ex bono cœlesti mediate omnia nascuntur & procedunt.

9916. Et os loricæ erit illi ne laceretur, quod significet ita validum & tutum a damno, constat ex significatione loricæ, quod sit quod valide contextum, quare dicitur, ne laceretur, hoc est, ut tutum sit a damno; tale contextum significatur per vocem illam in Lingua Originali. Idea istius contexti ex correspondentia haberi potest; agitur enim ibi in sensu interno de influxu boni cœlestis in bonum spirituale; is influxus est, qui significatur per os capitis pallii, & describitur per opus textoris & loricæ; & influxui illi e cœlis correspondet influxus vitæ apud hominem a capite per collum in corpus, n: 9913. 9914; & quia sic ei correspondet textura colli ex nervis validis, & infra contextum quasi circulare ex ossibus, per quæ influxus tutus redditur ab omni damno; inde, ut dictum est, idea haberi potest de singulis in hoc versu, quid nempe significatur per os capitis in medio, per labrum quod ei circumcirca, per opus textoris, & per os loricæ, quod ei, ne lacere-tur. Sciendum, quod omnia repræsentativa in natura se referant ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significent, n: 9496; & quod omnia indumenta trahant significationem ab illa parte corporis, quam tegunt, n: 9827; inde quoque superior hæc pars pallii, quæ circumdat & tegit collum.

9917. Et facies super fimbrias ejus, quod significet in extremis ubi naturale, constat ex significatione fimbriarum pallii, quod sint extrema ubi naturale; per pallium enim significatur in specie Divinum Verum in Regno spirituali in forma interna, & in genere Regnum spirituale, n: 9825; & per fimbrias, quæ infra circumcirca extrema ejus; & extrema Regni spiritualis sint naturalia; nam succedunt bona & vera in cœlis hoc ordine, in supremis seu intimis, sunt bona & vera cœlestia, in mediis sunt bona & vera spiritualia, & in ultimis sunt bona & vera naturalia, de qua successione in cœlis & apud hominem, videantur quæ mox supra n: 9915, dicta sunt: & quia scientifica veri & boni sunt in externo seu naturali homine, ideo quoque malogranata in fimbriis posita erant, per malogranata enim significantur scientifica boni; & quoque in malogranatis tintinnabula auri, quia per tintinnabula significantur talia quæ ex scientificis. Quod fimbriæ pallii sint extrema ubi naturale, constat a locis in Verbo, ubi fimbriæ nominantur, ut apud Esaiam, "Vidi Dominum sedentem super throno alto & elato, & *fimbriæ ejus implentes Templum*," VI: 1, per thronum super quo Dominus, significatur cœlum, & in specie cœlum spirituale, n: 5313. 8625; per fimbrias ibi significantur Divina vera in ultimis, seu extremis, qualia sunt vera Verbi in sensu literæ; quæ dicuntur implere Templum, cum Ecclesiam: simile per fimbrias implentes Templum significatur, quod per fumum & nubem implentem Tabernaculum & quoque Templum, de quibus aliquoties in Verbo; quod per fumum ibi significetur Divinum Verum in ultimis, quale est sensus literæ Verbi, videatur n: 8916. 8918; & quoque per nubem, n: 4060. 4391. 5922. 6343. "Quod mulier profluvio laborans, *cum tetigerit fimbriam vestimenti Domini*, sanata sit," Matth: IX: 20. 22: & in genere, "*quotquot tetigerunt fimbriam Vestimenti Ipsius*, sanati fuerint," Matth: XIV: 36. Marc: VI: 56, signi-

ſignificabat quod ex Divino in extremis ſeu ultimis exiret ſalus; nam quod in ultimis boni & veri, quæ a Divino, ſit robur & potentia, videatur n: 9836, & quoque quod ibi reſponſa, n: 9905. Apud Matthæum, "Jeſus de Scribis & Phariſæis, quod omnia opera faciant ut ſpectentur ab hominibus, quod dilatent philacteria ſua, *& magnificent fimbrias palliorum ſuorum,*" xxiii: 5; ibi manifeſte patet, quod fimbriæ pallii ſint externa quæ viſui exſtant, & quod illas magnificare ſit opera facere in externis, ut appareant ſeu ſpectentur. Apud Jeremiam, "Peccatum peccavit Hieroſolyma, *immundities ejus in fimbriis ejus,*" Thren: 1: 9; immundiries in fimbriis pro in factis & dictis, ita in extremis; extrema enim trahunt ſuam eſſentiam ab interioribus, quapropter cum interiora immunda ſunt, etiam extrema immunda ſunt, tametſi immunditiæ non apparent coram hominibus, ex cauſa, qui homines formam externam ſpectant, & ſic non vident interiora; ſed uſque immunditiæ illæ, quæ in interioribus, apparent coram angelis, & quoque deteguntur apud unumquemvis in altera vita, nam ibi auferuntur externa; inde patet qualia fuerunt opera in ſua eſſentia. Apud Nahum, "*Retegam fimbrias tuas ſuper facies tuas,* & oſtendam gentibus nuditatem tuam," iii: 5; retegere fimbrias ſuper facies, eſt removere externa, ut appareant interna; externa enim, quæ naturalis hominis, variis modis occultant interna, quæ ſunt hypocriſes, doli, mendacia, odia, vindictæ, adulteria, & ſimilia alia, quapropter cum externa auferuntur, apparent interna in ſua immunditie & fœditate. Apud Jeremiam, "Si dixeris in corde tuo, quare obtigerunt mihi hæc, *propter multitudinem* iniquitatis tuæ *revelatæ ſunt fimbriæ tuæ,* violati ſunt calcanei tui. Ego *denudabo fimbrias tuas ſuper facies tuas,* ut videantur ignominia tua, adulteria tua," xiii: 22. 26, ibi de abominationibus Hieroſolymæ; revelare fimbrias, & denudare illas, pro auferre externa, quæ velant & abſcondunt, ut interiora videantur; homo enim diſcit mentiri bonum, honeſtum & ſincerum, famæ, honoris, & lucri cauſa, cum tamen intus recondita habet mala & falſa variorum generum; quia per fimbrias ſignificantur externa, ideo etiam dicitur de calcaneis, quoniam calcanei ſunt infima naturalis, videatur n: 259. 4938, ſeq: 4940 ad 4951. Ex his nunc conſtat, quod per fimbrias pallii ſignificentur bona & vera in ultimis ſeu extremis, quæ ſunt in mundo naturali.

9918. Malogranata, quod ſignificet ſcientifica boni, conſtat ex ſignificatione malogranatorum, quod ſint ſcientifica boni, de qua n: 9552; quod malogranata in fimbriis pallii poſita fuerint, erat cauſa quia fimbriæ ſignificabant ultima ſeu extrema Cœli & Eccleſiæ; & ultima ſeu extrema ibi ſunt, ſcientifica, ut conſtat ex illis quæ de ſucceſſivo ordine bonorum & verorum in cœlis & apud hominem, ſupra n: 9915 & 9917, dicta ſunt. Scientifica boni & veri, quæ per malogranata ſignificantur, ſunt doctrinalia ex Verbo; quæ ſcientifica ſunt, quatenus in memoria, quæ eſt in externo ſeu naturali homine; quando autem intrant memoriam quæ eſt in Interno ſeu Spirituali homine, quod fit cum vivitur ſecundum illa, tunc doctrinalia quoad verum fiunt fidei, & quoad bonum fiunt charitatis, ac vocantur ſpiritualia; cum

hoc

hoc fit, evanefcunt pæne e memoria externa feu naturali, & apparent ficut innata, quia infita vitæ hominis; quemadmodum omnia quæ per diutinum ufum traxerunt quafi naturam. Inde patet, quid fcientifica, & ad quid conducunt, proinde ad quid doctrinalia Ecclefiæ, dum modo fcientifice tenentur; cum enim modo fcientifice tenentur, tunc infra intelligentiam & fapientiam locum habent, nec afcendunt feu intrant vitam, priufquam fiunt fidei & charitatis in Interno homine.

9919. Hyacinthini, & purpuræ, & coccinei dibaphi, quod fignificet ex bono charitatis & fidei, conftat ex illorum fignificatione n: 9687. 9833: quod non byffinum etiam intertextum fuerit, ut in Ephodo, eft, quia tunica, quæ veftis intima, ex byffo erat, & hoc ideo, quia per byffum fignificatur verum ex origine cœlefti, n: 5319. 9469, quod eft ipfum bonum fpirituale procedens a cœlefti.

9920. Super fimbrias ejus circumcirca, quod fignificet in extremis, ubi naturale, undequaque, conftat ex fignificatione fimbriarum, quod fint extrema, ubi naturale, de qua fupra n: 9917; & ex fignificatione circumcirca, quod fit undequaque; nam cum fimbriæ fignificant extrema, tota circumferentia quæ ex fimbriis, fignificat omne extremum proinde ubivis feu undequaque ibi.

9921. Et tintinnabula auri, quod fignificet omnia doctrinæ & cultus ex bono tranfeuntia ad illos qui ab Ecclefia, conftat ex fignificatione tintinnabulorum, quod fint omnia doctrinæ & cultus tranfeuntia ad illos qui ab Ecclefia, de qua fequitur; quod ex bono, fignificatur per quod effent ex auro, nam aurum fignificat bonum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9490. 9510. 9874. 9881. 9874. Quod tintinnabula fint omnia doctrinæ & cultus tranfeuntia ad illos qui ab Ecclefia, eft quia per illa a populo audiebatur & percipiebatur præfentia Aharonis in miniftrando, per populum enim fignificantur illi qui ab Ecclefia, & per minifterium Aharonis fignificantur omnia doctrinæ & cultus; quapropter in fequentibus dicitur, "*Et erunt fuper Aharone ad miniftrandum, & audietur vox ejus in intrando illo ad fanctum coram Jehovah, & in exeundo illo,*" ex quibus patet, quid per tintinnabula fignificatur. Quod tintinnabula illa in fimbriis pofita fuerint, erat caufa, quia fancta doctrinæ funt in extremis, & quoque ibi ac inde auditio & perceptio, videatur n: 9824. 9905.

9922. In medio illorum circumcirca, quod fignificet ex interiori fcientificorum boni undequaque, conftat ex fignificatione in medio, quod fit interius, de qua n: 1074. 2940. 2973. 5897; ita in medio, cum de auditione & perceptione doctrinæ & cultus, quæ per tintinnabula fignificantur, eft ex interiori; ex fignificatione malogranatorum, in quorum medio erant, quod fint fcientifica boni, de qua fupra n: 9918; & ex fignificatione circumcirca, quod fit undequaque, ut fupra n: 9920. Quod tintinnabula in medio malogranatorum pofita fuerint, erat caufa, quia fcientifica, quæ per malogranata fignificantur, funt recipientia, & ficut vafa veri & boni, n: 1469. 1496. 3068. 5373. 5489. 7770; ac doctrina & cultus, quæ per tintinnabula fignificantu,

ficantur, erunt ex bono & vero, quæ intus in scientificis ut in suis vasis sunt; si non ex illis, sed solum ex scientificis, non aliquid vitæ habent: dicitur quod doctrina & cultus erunt ex bono & vero, quæ intus in scientificis, non autem ex scientificis absque illis; sed quia pauci possunt capere, quomodo illud se habet, ideo, quantum fieri potest, ad captum explicabitur: Scientifica dicuntur omnes res memoriæ externæ seu naturalis; datur enim memoria externa, quæ est rerum in mundo naturali, & datur memoria interna, quæ est rerum in mundo spirituali, videantur n: 2469 ad 2494. 2831. 5212. 9394. 9723. 9841; res quæ memoriæ internæ inscripta sunt, non vocantur scientifica, quia sunt res vitæ hominis, sed vocantur vera quæ fidei & bona quæ amoris; hæc sunt quæ erunt intus in scientificis; in homine enim est externum, quod vocatur Externus homo, ac internum, quod Internus homo; internum erit in externo, sicut anima in suo corpore; ita illa quæ in interno homine sunt, erunt in illis quæ in externo, sic enim est anima seu vita in hoc; quapropter si non interna seu quæ interni hominis sunt in externis sunt, non est anima in iis, ita non vita: quia bonum amoris ac fidei est internum, sequitur quod in externis illud bonum erit, ita in scientificis; nam scientifica, ut prius dictum est, sunt recipientia & sicut vasa internorum, proinde ex illis quæ in recipientibus seu vasis, erit doctrina & cultus, quæ non sunt in recipientibus & vasis inanibus seu vacuis ab illis. Ex his patet, quomodo intelligendum, quod omnia doctrinæ & cultus erunt ex interioribus scientificorum boni, quæ significantur per quod tintinnabula auri essent in medio malogranatorum. Porro sciendum, quod dentur scientifica boni, & scientifica veri, & quod vera ibi sint iterum vasa recipientia boni, nam vera fidei sunt vasa boni amoris. Ad illustrationem hujus rei videantur, quæ de scientificis prius dicta & ostensa sunt; nempe, *quod scientifica sint res memoriæ in naturali homine*, n: 3293. 3309. 3310. 4967. 5212. 5774. 5874. 5886. 5889. 5934. *Quod per scientifica aperiatur Internus homo*, n: 1495. 1548. 1563. 1895. 1940. 3085. 3086. 5276. 5871. 5874. 5901. *Quod scientifica sint media sapiendi & quoque media insaniendi*, n: 4156. 4760. 8628. 8629. *Quod scientifica sint vasa veri, & vera vasa boni*, n: 1469. 1496. 3068. 3079. 3318. 5489. 5881. 6023, 6071. 6077. 6750. 7770. 8005. 9394. 9724. *Quod scientifica inserviant Interno homini*, n: 1486. 1616. 2576. 3019. 3020. 3665. 5201. 5213. 6052. 6068. 6085. 9394. *Quod scientifica, quæ sunt res memoriæ externæ, cum fiunt vitæ, evanescant e memoria externa, sed inscripta maneant memoriæ internæ*, n: 9394. 9723. 9841. *Quod homo qui in veris fidei ex bono charitatis est, elevari possit supra scientifica*, n: 6383. 6384; *Quod dicitur elevari supra sensualia*, n: 5089. 5094. 6183. 6313. 6315. 9730. *Quod homo secum ferat scientifica seu res memoriæ externæ in alteram vitam, cum moritur, at quod tunc quiescant, & quomodo*, n: 2475 ad 2486. 6931.

9923. Tintinnabulum auri & malogranatum, tintinnabulum auri & malogranatum super fimbrias pallii circumcirca, quod significet sic ubivis & omnino, nempe quod ex interiori scientificorum doctrina & cultus, constat

ex

ex illis quæ mox supra de tintinnabulis & malogranatis ostensa sunt; repetitio involvit, quod sic ubivis.

9924. Et erit super Aharone, quod significet repræsentativum Domini, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit repræsentativum Domini quoad bonum amoris, de qua n: 9806. 9809; hic quoad illa quæ concernunt evangelizationem & cultum, quoniam talia per tintinnabula in malogranatis, & per vocem inde audiendam, cum Aharon intrabat ad sanctum, significantur.

9925. Ad ministrandum, quod significet dum in cultu & evangelizatione, constat ex significatione ministrare, cum de Aharone, per quem repræsentatur Dominus, quod sit cultus & evangelizatio; per cultum significatur omne repræsentativum cultus ex bono amoris & veris fidei, nam cultus qui ex illis vere est cultus, at cultus absque illis est sicut crusta absque nucleo, & sicut corpus absque anima; talis usque cultus erat apud gentem Judaicam & Israeliticam, nam repræsentabat solum interna, quæ, ut dictum est, sunt amoris & fidei; sed usque providebat Dominus, ut cultus talis perciperetur in cœlis, & sic per illum fieret conjunctio cœli cum homine, non per interna, sed per correspondentias cum externis, de qua re videantur citata n: 9020 fin: & 9380: hic cultus est, qui significatur per ministerium Aharonis. Quod etiam Evangelizatio, est quia per Evangelizationem intelliguntur omnia quæ in Verbo agunt de Domino, & omnia quæ in cultu repræsentabant Ipsum; nam Evangelizatio & Annuntiatio de Domino, de Ipsius adventu, & de illis quæ ab Ipso, quæ sunt salutis & vitæ æternæ: & quia omnia Verbi in sensu ejus intimo agunt de solo Domino; & quoque omnia cultus repræsentabant Ipsum, ideo totum Verbum est Evangelium, pariter omnis cultus, qui secundum illa quæ in Verbo mandata sunt, factus est: & quia sacerdotes præerant cultui, & quoque docebant, ideo per ministerium illorum cultus & evangelizatio significabatur.

9926. Et audietur vox ejus, quod significet influxum veri apud illos qui in cœlis & qui in terris, constat ex significatione audiri, quod sit receptio & perceptio, de qua n: 5017 5471. 5475. 7216. 8361. 9311, inde quoque influxus, nam quæ recipiuntur & percipiuntur, influunt; & ex significatione vocis, cum de Aharone, per quem repræsentatur Dominus, quod sit Divinum Verum, de qua n: 8813; vox enim est annuntiatum ejus, & quia est annuntiatum, est apud illos qui in cœlis & in terris; nam Divinum Verum implet omnia cœli, & facit omnia Ecclesiæ; tale annuntiatum repræsentabatur per vocem ex tintinnabulis auri, cum Aharon intrabat ad sanctum coram Jehovah, & cum exibat, ut dicitur in nunc sequentibus in hoc Versu. Quod Vox in Verbo significet Divinum Verum, quod auditur & percipitur in cœlis & in terris, constat a sequentibus his locis; apud Davidem, "*Vox Jehovæ* super aquis; *vox Jehovæ* in virtute; *vox Jehovæ* cum honore; *vox Jehovæ* frangit cedros; *vox Jehovæ* incidens ut flamma ignis; *vox Jehovæ* trepidare facit desertum; *vox Jehovæ* parturire facit cervas; sed in Templo Ipsius quivis dicit gloriam," Psalm: XXIX: 3 ad 9; agitur in illo Psalmo de Divino Vero, quod destruit falsa & mala; Divinum illud Verum est Vox Jehovæ;

gloria autem quæ dicitur, eſt Divinum Verum in Cœlo & in Eccleſia, quod gloria ſit Divinum Verum, videatur n: 9429, & quod Templum, ſit Cœlum & Eccleſia, n: 3720. Apud Johannem, "Qui Paſtor ovium eſt, huic oſtiarius aperit, & *Oves vocem illius audiunt:* oves Ipſum ſequuntur, *quia ſciunt vocem Ipſius:* alienum non ſequuntur, quia *non ſciunt alienorum vocem.* Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex ovili hoc, etiam illas oportet Me adducere, & *vocem meam audient:* ſed vos non eſtis ex ovibus meis, nam *oves meæ vocem meam audiunt*, & Ego cognoſco illos, & ſequuntur Me," x: 2. 3. 4. 5. 16. 26. 27; quod hic Vox ſit Divinum Verum procedens a Domino, ita Verbum, manifeſte patet; alienorum vox eſt falſum. Apud Eſaiam, "*Vox clamantis in deſerto*, parate viam Jehovæ revelabitur enim gloria Jehovæ: *vox dicit clama*, ſuper montem altum aſcende Evangelizatrix Zion, *extolle cum virtute vocem tuam* Evangelizatrix Hieroſolyma; extolle, ecce Dominus Jehovih in forti venit," XL: 3. 5. 6. 9. 10. Joh: I: 23; vox ibi eſt annuntiatum ex Verbo de adventu Domini, ita quoque eſt Divinum Verum, quod Verbum annuntiat; deſertum eſt ſtatus Eccleſiæ tunc, quæ ſicut in deſerto, quia Verbum non amplius intellectum; gloria quæ revelabitur, eſt Verbum quoad interiora ejus, quod id ſit gloria, videatur n: 9429; quod Jehovah, cui via pararetur, & Dominus Jehovih, qui in forti venturus, ſit Dominus patet, nam clare dicitur. Apud Eſaiam, "*Vox ſpeculatorum tuorum, tollent vocem*, quum oculo ad oculum viderint, quod revertetur Jehovah Zionem," LII: 8, ſpeculatores pro illis qui ſcrutantur ſcripturas, de adventu Domini; vox illorum eſt Verbum, quod eſt Divinum Verum ex quo. Apud Jeremiam, "Factor terræ, per intelligentiam ſuam extendit cœlos, *ad vocem, quam dat Ille, multitudo aquarum in cœlis*," X: 12. 13. Cap: LI: 16; vox pro Divino Vero, aquæ pro veris quæ in cœlis & ex cœlis; quod aquæ in Verbo ſint vera, videatur n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. 9323; ut quoque in Apocalypſi, "*Vox Filii hominis ſicut ſonitus aquarum multarum*," I: 15: *Audivi vocem e cœlo tanquam vocem aquarum multarum*," XIV: 2: & apud Davidem, "*Vox Jehovæ ſuper aquis*, Jehovah *ſuper aquis magnis*," Pſalm: XXIX: 3. Apud Joelem, "*Jehovah edidit vocem ſuam* coram exercitu ſuo, quia innumerus qui *facit Verbum* Ipſius," ii: 11; vox etiam ibi pro Divino Vero, etiam Verbum quod faciunt. Apud Eundem, "Jehovah ex Hieroſolyma *dabit vocem ſuam*, ut contremiſcant cœli & terra," IV: 6. Apud Davidem, "Regna terræ pſallite Domino, equitanti ſuper cœlo cœli antiquitatis, ecce *dabit in voce vocem roboris*," Pſalm: LXVIII: 33, 34. Apud Johannem, "Dico vobis, quod veniet hora, quando mortui *audient Vocem Filii hominis*, & qui audient, vivent," V: 25; quod vox ibi ſit Divinum Verum, proinde Verbum Domini, patet. Apud Ezechielem, "Suſtulit me Spiritus & *audivi* poſt me *vocem terræ motus magni*, Benedicta gloria Jehovæ, & *vocem alarum animalium*, & *vocem rotarum*, & *vocem terræ motus* magni," III: 12. 13; & dein, *Vox alarum Cheruborum* audita eſt uſque ad Atrium exterius, ſicut *vox Dei Schaddai* cum loquitur," X: 5; vox etiam ibi eſt Divinum Verum; Cherubi enim ſignificant Providentiam & cuſtodiam Domini ne acceſſus ſit ad Ipſum, & in

in cœlum, nisi per bonum quod amoris, n: 9277 fin: 9509; vox alarum & vox rotarum sunt vera spiritualia. In hoc Versu, in quo de Aharone agitur, est sonus seu clangor est tintinnabulis, qui dicitur vox: etiam alibi in Verbo sunt soni & clangores ex buccinis, ut & sonitus & clangores ex tonitribus, qui dicuntur voces, & per illas pariter significantur Divina vera, videatur n: 7573: præterea etiam soni instrumentorum Musicorum varii generis, significant similia, sed quæ sonum edunt stridulum & discretum, significant Divina vera spiritualia, quæ autem sonum edunt continuum, Divina vera cœlestia, n: 418. 419. 420. 4138. 8337; inde patet, quod per sonos seu voces tintinnabulorum significentur Divina vera spiritualia; nam Vestes Aharonis, & in specie pallium, in cujus fimbriis circumcirca erant, repræsentabant Regnum seu cœlum spirituale Domini, n: 9814. 9825.

9927. In intrando illo ad sanctum coram Jehovah, & in exeundo illo, quod significet in omni statu boni & veri in cultu, constat ex significatione intrare ad sanctum, & intrare coram Jehovah, quod sit cultus, de qua supra n: 9903. 9907; quod sit status boni & veri in cultu qui significatur, est quia omnia cultus apud gentem Israeliticam & Judaicam erant repræsentativa cultus interni, & cultus internus est ex bono & vero, seu ex affectione boni & ex fide veri. Quod sit omnis status eorum qui significatur, est quia dicitur in intrando & in exeundo, & per intrare & exire significantur omnia status; quæ enim sunt motus, sicut ambulare, ire, progredi, significant statum vitæ; quod ambulare id significet, videatur n: 519. 1794. 3335. 4882. 5493. 5606. 8417. 8420; pariter progredi & proficisci, n: 8103. 8181. 8397. 8557; & quod motus & progressiones in altera vita sint status, n: 1273 ad 1277. 1376 ad 1381. 2837. 3356. 9440; inde patet, quod intrare & exire sit omne status seu rei de qua agitur; & quia hic agitur de cultu ex bono & vero, est omnis status boni & veri in cultu, qui per intrare & exire significatur. Quod intrare & exire id sit, est ex repræsentativis in altera vita; ibi enim eunt, ambulant, progrediuntur, intrant & exeunt, sicut in mundo, sed peraguntur omnia illa secundum statum vitæ cogitationum & affectionum eorum, videantur loca supra citata; quod etiam inde originem ducant, & quod sint correspondentiæ, & sic apparentiæ reales, non animadvertunt; inde patet, quod omnia quæ motus sunt, significent illa quæ sunt status vitæ; proinde quod intrare & exire significent omnem statum vitæ, ita statum rei de qua agitur, a principio ad finem; inde est, quod apud antiquos solennis formulæ fuerit dicere, quod sciant alicujus *intrare & exire*, seu *introitum* & *exitum*, cum intelligerent quod scirent omnem statum vitæ ejus: & quoniam formula illa trahit originem ex correspondentiis in altera vita, de qua dictum est, ideo etiam in Verbo similiter dicitur, & ubi dicitur, simile significatur; ut in sequentibus his locis; in Libro 1 Samuelis, "Vocavit Achisus Davidem, & dixit ad eum, rectus tu, *& bonum in oculis meis exire tuum & intrare tuum mecum* in castris, quia non inveni in te malum," xxix: 6, bonum in oculis exire tuum & intrare tuum, pro quod ei beneplaceret omnis vitæ ejus status. In Libro 2 Samuelis, "Nosti Abnerum, quod

quod ad persuadendum tibi venerit, & *ut cognoscat exitum tuum & introitum tuum*, utque cognoscat omne quod facis," III : 25, cognoscere exitum & introitum pro omnia cogitata & acta vitæ, quare etiam dicitur, utque cognoscat omne quod facit. In Libro 2 Regum, "Sedere tuum, & *exire tuum & intrare tuum* novi, & quod commoveris te contra Me," XIX : 27. Esai : XXXVII : 28, ibi de Sancheribo Rege Assyriæ ; nosse exire ejus & intrare ejus pro omnia ejus consilii. Apud Davidem, "Jehovah custodiet te ab omni malo, custodiet animam tuam, Jehovah *custodiet exitum tuum & introitum tuum*, ex nunc & usque in sæculum;" Psalm : CXXI : 7. 8 ; custodire exitum & introitum pro omne vitæ secundum statum boni & veri. Apud Moschen, "Præficiet Jehovah Deus spirituum omnis carnis, virum super concionem, *qui exeat coram illis, & qui intret coram illis*, ut non sit concio Jehovæ sicut grex, quibus non pastor," XXVII : 16. 17 ; qui exeat coram illis, & qui intret coram illis, pro qui ducat illos, ita quem in omni vitæ statu spectent & sequantur. Apud Johannem, "Qui non *intrans est* per januam in caulam ovium, sed ascendit aliunde, is est fur & latro ; qui vero *intrans est* per januam, pastor est ovium. Ego sum Pastor ovium, *per Me si quis intraverit*, salvabitur ; & *intrabit & exibit* ; & pascuum inveniet," X : 1. 2. 9, intrare nempe cœlum, ita in bonum amoris & fidei, nam id bonum facit cœlum ; quare intrare & exire est quoad omnem vitæ statum a Domino duci, proinde ex libero cogitare & velle bonum, hoc est, ex amore & fide, quæ a Domino, nam illa faciunt liberum. Apud Lucam, "Jesus misit duodecim discipulos ad prædicandum Regnum Dei, & dixit ad illos, *in quam domum intraveritis*, ibi manete, & *inde exite*," IX : 4 ; intrare in domum, manere ibi, & inde exire, pro frui consociatione cœlesti cum illis qui recipiunt Dominum fide & amore ; nam in cœlo, qui simul in una societate sunt, etiam in una domo sunt, & intrant ibi & exeunt ; sunt enim in simili bono ; qui autem in dissimili sunt, non ita possunt, & si intrant, non per januas, sed aliunde, intrant ; qui non scit quod talia significentur, non scire potest, quid involvit, quod in domum quam intraverint, ibi manerent & exirent. Apud Ezechielem, "Quum *intrabit Princeps*, via porticus porta *intrabit*, & in via ejus *exibit*. Quum *intrabit* populus terræ ante Jehovam in festis statis, *intrans* via portæ septentrionis ad adorandum, *exibit* via portæ meridiei ; *intrans* vero via portæ meridiei, *exibit* via portæ septentrionem versus, non revertetur via portæ per quam *intraverat*, sed recta ante se *exibit*. Princeps autem in medio illorum cum *intrat*, *intrabunt* illi, & cum *exibunt* illi, *exibunt*," XLVI : 8. 9. 10 ; agitur ibi in sensu interno de novo Cœlo & de nova Ecclesia, & per Principem significatur Verum fidei ex bono amoris, quomodo id apud angelos in cœlis, & apud homines Ecclesiæ in terris intrat, & dein progreditur, cum per viam externam ad interiora, & cum per viam internam ad exteriora, describitur ibi per introitum & exitum principis & populi terræ ; meridies est status veri fidei in interno homine, & septentrio est status ejus in externo ; introitus & exitus est status vitæ quoad bonum & verum, ita quoad cultum : ex illis satis manifeste sciri potest, quod intrare & exire, sint talia quæ sunt

ſtatus vitæ ex bono & vero; quid enim alioquin foret, quod princeps intraret per unam viam aut per aliam, ut & populus terræ: per Domum enim ſeu Templum ibi, in quod introitus, & e quo exitus, ſignificatur cœlum & Eccleſia, videatur n: 3720: per Principem Verum fidei, n: 5044: per populum terræ illi qui in cœlo ſeu qui ab Eccleſia, n: 2928; per viam id quod ducit ad verum, n: 627. 2333; per portam doctrinale, n: 2851. 3187: per meridiem, ubi verum in luce, n: 9642, ita verum in interno homine; & per ſeptentrionem ubi verum in obſcuro, n: 3708, ita verum in externo homine.

9928. Ne moriatur, quod ſignificet ne repræſentativum pereat, & ſic conjunctio cum cœlis, conſtat ex ſignificatione mori, cum de Aharone & ejus officio, quod ſit ceſſatio repræſentativorum, & inde conjunctionis cum cœlis; per Aharonem enim repræſentabatur Dominus, & per officium ejus omne opus ſalvationis, & a parte hominis, cultus; qui cultus quod fuerit repræſentativus, & per cultum repræſentativum conjunctio cum cœlis, multis prius oſtenſum eſt, videantur loca citata n: 9320 fin: tum quid repræſentativum Eccleſiæ apud gentem Iſraeliticam & Judaicam, n: 9280, ut & n: 9457. 9481. 9576. 9577; & quod conjunctio Domini, ac cœli, cum homine tunc per repræſentativa fuerit, n: 9481: inde quoque fuit, quod Aharon indutus eſſet veſtibus, quæ repræſentabant cœleſtia, cum obiret ſancta; & quod ſi aliter feciſſet, moreretur; imprimis ſi ad ſancta obeunda iret neſciente populo, nam apud populum erat Eccleſiæ repræſentativum, & apud Aharonem repræſentativum Domini, a Quo & ad Quem omne cultus.

9929. Verſ: 36. 37. 38. *Et facies bracteam auri, & ſculpes ſuper illa ſculptura ſigilli, Sanctitas Jehovæ. Et pones illam ſuper filo hyacinthini, & erit ſuper cidari; e regione facierum cidaris erit. Et erit ſuper fronte Aharonis, & portabit Aharon iniquitatem ſanctorum, quæ ſanctificabunt filii Iſraelis, quoad omnia dona ſanctorum illorum; & erit ſuper fronte ejus jugiter, ad beneplacitum illis coram Jehovah.* Et facies bracteam auri puri, ſignificat illuſtrationem ex Divino Bono Domini: & ſculpes ſuper illa ſculptura ſigilli, ſignificat perpetuum & cordibus impreſſum ſecundum ſphæram cœleſtem: Sanctitas Jehovæ, ſignificat Divinum Humanum Domini, & inde omne cœleſte & ſpirituale: & pones illam ſuper filo hyacinthini, ſignificat influxum in verum amoris cœleſtis: & erit ſuper cidari, ſignificat ex infinita ſapientia: e regione facierum cidaris erit, ſignificat in æternum: & erit ſuper fronte Aharonis, ſignificat ex Divino amore Domini: & portabit Aharon iniquitatem ſanctorum, ſignificat inde remotionem falſorum & malorum apud illos qui in bono: quæ ſanctificabunt filii Iſraelis quoad omnia dona ſanctorum illorum, ſignificat cultus repræſentativos remotionis a peccatis: & erit ſuper fronte Aharonis jugiter, ſignificat repræſentativum amoris Domini in æternum: ad beneplacitum illis coram Jehovah, ſignificat Divinum Domini in illis.

9930. Et facies bracteam auri puri, quod ſignificet illuſtrationem ex Divino Bono Domini, conſtat ex ſignificatione bracteæ, quod ſit illuſtratio; & ex ſignificatione auri, quod ſit bonum amoris, hic Divinum Bonum Domini,

qua ei inscripta fuit Sanctitas Jehovæ; quod aurum sit bonum amoris, videatur n: 113. 1337. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9496. 9510. 9874. 9881. Quod bractea sit illustratio, erat ex splendore, splendebat enim ex auro super fronte Aharonis, & omnis splendor significat illustrationem, qualis est in cœlis a Domino ut Sole; illustratio ibi est sapientia & intelligentia ex Divino Vero procedente a Domino inde, nam hoc illustrat interiora eorum; interiora eorum correspondent intellectuali apud hominem, quod illustratur a Domino, cum verum & bonum Ecclesiæ & cœli percipitur, intellectuale enim est subjectum recipiens, nam absque subjecto nulla receptio. Quod bractea illa sit illustratio a Divino Bono Domini, est quia ei inscripta fuit Sanctitas Jehovæ, ac posita super fronte cidaris, quæ super capite Aharonis; Sanctitas qui a Jehovah est Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, n: 6788. 8302. 8330. 9229. 9680. 9820: ut hoc repræsentaret ex splendescentiam seu illustrationem, e qua sapientia & intelligentia, alligabatur fronti cidaris. Quia per bracteam significabatur illustratio ex Divino Bono Domini, ideo quoque illa vocabatur bractea corona sanctitatis, tum quoque corona sanctitatis, nam corona est repræsentativum Divini Boni, & Sanctitas est Divinum Verum inde procedens, ut supra dictum est: quod dicta sit *bractea coronæ sanctitatis*, patet in sequentibus hujus Libri Exodi, "Tandem fecerunt *bracteam coronæ sanctitatis* ex auro puro, & scripserunt super ea scriptura sculpturarum sigilli, Sanctitas Jehovæ," xxxix: 30: quod etiam dicta sit *Corona sanctitatis*, alibi in Exodo, "Pones cidarin super caput ejus, & dabis *coronam sanctitatis* super cidari," xxix: 6; & in Levitico, "Posuit cidarin super caput, & posuit super cidari contra facies ejus *Bracteam auri, Coronam sanctitatis*," viii: 9. Quod Corona repræsentaverit Divinum Bonum ex quo Divinum Verum, constat ex Coronis Regum, Reges enim repræsentabant Dominum quoad Divinum Verum, videatur n: 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148, inde illis corona super Capite, & sceptrum in manu; regimen enim ex Divino Bono repræsentabatur per coronam, & regimen ex Divino Vero per sceptrum. Quod Corona id sit, constat ex sequentibus locis; apud Davidem, "Germinare faciam cornu Davidi, disponam lucernam Uncto meo, hostes ejus induam pudore, *sed super Ipso florebit corona Ipsius*," Psalm: xxxii: fin: David ibi est Dominus, n: 1888. etiam Unctus, n: 3008. 5009; cornu Ipsius potentia, n: 2832. 9081; lucerna est Divinum Verum ex quo Intelligentia, n: 9548. 9783; corona est Divinum Bonum ex quo sapientia; ex quo etiam regimen Ipsius; florere dicitur corona, quæ est sapientia, per id quod sibi quoad Humanum acquisivit in mundo per pugnas & victorias contra inferna, n: 9548. 9783, quæ sunt hostes qui induentur pudore." Apud Eundem, "Iram exerces cum Uncto tuo, *damnasti in terram usque Coronam Ipsius*," Psalm: lxxxix: 40, ibi etiam Unctus pro Domino; ira pro statu tentationum, qui fuit cum in pugnis cum infernis; lamentatio tunc describitur per iram & damnationem, prout ultima Domini in cruce quod desereretur; crux enim erat ultimum tentationum seu pugnarum cum infernis, & post ultimam illam induit

3 Divinum

Divinum Bonum, & sic univit Divinum Humanum suum Ipsi Divino quod in Ipso. Apud Esaiam. " In die illo erit Jehovah Zebaoth in *Coronam Ornatus*, & in *cidarin decoris* reliquus populi sui," XXVIII : 5, corona ornatus pro sapientia quæ est boni a Divino, cidaris decoris pro intelligentia quæ est veri ex illo bono; prædicatur de Divinis apud populum, populus ibi est Ecclesia, quia ibi erat. Apud Eundem, " Propter Zionem non tacebo, & propter Hierosolymam non quiescam, usque dum exeat sicut splendor justitia ejus, & salus ejus sicut lampas ardeat, & eris *corona decoris* in manu Jehovæ, & *cidaris regni* in manu Dei tui," LXII : 1. 3; per Zionem & Hierosolymam intelligitur Ecclesia, per Zionem Ecclesia cœlestis, & per Hierosolymam Ecclesia spiritualis inde; corona decoris est sapientia quæ boni, & cidaris regni est intelligentia quæ veri; & quia per coronam significatur sapientia quæ boni, ideo dicitur in manu Jehovæ, & quia per cidarin significatur intelligentia, quæ veri, ideo dicitur in manu Dei, nam ubi agitur de bono, dicitur Jehovah, & ubi de vero, dicitur Deus, n: 2586. 2769. 6905. Apud Jeremiam, " Dic Regi & Dominæ, dimittite vos, sedete, quia descendit ornamentum capitis vestri, *corona decoris vestri*," XIII : 18, corona decoris pro sapientia quæ boni ex Divino Vero, decus enim est Divinum verum Ecclesiæ, n: 9815. Apud Eundem, " Cessavit gaudium cordis nostri, conversa est in luctum chorea nostra, *cecidit corona capitis nostri*," Thren: V : 16; corona capitis pro sapientia quæ illis qui ab Ecclesia ex Divino Vero, ex qua illis excellentia præ reliquis populis, & inde quasi regimen. Apud Ezechielem, " Dedit monile super nasum tuum, & inaures super aures tuas, & *coronam ornatus super caput tuum*," XVI : 12, agitur ibi de instauratione Ecclesiæ; monile super nasum pro perceptione boni; inaures super aures pro perceptione veri, ac obedientia; corona super caput pro sapientia inde. Apud Hiobum, " Gloriam a me abstraxit, & *removit coronam Capitis mei*," XIX : 9; gloria pro intelligentia quæ Divini Veri, n: 9429, corona capitis pro sapientia inde. In Apocalypsi, " Super thronis vidi viginti quatuor seniores indutos vestibus albis, qui *habebant super capitibus suis coronas aureas:* cadebant ante sedentem super throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & *projiciebant coronas suas ante thronum*," VI : 2, viginti quatuor seniores significant omnes illos qui in bono ex veris, & in sensu abstracto omnia bona ex veris, n: 6523. 9404; throni sunt Vera a Divino, n: 5313. 6397. 8625. 9039; coronæ aureæ super capitibus sunt repræsentativa sapientiæ ex Divino, & quia ex Divino, ideo projiciebant illas ante sedentem super throno. Quoniam bonum sapientiæ acquiritur per pugnas tentationum, quæ fiunt per vera fidei, inde illis qui pugnabant contra mala & falsa, & vincebant, assignabantur coronæ, ideo quoque coronæ martyrii, erant insignia imperii a Domino super mala: quod coronæ sint præmia victoriæ super mala, & quod ideo sint bona sapientiæ ex causa quia hæc sunt præmia, constat etiam ex Apocalypsi, " Vidi cum ecce Equus albus & sedens super illo habens arcum, cui *data est corona*, hic *exivit vincens* & *ut vinceret*," IX : 7; equus albus & sedens super illo est Dominus quoad Ver-

 bum,

bum, n: 2760. 2761. 2762; arcus est doctrina veri, per quam pugnatur, n: 2686. 2709; inde patet quod Corona, quia de Domino, sit Divinum Bonum, quod victoriæ præmium. Et alibi, "Postea vidi, cum ecce nubes alba, & super nube sedens similis Filio hominis, *habens super Capite suo coronam auream*, & in manu sua falcem acutam," xiv: 14, nubes alba pro Verbi sensu literali, n: 4060. 4061. 5292. 6343 fin: 6752. 8281; Filius hominis pro Divino Vero quod a Domino, n: 9807; corona aurea pro Divino Bono ex quo Divinum Verum; falx acuta pro dissipatione mali & falsi. Alibi, "Esto fidelis usque ad mortem, & *dabo tibi coronam vitæ*," ii: 10: & alibi, "Ecce venio cito, tene quod habes, ut *nemo accipiant coronam tuam*," iii: 11, corona pro bono ex veris, ita pro sapientia, nam hæc est boni amoris ex veris fidei. Ex his nunc constare potest, quid significatur per *coronam*, & inde quid per *coronam sanctitatis*, quæ fuit bractea auri, cui insculpta sanctitas Jehovæ.

9931. Et sculpes super illa sculptura sigilli, quod significet perpetuum & cordibus impressum secundum sphæram cœlestem, constat ex significatione sculpere, quod sit memoriæ imprimere, n: 9841. 9842, ita quoque cordi, nam quod memoriæ interiori, quæ est vitæ, id cordi impressum dicitur; & quia id permanet in æternum, etiam significatur in perpetuum; & ex significatione sculpturæ sigilli, quod sit sphæra cœlestis, de qua n: 9846. Quod dicatur cordibus impressum secundum sphæram cœlestem, est quia illa quæ memoriæ, imprimis memoriæ interiori, quæ est Liber vitæ, n: 2474, impressa sunt, secundum sphæram cœlestem impressa sint; nam homo, qui est in bono amoris ex veris fidei, refert cœlum, & quoque est cœlum in minima forma, videantur citato, n: 9279. 9632, ita quoque in illo est forma cœlestis; nam secundum formam cœlestem omnes societates in cœlis ordinatæ sunt, quia omnes affectiones boni, & inde cogitationes veri secundum illam fluunt, n: 9877; quod etiam omnia scientifica disponantur in formam cœlestem, cum homo in amore cœlesti est, & quod amor disponat, videatur n: 6690.

9932. Sanctitas Jehovæ, quod significet Divinum Humanum Domini, & inde omne bonum cœleste & spirituale, constat ex significatione sanctitatis, quod sit Divinum procedens a Domino, ita quod sit Ipse Dominus quoad Divinum Humanum, a quo omne Divinum in cœlis; inde est quod bonum cœleste, quod est bonum amoris in Dominum a Domino, & bonum spirituale, quod est bonum amoris erga proximum a Domino, sancta sint; nam Dominus solus est sanctus, & quod procedit ab Ipso est solum sanctum in cœlis & in terris, n: 9229. 9680. 9820; & quod sanctum procedens a Domino dicatur Spiritus Sanctus, n: 9818; & quod Angeli, Prophetæ & Apostoli dicantur Sancti a receptione Divini Veri a Domino, n: 9820; tum quod Sanctuarium sit Cœlum a Divino ibi, n: 8330. 9479: Sanctitas Jehovæ dicitur, quia Jehovah in Verbo est Dominus, videantur loca citata n: 9373. Quod Sanctitas Jehovæ fuerit insculpta bracteæ auri, ac posita super cidari super fronte Aharonis, fuit causa, quia sic erat in conspectu omnis populi, inde sanctum in mentibus eorum cum erant in cultu, & id sanctum corre-

spondebat

ſpondebat ſancto, quod eſt in univerſo cœlo, quod eſt Divinum Humanum Domini, nam hoc, ut dictum eſt, facit cœlum. Quod eſt in communi aſpectu omnis populi, & ſic regnat in mentibus univerſaliter, id intrat in omne cogitationis & affectionis, & inde in omne cultus, & afficit illud, n: 6159. 6571. 7648. 8067. 8865; quapropter, cum ſanctiſſimum illud fuit, jugiter coram oculis, & inde in mentibus regnabat univerſaliter, ſanctificabat illud omnia cultus.

9933. Et pones eam ſuper filo hyacinthini, quod ſignificet influxum in verum amoris cœleſtis, conſtat ex ſignificatione hyacinthini, quod ſit verum amoris cœleſtis, de qua ſequitur; influxus in illud, ſignificatur per quod bractea illa, cui inſculpta erat Sanctitas Jehovæ, ſuper filo ex hyacinthino poſita fuerit, nam ſic pendebat ex eo, & alligata ei erat, & per alligari & pendere in ſpirituali ſenſu ſignificatur influere, quoniam omnis conjunctio in ſpirituali mundo, qualiſcunque ſit, fit per influxum. Quod influxus ſit in verum amoris cœleſtis de Divino Humano Domini, quod per ſanctitatem Jehovæ ſignificatur, eſt quia in illa ſphæra cœli, ubi Verum amoris cœleſtis eſt, non aliud Divinum percipitur quam Divinum Humanum Domini: nam cum hoc ita ſe habet; cœli ſunt tres, qui diſtincti ſunt inter ſe per gradus boni; in intimo cœlo eſt bonum amoris cœleſtis, quod eſt bonum amoris in Dominum, in altero ſeu medio cœlo eſt bonum amoris ſpiritualis, quod eſt bonum charitatis erga proximum, in primo ſeu ultimo cœlo eſt bonum amoris naturalis a ſpirituali & a cœleſti, quod eſt bonum fidei & obedientiæ: in unoquovis cœlo eſt internum & externum; internum in cœlo intimo eſt bonum amoris in Dominum, ut ſupra dictum eſt, & externum ibi eſt bonum amoris mutui, quod eſt amoris boni propter bonum, hoc bonum eſt quod intelligitur per verum amoris cœleſtis, quod per filum hyacinthini ſignificatur: in ea ſphæra, ubi hoc Verum eſt, Humanum Domini, quod ſit ipſum Divinum in cœlis percipitur; quapropter ut primum Angelus in illam ſphæram elevatur, etiam in illam lucem venit; influit illa perceptio ex Domino, quoniam Divinum Humanum Domini facit cœlum, hic influxus eſt, qui ſignificatur. Quod hyacinthinum ſit cœleſtis amor veri, ſeu quod idem verum amoris cœleſtis, videatur n: 9466. 9687. 9833.

9934. Et erit ſuper cidari, quod ſignificet ex infinita ſapientia, conſtat ex ſignificatione cidaris, quod ſit intelligentia, de qua n: 9827, & cum de Domino, qui repræſentabatur per Aharonem, cidaris eſt Divina, ſeu infinita ſapientia.

9935. E regione facierum cidaris erit, quod ſignificet in æternum, conſtat ex ſignificatione e regione facierum cidaris, cum de Domino, qui repræſentatur per Aharonem, quod ſit in æternum, de qua n: 9888.

9936. Et erit ſuper fronte Aharonis, quod ſignificet ex Divino amore Domini, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum, quod eſt Bonum Divini amoris Ipſius, de qua n: 9806; & ex ſignificatione frontis, cum de Domino, quod ſit Divinus Ipſius amor; per faciem enim Domini, ſeu quod idem, per faciem Jehovæ, ſignificantur

 omnia

omnia quæ ſunt Divini amoris, ſicut Miſericordia, Pax, Bonum, Sapientia, n: 222. 223. 5585. 6848. 6849. 9306. 9545. 9546; quod facies Jehovæ ſeu facies Domini illa ſignificet, eſt quia per faciem in genere ſignificantur interiora hominis, quæ ſunt ejus affectiones & inde cogitationes, ita quæ ſunt ejus amoris & fidei, videantur citata n: 9546; quod illa ſignificentur per facies, eſt quia illa ex facie elucent, ſicut in ſuo typo aut in ſua effigie, quapropter etiam facies vocatur effigies animi: inde eſt, quod per faciem, cum de Jehovah ſeu Domino, ſignificentur illa quæ ſunt Divini Ipſius amoris: quod per frontem in ſpecie ſignificetur ipſe Divinus amor, eſt quia interiora ſuas provincias ſortita ſunt in facie, interiora quæ ſunt amoris in provincia frontis, quæ ſunt ſapientiæ & intelligentiæ in provincia oculorum, quæ ſunt perceptionis in provincia narium, quæ ſunt enuntiationis in provincia oris; inde patet, cur per frontem, cum de Domino, qui repræſentatur per Aharonem, ſignificetur Divinus Amor. Quia frons apud hominem correſpondet amori ejus, ideo qui in amore cœleſti ſunt, hoc eſt, in amore in Dominum a Domino, dicuntur ſignum habere in frontibus, per quod ſignificatur quod in tutela Domini ſint quia in amore Ipſius; ut apud Ezechielem, "Dixit Jehovah, tranſi per medium Hieroſolymæ, & *ſigna ſignum ſuper frontibus virorum* gementium & ſuſpirantium ſuper omnibus abominationibus factis in medio ejus, & percutite, ne parcat oculus veſter: *ſed contra ullum virum, ſuper quo ſignum, ne appropinquate*," IX: 4. 6. Apud Johannem in Apocalypſi, "Ecce Agnus ſtans ſuper Monte Zionis & cum Ipſo centum quadraginta quatuor millia, *habentia Nomen Patris Ipſius ſcriptum ſuper frontibus ſuis*," XIV: 1: apud Eundem ibi, "Videbant facies Dei & Agni, *& Nomen Ipſius in frontibus illorum*," XXII: 4: apud Eundem ibi, "Dictum, ut damno non afficerent gramen terræ, neque ullum virens, neque ullam arborem, ſed homines ſolos, *qui non haberent ſignum Dei ſuper frontibus ſuis*," IX: 4; habere ſignum Dei & nomen Dei ſuper frontibus ſuis, pro in tuto eſſe ab infeſtatione malorum quæ ab inferno, quia in Domino per amorem; gramen & virens, quod non damno afficeretur, pro vero ſcientifico per quod verum fidei, n: 7571. 7691; arbor, quæ nec damno afficeretur, pro perceptione veri ex bono, n: 103. 2163. 2722. 2972. 4552. 7692. Apud Moſchen, "Amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: alligabis verba illa in ſignum ſuper manum tuam, *& ſint in frontalia inter oculos tuos*," Deut: VI: 4. 5. 8; in frontalia pro in ſignum amoris in Jehovam Deum; inter oculos dicitur, quia oculi ſignificant intelligentiam & ſapientiam quæ ex illo amore, & ſapientia ex illo amore eſt Deum continue ante oculos habere; quod ita ſit, patet, quia agitur de amore in Jehovam Deum; dicitur quod Ipſum amarent ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus, per quod ſignificatur quod ex omnibus apud hominem, ex corde eſt ex voluntate ubi bonum amoris, n: 7542. 9050. 9300. 9494; ex anima eſt ex intellectu ubi verum fidei, ita ex fide, n: 9050; quæ bina ſunt Interni hominis; ex omnibus viribus eſt ex illis quæ ſunt Intellectus & Voluntatis in

Externo homine; vires & potentia amoris utriusque hominis, Externi & Interni, significantur per manus, n: 4931 ad 4937. 7518, ideo dicitur quod verba illa alligarentur in signum super manum. Quia frons ex Correspondentia significat amorem cœlestem apud bonos, ita apud malos significat amorem infernalem, qui est oppositus cœlesti; horum frons dicitur *frons ænea* apud Esaiam Cap: XLVIII: 4; & *frons obfirmata* apud Ezechielem Cap: III: 7. 8; & de illis, qui in amore infernali sunt, dicitur quod *haberent Characterem bestiæ super frontibus*, Apoc: Cap: XIII: 16. Cap: XIV: 9. Cap: XX: 4; & quoque *Nomen Babylonis super frontibus*, Apoc: Cap: XVII: 5.

9937. Et portabit Aharon iniquitatem sanctorum, quod significet inde remotionem falsorum & malorum apud illos qui in bono sunt a Domino, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus, quoad bonum amoris, de qua n: 9806; & ex repræsentatione sacerdotii, quo functus est Aharon, quod sit omne officium quod Dominus obit ut Salvator, de qua n: 9808; ex significatione portare iniquitatem, quod sit remotio falsorum & malorum apud illos qui in bono, de qua sequitur; & ex significatione sanctorum, quod sint dona, quæ afferebant Jehovæ seu Domino, ut expiarentur a peccatis, quæ erant holocausta, sacrificia & minchæ; quod illa per sancta intelligantur, liquet, nam dicitur, *quæ sanctificabunt filii Israelis quoad omnia dona sanctorum illorum.* Quod portare iniquitatem sit removere falsa & mala seu peccata apud illos qui in bono sunt, est quia de Domino id dicitur, Dominus enim repræsentabatur per Aharonem, & omne opus salvationis per officium seu sacerdotium ejus: quod de Domino dicatur, quod portaverit peccata pro humano genere, notum est in Ecclesia, sed usque nescitur quid intelligitur per portare iniquitates & peccata; creditur a quibusdam quod sit quod assumserit in se peccata generis humani, ac passus sit se damnari usque ad mortem crucis, & quod sic, quia damnatio pro peccatis in Illum conjecta est, mortales a damnatione liberati sint; tum etiam quod damnatio a Domino ablata fuerit per impletionem legis, quoniam Lex unumquemvis, qui non impleret illam, damnavisset; sed per portare iniquitatem illa non intelliguntur, quoniam facta manent unumquemvis hominem post mortem, & tunc secundum quale illorum judicatur vel ad vitam vel ad mortem; quale eorum est ex amore & ex fide, nam amor & fides faciunt vitam facti; ac ideo non auferri possunt per translationem ad alium, qui portet illa; inde patet, quod per portare iniquitates aliud intelligatur; quid autem intelligitur, constare potest ex ipsa portatione iniquitatum seu peccatorum a Domino; Dominus enim portat illa cum pugnat pro homine contra inferna, homo enim ex se contra illa non pugnare potest, sed hoc facit Dominus solus, etiam continue pro unoquovis homine, sed cum differentia secundum receptionem Divini Boni ac Divini Veri: Dominus cum in mundo fuit, pugnavit contra omnia inferna, & illa prorsus subjugavit; inde etiam Justitia factus est; ita redemit illos qui Divinum Bonum & Verum ab Ipso recipiunt, a damnatione; nisi hoc a Domino factum fuisset, nullus homo salvari

potuisset,

potuisset, nam inferna jugiter sunt apud hominem, ac dominantur super illum, quantum Dominus non removet illa; & tantum removet, quantum homo desistit a malis; qui semel vincit inferna, in æternum illa vincit, quod ut fieret a Domino, Humanum suum Divinum fecit; qui itaque solus pugnat pro homine contra inferna, seu quod idem, contra mala & falsa, nam hæc sunt ab infernis, ille dicitur portare peccata, nam solus id onus sustinet: quod per portare peccata etiam significetur remotio malorum & falsorum ab illis qui in bono sunt, est quia id consequens est, nam quantum removentur inferna ab homine, tantum removentur mala & falsa, nam hæc & illa, ut dictum est, ab infernis sunt; mala & falsa sunt peccata & iniquitates: quomodo cum his se habet, videantur quæ supra n: 9715 & 9809, ostensa sunt, ubi de Merito & Justitia Domini, & quoque de subjugatione Infernorum ab Ipso agitur. Quod de Aharone dicatur, quod ille portaret iniquitates, erat quia repræsentabat Dominum, ac Sacerdotium illius omne opus salvationis Domini, videatur n: 9806. 9809; ac præcipuum opus salvationis, est redimere & liberare hominem ab infernis, & sic removere mala & falsa. Dicitur removere mala & falsa, quia liberatio a peccatis seu remissio eorum non aliud est, quam remotio, manent enim apud hominem, sed quantum bonum amoris & verum fidei implantatur, tantum malum & falsum removentur; se habet hoc sicut cum cœlo & inferno, cœlum non exstinguit infernum seu illos qui ibi, removet a se, est enim bonum & verum, quæ a Domino, quæ faciunt cœlum, illa sunt quæ removent: similiter se habet cum homine, homo ex se est infernum, at cum regeneratur, fit cœlum, & quantum fit cœlum, tantum removetur infernum. Communis opinio est, quod mala, hoc est, peccata, non ita removeantur, sed quod prorsus separentur; sed illi non sciunt quod totus homo ex se non sit nisi quam malum, & quod mala, quæ ejus sunt, appareant sicut exstirpata, quantum tenetur in bono a Domino, nam cum homo tenetur in bono, detinetur ille a malo; verum nemo potest detineri a malo & teneri in bono, nisi qui in bono fidei & charitatis est a Domino, hoc est, quantum se patitur a Domino regenerari; nam per regenerationem implantatur cœlum apud hominem, & per id removetur infernum, quod apud illum, ut supra dictum est. Ex his iterum constare potest, quod portare iniquitates, cum de Domino, sit continue pugnare pro homine contra inferna, ita continue removere illa, nam est remotio perpetua, non solum cum homo est in mundo, sed etiam in altera vita in æternum: ita removere mala, non potest ullus homo; ex se enim homo ne quidem minimum mali removere potest, minus inferna, & adhuc minus in æternum. Sed videantur quæ de his prius ostensa sunt, nempe, quod mala apud hominem non prorsus separentur, sed quod removeantur quantum in bono est a Domino, n: 8393. 9014. 9333 ad 9336. 9444 ad 9454: quod Dominus, cum in mundo fuit, per tentationum pugnas vicerit inferna, & sic omnia disposuerit in ordinem; tum quod hoc fecerit ex Divino amore, ad salvandum genus humanum; & quod sic etiam fecerit Humanum suum Divinum, videantur loca citata, n: 9528 fin: & quod Dominus pugnet pro homine in tentationibus, quæ sunt

sunt pugnæ spirituales contra mala quæ ab inferno, n: 1692. 6574. 8159. 8172. 8175. 8176. 8273. 8969. Quomodo Dominus portavit iniquitates generis humani, hoc est, pugnavit cum infernis, & subjugavit, cum in mundo fuit, & sic acquisivit sibi Divinum Potentiam removendi illa apud omnes qui in bono sunt, & sic quod Meritum & Justitia factus, describitur apud Esaiam Cap: LIX: 16 ad 20, tum Cap: LXIII: 1 ad 9, quæ explicata videantur n: 9715. 9809. Ex his intellectis sciri potest, quid significant omnia illa, quæ apud Eundem Prophetam de Domino dicuntur Capite LIII, in quo a principio ad finem agitur de statu Tentationum Ipsius, ita de statu in quo fuit cum pugnavit cum infernis, nam tentationes non aliud sunt quam pugnæ cum illis: status ille ibi describitur, *Quod morbos nostros Ille tulerit, & dolores nostros portaverit, quod confossus ob prævaricationes nostras, & contusus ob iniquitates nostras; quod Jehovah incurrere fecerit in Ipsum iniquitatem omnium nostrorum; & sic quod dederit impios sepulchro; quod voluntas Jehovæ per manum Ipsius prosperabitur; quod ex labore animæ suæ videbit & saturabitur, perque sapientiam suam justificabit multos, eo quod iniquitates eorum Ipse portaverit, & sic quod peccatum multorum tulerit:* vocatur etiam ibi *Brachium Jehovæ*, per quod significatur Divina Potentia, 4932. 7205: quod per portare morbos, dolores & iniquitates, ac confodi & contundi ab illis, significetur status tentationum, patet, nam tunc sunt dolores animi, angustiæ & desperationes, quæ ita angunt; inferna inducunt talia; nam in tentationibus aggrediuntur ipsum amorem ejus, contra quem pugnant; amor cujusvis est intimum ejus vitæ: amor Domini fuit amor salvandi genus humanum, qui amor fuit Esse vitæ Ipsius, Divinum enim in Ipso fuit ille amor: id quoque describitur ita apud Esaiam, ubi agitur de pugnis Domini, his verbis, "Dixit, certe populus meus illi, ideo factus est illis in Salvatorem, in omni angustia eorum Ipsi angustia, *ob amorem suum*, & *clementiam suam* Hic redemit illos, & assumsit illos, & *portavit illos omnibus diebus æternitatis*," LXIII: 8. 9. Quod Dominus cum in mundo fuit, tales tentationes sustinuerit paucis describitur apud Evangelistas, sed multis apud Prophetas, ac imprimis in Psalmis Davidis; dicitur solum apud Evangelistas, quod deductus fuerit in desertum, & postea tentatus a diabolo, & quod ibi fuerit quadraginta dies, & cum bestiis, Marc: I: 12. 13. Matth: IV: 1; at quod in tentationibus fuerit, hoc est, in pugnis cum infernis, a prima pueritia usque ad finem vitæ suæ in mundo, non revelavit; secundum hæc apud Esaiam, "*Exactionem sustinuit*, & *afflictus est, non tamen aperuit os suum*; sicut agnus ad mactationem ducitur, & sicut ovis coram tonsoribus suis *obmutescit, non aperuit os suum*," LIII: 7: ultima Ipsius tentatio fuit in Gethsemane, Matth: XXVI. Marc: XIV, & dein passio crucis; quod per illam plene subjugaverit inferna, docet Ipse apud Johannem, "Pater eripe Me ex hora hac, sed propter hoc veni in horam hanc: Pater glorifica nomen tuum; exiit vox e cœlo, & glorificavi & glorificabo; tunc Jesus dixit, *nunc judicium est mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*," XII: 27. 28. 31; princeps mundi est diabolus, ita totum infernum; glorificare est Humanum facere Divinum: quod solum tentatio post quadraginta dies in deserto, memoretur,

moretur, est quia dies quadraginta, significant & involvunt tentationes ad plenum, ita plurium annorum, videatur n: 8098. 9437; desertum significat infernum, & bestiæ, cum quibus pugnavit ibi, turbam diabolicam. Remotio peccatorum apud illos qui in bono sunt, seu qui pœnitentiam egerunt, repræsentata est in Ecclesia Judaica per hircum Asaselem vocatum; super cujus caput Aharon imponeret manus, & confiteretur iniquitates filiorum Israelis, ac omnes prævaricationes quoad omnia peccata eorum, & dein mitteret in desertum, & *quod sic portaret hircus super se omnes iniquitates eorum in terram separationis,*" Levit: XVI: 21. 22, per Aharonem ibi repræsentatur Dominus; per hircum significatur fides; per desertum & terram separationis infernum; & per portare iniquitates filiorum Israelis illuc, removere & conjicere illa in infernum: quod talia repræsentata fuerint, nemo scire potest, nisi ex sensu interno; quisque enim videre potest, quod iniquitates totius cætus non potuissent exportari in desertum per aliquem hircum, nam quid hircus commune habuit cum iniquitatibus; sed quia omnia repræsentativa illo tempore significaverunt talia quæ Domini, cœli & Ecclesiæ sunt; ita quoque hæc; sensus itaque internus docet quid involvunt, quod nempe verum fidei sit per quod regeneratur homo, consequenter per quod removentur peccata, & quia fides veri est a Domino, est Ipse Dominus qui id facit, secundum illa quæ in Præfat: ad Genes: Cap: XXII, ut & n: 3332. 3876. 3877. 4738, dicta & ostensa sunt: quod Aharon repræsentet Dominum, videatur n: 9806. 9808; quod hircus caprarum sit verum fidei, n: 4169 fin: 4769; quod desertum sit infernum, est quia castra, ubi filii Israelis, significabant cœlum, n: 4236, ideo etiam desertum vocatur terra separationis seu excisionis; ita per portare iniquitates in illam terram seu in desertum, est conjicere mala & falsa in infernum unde sunt, & conjiciuntur illuc cum removentur ita ut non appareant, quod fit cum homo detinetur ab illis per id quod teneatur in bono a Domino, secundum illa quæ supra dicta sunt: simile quod per ejectionem peccatorum in desertum, significatur per projectionem illorum in profunditates maris, ut apud Micham, "Miserebitur nostri, *supprimet iniquitates nostras,* & *projiciet in profunditates maris omnia peccata illorum,*" VII: 19, profunditas maris est quoque infernum. Ex his nunc patet, quod per quod Aharon portaret iniquitates sanctorum, significetur remotio peccatorum ab illis qui in bono a Domino; & quod remotio eorum fiat continue a Domino, & quod id sit portare iniquitates; prout etiam alibi apud Moschen, "Dixit Jehovah ad Aharonem, tu & filii tui tecum *portabitis iniquitatem sanctuarii:* tu etiam & filii tui tecum *portabitis iniquitatem sacerdotii vestri:* non accedent amplius filii Israelis ad Tentorium conventus *ad portandum peccatum, moriendo:* sed faciet Levita opus Tentorii, *& illi portabunt iniquitatem eorum,*" Num: XVIII: 1. 23, similiter per portare apud Esaiam, "Attendite ad Me, domus Israelis, *portati ab utero,* usque ad senectutem Ego idem, & usque ad canitiem *Ego portabo; Ego feci,* & *Ego portabo,* & *Ego feram,* atque eripiam," XLVI: 3 4. Quod portare iniquitatem sit *expiare,* ita removere peccata, apud Moschen, "Moscheh indignatus Eleazari & Ithamari, quod combustus esset hircus sacrificii

ficii peccati, dicens, quare non comedistis illud in loco sanctitatis, cum Jehovah dedit illud vobis *ad portandum iniquitates concionis, ad expiandum illos* coram Jehovah," Levit: x: 16. 17; quod expiatio sit mundatio a malis, ita remotio a peccatis, videatur n: 9506: & quod Aharoni injunctum *sit expiare populum*, & *condonare illis peccata*," Levit: iv: 26. 31. 35. Cap: v: 6. 10. 13. 16. 18. 26. Cap: ix: 7. Cap: xv: 15. 30. "Quod *portare peccata*, cum non de Sacerdotio, sit *damnari*, ita mori," Levit: v: 1. 17. Cap: vii. 18. Cap: xvii: 16. Cap: xix: 8. Cap: xx: 17. 19. 20. Cap: xxii: 9. Cap: xxiv: 15. Num: ix: 13. Cap: xviii: 21. Ezech: xviii: 19. 20. Cap: xxiii: 49.

9938. Quæ sanctificabunt filii Israelis quoad omnia dona sanctorum illorum, quod significet cultus repræsentativos remotionis a peccatis, constat ex significatione donorum seu munerum, quæ præcipue fuerunt holocausta, sacrificia & minchæ apud gentem Israeliticam & Judaicam, quod sint interiora cultus, nam illa repræsentabantur; interiora cultus sunt quæ sunt amoris & fidei, & inde condonationes peccatorum, hoc est, remotiones ab illis, quoniam per fidem & amorem a Domino removentur peccata; quantum enim bonum amoris & fidei intrat, seu quod idem, quantum intrat cœlum, tantum removentur peccata, hoc est, tantum removetur infernum, tam quod intra hominem, quam quod est extra illum; inde patet, quid per dona, quæ sanctificabant, hoc est, offerebant, intelligitur: Quod dona dicta sint sancta, ac donare seu offerre illa dictum sit sanctificare, erat quia repræsentabant sancta; offerebantur enim pro expiationibus, ita pro remotionibus a peccatis, quæ fiunt per fidem & amorem in Dominum a Domino. Dicta sunt dona & munera oblata Jehovæ, tametsi Jehovah, hoc est, Dominus non occipit dona seu munera, sed dat unicuivis gratis; usque tamen vult, ut ab homine veniant sicut ab Ipso, modo agnoscat quod non sint a semet sed a Domino, indit enim Dominus affectionem faciendi bonum ex amore, & affectionem loquendi verum ex fide; sed ipsa affectio influit a Domino, & apparet sicut in homine, ita sicut ab homine, nam quicquid homo facit ex affectione quæ amoris, ex vita facit, nam amor est vita cujusvis; inde patet, quod quæ vocantur dona & munera oblata Domino ab homine, sint in sua essentia dona & munera oblata homini a Domino; & quod dicantur dona & munera, fit ex apparentia; apparentiam hanc vident omnes sapientes corde, sed non ita simplices, at usque horum dona & munera grata sunt, quantum ex ignorantia, in qua innocentia, fiunt; innocentia est bonum amoris in Deum, & habitat in ignorantia, imprimis apud sapientes, corde, nam qui sapientes corde sunt, illi sciunt & percipiunt, quod nihil sapientiæ in se sit a se, sed quod omne sapientiæ sit a Domino, hoc est, omne boni quod amoris & omne veri quod fidei, & sic quod usque apud sapientes in ignorantia habitet: inde patet, quod agnitio ejus rei, & imprimis perceptio ejus, sit innocentia sapientiæ. Dona, quæ offerebantur in Ecclesia Judaica, quæ præcipue erant holocausta, sacrificia, & minchæ, dicebantur etiam expiationes a peccatis, nam propter condonationes illorum, hoc est, remotiones ab illis, oblata sunt; credebant etiam qui ab illa Ecclesia erant,

quod peccata sic condonata essent, imo prorsus ablata, nam dicitur postquam obtulerunt illa, quod condonabitur illis, videatur Levit: Cap: IV: 26. 31. 35. Cap: V: 6. 10. 13. 16. 18, 26. Cap: IX: 7. Cap: XV: 15. 30; sed illi non sciebant, quod munera illorum repræsentarent interiora, ita talia quæ ab homine fiunt ex amore & ex fide quæ ex Domino, & quod hæc sint quæ expiant, hoc est, removent peccata, & cum remota sunt, quod appareant sicut prorsus remota seu ablata; ut supra in hoc & in præcedenti articulo ostensum est: erat enim gens illa in cultu repræsentativo, ita in cultu extremo absque interno, per quem tunc conjunctio fuit cœli cum homine, videantur citata, n: 9320 fin: 9380.

9939. Et erit super fronte Aharonis jugiter, quod significet repræsentativum amoris Domini in æternum, constat ex significatione frontis, quod sit amor, de qua n: 9936; ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus, de qua n: 9806; & ex significatione jugiter, quod sit in æternum: quod jugiter sit in æternum, est quia omnia quæ sunt temporis, cum de Domino, significent æterna, ita quoque jugiter, nam jugiter, quotidie & semper prædicantur de tempore; inde quoque est, quod heri ac hodie, cum de Domino, etiam significent æternum, n: 2838.

9940. Ad beneplacitum illis coram Jehovah, quod significet Divinum Domini in illis, constat ex significatione beneplaciti, cum de Jehovah, hoc est, Domino, quod sit ex Divino Ipsius, nam quod beneplacet Domino, est Divinum quod ab Ipso apud hominem, spiritum & angelum, est enim tunc in alio, in quo spectatur, & sic beneplacet. Quæ a Domino sunt, propius vel remotius ab Ipso sunt, & dicuntur esse *ex Voluntate Ipsius*, ex *Beneplacito*, ex *Venia*, & ex *Permissione*; quæ ex Voluntate, proxime ab Ipso sunt; quæ ex Beneplacito, paulo remotius ab Ipso sunt; quæ ex Venia, adhuc remotius; & quæ ex Permissione, remotissime ab Ipso sunt; hi sunt gradus influxus & receptionis Divini; sed quilibet gradus innumerabilia continet, quæ distincta sunt ab illis quæ in altero gradu, & innumerabilia illa sunt arcana cœli, quorum modo pauca cadunt in intellectum humanum; sicut solum quæ fiunt ex *Permissione*, quæ tametsi in ultimo loco sunt, usque tamen ob innumerabilia arcana inibi, homo se confundit, cum perspicit illa ex volutionibus rerum in natura, & ex apparentiis, & magis cum ex fallaciis sensuum: sed arcana permissionis respective pauca sunt ad arcana graduum superiorum, quæ sunt quæ fiunt ex venia, ex beneplacito & ex voluntate.

9941. Vers: 39. 40. *Et tessellabis tunicam byssi, & facies cidarin byssi, & baltheum facies opere acupictoris. Et filiis Aharonis facies tunicas, & facies illis baltheos, & tiaras facies illis ad gloriam & ad decus.* Et tessellabis tunicam byssi, significat intima Regni spiritualis procedentia ex veris amoris cœlestis: & facies cidarin byssi, significat sapientiam ibi: & baltheos, significat vinculum, & separationem ab externis illius Regni: facies opere acupictoris, significat per cognitiones boni & veri: & filiis Aharonis, significat Divina Vera ex Divino Bono Domini procedentia in cœlis: facies tunicas, significat illa quæ fidei ibi: & facies illis baltheos, significat continentiam in nexu: &

tiaras facies illis, significat intelligentiam ibi: ad gloriam & ad decus, significat verum Ecclesiæ spiritualis.

9942. Et tessellabis tunicam byssi, quod significet intima Regni spiritualis procedentia ex veris amoris cœlestis, constat ex significatione vestium Aharonis in genere, quod sint Regnum spirituale adjunctum Regno cœlesti, de qua n: 9814; & quia tunica erat intima vestium illarum, ideo per illam significantur intima Regni illius; quod tunica Aharonis sit Divinum Verum in Regno spirituali immediate procedens a Divino cœlesti, videatur n: 9826; & ex significatione byssi, quod sit verum ex origine cœlesti, de qua n: 9469: de tunica illa dicitur quod tessellaretur, & per tessellatum intelligitur opus textoris, & per opus textoris significatur id quod ex cœlesti, n: 9915; per eandem vocem, qua exprimitur tessellare in Lingua originali etiam significatur texere: quod tunica illa texta fuerit, seu ex opere textoris, constat ex sequentibus in Libro Exodi, "*Fecerunt tunicas byssi, opus textoris, pro Aharone & filiis ejus*," xxxix: 27; quod tessellata fuerit, seu texta ex bysso, erat causa, ut repræsentaretur id quod immediate procedit ex cœlesti, quod est sicut continuum respective; quæ enim ex cœlesti procedunt, sunt sicut quæ ex voluntario apud hominem; omnia enim quæ sunt intellectus apud hominem procedunt ex voluntario ejus; quæ interius procedunt ex voluntario, sunt quasi continua respective ad illa quæ exterius; quapropter in illis, quæ interius ex voluntario procedunt, est imprimis affectio veri, nam omnis affectio quæ amoris in intellectu influit ex voluntario ejus: similiter se habet in cœlis, ubi cœleste Regnum correspondet voluntario hominis, & spirituale Regnum Intellectuali ejus, videatur n: 9835; & quia vestes Aharonis repræsentabant Regnum spirituale Domini adjunctum Regno cœlesti Ipsius, n: 9834; ideo tunica repræsentabat id quod intimum ibi est, ita quod proxime ex Regno cœlesti procedit, erat enim tunica intima vestis: inde patet, cur texta seu tessellata fuit, & cur ex bysso; per textum enim significatur id quod ex voluntario seu ex cœlesti, n: 9915, & per byssum significatur verum quod ex amore cœlesti, n: 9469; Spirituale quod ex cœlesti etiam significatur *per Tunicas* etiam alibi in Verbo, sicut per *Tunicas pellis*, quas Jehovah Deus dicitur fecisse homini & uxori ejus, postquam comederunt ex arbore scientiæ," Genes: iii: 20. 21; quod per illas tunicas significetur Verum ex origine cœlesti, non sciri potest nisi Historica illa quoad sensum internum evolvantur, quapropter explicabitur; per Hominem & Uxorem ejus ibi intelligitur Ecclesia cœlestis, per ipsum hominem ut maritum Ecclesia illa quoad bonum, & per Uxorem ejus Ecclesia illa quoad verum; hoc verum & illud bonum fuit verum & bonum Ecclesiæ cœlestis: cum autem Ecclesia illa lapsa fuit, quod factum est per ratiocinationes ex scientificis de Veris Divinis, quod in sensu interno significatur per serpentem qui persuasit; hic primus status post lapsum illius Ecclesiæ est qui ibi describitur, ac verum ejus per tunicas pellis: Sciendum est, quod per creationem cœli & terræ in Primo Capite Geneseos in sensu interno intelligatur & describatur nova creatio seu regeneratio hominis Ecclesiæ tunc, ita instauratio Ecclesiæ cœlestis, & quod per Paradisum intelligatur & describatur sapientia & intelligentia illius Ecclesiæ, & per esum ex

arbore scientiæ lapsus illius per quod ex scientificis ratiocinati sint de Divinis: quod ita sit, videantur quæ de illis in explicationibus ad illa Capita ostensa sunt; sunt enim omnia illa quæ continentur in Primis Capitibus Geneseos, Historica facta, in quorum sensu interno sunt Divina de nova creatione seu regeneratione hominis Ecclesiæ cœlestis, ut dictum est; ille mos scribendi fuit antiquissimis temporibus, non solum apud illos qui ab Ecclesia fuerunt, sed etiam apud illos qui extra Ecclesiam, ut apud Arabes, Syros & Græcos, ut patet a Libris illorum temporum tam sacris quam prophanis: ad imitamen illorum, quia ex illis, conscriptum est Canticum Canticorum a Salomone, qui liber non est liber sacer, quoniam non continet cœlestia & Divina in serie intus, sicut Libri sacri; Liber Hiobi etiam est liber Antiquæ Ecclesiæ; memorantur etiam Libri sacri Antiquæ Ecclesiæ, quæ nunc deperditæ sunt, apud Moschen, Num: XXI: 14. 15. 27 seq: quorum Historica dicebantur *Bella Jehovæ*, & Prophetica, *Enuntiata*, videatur n: 2686. 2897; quod in Historicis illorum, quæ dicta sunt Bella Jehovæ, talis stylus fuerit, patet ex illis ibi quæ inde a Mosche desumpta & allata sunt, ita Historica illorum accedebant ad stylum quendam Propheticum, talem, ut res ab infantibus & quoque a simplicibus memoria retineri potuissent: quod Libri illi ibi citati sacri fuerint, patet ab illis; quæ ibi Vers: 28. 29. 30, exstant, collatis cum illis quæ apud Jeremiam Cap: XLVIII: 45. 46, ubi similia. Quod talis stylus apud illos qui extra Ecclesiam fuerunt, eo tempore usitatissimus & fere unicus fuerit, liquet a fabulosis illorum Scriptorum qui extra Ecclesiam erant, quibus involvebant moralia seu talia quæ affectionum ac vitæ sunt. In Historicis non factis sed veris, quæ sunt quæ in Libris Moschis post illa Capita, tum quæ in Libris Joschuæ, Judicum, Samuelis & Regum, etiam tunicæ significant verum ac bonum veri spirituale procedens ex vero & bono cœlesti: (sciendum est, quod verum & bonum spirituale sit quale est verum & bonum Angelorum in medio seu altero cœlo; at quod verum & bonum cœleste sit verum & bonum quale est Angelorum in tertio seu intimo cœlo, videantur loca citata n: 9277:) in Libris Moschis memoratur quod Israel pater dederit Josepho filio suo *tunicam variorum colorum*, & quod propter *illam* fratres ejus indignati sint, & postea exuerint, ac intinxerint sanguine, & sic miserint ad patrem," Genes: XXXVII: 3. 23. 31. 32. 33; hæc erant Historica vera, quæ quia similiter intus seu in sensu interno continebant sancta cœli & ecclesiæ, ita Divina, per tunicam illam variorum colorum significabatur status boni & veri, quem Josephus repræsentaret, qui erat status veri & boni spiritualis procedentis ex cœlesti, videatur n: 3971. 4286. 4592. 4963. 5249. 5307. 5384. 5869. 5877. 6417. 6526. 9671; omnes enim filii Jacobi repræsentabant talia quæ sunt cœli & ecclesiæ in suo ordine, n: 3858. 3926. 4060. 4603 seq: 6335. 6337. 6397. 6640. 7836. 7891. 7996, at ibi repræsentabant opposita. Quoniam omnia quæ in Libris Verbi repræsentativa ac significativa Divinorum cœlestium & spiritualium sunt, tam quæ in Libris historicis quam quæ in Libris propheticis, ideo affectio illius veri per filiam Regis, ac ipsum Verum per vestes ejus describi-

tur

tur apud Davidem, "Filia Regis inter pretiosas tuas consistit regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris; filia Tyri munus afferet; facies tuas deprecabuntur divites populi: tota gloriosa filia Regis intus, a *textis:* (seu *tessellatis:)* auri *vestimentum tuum: (tunica tua:)* in acupictis adducetur Regi," Psalm: XLV: 10 seq: quod filia in genere significet affectionem veri & boni spiritualis, ita quoque Ecclesiam, videatur n: 2362. 3024. 3963. 9655 fin: & quod Rex cum de Domino, significet Divinum Verum, n: 2015. 2069. 3009. 4591. 4966. 5068. 6148; inde patet, quod omnia illa, quæ de filia Regis in Psalmo illo memorantur significent talia quæ sunt affectionis veri & boni a Domino in Ecclesia; quod dicatur quod filia Tyri afferet munus, significat cognitiones boni & veri, quod Tyrus illas significet, videatur n: 1201; similiter divites populi, nam per divitias in spirituali sensu non aliud quam cognitiones boni & veri intelliguntur, n: 1694. 4508; inde patet, quid significatur per quod filia regis gloriosa intus, & quod vestimentum ejus esset ex textis auri; per vestimentum enim intelligitur tunica, ut patet ab ejus vocis significatione in Lingua Originali, significat enim ibi vestem proximam corpori; quod sit tunica, constat apud Johannem, Cap: XIX: 24, ubi de Tunica Domini agitur, quæ apud Davidem, Psalm: XXII: 19, vocatur Vestimentum eadem voce; tum in Libro 2 Sam: Cap: XIII: 18, ubi dicitur quod filiæ regis tunicis variorum colorum investitæ fuerint; de qua re mox sequitur; per texta auri apud Davidem intelligitur simile quod per tessellata tunicæ Aharonis, est eadem vox in Lingua Originali; quid acupictum, in quo adducetur Regi, videatur n: 9688. Quia per filiam regis, & per vestimentum ejus, seu per tunicam ejus, repræsentabantur talia, ideo quoque filiæ regis eo tempore talibus vestiebantur, ut constat in Libro 2 Samuelis, "*Erat super Thamare tunica variorum colorum; quia talibus vestiebantur filiæ regis amiculis,*" XIII: 18. Quia nunc bona & veri spiritualia per tunicas repræsentabantur, constare potest, quid per tunicam Aharonis significatur, tum quoque quid per tunicas filiorum ejus, de quibus in Versu sequenti hujus Capitis, quod *filiis Aharonis facerent tunicas*, baltheus & tiaras, ad gloriam & ad decus: & quia tunicæ illorum sancta illa repræsentabant, ideo dicebatur quod filii Aharonis Nadab & Abihu, qui combusti igne e cœlo, quia ex igne alieno suffiebant, *in Tunicis* educerentur extra castra," Levit: X: 1 ad 5; nam per ignem alienum significatur amor aliunde quam ex cœlesti, est enim ignis sacer in Verbo amor cœlestis seu Divinus, n: 6832. 6834. 6849. 7324. 9434; inde bona & vera spiritualia, quæ per tunicas eorum significantur, conspurcata erant, ac ideo illi in tunicis extra castra educti sunt. Simile etiam per tunicam significatur apud Micham, "Populus meus pro hoste statuit *propter vestem, tunicam extrahitis a transeuntibus secure,*" III: 7, 8; ibi tunica alia voce in Lingua originali, quæ tamen significat verum & bonum spirituale; tunicam extrahere a transeuntibus secure, est deprivare suis veris spiritualibus illos qui in simplici bono vivunt; pro hoste habere propter vestem, est malum illis facere propter verum quod cogitant, cum tamen nemo lædendus propter id quod credit verum esse, modo

modo in bono sit, n: 1798. 1799. 1834. 1844. Ex his nunc constare potest, quid significatur per tunicam apud Matthæum, " Jesus dixit, non jurabis omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierosolymam, neque per caput: esto sermo vester ita ita, non non, quod ultra hæc est, ex malo est: si quis te velit in jus trahere, & *tunicam tuam auferre*, permitte illi etiam pallium," v: 34. 35. 36. 40; qui not scit qualis status angelorum in Regno cœlesti Domini est, nequaquam scire potest, quid illa Domini verba involvunt; agitur enim ibi, de statu boni & veri apud illos qui in cœlesti Regno Domini sunt, apud quos omne verum inest impressum cordibus; sciunt enim ex bono amoris in Dominum omne verum, usque adeo ut nusquam de eo ratiocinentur, sicut in spirituali Regno, quapropter cum agitur de veris, modo dicunt ita ita, vel non non, imo nec nominant ibi fidem, de quo statu illorum videantur loca citata n: 9277: inde nunc patet, quid significatur per quod non jurabunt omnino, per jurare enim significatur confirmare vera, n: 3375. 9166, quod fit per rationale, est scientifica ex Verbo in Spirituali Regno; per trahere in jus, & tunicam velle auferre, est disceptare de veris & velle persuadere quod non verum sit, tunica est verum ex cœlesti, relinquunt enim cuivis suum verum, absque ulteriore ratiocinatione. Per tunicam significatur verum a cœlesti etiam alibi apud Matthæum, " Jesus misit duodecim ad prædicandum Regnum cœlorum, dicens, quod non possiderent aurum, neque argentum, neque æs in zonis suis; nec peram in viam, *neque binas tunicas*, neque calceos, neque baculos," x: 9. 10; per illa repræsentabatur, quod, qui in bonis & veris a Domino sunt, nihil boni & veri a se possideant, sed quod omne verum & bonum illis sit a Domino; per duodecim discipulos enim repræsentabantur omnes qui in bonis & veris sunt a Domino, in sensu abstracto omnia bona amoris & vera fidei a Domino, n: 3488. 3858 fin: 6397; bona & vera a semet & non a Domino significantur per possidere aurum argentum, æs in Zonis, & per peram; vera autem & bona a Domino significantur per tunicam, calceum & baculum, per tunicam verum interius seu verum ex cœlesti, per calceum verum exterius seu verum in naturali, n: 1748. 6844; per baculum potentia veri, n: 4876. 4936. 6947. 7011. 7026; per duas autem tunicas, duos calceos, & duos baculos, vera & illorum potentiæ tam a Domino quam a semet: quod liceret illis habere unam tunicam, unum par calceorum, & unum baculum, constat apud Marcum Cap: VI: 8. 9: & apud Lucam Cap: IX: 2. 3. Cum ex his notum est, quid per tunicam significatur, patet quid per tunicam Domini, de qua apud Johannem, " Acceperunt *Vestes*, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & *tunicam*, & *tunica erat inconsuta, desuper texta per totum:* dixerunt, non dividamus illam, sed sortiamur de illa cujus sit; ut Scriptura impleretur dicens, *diviserunt Vestes meas sibi ipsis*, & *super tunicam meam jecerunt sortem*; milites hæc fecerunt," XIX: 23. 24. Psalm: XXII: 19; quis non videre potest, qui ex ratione aliquantum illustrata cogitat, quod illa significaverint Divina, & quod alioquin de illis apud Davidem non prophetatum fuisset; quid autem significant, non sciri absque sensu interno

terno potest, ita non absque cognitione inde, quid significant vestes, quid sortem jacere super illis seu dividere, quid tunica, & quod inconsuta seu texta per totum, & quid milites; ex sensu interno patet, quod per vestes significentur vera, & per vestes Domini Divina vera, per jacere sortem & dividere, distrahere illa & dissipare, n: 9093; per tunicam Divinum Verum spirituale ex Divino cœlesti, simile quod per tunicam Aharonis, quoniam Aharon repræsentabat Dominum, ita quoque per quod illa inconsuta & texta desuper per totum, simile quod per tessellatum seu textum de tunica Aharonis; quod tunica non divideretur, significabat quod Divinum Verum spirituale proxime procedens ex Divino Vero cœlesti, non dissipari potuerit, quia id verum est verum internum Verbi, quale apud Angelos in cœlo: quod dicatur quod milites id fecerint, significat quod illi qui pugnarent pro veris, ita ipsi Judæi, apud quos fuit Verbum, qui tamen usque tales fuerunt, ut dissiparent illud; nam Verbum habebant, usque tamen non inde scire volebant, quod Dominus esset Messias ac Filius Dei, qui venturus, nec aliquid internum Verbi, sed modo externum, quod etiam trahebant ad amores suos, qui erant amores sui & mundi, ita ad favorem cupiditatum inde scaturientium: hæc significantur per divisionem vestimentorum Domini; nam quicquid illi fecerunt Domino, repræsentabat statum Divini veri ac boni tunc apud illos, ita quod similiter vera Divina tractarent sicut Ipsum; nam Dominus cum in mundo fuit, erat Ipsum Divinum Verum, videantur citata n: 9199 fin: 9315 fin:

9943. Et facies cidarin byssi, quod significet sapientiam ibi, constat ex significatione cidaris, quod sit intelligentia, & cum de Domino, qui hic per Aharonem repræsentatur, quod sit sapientia, de qua n: 9827; & ex significatione byssi, quod sit verum ex origine cœlesti, de qua n: 9469; ex illo enim vero est sapientia, quæ hic per cidarin significatur: omnis enim sapientia ac intelligentia est ex Divino Vero procedente ex Divino Bono Domini; alia sapientia & intelligentia, quæ sapientia & intelligentia, non datur, quia non aliunde: intelligentia est scire & intelligere vera Divina, ac postea fidem illis habere, ac sapientia est velle & amare illa, & inde vivere secundum illa.

9944. Et baltheum, quod significet vinculum & separationem ab externis illius Regni, constat ex significatione balthei, quod sit vinculum externum continens omnia amoris & fidei in nexu & forma, ut ad unum finem spectent, de qua n: 9341 fin: 9828. 9837: quod etiam sit separatio ab externis, est quia ita colligit & continet interna, & quod colligit & continet interna, hoc etiam separat illa ab externis: interna Regni spiritualis significantur per tunicam quia erat vestimentum intimum, & externa illius per pallium & ephodum, quia erant vestes exteriores. Quod per Vestes Aharonis repræsentatum sit Regnum spirituale Domini, videatur n: 9814; per Ephodum externum ejus, n: 9824; per pallium, interius ejus, n: 9825; & per tunicam intimum n: 9826.

9945. Facies

9945. Facies opere acupictoris, quod significet cognitiones boni & veri, constat ex significatione operis acupictoris, quod sit quod ex scientificis, de qua n: 9688; quod dicatur per cognitiones boni & veri, est quia per illas intelliguntur scientifica interiora, qualia sunt Ecclesiæ de fide & amore; quod hæc scientifica significentur hic per opus acupictoris, est quia per baltheum tunicæ, qui ex opere acupictoris erat, significatur vinculum intimum Regni spiritualis, de qua re mox supra; & omnia in spirituali mundo in nexu continentur per cognitiones & affectiones inde.

9946. Et filiis Aharonis, quod significet Divina Vera ex Divino Bono Domini procedentia in cœlis, constat ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sint Divina Vera ex Divino Bono Domini procedentia, de qua n: 9807; quod in cœlis, est quia Divinum Domini in cœlis est quod repræsentatur per sacerdotium Aharonis & filiorum ejus; Divinum Bonum in cœlis per Sacerdotium Aharonis, & Divinum Verum ex Divino Bono ibi per sacerdotium filiorum ejus; dicitur in cœlis, quia Ipse Dominus est supra cœlos, est enim Sol cœli, & usque præsentia Ipsius est in cœlis, quæ talis est sicut Ipse ibi; esset Ipse in cœlis, hoc est, Divinum Bonum & Divinum Verum Ipsius ibi, potest repræsentari, sed non Divinum Ipsius supra cœlos, ex causa, quia hoc non cadere potest in mentes humanas, & ne quidem in angelicas, est enim Infinitum; at Divinum in cœlis, quod inde, est accommodatum receptioni.

9947. Facies tunicas, quod significet illa quæ fidei sunt, constat ex significatione tunicæ, cum de Aharone, quod sit Divinum Verum in Regno spirituali intime, ita quod procedit immediate ex cœlesti, de qua n: 9826. 9942; at cum de filiis Aharonis, est tunica id quod fidei est, nam est procedens ex spirituali quod ex cœlesti, id procedens est quod vocatur fides veri.

9948. Et facies illis baltheos, quod significet continentiam in nexu, constat ex significatione baltheorum, quod sint vincula externa continentia vera ac bona fidei & amoris in nexu, de qua n: 9341 fin: 9828. 9837. 9944.

9949. Et tiaras facies illis, quod significet intelligentiam ibi, constat ex significatione cidaris, & in genere tegumenti capitis, quod sit intelligentia & sapientia, de qua n: 9827, inde etiam tiara, nam tegumentum capitis pro filiis Aharonis dicebatur tiara.

9950. Ad gloriam & ad decus, quod significet Verum Ecclesiæ spiritualis, constat ex significatione ad gloriam & ad decus, quod sit ad sistendum Divinum Verum quale in Regno spirituali adjuncto Regno cœlesti in forma interna & externa, de qua supra n: 9815, hic autem Verum Ecclesiæ spiritualis quod inde est; nam per Aharonem repræsentatur Divinum Bonum in cœlis, & per filios ejus Divinum Verum inde; est quoque Divinum Bonum ibi ut Pater, ac Divinum Verum inde ut Filius; & quia ita est, per patrem in Verbo significatur bonum, & per filios vera; nascuntur

cuntur

cantur etiam hæc ab illis, quum homo e novo generatur, hoc eſt, cum regeneratur.

9951. Verſ: 41. *Et indues illis Aharonem fratrem tuum, & filios ejus cum eo, & unges eos, & implebis manum eorum, & ſanctificabis eos, & ſacerdotio fungentur Mihi.* Et indues illis Aharonem fratrem tuum, ſignificat talem ſtatum Divini Boni in Regno ſpirituali: & filios ejus cum eo, ſignificat talem ſtatum ibi in externis inde procedentibus: & unges eos, ſignificat repræſentativum Domini quoad bonum amoris: & implebis manum illorum, ſignificat repræſentativum Domini quoad verum fidei: & ſanctificabis illos, ſignificat ſic repræſentativum Domini quoad Divinum Humanum: & ſacerdotio fungentur Mihi, ſignificat repræſentativum Domini quoad omne opus ſalvationis ex Divino Humano.

9952. Et indues illis Aharonem fratrem tuum, quod ſignificet talem ſtatum Divini Boni in Regno ſpirituali, conſtat ex ſignificatione induere, quod ſit inducere ſtatum rei quæ repræſentatur per veſtes, hic ſtatum Divini veri in Regno ſpirituali, nam per Aharonem repræſentatur Dominus quoad Divinum Bonum, ita quoque Divinum Bonum quod a Domino, de qua n: 9806; & per veſtes ejus Regnum ſpirituale Domini adjunctum Regno cœleſti Ipſius, n: 9814. Quod per induere ſignificetur inducere ſtatum qui repræſentatur per veſtes quæ induuntur, ducit originem ex repræſentativis in altera vita; ſpiritus qui ibi & angeli apparent omnes veſtibus induti, quiſque ſecundum ſtatum veri in quo eſt, ita quiſque ſecundum intellectuale ſuum correſpondens voluntario quod in illo: cauſa quod ita ſit, eſt quia intellectuale apud hominem inveſtit voluntarium ejus, & intellectuale formatum eſt ex veris, ac voluntarium ex bonis, ac bonum eſt quod inveſtitur, n: 5248; inde eſt, quod veſtes in Verbo ſignificent vera, videatur n: 165. 1073. 4545. 4763. 5954. 6378. 6914. 6917. 9093. 9814; & quod id ducat originem ex repræſentativis in altera vita, n: 9212. 9216. 9814.

9953. Et filios ejus, quod ſignificet talem ſtatum ibi in externis inde procedentibus, conſtat ex ſignificatione induere, quod ſit inducere ſtatum qualis repræſentatur per veſtes, de qua nunc ſupra n: 9952, hic qui per veſtes filiorum Aharonis, qui eſt ſtatus externorum procedentium ex Divino Vero, in Regno ſpirituali, nam per filios ſignificatur id quod procedit, ita quoque per veſtes illorum, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 9950, dicta ſunt.

9954. Et unges eos, quod ſignificet repræſentativum Domini quoad bonum amoris, conſtat ex ſignificatione ungere, quod ſit inauguratio ad repræſentandum, de qua n: 9474; quod ſit ad repræſentandum Dominum quoad bonum amoris, ſeu quod ſimile, ad repræſentandum bonum amoris quod a Domino, eſt quia per oleum, per quod unctio fiebat, ſignificatur bonum amoris, n: 886. 4582. 4638. 9780. Quomodo cum his ſe habet, intereſt ſcire, quoniam unctio ab antiquo tempore ad hodiernum in uſu permanſit, unguntur enim Reges, ac unctio ſimiliter pro ſancta habetur hodie ſicut olim: apud antiquos, quando omnis cultus externus per repræſentativa

fiebat, nempe per talia quæ repræsentabant interiora, quæ sunt fidei & amoris a Domino & in Ipsum, ita quæ Divina sunt, Unctio instituta est, ex causa, quia Oleum, per quod Unctio peragebatur, significabat bonum amoris; sciebant enim, quod bonum amoris esset ipsum essentiale, a quo omnia quæ Ecclesiæ sunt & quæ cultus vivunt, est enim Esse vitæ; nam influit Divinum per bonum amoris apud hominem, & facit vitam ejus, ac vitam cœlestem ubi vera recipiuntur in bono: inde patet, quid unctio repræsentabat; quapropter quæ uncta erant, dicebantur sancta, & quoque pro sanctis habebantur, ac inserviebant Ecclesiæ ad repræsentandum Divina & cœlestia, ac in supremo sensu Ipsum Dominum, Qui est ipsum Bonum, ita ad repræsentandum bonum amoris quod ab Ipso, & quoque Verum fidei quantum id a bono amoris vivit: inde nunc est, quod eo tempore *Unxerint Lapides erectos in statuas: tum quoque arma belli, ut scuta & clypeos: ac postea Altare & omnia ejus vasa:* tum *Tentorium conventus, & omnia quæ inibi: ac præterea illos qui sacerdotio fungerentur, eorumque vestes: & quoque Prophetas:* & *tandem Reges, qui inde Uncti Jehovæ dicebantur: usu communi etiam receptum fuit semet & alios ungere, ad testificandum animi lætitiam ac benevolentiam.* Quod Primum attinet, *quod unxerint Lapides erectos in statuas,* constat in Libro Geneseos, "Mane surrexit Jacob in matutino, & *sumsit lapidem,* quem posuit sub capitalia sua, & *posuit illum statuam, & fudit oleum super caput ejus,*" XXVIII: 18; causa, quod ita unxerint lapides, erat, quia per lapides significabantur vera, ac vera absque bono, non vitam cœli, hoc est, vitam a Divino in se habent; cum itaque Lapides oleo uncti erant, tunc repræsentabant vera a bono, ac in supremo sensu Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, ita Ipsum Dominum, Qui inde dictus est *Lapis Israelis,* n: 6426; quod Lapides sint vera, videatur n: 643. 1298. 3720. 3769. 3771. 3773. 3789. 3798. 6426. 8941. 9476; similiter statuæ, n: 3727. 4580, 9388. 9389; & quod ungere statuas, sit facere ut vera ex bono sint, ita quod sint vera boni, proinde bona, n: 3728. 4090. 4582: quod Lapides erecti in statuas dein pro sanctis habiti fuerint, constat ex eodem Capite Geneseos, ubi Jacob, "vocavit nomen loci illius *Bethel*; & dixit, si rediero in pace ad domum patris mei, *Lapis hic, quem posui statuam, erit domus Dei,*" Vers: 19. 22, Bethel est domus Dei, & domus Dei est Ecclesia, estque cœlum, & in supremo sensu Ipse Dominus, n: 3720. Secundo, *quod unxerint arma belli, sicut scuta & clypeos,* constat apud Esaiam, "Surgite principes, *ungite scutum,*" XXI: 5: & in Libro 2 Schemuelis, "Pollutus est clypeus heroum, *clypeus Schaulis non unctus oleo,*" I: 21; quod arma belli uncta fuerint, erat causa, quia significabant vera pugnantia contra falsa, ac vera ex bono sunt quæ valent contra illa, non autem vera absque bono, quapropter arma belli repræsentabant vera procedentia a bono quod a Domino, ita vera per quæ Ipse Dominus pugnat apud homines pro illis contra falsa ex malo, hoc est, contra inferna; quod arma belli sint vera pugnantia contra falsa, videatur n: 1788. 2686; bellum enim in Verbo significat pugnam spiritualem, 1664. 2686. 8273. 8295; ac hostes significant inferna, in genere mala & falsa,

falsa, n: 2851. 8289. 9314. Tertio, *quod unxerint Altare & omnia ejus vasa; tum Tentorium conventus, & omnia quæ inibi*; constat apud Moschen, "Dixit Jehovah ad Moschen, *Unges Altare & sanctificabis illud*," Exod: XXIX: 36: apud Eundem, "Facies *oleum unctionis* sanctitatis, *quo unges Tentorium conventus*, & *Arcam Testimonii*, & *Mensam*, & *omnia vasa ejus*, ac *Candelabrum*, & *omnia vasa ejus*, & *Altare suffimenti*, & *Altare holocausti*, & *omnia vasa ejus*, & *labrum* & *basin ejus*; ita sanctificabis ea, ut sint sanctum sanctorum; omnis qui tetigerit ea, sanctificabit se," Exod: XXX: 25 ad 29 Apud Eundem, "Sumes *oleum unctionis*, & *unges Habitaculum*, & omne quod in eo, & sanctificabis illud, & omnia vasa ejus, ut sint sanctum; *unges etiam Altare holocausti*, & *omnia vasa ejus*, & sanctificabis altare, ut altare sit sanctum sanctorum, & *unges labrum & basin ejus*, & sanctificabis illud," Exod: XL: 9. 10. 11. Apud Eundem, "Moscheh *unxit Habitaculum*, & *omnia quæ in eo*, deinde *asperſit de Oleo super altare*, & *omnia vasa ejus*, & *labrum* & *scapum ejus*, ad sanctificandum illa," Levit: VIII: 10. 11. 12. Num: VII: 1; causa quod ungeretur Altare & Habitaculum, cum omnibus ibi, erat, ut repræsentarent Divina ac sancta Cœli & Ecclesiæ, consequenter sancta cultus, nec repræsentare illa potuerunt, nisi inaugurata fuissent per tale quod repræsentabat bonum amoris, nam Divinum per bonum amoris intrat, & per illud adest in Cœlo, & in Ecclesia, proinde etiam in cultu; & absque illo Divinum non intrat nec adest, sed proprium hominis, & cum proprio infernum, ac cum infernum malum & falsum, nam proprium hominis non aliud est; inde patet, cur unctio fiebat per oleum, oleum enim in sensu repræsentativo est bonum amoris, videatur n: 886. 4582. 4638. 9780; & altare erat præcipuum repræsentativum Domini, ac inde cultus ex bono amoris, n: 2777. 2811. 4489. 4541. 8935. 8940. 9388. 9389. 9714; & Habitaculum cum Arca erat præcipuum repræsentativum Cœli ubi Dominus, n: 9457. 9481. 9485. 9594. 9632. 9596. 9784; quod proprium hominis non sit nisi quam malum & falsum, ita infernum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1047. 3812 fin: 5660. 8480. 8941. 8944; quod quantum proprium hominis removetur, tantum Dominus adesse possit, n: 1023. 1044. 4007 fin: Quarto, *quod unxerint illos qui sacerdotio fungerentur eorumque vestes*, constat apud Moschen, "*Sume oleum unctionis, ac effundes super caput Aharonis, ac unges eum*," Exod: XXIX: 7: Cap: XXX: 30. Apud Eundem, "Indue Aharonem vestibus sanctitatis, *& unges eum*, & sanctificabis eum, ut sacerdotio fungatur Mihi, & *filios ejus unges quemadmodum unxisti patrem*, & erit ut sit illis *unctio* eorum in sacerdotium sæculi, in generationes eorum," Exod: XL: 13. 14. 15. Apud Eundem, "Moscheh *effudit de Oleo super caput Aharonis*, & *unxit illum*, ad sanctificandum illum. Dein sumsit *de oleo unctionis*, & de sanguine qui super Altari, & *sparsit super Aharonem*, *super vestes ejus*, *super filios ejus*, & *super vestes filiorum ejus cum eo*, & sanctificavit Aharonem, vestes ejus, filiosque ejus, & vestes filiorum ejus cum eo," Levit: VIII: 13. 30; causa quod ungeretur Aharon, & quod ungerentur filii ejus, ipsæque illorum vestes, erat, ut repræsentarent Dominum quoad Divinum Bonum, ac quoad

Divinum Verum inde, Aharon Dominum quoad Divinum Bonum, & filii ejus quoad Divinum Verum inde, ac in genere ut ſacerdotium repræſentaret Dominum quoad omne opus ſalvationis; quoad ungerentur in veſtibus, Exod: xxix: 29, erat quia veſtes Aharonis repræſentabant Regnum ſpirituale Domini adjunctum Regno cœleſti Ipſius, Regnum cœleſte eſt ubi Bonum amoris in Dominum a Domino regnat, ita influxus Divini in Regnum ſpirituale fit per bonum amoris; ideo inauguratio ad repræſentandum fiebat per oleum, quod in ſenſu ſpirituali eſt bonum amoris: quod Aharon repræſentarent Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n: 9806: quod filii ejus repræſentaverint Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono procedens, n: 9807; quod ſacerdotium in genere repræſentaverit Dominum quoad omne opus ſalvationis, n: 9809; quod veſtes Aharonis repræſentaverint Regnum ſpirituale Domini adjunctum Regno cœleſti Ipſius, n: 9814; quod veſtes filiorum ejus repræſentaverint illa quæ inde procedunt, n: 9946. 9950; quod in cœleſti Regno Bonum amoris in Dominum regnet, citata n: 9277. Quia inauguratio ad repræſentandum fiebat per Unctionem, & per Aharonem & filios ejus repræſentabatur Dominus, & quod ab Ipſo, ideo Aharoni & filiis ejus dabantur ſancta filiorum Iſraelis, quæ erant dona data Jehovæ & vocabantur ſublationes, *&* dicitur quod ſint unctio, tum pro unctione, hoc eſt, quod ſint repræſentatio ſeu pro repræſentatione Domini, & quod ab Ipſo, ut conſtat ab his apud Moſchen, "Pectus motitationis, & armum ſublationis accepi a cum filiis Iſraelis de ſacrificus pacificorum, *dedi ea Aharoni & filiis ejus*; *hæc unctio Aharonis & unctio filiorum ejus* de ignitis Jehovæ, quæ præcepi dare illis, quo die *unxerat illos* a cum filiis Iſraelis," Levit: VII: 34. 35. 36: & alibi apud Eundem, "Loquutus eſt Jehovah ad Aharonem, ecce dedi tibi cuſtodiam *ſublationum mearum*, quoad omnia ſancta filiorum Iſraelis, *tibi dedi ea pro unctione*, & *filiis tuis*, in ſtatutum æternitatis; omne munus eorum, quoad omnem mincham eorum, quoad omne ſacrificium peccati & reatus, omnem agitationem filiorum Iſraelis, omnem adipem olei puri, & omnem adipem muſti & frumenti, primitias eorum quas dabunt Jehovæ, tibi dedi eas; tum omne devotum in Iſraele, omnem aperturam uteri, *ita omnem ſublationem ſanctorum*. In terra eorum non habebis hæreditatem, nec pars tibi erit in medio eorum, *Ego pars tua & hæreditas tua in medio filiorum Iſraelis*," Num: XVIII: 8 ad 20; ex his patet, quod unctio ſit repræſentatio, quoniam per Unctionem inaugurabantur ad repræſentandum, & quod per id ſignificatum ſit, quod omnis inauguratio in ſanctum Cœli & Eccleſiæ ſit per bonum amoris, quod a Domino, & quod bonum amoris ſit Dominus apud illos; quia ita eſt, dicitur, quod Jehovah ſit pars & hæreditas ejus. Quinto, *quod unxerint etiam prophetas*, conſtat ex Libro I Regum, "Dixit Jehovah ad Eliam, *unge Chaſaelem in Regem ſuper Syros*, & *Jehu unge in Regem ſuper Iſraelem*, & *Eliſcham unge in Prophetam pro te*," XIX: 15. 16: & apud Eſaiam, "Spiritus Domini Jehovih ſuper me, *ideo unxit Jehovah me* ad evangelizandum pauperibus, miſit me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem,"

LXI:

LXI : 1; quod ungerentur prophetæ, erat causa, quia prophetæ repræsentabant Dominum quoad doctrinam Divini Veri, proinde quoad Verbum, nam hoc est doctrina Divini Veri, quod prophetæ Verbum repræsentaverint, videatur n: 3652. 7269, in specie Elias & Elischah, n: 2762. 5247 fin: 9372; & quod Dominus quoad Divinum Humanum sit, qui repræsentatur, ita qui intelligitur per quem unxit Jehovah, docet Ipse Dominus apud Lucam Cap: IV: 18. 19. 20. 21. Sexto, *quod postea unxerint Reges, & quod illi dicti fuerint Uncti Jehovæ*, constat ex pluribus locis in Verbo, ut 1 Sam: X: 1. Cap: XV: 1. Cap: XVI: 6. Cap: XVIII: 3. 12. Cap: XXIV: 7. 11. Cap: XXVI: 9. 11. 16. 25. 2 Sam: Cap: 1. 16. Cap: ii: 4. 7. Cap: V: 3. Cap: XIX: 22. 1 Reg: 1. 34. 35. Cap: XIX: 15. 16. 2 Reg: IX. 3. Cap: XI: 12. Cap: XXIII: 30. Thren: IV: 20. Habak: III: 13. Psalm: ii: 2. 6. Psalm: XX: 6. Psalm: XXVIII: 8. Psalm: XLV: 1. Psalm: LXXXIV: 9. Psalm: LXXXIX: 24. 38. 51. Psalm: CXXXII: 17, & alibi: causa, quod unxerint reges, erat, ut repræsentarent Dominum quoad judicium ex Divino Vero, quapropter in Verbo per reges significantur vera Divina, videatur n: 1672. 2015. 2069. 3009. 3670. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148. *Quod Reges dicti fuerint Uncti Jehovæ*, & quod ideo sacrosanctum fuerit lædere illos, erat causa quia per Unctum Jehovæ intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, tametsi quoad sensum literæ applicatur regi, qui oleo unctus, Dominus enim cum in mundo fuit, fuit Ipsum Divinum Verum quoad Humanum, & fuit Ipsum Divinum Bonum quoad ipsum Esse vitæ suæ, quod apud hominem vocatur Anima ex patre, conceptus enim fuit ex Jehovah, Jehovah in Verbo est Divinum Bonum Divini Amoris, quod est Esse omnium vitæ; inde est, quod solus Dominus fuerit Unctus Jehovæ ipsa essentia & ipso actu, quoniam Divinum Bonum fuit in Ipso, & Divinum Verum procedens ex illo Bono in Humano Ipsius cum fuit in mundo, videantur loca citata n: 9194. 9315 fin: Reges autem terræ non fuerunt Uncti Jehovæ, sed repræsentarunt Dominum, qui solus Unctus Jehovæ; ac ideo sacrosanctum fuit lædere reges terræ propter unctionem; at unctio regum terræ fiebat per oleum, unctio autem Domini quoad Divinum Humanum facta est per Ipsum Divinum Bonum Divini Amoris, quod Oleum repræsentabat: inde est, quod dictus fuerit Messias & Christus, Messias in Lingua Hebræa significat Unctum similiter Christus in Lingua Græca, Joh: 1: 42. Cap: IV: 25, ex his constare potest, quod ubi in Verbo dicitur Unctus Jehovæ, intelligatur Dominus, ut apud Esaiam, "Spiritus Domini Jehovih super Me, *ideo unxit Jehovah Me* ad evangelizandum pauperibus, misit Me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum captivis libertatem," LXI: 1; quod Dominus quoad Divinum Humanum sit quem unxit Jehovah, constat apud Lucam, ubi Dominus id aperte dicit, his verbis, "Traditus est Jesu liber Esaiæ prophetæ; & revolvit Librum, & invenit locum ubi erat scriptum, *Spiritus Domini super Me, propter quod unxit Me, ad evangelizandum pauperibus misit Me, ad sanandum contritos corde, ad evangelizandum vinctis remissionem, & cæcis visum, ad dimittendum sauciatos cum remissione, ad prædicandum annum Domini acceptum*;

postea

postea convolvens Librum, dedit ministro, ac consedit, omnium autem in synagoga oculi erant detenti in Ipsum; cœpit dicere ad illos, *hodie impleta est scriptura hæc in auribus vestris*," iv: 17. 18. 19, 20. 21. Apud Danielem, "Scito ergo & percipito ab exitu Verbi usque ad restituendum, & ad ædificandum Hierosolymam, *usque ad Messiam principem*, septimanæ septem," ix: 25, ædificare Hierosolymam est instaurare Ecclesiam, Hierosolyma enim est Ecclesia, n: 3654; Messias princeps seu Unctus est Dominus quoad Divinum Humanum. Apud Eundem, "Septimanæ septuaginta decisæ sunt ad obsignandum visionem & prophetam, & *ad Unguendum Sanctum sanctorum*," ix: 24, obsignare visionem & prophetam est concludere illa quæ in Verbo de Domino dicta fuerunt, ac complere illa, ungere sanctum sanctorum est Divinum Humanum Domini in quo fuit Divinum Bonum Divini amoris, seu Jehovah. Per Unctum Jehovæ in sequentibus locis etiam intelligitur Dominus; apud Davidem, "Constiterunt reges terræ, & dominatores consultarunt una *contra Jehovam & contra Unctum Ipsius: Ego Unxi Regem meum super Zionem montem sanctitatis meæ*," Psalm: ii: 2. 6, reges terræ sunt falsa, & dominatores sunt mala, quæ ab infernis, contra quæ Dominus, cum fuit in mundo, pugnavit, & quæ vicit ac subjugavit; Unctus Jehovæ est Dominus quoad Divinum Humanum, ex illo enim pugnavit; Zion mons sanctitatis, super quem dicitur Unctus in Regem, est Regnum cœleste, quod est in bono amoris, hoc Regnum est intimum Cœli & intimum Ecclesiæ. Apud Eundem, "Inveni Davidem servum meum, *oleo sanctitatis unxi eum*," Psalm: LXXXIX: 21, per Davidem ibi intelligitur Dominus, ut quoque alibi, videatur n: 1888; oleum sanctitatis quo Jehovah unxit Eum, est Divinum Bonum Divini amoris, n: 886. 4582. 4638; quod sit Dominus qui per Davidem ibi intelligitur, patet ab illis quæ ibi præcedunt, & quæ ibi sequuntur, dicitur enim, "loquutus es in visione de Sancto tuo, ponam in mari manum ejus, & in fluviis dextram ejus; Ille vocabit Me Pater meus; etiam Ego primogenitum dabo Eum, altum regibus terræ; ponam in æternum semen Ejus, & thronum ejus sicut dies cœlorum," Vers: 20. 26. 27. 28, 29. 30, præter plura. Similiter alibi apud Eundem, "In Zione germinare faciam cornu *Davidi disponam lucernam Uncto meo*, hostes ejus induam pudore, & super Ipsum florebit corona Ipsius," Psalm: CXXXII: 17. 18; quod etiam ibi Dominus per Davidem intelligatur, patet ab illis quæ ibi præcedunt, ubi dicitur "Ecce audivimus de Eo in Ephrata, invenimus Eum in agris sylvæ, intrabimus in habitacula Ejus, incurvabimus nos scabello pedum Ejus; sacerdotes tui induentur justitia, & sancti tui jubilabunt, *propter Davidem servum tuum, ne avertas facies Uncti tui*," Vers: 6. 7. 8. 9 seq: ex quibus constare potest, quod Dominus quoad Divinum Humanum suum ibi intelligatur per Davidem, Unctum Jehovæ. Apud Jeremiam, "Super montibus insectati sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis; *spiritus narium nostrarum, Unctus Jehovæ*, captus est in foveis eorum, de quo dixeramus, in umbra Illius vivemus inter gentes," Thren: iv: 19. 20, ibi etiam per Unctum Jehovæ intelligitur Dominus, agitur enim ibi de impugnatione Divini Veri a falsis & malis,

malis, quod significatur per quod super montibus insectati sint, & in deserto insidiati; spiritus narium est ipsa vita cœlestis quæ a Domino, n: 9818. Ex his nunc sciri potest, cur tam sacrosanctum fuit lædere Unctum Jehovæ, ut etiam patet ex Verbo, ut in Libro 1 Schemuelis, "Dixit David, absit a Jehovah mihi, si fecero Verbum hoc Domino meo, *Uncto Jehovæ*, & mittam manum meam in eum, *quia Unctus Jehovæ Ille*," XXIV: 7. 11; & alibi, "Dixit David ad Abischaium, ne perde eum, nam *quis miserit manum in Unctum Jehovæ, & innocens sit*," XXVI: 9. In Libro 2 Schemuelis, "Dixit David ad illum qui dixit se occidisse Schaulem, sanguis tuus super capite tuo, quia dixisti, *occidi Unctum Jehovæ*," I: 16: & alibi, "Dixit Abishai, num propter hoc non occidetur Schimei, *quod maledixit Uncto Jehovæ*," XIX: 22; quod Schimei ideo Schelomones jussu interfectus sit, videatur 1 Reg: ii: 36 ad fin: Septimo, *quod usu communi receptum fuerit semet & alios ungere ad testificandum animi lætitiam ac benevolentiam*, constat a sequentibus his locis; apud Danielem, "Ego Daniel fui lugens tribus septimanis, panem desideriorum non comedi, ac caro & vinum non venit ad os meum, & *ungendo non unctus sum*, usque dum implerentur tres septimanæ dierum," X: 3. Apud Matthæum, "Tu quando jejunas, *unge caput tuum*, & faciem tuam lava, ne appareas hominibus jejunare, sed Patri tuo in occulto," VI: 17, jejunare est in luctu esse. Apud Amos, "Qui bibunt ex scyphis vini, *& ex primitiis oleorum se ungunt*, sed super contractione Josephi non afficiuntur dolore," VI: 6. Apud Ezechielem, "Lavi te aquis, & ablui sanguines tuos, *& unxi te oleo*," XVI: 9, ibi de Hierosolyma, per quam significatur Ecclesia. Apud Micham, "Calcabis olivam, *sed non unges te oleo*," VI: 15. Apud Moschen, "Oleæ erunt tibi in omni termino tuo, *sed oleo non unges te*, quia excutietur oliva tua," Deut: XXVIII: 40. Apud Esaiam, "Ad dandum illis cidarin pro cinere, *oleum gaudii pro luctu*," LXI: 3. Apud Davidem, "*Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ* pro sociis tuis," Psalm: XLV: 8: apud Eundem, "Disponis ante Me mensam coram inimicis meis, *pinguefacis oleo caput meum*," Psalm: XXIII: 5. Apud Eundem, "Exaltabis sicut monocerotis cornu meum, *consenescam in oleo viridi*," Psalm: XCII: 11: apud Eundem, "Vinum sætificat cor hominis, *ad exhilarandum facies oleo*," Psalm: CIV: 15. Apud Marcum, "Discipuli exeuntes *unxerunt oleo multos infirmos*, ac sanaverunt," VI: 13: apud Lucam, "Jesus ad Simonem, ingressus sum in domum tuam; *& oleo caput meum non unxisti*, hæc vero *unguento unxit pedes meos*," VII: 46; ex his patet, quod usu receptum fuerit ungere semet & alios oleo; non oleo sanctitatis, quo ungebantur Sacerdotes, Reges, Altare & Tabernaculum, sed oleo communi, ex causa quia hoc oleum significabat lætum & faustum quod est amoris boni; oleum autem sanctitatis significabat Divinum Bonum, de quo dicitur, "*Super carnem hominis non fundetur, & in qualitate ejus non facietis sicut illud, sanctum erit vobis: qui præparaverit sicut illud, aut qui dederit ex eo super alienum, excidetur e populis suis*," Exod: XXX: 32. 33. 38.

9955. Et

9955. Et implebis manum illorum, quod significet repræsentativum Domini quoad Verum fidei, constat ex significatione implere manum Aharonis & filiorum ejus, quod sit inaugurare ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Verum quod fidei; per manum enim significatur potentia quæ est veri ex bono, ac ideo manus prædicatur de vero, videatur n: 3091. 3387. 4931 ad 4937. 7518. 8281. 9025; inde nunc est, quod sicut unctio repræsentavit Dominum quoad Divinum Bonum, ita impletio manuum repræsentaverit Dominum quoad Divinum Verum, nam omnia in universo se referunt ad bonum & ad verum, & ad utrumque ut sint aliquid, ideo in Verbo ubi agitur de bono, etiam agitur de vero, videantur loca citata n: 9263. 9314. Quomodo impletio manuum fiebat, describitur in Capite sequente, quapropter de illa ibi, ex Divini Domini Misericordia, dicetur.

9956. Et sanctificabis illos, quod significet sic repræsentativum Domini quoad Divinum Humanum, constat ex significatione sanctificare, quod sit repræsentare ipsum sanctum, quod est Dominum quoad Divinum Humanum, hoc enim est quod solum est sanctum, & a quo omne sanctum in cœlis & in terris; quisque scire potest quod oleum non sanctificaverit, sed quod induxerit repræsentativum sanctitatis. Cum his porro ita se habet; Ipse Dominus est supra cœlos, est enim Sol cœli angelici, Divinum quod ab Ipso inde procedit in cœlis, est quod vocatur sanctum; Divinum Domini supra cœlos non potuit repræsentari, quia est Infinitum, sed Divinum Domini in cœlis, hoc enim est accommodatum receptioni angelorum qui ibi, qui finiti; hoc Divinum est in perceptione illorum Divinum Humanum Domini, quod solum sanctum, quod repræsentabatur; inde patet quid significatur per sanctificari, & cur id dicitur post unctionem, ut apud Moschen, "Unges Altare, *& sanctificabis illud*," Exod: XXIX: 36. Unges Tentorium conventus, & omnia quæ inibi, *& sanctificabis ea*," Exod: XXX: 25 ad 29. Unges Aharonem, *& sanctificabis eum*," Exod: XL: 13. Unxit Aharonem & vestes ejus, filios ejus & vestes eorum, *& sanctificavit*," Levit: VIII: 13. 30, præter etiam alibi. Quod Dominus solus sanctus sit, & quod omne sanctum sit ab Ipso, & quod omnis sanctificatio repræsentaverit Ipsum, videatur n: 9229. 9680; quod Dominus in cœlis sit sanctuarium, ita quoque cœlum, n: 9479: & quod Spiritus sanctus sit Divinum procedens a Domino, n: 9818. 9820.

9957. Et sacerdotio fungentur Mihi, quod significet repræsentativum Domini quoad omne opus salvationis ex Divino Humano, constat ex significatione sacerdotii, quod sit repræsentativum Domini quoad omne opus salvationis, de qua n: 9809; hoc dicitur post sanctificationem per unctionem, quia opus salvationis est ex Divino Humano Domini, secundum illa quæ mox supra n: 9956, ostensa sunt.

9958. Vers: 42. 43. *Et fac eis femoralia lini ad tegendum carnem nuditatis, a lumbis usque ad femora erunt. Et erunt super Aharone, & super filiis ejus in intrandis illis ad Tentorium Conventus, aut accedendis illis ad altare ad ministrandum in sancto, ne portent iniquitatem, & moriantur; statutum sæculi ei & semini*

femini ejus post illum. Et fac eis femoralia lini, significat externum amoris conjugialis: ad tegendum carnem nuditatis, significat ne interiora amoris quæ spuria & infernalia appareant: a lumbis usque ad femora erunt: & erunt super Aharone & super filiis ejus, significat tutelam ab infernis: in intrandis illis in Tentorium conventus, significat in cultu repræsentativo omnium Cœli & Ecclesiæ: aut accedendis illis ad altare ad ministrandum in sancto, significat in cultu repræsentativo Ipsius Domini: ne portent iniquitatem & moriantur, significat annihilationem totius cultus: statutum sæculi ei & femini ejus post illum, significat leges ordinis in Ecclesia Repræsentativa.

9959. Et fac iis femoralia lini, quod significet externum amoris, constat ex significatione femoralium, quod sint externum amoris conjugialis, de qua sequitur; & ex significatione lini, quod sit verum externum seu verum naturale, de qua etiam sequitur. Quod femoralia significent externum amoris conjugialis, est quia vestes seu tegumenta trahunt significationem ab illa parte corporis quam tegunt, n: 9827, ac lumbi cum genitalibus, quæ femoralia vestiunt seu tegunt, significant amorem conjugialem; quod lumbi illam significent, videatur n: 3021. 4280. 4575; &. quod genitalia, n: 4462. 5050 ad 5062; quid amor vere conjugialis in articulo mox sequente dicetur. Quod femoralia facta fuerint ex lino, erat causa, quia linum significat verum externum seu verum naturale, n: 7601; & ipsum externum est verum; causa quod externum sit verum, est quia interna desinunt in externa, & super his ut super suis fulcris requiescunt, & fulcra sunt vera; se habent illa sicut fundamenta, super quibus exstruitur domus, quapropter fundamenta domus significant vera fidei ex bono, n: 9643; ac præterea vera sunt quæ tutantur bona a malis & falsis, ac resistunt illis, ac omnis potentia quæ bono est per vera n: 9643; inde quoque est, quod in ultimo cœli sint qui in veris fidei ex bono; ideo quoque ultimum seu extremum apud hominem, quod est ejus cutis externa, correspondet illis in cœlis qui in fidei veris sunt, n: 5552 ad 5559. 8980, at non illis qui in fide separata a bono, hi enim non in cœlo sunt: ex his nunc constare potest, cur femoralia fuerunt ex lino; sed femoralia Aharonis, cum indutus erat vestibus quæ ad gloriam & decus, de quibus in hoc Capite actum est, erant ex lino cum byssino intertexto, ut patet a sequentibus, ubi dicitur, "Fecerunt tunicas byssi, opus textoris, & cidarin byssi, & ornamenta tiararum ex bysso, *& femoralia lini byssino intertexto,*" Exod: xxxix: 27. 28: at femoralia Aharonis, cum indutus fuit vestibus sanctitatis, erant ex lino, ut constat ex his apud Moschen, "Cum intrabit Aharon in sanctum intra velum, *tunicam lini sanctitatis* induet, & *femoralia lini erunt super carne ejus*, & *baltheo lini cinget se*, & *cidarin lini imponet sibi*, *vestes sanctitatis hæ:* etiam lavabit aquis carnem suam, cum induet eas: & primo tunc offeret holocausta & sacrificia, per quæ expiabit sanctum ab immunditiis," Levit: xvi: 1 ad fin: quod Aharon tunc indutus iret vestibus lini, quæ etiam vocabantur vestes sanctitatis, erat causa, quia tunc fungebatur munere expiandi Tentorium, ut & populum ac semet ab im-

munditiis; & omnis expiatio, quæ fiebat per lavationes, holocausta & sacrificia, repræsentabat purificationem cordis a malis & falsis, ita regenerationem; & purificatio a malis & falsis seu regeneratio fit per vera fidei; ideo erant super Aharone tunc vestes lini, nam per vestes lini significabantur vera fidei, ut supra dictum est; quod omnis purificatio a malis & falsis, fiat per vera fidei, videatur n: 2789. 5954 fin: 7044. 7918. 9089; ita quod regeneratio n: 1555. 2046. 2063. 2979. 3332. 3665. 3690. 3786. 3876. 3877. 4096. 4097. 5893. 6247. 8635. 8638. 8639. 8640. 8772. 9088. 9089. 9103. Ex eadem causa etiam erat, quod Sacerdos indueret *amictum lini*, & *femoralia lini*, cum tolleret cinerem ex altari," Levit: VI: 2. 3. 4: & quoque quod Sacerdotes Levitæ ex filiis Zadochi, cum intrabunt in Sanctuarium, de quibus ita apud Ezechielem, " Sacerdotes Levitæ, filii Zadochi, intrabunt in Sanctuarium meum, & accedent ad mensam meam ad ministrandum Mihi, quando intrabunt ad portas atrii interioris, *vestes lini induent*, nec ascendet super eos lana, quando intrabunt ad portas atrii interioris introrsum, *cidares lini erunt super capite eorum, & femoralia lini erunt super lumbis eorum*, non accingent se cum sudore," XLIV: 16. 17. 19; agitur ibi de novo Templo, per quod significatur nova Ecclesia; per sacerdotes Levitas significantur qui in veris ex bono; per vestes lini significantur vera fidei per quæ purificatio & regeneratio; quod non accingerentur cum sudore, significat quod sancta cultus non commiscerentur cum proprio hominis, nam sudor est proprium hominis, ac proprium hominis non est nisi quam malum & falsum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1047. 3812 fin: 8480. 8941. Quod femoralia, quæ erant Aharonii, cum indutus erat vestibus ad gloriam & decus, essent ex lino cum byssino intertexto, ut patet ex loco supra citato Exod: XXXIX: 27. 28, erat causa, quia Aharon in illis repræsentabat Dominum quoad Divinum Bonum in cœlis, ipse Aharon Dominum quoad Divinum cœleste ibi, & per vestes quoad Divinum spirituale ibi procedens ex Divino cœlesti, n: 9814; ac byssinum est Divinum spirituale procedens ex Divino cœlesti, n: 5319. 9469.

9960. Ad tegendum carnem nuditatis, quod significet ne interiora amoris, quæ spurca & infernalia, appareant, constat ex significatione tegere, quod sit facere ne appareant; ex significatione genitalium & lumborum, quæ hic per carnem nuditatis significantur, quod sint interiora amoris conjugialis, nam cum per femoralia significantur externa illius amoris, n: 9959, per carnem, quam tegunt, significantur interna ejus; quod lumbi significent amorem conjugialem, videatur n: 3021. 4280. 4575; & quoque quod genitalia, n: 4462. 5050 ad 5062; & quod caro significat bonum amoris, n: 3813. 7850. 9127; & quia pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita quoque lumbi, genitalia, & caro, in quo sensu significant mala, spurca & infernalia illius amoris, n: 3813. 5059; quod hic significent mala, spurca & infernalia, patet ex eo, quod dicatur ad tenendum carnem nuditatis; caro nuditatis hic est, quod oppositum est bono amoris conjugialis, quod est jucundum adulterii, ita infernale, de quo in sequentibus. Quod nuditatem

attinet,

attinet, trahit illa significationem a partibus corporis quæ nudæ apparent, similiter ac vestes a partibus corporis, quas investiunt, n: 9827; ideo aliam significationem cum nuditas spectat caput quæ est Calvities; aliam cum spectat totum corpus; & aliam cum spectat lumbos & genitalia: cum nuditas spectat caput, quæ est calvities, significat deprivationem ab intelligentia veri & a sapientia boni; cum spectat totum corpus significat deprivationem a veris quæ fidei; cum autem spectat lumbos ac genitalia, significat deprivationem a bono amoris. Quod *Primum* attinet, *cum nuditas spectat caput, quæ Calvities, significet deprivationem ab intelligentia veri & a sapientia boni,* constat apud Esaiam, "In die illo *detondebit Dominus per regem Aschuris caput,* & pilos pedum, & barbam consumet," VII: 20; detondere caput est deprivare veris internis Ecclesiæ; detondere pilos & consumere barbam, deprivare veris externis ejus; per regem Aschuris est per ratiocinia ex falsis; cuivis patet quod per regem Aschuris non detonderetur caput, nec pilus pedum, nec barba, & quod usque significativa sint; quod caput sint interiora quæ sapientiæ & intelligentiæ, videatur n: 6292. 6496. 9165. 9656; quod rex Aschuris sit ratiocinatio, n: 119. 1186; quod pilus sit verum externum Ecclesiæ; n: 3301. 5247. 5569 ad 5573: quod pedes etiam sint externa seu naturalia, n: 2162. 3147. 3986. 4286. 4938 ad 4952; quod barba sint scientifica sensualia, quæ sunt vera ultima, constat a locis in Verbo, ubi barba nominatur. Apud Eundem: "*In omnibus capitibus calvities,* omnis barba rasa," XV: 2, similiter. Apud Jeremiam, "*Veniet calvities* super Gazam, quousque incides te," XLVII: 5. apud Ezechielem, "Super omnibus faciebus pudor, & *super omnibus capitibus calvities:* argentum suum in plateas projicient, & aurum in abominationem erit," VII: 18. 19; super omnibus capitibus calvities pro deprivatione ab intelligentia veri & a sapientia boni; quia id significatur, etiam dicitur argentum suum in plateas projicient, & aurum in abominationem erit, argentum enim est verum quod intelligentiæ, & aurum est bonum quod sapientiæ, n: 1551. 5658. 6914. 6917. 8932; quod non intelligatur calvities super omnibus capitibus, & quod non projicerent argentum in plateas, & quod aurum non erit in abominationem, patet. Apud Moschen, "Dixit Moscheh ad Aharonem & ad Eleazarem & ad Ithamarem filios ejus, *Capita vestra non radetis,* & vestes vestras non diffuetis, ne moriamini, & universæ concioni irascatur," Levit: X: 6: & apud Ezechielem, "Sacerdotes Levitæ *non radent caput,* & *comam suam* non demittent," XLIV: 20; quia Aharon & filii ejus repræsentabant Dominum quoad Divinum Bonum & quoad Divinum Verum, n: 9806. 9807; & quia per caput rasum & per vestes diffutas significabatur deprivatio illorum, ideo vetitum erat radere caput, & diffuere vestes, & dicitur ne moriamini, & toti concioni irascatur; per quod significatur quod sic periret repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum & quoad Divinum Verum, ita repræsentativum Ecclesiæ. Quia luctus repræsentabat luctum spiritualem, qui est luctus propter deprivationem veri & boni Ecclesiæ, ideo in luctu inducebant capitibus calvitiem; ut apud Jeremiam, "Non plangent illos, *neque calvities*

 inducetur

inducetur propter illos," XVI : 6: Apud Amos, "Convertam festa vestra in luctum, *& ascendere faciam super omne caput calvitiem*; & ponam eum sicut luctum unigeniti," VIII : 10 : & apud Micham, "*Calvitiem indue*, & *tonde te propter filios delitiarum tuarum*, *dilata calvitiem tuam*, sicut aquila, quia migrarunt a te," I : 16; filii delitiarum sunt vera Divina, migratio eorum est deprivatio; quod filii sint vera, videatur n: 9807. Secundo, *Cum nuditas spectat totum corpus quod significet deprivationem verorum fidei*, constat apud Johannem, "Angelo Ecclesiæ Laodicensium scribe, quia dices *quod dives sim*, & nullius rei indigeam, cum non scias quod tu sis miser & miserabilis, & egenus & cæcus, *& nudus:* consulo ut emas a Me aurum igne purificatum, & *vestimenta alba ut induaris*, *ut non manifestetur pudor nuditatis tuæ*," Apoc: III : 17. 18; Angelus Ecclesiæ est Verum Divinum ibi; dicere quod sit dives, est quod sit in cognitionibus veri & boni; miser, egenus, cæcus & nudus, est quod usque absque veris implantatis vitæ, ita absque bono; emere aurum igne purificatum est comparare sibi bonum; vestimenta alba sunt genuina vera fidei ex bono; inde patet, quod sit ne manifestetur pudor nuditatis. Apud Eundem, "Ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat, & servat vestimenta sua, *ut nudus non ambulet*, *videantque pudorem ejus*," Apocal: XVI : 15, similiter. Apud Eundem, "Odio habebunt meretricem, & *devastatam facient eam nudamque*," Apoc: XVII : 16; meretrix pro illis qui falsificant vera Divina; facere illam nudam, manifeste pro deprivare illis, nam dicitur devastata & nuda, devastare est deprivare veris. *Per nuditatem etiam significatur ignorantia veri*, & per induitionem informatio, apud Esaiam, "*Cum videris nudum*, & *obtexeris eum*, erumpet sicut aurora lux tua," LVIII : 7. 8: & apud Matthæum, "Rex dicet iis qui a dextris, *nudus fui & induistis me:* & dixit illis a sinistris, *nudus fui & non induistis me*," XXV : 36. 38. 43. 44: nudus hic pro illis qui non in veris, & usque desiderant vera; tum qui agnoscunt quod nihil boni & veri in illis sit, videatur n: 4956. 4958. Tertio, *quod nuditas cum spectat lumbos & genitalia significet deprivationem boni amoris*, constat apud Esaiam, "Virgo, filia Babelis, sume molam, & mole farinam, *revela crines tuos*, *denuda pedes tuos*, *revela femur*, transi flumina: *reveletur nuditas tua*, etiam videatur opprobrium tuum," XLVII : 2. 3; filia Babelis est Ecclesia seu instar Ecclesiæ, ubi sanctum in externis est, sed prophanum in internis; prophanum quod in internis est id, quod spectent se & mundum pro fine, ita dominationem & abundantiam opum, & sancta pro mediis ad illum finem; sumere molam, & molere farinam, est concinnare doctrinam ex talibus quæ pro mediis inservitura sint fini, n: 7780; revelare crines, denudare pedes, & revelare femur, est absque pudore & timore sancta externa & interna prostituere; ita revelare nuditatem, est facere ut spurca & infernalia, quæ sunt fines, appareant. Apud Jeremiam, "Peccatum peccavit Hierosolymæ; qui honoraverunt eam, vilipendunt eam, *quia vident nuditatem ejus*, *immunditiem ejus in fimbriis ejus*," Thren: I : 8. 9; Hierosolyma pro Ecclesia, hic pro Ecclesia quæ in falsis ex malo; videre nuditatem pro amores spurcos & infernales; immunditiem in fimbriis, pro

talibus

talibus in extremis; quod fimbriæ sint extrema, videantur n: 9917. Apud Nahum, "Retegam fimbrias tuas super facies tuas, *& ostendam gentibus nuditatem tuam*, & regnis ignominiam tuam," III: 8; retegere fimbrias pro auferre externa ut appareant interiora, nuditas quæ ostendetur gentibus, & ignominia quæ regnis, sunt amores infernales, qui sunt amores sui & mundi, qui conspurcant interiora. Apud Ezechielem, "Venisti in decora dierum, ubera solidata sunt, & crinis crevit; *eras nuda & denudata:* cum omnibus abominationibus tuis & scortationibus tuis; non recordata es dierum juventutis tuæ, *cum esses nuda & denudata*; conculcata in sanguine tuo. *Revelata est nuditas tua* per scortationes tuas super amasiis tuis," XVI: 7. 22. 36. Apud Eundem, "Ego daturus te in manum quos odisti, ut agant tecum ex odio; *& te relinquant nudam & denudatam*, & reveletur nuditas scortationum tuarum," XXIII: 28. 29. Apud Hoscheam, "Contendite cum matre vestra, ut removeat scortationes suas a faciebus suis, & adulteria ab inter ubera sua, *ne forte exuam eam nudam*; & sistam eam secundum diem pari ejus; & ponam eam sicut desertum, & disponam eam sicut terram siccitatis, & occidam eam per sitim. Revertar & accipiam frumentum meum, mustum meum, lanam meam, & linum meum, *quæ ad tegendum nuditatem ejus*; & *revelabo turpitudinem ejus in oculis amasiorum ejus*," ii: 2. 3. 9. 10, agitur ibi & hic de Hierosolyma, quæ etiam vocatur mater, & per illam significatur Ecclesia; ejus perversitas describitur per scortationes, adulteria, & per revelationem nuditatis, quæ non aliud sunt quam amores spurci & infernales, qui sunt amores sui & mundi quando sunt fines, & quibus omnia mala & inde falsa scaturiunt; inde falsificationes veri & adulterationes boni describuntur in Verbo per scortationes & per adulteria, & quoque vocantur ibi scortationes & adulteria, videatur n: 8904; inde patet, quid per nuditatem & per revelationem nuditatis intelligitur: quia de veris Ecclesiæ falsificatis, & de bonis ejus adulteratis agitur, ideo dicitur quod ponam eam sicut desertum, & disponam eam sicut terram siccitatis, & occidam eam per sitim, desertum est quod absque bonis, terra siccitatis est quod absque veris, & sitis est deprivatio omnium fidei: dicitur etiam quod acciperet frumentum suum, mustum suum, lanam suam, & linum suum, quibus texerat nuditatem ejus, quia per frumentum significatur bonum interius Ecclesiæ spiritualis, per mustum verum interius ejus, per lanam bonum exterius ejus, & per linum verum exterius ejus; quod non linum, lana, mustum & frumentum intelligantur, quisque videre potest qui ex ratione aliquantum illustrata illa legit, & qui credit quod in Verbo nulla vox inanis sit, & quod non nisi quam sanctum ubivis, quia est Divinum. Apud Jeremiam, "Filia Edomi, etiam ad te transibit calix, *inebriaberis* & *nudaberis*," Thren: v: 21: apud Habakuk, "Væ facienti socium *suum bibere*, *inebriando*, & *introspiciendo in nuditates eorum:* satiaberis ignominia præ gloria, *bibe etiam tu, ut præputium tuum reveletur*," ii: 15. 16: & apud Ezechielem, "Effuderunt sanguinem in te; *nuditatem patris revelavit in te*," XXII: 10; quid illa significant, nemo scire potest, nisi sciat quid calix, quid bibere, quid inebriari, quid

quid nudari, quid introſpicere nuditates, & revelare illos, ut & quid præputium; quod omnia ſpiritualiter intelligenda ſint, patet; ſpiritualiter bibere eſt inſtrui in veris, & in oppoſito ſenſu in falſis, ita haurire illa, n: 3069. 3168. 3772. 8562. 9412, inde conſtat quid calix, e quo bibitur, n: 5120; inebriari eſt inſanire inde; ac nudari eſt prorſus deſtitui illis; revelare nuditates eſt revelare mala amorum ſui & mundi, quæ infernalia; revelare nuditates patris eſt mala illa ex hæreditario & ex voluntario; revelare præputium eſt conſpurcare illa, quod præputium ſit conſpurcatio bonorum cœleſtium ab illis amoribus, videatur n: 2056. 3402. 4462, 7045; inde circumciſio eſt purificatio ab illis, n: 2036, 2632. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per inebriationem ac inde revelationem nuditatis Noachi, de qua ita in Geneſi, "Bibit Noach de Vino, & *inebriatus eſt*, & *diſcoopertus eſt in medio tentorii ſui*: & vidit Cham pater Canaanis *nuditatem patris ſui*, & indicavit duobus fratribus ſuis: & accepit Schem & Japheth veſtem, & poſuerunt ſuper humero, & ambo illi, & iverunt retrorſum, & *texerunt nuditatem patris ſui*, & facies eorum retrorſum, & *nuditatem patris ſui non viderunt*," Gen: IX: 21. 22. 23; deſcribitur ibi homo Antiquæ Eccleſiæ, qui eſt Noachus; vinum quod bibit, & quo inebriatus eſt, eſt falſum quo illa Eccleſia principio imbuta fuit; quod inde diſcoopertus in medio tentorii jacuerit, ſignificat mala ex defectu veri in cultu; veſtis, qua Schem & Japheth texerunt nuditatem ejus eſt verum fidei, per quod illa mala tegebantur & emendabantur; implantatio veri & boni fidei & in parte intellectuali, deſcribitur per quod poſuerint veſtem ſuper humero, iverint retrorſum, & quod verterint faciem retrorſum, nam ita ſe prorſus habet cum veris & bonis fidei apud ſpiritualis Eccleſiæ hominem; Schem & Japheth ſignificat illos ab Eccleſia ſpirituali, qui receperunt vera fidei in bono, quod eſt charitas; Canaan autem illos qui non receperunt vera fidei in bono ſeu in charitate: quod Noach repræſentet hominem Eccleſiæ Antiquæ in principio, & quod hi tales fuerint, videatur n: 736. 773. 788. 1126, quod Schem hominem Eccleſiæ ſpiritualis internæ, & Japheth externæ, n: 1602. 1127. 1140. 1141. 1150; quod Canaan repræſentaverit illos qui in fide ſeparata a Charitate, ſeu quod idem in cultu externo ſeparato ab interno, ita in ſpecie gentem Judaicam, n: 1093. 1140. 1141. 1167; quod verum & bonum fidei implantentur in parte intellectuali apud homines Eccleſiæ ſpiritualis, n: 9596: præterea vinum, quo Noachus inebriatus eſt, ſignificat falſum, n: 6377; tentorium, in quo jacuit diſcoopertus, ſignificat ſanctum cultus, n: 2145. 2152. 3313. 3391. 4391; veſtis, qua texerunt nuditatem patris ſui ſignificat verum fidei, n: 5954. 9212. 9216; ipſa nuditas, ejus malum voluntarium, quod tegitur per vera fidei, & cum tegitur ſpectant vera retrorſum: quod hæc arcana involvantur his Hiſtoricis, patet ex ſenſu interno; & quod arcana illa ſint arcana Eccleſiæ, videri poteſt ex eo, quod Schem & Japheth ſolum propter id quod texerint nuditatem patris, benedicti fuerint, & cum illis omnis eorum poſteritas; & quod Canaan cum omni ſua poſteritate maledictus fuerit, ſolum quod pater ejus indicaverit id fratribus ſuis. Quoniam

niam apud gentem Judaicam & Israeliticam interiora erant spurca, erant enim in amoribus sui & mundi præ reliquis gentibus; & quia genitalia cum lumbis significant amorem conjugialem, & ille amor est fundamentalis omnium amorum, cœlestium & spiritualium, & sic comprehendit illos, ideo cautum fuit, ne nuditates illarum partium apud Aharonem & apud filios ejus, quando in sancto cultu erant, ullo modo apparerent; quod causa est, quod dicatur, quod facerent illis femoralia lini ad tegendum carnem nuditatis, a lumbis usque ad femora: & alibi, quod *non ascenderent in gradibus super altare, ne reveletur nuditas super illo,*" Exod: xx: 23: quod apud gentem Judaicam & Israeliticam interiora fuerint spurca, & illa clausa cum fuerunt in cultu, videantur loca citata n: 9320 fin: 9380: quod genitalia cum lumbis significent amorem conjugialem n: 3021. 4280. 4462. 4575. 5050 ad 5062; & quod amor conjugialis sit fundamentalis omnium amorum cœlestium & spiritualium, proinde quod hi amores per illum etiam intelligantur, n: 686. 2734. 3021. 4280. 5054. Ex his nunc constat, quid nuditas significat, imprimis nuditas partium generationi dicatarum, quando interiora sunt spurca. At vero cum interiora sunt casta, tunc nuditas significat innocentiam, quia amorem conjugialem, ex causa quia amor vere conjugialis in sua essentia est innocentia; quod amor vere conjugialis sit innocentiæ, videatur n: 2736; proinde quod nuditas in hoc sensu sit innocentia, n: 165. 8375; quapropter etiam angeli intimi cœli, qui angeli cœlestes vocantur, apparent nudi, n: 165. 2306. 2736: quia antiquissima Ecclesia, quæ describitur in primis Capitibus Geneseos, ac intelligitur in sensu interno per Hominem seu Adamum, & per Uxorem ejus, fuit Ecclesia cœlestis; ideo de illis dicitur, "*quod ambo essent nudi, & non erubuerunt,*" Genes: ii: 25; at cum lapsa illa Ecclesia, est, quod factum est per esum ex arbore scientiæ, per quod significabatur ratiocinatio ex scientificis de Divinis, tunc dicitur *quod cognoverint quod nudi essent*; & consuerint sibi folium ficus, & fecerint sibi cingula, ita quod texerint nuditates suas; & quoque quod dixerit homo, cum clamavit ad illum Jehovah, *quod timuerit quia nudus*; & dein quod fecerit illis Jehovah *tunicas pellis, & vestiverit eos,*" Gen: iii: 6 ad 11, & 21; per folia ficus a quibus fecerunt sibi cingula, & quoque per tunicas pellis, intelliguntur vera & bona externi hominis; quod ita describatur status eorum post lapsum, erat causa quia ab internis hominibus facti sunt externi, internum eorum significatur per paradisum, paradisus enim est intelligentia & sapientia interni hominis, ac occlusio ejus significatur per ejectionem ex paradiso; quod folium sit verum naturale, quod est scientificum, videatur n: 885; quod ficus sit bonum naturale seu bonum externi hominis, n: 217. 423. 5113; & quod tunica pellis etiam sit verum & bonum externi hominis, n: 294. 295. 296, quod pellis sit externum, n: 3540.

9961. A lumbis usque ad femora erunt, quod significet extensionem illorum, nempe exteriorum amoris conjugialis, quæ per femoralia lini significantur, constat ex significatione lumborum & femorum, quod sint illa quæ sunt amoris conjugialis, lumbi illaquæ sunt interiorum ejus, & femora quæ sunt

ſunt exteriorum, ita extenſio ejus ab interioribus ad exteriora: quod lumbi ſignificent interiora illius amoris, eſt quia ſupra ſunt, & quod femora ſignificent exteriora ejus, eſt quia infra ſunt: quæ enim ſupra apud hominem ſunt ſignificant interiora, & quæ infra ſunt ſignificant exteriora; inde eſt, quod in Verbo interiora intelligantur per ſuperiora, ac exteriora per inferiora, videatur n: 3084. 4599. 5196. 8325: ſuperiora apud hominem correſpondent cœleſtibus & ſpiritualibus, quæ ſunt interiora, ac inferiora correſpondent naturalibus, quæ ſunt exteriora; inde eſt quod pedes ſignificent naturalia, n: 2162. 3147. 3986. 4382. 4938 ad 4952; & quia per femora intelligitur pars inferior lumborum, quæ ſpectat pedes, ideo exteriora ſeu inferiora amoris conjugialis per illa ſignificantur, videatur n: 4277. 4280; at quod lumbi in genere ſignificent amorem conjugialem, n: 3021. 3294. 4575. 5050 ad 5062: quod lumbi id ſignificent, eſt ex correſpondentia; de correſpondentia omnium hominis cum cœlo, videantur quæ copioſe in locis citatis n: 9276 fin: & 9280, oſtenſa ſunt. Dicitur extenſio amoris conjugialis ab interioribus ad exteriora; eſt enim extenſio omnium amoris & omnium fidei, ſeu quod idem, omnium boni & omnium veri, in cœlis, nam conjunguntur ibi omnes ſecundum affinitates quoad vera fidei & quoad bona amoris; talis extenſio eſt in unoquovis cœlo; ea extenſio quoque eſt in cœlos qui infra ſunt, quoniam omnes cœli unum faciunt; imo etiam extendunt ſe uſque ad hominem, ut quoque ille unum faciat cum cœlis; hæc extenſio eſt, quæ intelligitur per extenſionem a ſuperioribus ſeu interioribus ad inferiora ſeu exteriora; ſuperiora ſeu interiora vocantur cœleſtia & ſpiritualia, ac inferiora ſeu exteriora vocantur naturalia ſeu mundana. Quod in ſpecie amorem conjugialem, de cujus extenſione hic agitur, concernit, eſt ille fundamentalis omnium amorum; deſcendit enim ille ex conjugio boni & veri in cœlis; & quia conjugium boni & veri eſt in cœlis, & facit cœlos, ideo eſt amor vere conjugialis ipſum cœlum apud hominem; conjugium autem boni & veri in cœlis, deſcendit ex conjunctione Domini cum cœlis, quod enim a Domino procedit ac influit in cœlos, eſt bonum amoris, & quod ab angelis ibi recipitur eſt verum inde, ita verum quod ex bono, ſeu in quo eſt bonum; ideo Dominus in Verbo vocatur Sponſus & Maritus, ac Cœlum cum Eccleſia ſponſa & uxor. Ex his conſtare poteſt, quam ſancta ſunt conjugia in cœlo, & quam prophana ſunt adulteria ibi; ſunt enim Conjugia in ſe ita ſancta, ut nihil ſanctius, etiam ob illam cauſam quia ſunt ſeminaria generis humani, & genus humanum eſt ſeminarium cœlorum, illuc enim veniunt homines qui in mundo vitam angelicam vixerunt; & vice verſa ſunt adulteria ita prophana, ut non aliquid profanius quoniam ſunt deſtructiva Cœli & Eccleſiæ apud hominem: quod ita ſit, videantur quæ de conjugiis & de adulteriis n: 2727 ad 2759, dicta & oſtenſa ſunt. Ex his iterum conſtare poteſt, cur per nuditates ſignificentur ſpurca, & infernalia de quibus in paragrapho præcedente, & cur tam ſevere interdictum fuit, quod Aharon & filii ejus, cum miniſtrarent, induti eſſent femoralibus, & quod alioquin morerentur, dicitur enim, "*Fac illis femoralia lini, ad tegendum carnem nuditatis a lumbis*

usque ad femora erunt: & erunt super Aharone, & super filiis ejus, in intrandis illis in Tentorium conventus, aut in accedendis illis ad Altare ad ministrandum in Sancto, ne portent iniquitatem, & moriantur; statutum ei & semini ejus post illum. Sciendum itaque, quod per amorem conjugialem intelligatur omnis amor cœlestis & spiritualis, ex causa, ut supra ostensum est, quia amor vere conjugialis est fundamentalis omnium amorum; qui itaque in illo sunt, etiam in reliquis Cœli & Ecclesiæ amoribus sunt, nam descendit, ut dictum est, ex conjugio boni & veri in cœlis, quod conjugium facit cœlum; inde quoque est, quod Cœlum in Verbo comparetur conjugio, & quoque dicatur conjugium: inde quoque patet, cur cautum, quod nuditates Aharonis & filiorum ejus in ministrando non apparerent; nuditates enim eorum significabant omnes amores contrarios amoribus cœlestibus, qui in genere vocantur amores sui & mundi, quando fines, & sunt amores spurci & infernales. Quod ita sit, homo hodie nescit, ex causa quia in illis amoribus est, & non aliud jucundum percipit, quam quod ex illis est; inde est, quod cum dicitur amor spiritualis & cœlestis, hæreat ac nesciat quid sunt, consequenter quid cœlum; & fortassis stupescet, cum audit & cogitat quod in amore spirituali & cœlesti separato ab amore sui & mundi sit felicitas æterna, quæ ineffabilis.

9962. Et erunt super Aharone & super filiis ejus, quod significet tutelam ab infernis, constat a significatione femoralium, de quibus dicitur quod erunt super Aharone & filiis ejus, quod sint externa amoris conjugialis, de qua n: 9959; & ex significatione nuditatum, quas femoralia tegerent, quod sint interiora ejus, quæ spurca & infernalia, de qua etiam supra n: 9560; & quia nuditates ea significabant, ideo femoralia quæ super Aharone & super filiis ejus, erant pro tutela ab infernis: cum his ita se habet; Gens Judaica & Israelitica quoad interiora sua erant in amoribus sui & mundi, ita in amoribus infernalibus præ reliquis gentibus, sed quoad exteriora potuerunt esse in sancto etiam pro reliquis gentibus; quapropter cum in sancto erant occludebantur illis interiora, sic enim per illos potuerunt sancta externa communicari cum cœlis, & inde existere conjunctio; aliter prorsus si non occlusa fuissent apud illos interna, quæ erant, ut dictum, spurca & infernalia; inde est quod apud illos non fuerit Ecclesia, sed modo repræsentativum Ecclesiæ; Ecclesia enim, quæ Ecclesia, est in internis, quæ sunt fidei & amoris, non autem in externis separatis ab illis: externa apud illos erant omnia repræsentativa. Quia nunc per femoralia significantur externa amoris conjugialis, in genere externa omnium amorum cœlestium, & externa erant quæ tegebant interna, ac interna apud illos erant spurca & infernalia, ideo per quod femoralia essent super Aharone & super filiis ejus, significatur tutela ab infernis; quamdiu enim in externo sancto erant, tectis seu occlusis internis, tamdiu etiam remoti erant ab infernis, & sic in tutela. Quod interna apud gentem Judaicam & Israeliticam fuerint spurca & infernalia, & quod ideo non Ecclesia apud illos fuerit, sed modo repræsentativum Ecclesiæ videantur loca citata n: 9320 fin: & n: 9380; quod cum in cultu, fuerint

solum in sancto externo, n: 3479. 4293. 4311. 6304. 8588. 9373. 9381; & quod interiora tunc fuerint occlusa, n: 8788. 8806.

9963. In intrandis illis in Tentorium conventus, quod significet in cultu repræsentativo omnium Cœli & Ecclesiæ, constat ex significatione intrare in tentorium conventus, quod sit cultus repræsentativus omnium, Cœli & Ecclesiæ, per Tentorium enim repræsentabatur Cœlum ubi Dominus, n: 9457. 9481. 9485. 9784; ita per intrare in illud, cum de Aharone & filiis ejus, significatur cultus Domini; omnis etiam cultus eo tempore fiebat in Tentorio, & ad Altare, in Tentorio enim disponebantur panes facierum, accendebantur lucernæ, & suffiebatur, & ad altare sacrificabatur; in illis præcipue constabat cultus repræsentativus; cultus repræsentativus est cultus externus repræsentans interna, quæ sunt amoris a Domino in Dominum, ita quæ sunt omnia Cœli & Ecclesiæ, nam in Cœlo & in Ecclesia omnia se referunt ad bonum quod amoris & ad verum quod fidei a Domino in Dominum.

9964. Aut in accedendis illis ad Altare ad ministrandum in sancto, quod significet in cultu repræsentativo Ipsius Domini, constat ex eo quod Altare esset principale Repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, videatur n: 9714, ita accedere ad altare, & ministrare in sancto ibi est cultus Ipsius Domini; cultus repræsentativus Domini principaliter consistebat in holocaustis & sacrificiis oblatis super altari, n: 922. 923. 2180. 6905. 8680. 8936; cultus repræsentativus Domini quoad Divinum Bonum ad Altare, & cultus repræsentativus Ipsius quoad Divinum Verum in Tentorio conventus; ideo dicitur, quod per intrare in Tentorium Conventus significetur cultus repræsentativus omnium Cœli & Ecclesiæ, n: 9963, & per accedere ad Altare cultus repræsentativus Ipsius Domini; Cœlum enim & Ecclesia sunt receptacula Divini Veri procedentis a Domino; Divinum Verum procedens a Domino est Verum procedens a bono amoris Ipsius, ac implantatur ubi id bonum etiam recipitur, proinde ubi Dominus, a Quo id bonum.

9965. Ne portent iniquitatem & moriantur, quod significet annihilationem totius cultus, constat ex significatione portare iniquitatem, cum de sacerdotio Aharonis & filiorum ejus, quod sit remotio falsorum & malorum apud illos qui in bono sunt a Domino, de qua supra n: 9937; at cum dicitur de illis portare iniquitatem & mori, significat annihilationem totius cultus, videatur n: 9928, nam moriebatur cultus repræsentativus, quoniam nihil de eo apparebat amplius in cœlis. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quæ supra n: 9959. 9960. 9961, dicta & ostensa sunt: quod etiam morerentur, cum non secundum statuta agebant, patet a filiis Aharonis Nadab & Abihu, qui cum non ex igne altaris sed ex alieno suffiebant, consumti sunt ab igne e cœlo, Levit: x: 1. 2. seq: ignis altaris repræsentabat Amorem Divinum, ita Amorem a Domino, at ignis alienus Amorem ab inferno; annihilatio cultus significabatur per suffitionem ex hoc igne inde mors illorum, quod ignes significent amores, videatur n: 5215. 6832. 7324. 7575. 7852. Dicitur in pluribus locis in Verbo, *quod portarent iniquitatem*, cum non faciebant secundum statuta, & per id significabatur damnatio quia

peccata

peccata non remota, non quod ideo damnati fuerint, sed quod per id annihilarent cultum repræsentativum, & sic repræsentarent damnatos qui in peccatis suis manent; nemo enim damnatur propter omissionem rituum externorum, sed propter mala cordis, ita propter omissionem illorum ex malo cordis: hoc significatur per portare iniquitatem in sequentibus his locis; apud Moschen, "Si anima peccaverit, feceritque unum de præceptis Jehovæ, quæ non fieri debent, etiamsi non noverit, rea tamen erit, & *portabit iniquitatem suam*," v: 7. 8, hic per portare iniquitatem non intelligitur sed significatur retentio malorum & sit damnatio; quoniam non ex malo cordis id fecerat, nam dicitur etiamsi non noverit. Apud Eundem, "Si comedendo comedatur de carne sacrificii pacificorum suorum in die tertio, non placabitur offerens illud, abominatio est, ac anima quæ comederit, *iniquitatem suam portabit*, & *exscindetur de populis suis*," Levit: VII: 18. Cap: XIX: 7. 8; per portare iniquitatem etiam hic significatur manere in suis peccatis, & sic in damnatione esse; non quod ideo quia comedit ex sacrificio suo die tertio, sed quia per comedere illud die tertio repræsentabatur abominabile, quod damnationi obnoxium est; ita per iniquitatem portare, & exscindi e populis suis, repræsentabatur damnatio illorum, qui abominationem, quæ per id factum significatur, faciunt; sed usque non damnatio erat, quia comedit, interiora enim mala, quæ repræsentabantur, damnant, non exteriora absque illis. Apud Eundem, "Omnis anima, quæ comederit cadaver ac discerptum, & non laverit vestes suas, & carnem suam abluerit, *portabit iniquitatem suam*," XVII: 15. 16; quia comedere cadaver & discerptum repræsentabat appropriationem mali & falsi, ideo dicitur portare iniquitatem etiam repræsentative. Apud Eundem, "Si vir, qui mundus, omiserit facere Pascha, *exscindetur anima hæc e populis suis*, quia munus Jehovæ non obtulit in tempore *stato suo peccatum suum portabit*," Num: VIII: 13; pascha repræsentabat liberationem a damnatione, a Domino, n: 7093 fin: 7867. 7995. 9286. 9287 ad 9292; & cœna paschalis repræsentabat conjunctionem cum Domino per bonum amoris, n: 7836. 7997. 8001; & quia illa repræsentabantur, statutum erat, quod exscinderetur e populis qui non faceret pascha, & quod peccatum suum portaret; sed id non tale facinus erat, verum modo repræsentabat, illos qui corde negant Dominum, & inde liberationem a peccatis, & sui qui non conjungi Ipsi volunt per amorem, ita eorum damnationem. Apud Eundem, "Non accedent filii Israelis ad Tentorium conventus, *ad portandum iniquitatem moriendo*; faciet Levita opus Tentorii conventus, *& ii portabunt iniquitatem*," Num: XVIII: 22. 23; quod populus portaret iniquitatem moriendo, si accederent ad Tentorium Conventus ad faciendum opus ibi, erat quia annihilarent sic cultum repræsentativum injunctum ministerio sacerdotum; ministerium sacerdotum seu sacerdotium repræsentabat omne opus salvationis Domini, n: 9809, ideo dicitur quod Levitæ, qui etiam erant sacerdotes, portarent iniquitatem eorum, per quod significabatur expiatio, hoc est, remotio a malis & falsis apud illos

qui in bono sunt a Solo Domino, n: 9937. Per portare iniquitatem significatur vera damnatio, cum dicitur de illis qui mala ex corde malo faciunt, ut dicitur de illis, de quibus Levit: xx: 17. 19. 20. Cap: xxiv: 15. 16. Ezech: xviii: 20. Cap: xxiii: 49, & alibi.

9966. Statutum saeculi ei & semini ejus post illum, quod significet leges ordinis in Ecclesia Repraesentativa, constat ex significatione statuti saeculi, quod sit lex ordinis Divini in Coelis & in Ecclesia, de qua n: 7884. 7995. 8357: in Ecclesia repraesentativa dicitur, quia statuta dicebantur externa cultus quae repraesentabant interna, n: 8972 ita, quae erant Ecclesiae repraesentativa; & quia interna, quae repraesentabantur, erant Divina, ita aeterna, ideo dicitur statutum saeculi, per saeculum enim significatur aeternum.



De Secunda Tellure visa in Coelo Astrifero.

9967. *Postea ductus sum a Domino ad Tellurem in Universo, quae distabat a nostra Tellure longinquius quam Prima illa, de qua ad finem Capitum aliquot priorum actum est: quod distaret longinquius, scire datum est ex eo, quod illuc quoad spiritum meum deductus sim per binos dies: erat illa Tellus ad sinistrum, prior autem ad dextrum. Longinquitas in altera vita non est ex distantia loci, sed ex differentia status, quae tamen usque apparet ibi sicut distantia loci, secundum illa quae prius n:* 9440, *dicta sunt: quapropter ex mora progressionis illuc, quae erat ut dictum, duorum dierum, concludere potui, quod status interiorum apud illos, qui est status affectionum & inde cogitationum, tantum differret a statu interiorum, qui est apud spiritus e nostra Tellure. Quoniam perlatus sum illuc quoad spiritum per mutationes status interiorum, ideo datum est observare ipsas mutationes successivas, antequam illuc perventum est. Factum est hoc cum vigil eram.*

9968. *Quando illuc perventum est, non visa est Tellus, sed visi Spiritus ex illa Tellure; nam ut prius aliquoties observatum est, Spiritus cujusvis Telluris apparent circa suam Tellurem, ex causa quia diverso genio sunt ex diverso statu vitae, ac diversitas status in altera vita disjungit, & similitudo status conjungit; & imprimis ex causa, ut sint apud incolas suae telluris, qui simili genio sunt; homo enim absque spiritibus non potest vivere, ac spiritus similes cuivis adjunguntur, videa-*

tur

tur n: 5846 *ad* 5866. 5976 *ad* 5993. *Visi sunt Spiritus illi admodum alte supra caput, & inde me venientem perspexerunt. Sciendum est, quod qui in alto sunt, perspicere possint illos qui infra sunt, & quo in altiori, eo latius; & quod non modo possint perspicere illos, sed etiam loqui cum illis. Observabant inde, quod non ex eorum Tellure essem, sed e longinquo aliunde; quapropter me inde alloquuti sunt, interrogando de variis, ad quæ etiam respondere datum est; & inter alia narrabam illis ex qua Tellure essem, & qualis ea esset; & postea dicebam de Telluribus in nostro mundo solari; & tunc quoque de Spiritibus telluris seu planetæ Mercurii, quibus datur pervagari ad plures Tellures, ad comparandas sibi cognitiones rerum variarum, quibus delectantur, de quibus n:* 6808 *ad* 6817. 6921 *ad* 6932. 7069 *ad* 7079: *cum id audiebant, dicebant quod etiam illos apud se viderint.*

9969. *Dicebatur mihi ab Angelis e nostra Tellure, quod illius Telluris incolæ & spiritus referrent in Maximo Homine aciem visus externi, & quod ideo in alto appareant; & quod etiam sint acie admodum perspicaci.*

9970. *Quia illi in Maximo Homine, quod est Cælum, id referebant, & quia perspicaciter videbant quæ infra erant, inter loquendum etiam comparabam illos cum Aquilis, quæ alte volant, & perspicaciter & late circumspiciunt: sed ad hæc indignati sunt, putantes quod ideo crederem illos aquilis similes quoad rapinam, & sic quod mali essent; sed respondebam, quod non assimilarem illos aquilis quoad rapinam, sed quoad aciem visus; addendo, quod qui similes aquilis quoad rapinam sunt, mali sint, at qui solum quoad aciem visus, boni sint.*

9971. *Interrogati sunt de Deo quem colerent, ad quod respondebant, quod colerent Deum visibilem & invisibilem, Deum visibilem sub forma Humana, ac Deum invisibilem non sub aliqua forma; & compertum est ex loquela eorum, & quoque ex ideis cogitationis eorum mecum communicatis, quod Deus visibilis esset Ipse noster Dominus, & quoque vocabant Ipsum Dominum: ad hæc respondere datum est, quod etiam in nostra Tellure colatur Deus visibilis & invisibilis, & quod Deus invisibilis dicatur Pater, & visibilis Dominus; sed quod uterque unum sint, sicut Ipse nos docuit, dicendo, quod speciem Patris nunquam viderint, at quod Pater & Ipse unum sint, & quod qui vidit Ipsum videat Patrem, & quod Pater in Ipso & Ipse in Patre; consequenter quod utrumque id Divinum in una persona sit. Quod illa Ipsius Domini verba sint, videatur Johan: Cap:* V: 37. *Cap:* X: 30. *Cap:* XIV: 7. 9. 10. 11.

9972. *Post-*

9972. *Postmodum videbam Spiritus ex eadem Tellure in loco infra illos, cum quibus etiam loquebar; sed illi erant idololatræ, colebant enim idolum ex saxo, simile homini sed non pulchro. Sciendum est, quod omnes qui in alteram vitam veniunt, in principio cultum habeant similem cultui suo in mundo, sed quod successive ab illo removeantur; causa quod ita sit, est, quia omnis cultus manet implantatus interiori vitæ hominis, e qua non removeri & eradicari nisi successive potest. Cum id visum est, dicere illis dabatur, quod non oporteat adorare mortuum, sed vivum; ad quod respondebant, quod sciant, quod Deus vivat & non saxum, sed quod cogitent de Deo vivo, cum intuentur saxum simile homini, & quod aliter ideæ cogitationis suæ non possint figi ac determinari ad Deum invisibilem: tunc illis dicere datum est, quod ideæ cogitationis possint figi & determinari ad Deum invisibilem, cum ad Dominum, qui est Deus visibilis; & sic quod homo possit conjungi Deo invisibili cogitatione & affectione, proinde fide & amore, cum conjungitur Domino; non autem aliter.*

9973. *Continuatio de Secunda hac Tellure in Cœlo Astrifero, ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

E X O D I

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

9974. QUI credunt, quod per bona quæ faciunt, mereantur cœlum bona faciunt ex se, & non ex Domino.

9975. Bona, quæ homines faciunt ex se, sunt omnia non bona, quia fiunt propter se, quoniam propter remunerationem, ita ex illis spectant se primario: at bona quæ homines faciunt ex Domino, sunt omnia bona, quoniam fiunt propter Dominum & propter proximum; ita in illis spectant Dominum & proximum primario.

9976. Quare qui meritum ponunt in operibus, amant se, & qui amant se, contemnunt proximum, imo irascuntur Ipsi Deo, si non speratam mercedem accipiant, nam mercedis gratia faciunt.

9977. Inde patet, quod opera eorum non sint ex amore cœlesti, ita nec ex vera fide, nam fides quæ spectat bonum ex se, & non ex Deo, non est vera fides: tales non possunt cœlum recipere in se: ex amore cœlesti & ex vera fide est cœlum apud hominem.

9978. Qui in operibus ponunt meritum, non possunt pugnare contra mala quæ ab infernis, nam ex se nemo id potest: sed qui non ponunt in operibus meritum, Dominus pro illis pugnat & vincit.

9979. Solus Dominus meruit, quia solus ex Se vicit inferna, & subjugavit ea: inde est Solus Dominus Meritum & Justitia.

9980. Præterea homo ex se non est nisi quam malum, ita facere bonum ex se, est a malo.

9981. Quod non faciendum sit bonum mercedis gratia, docet Ipse Dominus apud Lucam, "*Si amatis eos qui vos amant, quæ vobis gratia est; si benefacitis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis gratia est; nam peccatores idem faciunt: potius amate inimicos vestros & benefacite, atque mutuo date nihil sperantes, tunc erit merces vestra magna, & eritis filii Altissimi,*" VI: 32. 33. 34. 35. Quod homo nec possit facere bonum ex se, ut sit bonum, sed a Domino, etiam Dominus docet apud Johannem, "*Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e cœlo,*" III: 27: & alibi, "*Jesus dixit, Ego sum vitis,*

vos palmites; qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine Me non potestis facere quicquam," xv: 5.

9982. Credere quod remunerentur si bonum faciunt, non damnosum est apud illos qui in innocentia sunt, ut apud infantes & apud simplices; ast se confirmare in illo cum adulti fiunt, damnosum est: homo enim initiatur in bonum per spectare remunerationem, & absterretur a malo per spectare punitionem; sed quantum in bonum amoris & fidei venit, tantum removetur a spectare meritum in bonis quæ facit.

9983. Facere bonum, quod est bonum, erit ex amore boni, ita propter bonum; qui in illo amore sunt, abhorrent meritum, nam amant facere, & inde faustum percipiunt; & vice versa, contristantur si credatur, quod fiat propter aliquid sui. Se habent illa pœne sicut qui bonum faciunt amicis amicitiæ causa, fratri fraternitatis causa, uxori & liberis uxoris & liberorum causa, patriæ patriæ causa, ita ex amicitia & ex amore; qui bene cogitant, etiam dicunt & persuadent, quod non benefaciant propter se sed propter illos.

9984. Ipsa jucunditas, quæ inest amori faciendi bonum absque fine remunerationis, est merces, quæ manet in æternum, nam omnis affectio amoris inscripta vitæ permanet; in illum insinuatur cœlum & felicitas æterna a Domino.



CAPUT XXIX.

1. ET hoc verbum, quod facies illis, ad sanctificandum eos, ad fungendum sacerdotio Mihi: sume juvencum unum filium armenti, & arietes duos integros.

2. Et panem azymorum, & placentas azymorum mixtas oleo, & lagana azymorum uncta oleo; simila triticorum facies ea.

3. Et dabis illa super corbem unum, & appropinquare facies illa in corbe; & juvencum & duos arietes.

4. Et Aharonem & filios ejus appropinquare facies ad ostium Tentorii conventus, & lavabis eos aquis.

5. Et accipies vestes, & indues Aharonem, tunica, & pallio ephodi, & ephodo, & pectorali, & cinges illum cingulo ephodi.

6. Et pones cidarim super caput ejus & dabis coronamentum sanctitatis super cidarin.

7. Et

7. Et accipies oleum unctionis, & fundes super caput ejus, & unges eum.

8. Et filios ejus appropinquare facies, & indues illos tunicis.

9. Et accinges illos baltheo, Aharonem & filios ejus, & alligabis illis tiaras, & erit illis sacerdotium in statutum sæculi: & implebis manum Aharonis, & manum filiorum ejus.

10. Et appropinquare facies juvencum ante Tentorium conventus, & imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput juvenci.

11. Et mactabis juvencum coram JEHOVAH ad ostium Tentorii conventus.

12. Et accipies ex sanguine juvenci, & dabis super cornua altaris digito tuo; & omnem sanguinem effundes ad fundamentum altaris.

13. Et accipies omnem adipem tegentem intestina, & reticulum super jecore, & duos renes, & adipem qui super illis, & adolebis altare.

14. Et carnem juvenci, & pellem ejus, & fimum ejus, combures igne extra castra; peccatum hoc.

15. Et arietem unum accipies, & imponent Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis.

16. Et mactabis arietem, & accipies sanguinem ejus, & asperges super altare circumcirca.

17. Et arietem secabis in segmenta sua, & lavabis intestina ejus, & crura ejus, & dabis super segmenta ejus, & super caput ejus.

18. Et adolebis cum toto ariete altare, holocaustum hoc JEHOVÆ, odor quietis, ignitum JEHOVÆ hoc.

19. Et accipies arietem secundum, & imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis.

20. Et mactabis arietem, & accipies ex sanguine ejus, & dabis super auriculam auris Aharonis, & super auriculam auris filiorum ejus dextræ, & super pollicem manus eorum dextræ; & super pollicem pedis eorum dextri, & asperges sanguinem super altare circumcirca.

21. Et accipies ex sanguine qui super altari, & ex oleo unctionis, & sparges super Aharonem, & super vestes ejus, & super filios ejus, & super vestes filiorum ejus cum illo, & sanctus ille, & vestes ejus, & filii ejus, & vestes filiorum ejus cum illo.

22. Et accipies de ariete adipem, & caudam, & adipem tegentem intestina, & reticulum jecoris, & duos renes, & adipem qui super illis, & armum dextrum, quia aries impletionum ille.

23. Et tractam panis unam, & placentam panis olei unam, & la-
ganum unum, e corbe azymorum, quæ coram JEHOVAH.
24. Et pones omnia ſuper volis Aharonis, & ſuper volis filiorum
ejus, & agitabis illa agitationem coram JEHOVAH.
25. Et accipies ea de manu eorum, & adolebis altare ſuper holo-
cauſto, ad odorem quietis coram JEHOVAH, ignitum hoc JEHOVÆ.
26. Et accipies pectus de ariete impletionum, qui Aharoni, & agi-
tabis illud agitationem coram JEHOVAH, & erit tibi in portionem.
27. Et ſanctificabis pectus agitationis, & armum ſublationis, quod
agitatum, & qui ſublatus de ariete impletionum, de eo qui Aharoni,
& de eo qui filiis ejus.
28. Et erit Aharoni & filiis ejus in ſtatutum ſæculi a cum filiis
Iſraelis, quia ſublatio hæc, & ſublatio erit a cum filiis Iſraelis de ſacri-
ficiis pacificis illorum, ſublatio illorum JEHOVÆ.
29. Et veſtes ſanctitatis quæ Aharoni erunt filiis ejus poſt illum, ad
ungendum in illis, & ad implendum in illis manum eorum.
30. Septem diebus induet illas ſacerdos poſt eum de filiis ejus, qui
intrabit in Tentorium conventus ad miniſtrandum in ſancto.
31. Et arietem impletionum accipies, & coques carnem ejus in loco
ſancto.
32. Et comedet Aharon & filii ejus carnem arietis, & panem qui
in corbe, ad oſtium Tentorii conventus.
33. Et comedent illa, in quibus expiatum, ad implendum manum
eorum, ad ſanctificandum illos; & alienus non comedet, quia ſanc-
tum illa.
34. Et ſi relictum fuerit de carne impletionum, & de pane uſque
ad mane, & combures relictum igne, non comedetur, quia ſanctum
hoc.
35. Et facies Aharoni & filiis ejus ita, ſecundum omne quod præ-
cepi tibi: ſeptem diebus implebis manum eorum.
36. Et juvencum peccati facies in diem ſuper propitiationibus, &
mundabis a peccato ſuper altari in propitiando te ſuper illo, & unges
illud ad ſanctificandum illud.
37. Septem diebus propitiabis ſuper altari, & ſanctificabis illud, &
erit altare ſanctum ſanctorum; omnis tangens altare ſanctificabitur.
38. Et hoc quod facies ſuper altari; agnos filios anni duos in
diem, juge.
39. Agnum unum facies in mane, & agnum alterum facies inter
veſperas.

40. Et decima similæ mixtæ oleo tuso, quadrans hinis, & libamen quadrantis hinis vini agno primo.

41. Et agnum secundum facies inter vesperas, secundum mincham matutinam, & secundum libamen ejus, facies illi, ad odorem quietis, ignitum JEHOVÆ.

42. Et holocaustum juge in generationes vestras ad ostium Tentorii conventus coram JEHOVAH, ubi conveniam vobis ad loquendum ad te ibi.

43. Et conveniam ibi filiis Israelis, & sanctificabitur in gloria mea.

44. Et sanctificabo Tentorium conventus & altare, & Aharonem, & filios ejus sanctificabo ad fungendum sacerdotio Mihi.

45. Et habitabo in medio filiorum Israelis, & ero illis in DEUM.

46. Et cognoscent quod Ego JEHOVAH DEUS eorum, qui eduxi illos e terra Ægypti, ad habitandum Me in medio illorum; Ego JEHOVAH DEUS illorum.

CONTENTA.

9985. AGitur in sensu interno in hoc Capite de Glorificatione Domini quoad Humanum, quod significatur per inaugurationem Aharonis & filiorum ejus in Sacerdotium.



SENSUS INTERNUS.

9986. VERS: 1. 2. 3. *Et hoc verbum quod facies illis ad sanctificandum eos ad fungendum sacerdotio Mihi: sume juvencum unum filium armenti, & arietes duos integros. Et panem azymorum, & placentas azymorum mixtas oleo, & lagana azymorum uncta oleo, simila triticorum facies ea. Et dabis illa super corbem unum, & appropinquare facies illa in corbe; & juvencum & duos arietes.* Et hoc verbum quod facies illis, significat legem ordinis: ad sanctificandum illos, significat repræsentationem Domini quoad Divinum Humanum: ad fungendum sacerdotio Mihi, significat ad repræsentandum omne opus salvationis ab Ipso: sume juvencum unum filium armenti, significat purificationem naturalis seu externi hominis: & arietes duos integros, significat purificationem spiritualis seu interni hominis: & panem azymorum, significat purificationem cœlestis in intimo hominis: & placentas azymorum mixtas oleo, significat purificationem cœlestis medii: & lagana azymorum uncta oleo, significat cœleste in externo homine: simila triticorum

facies ea, significat verum quod ex Divino Bono: & dabis illa super corbem unum, significat sensuale in quo illa: & appropinquare facies illa in corbe, significat sic præsentiam omnium: & juvencum & duos arietes, significat naturale seu externum hominis, ac spirituale seu internum ejus, quæ purificanda.

9987. Et hoc verbum quod facies illis, quod significet legem ordinis, constat ex significatione verbi, quod sit Divinum Verum, & inde Lex ordinis, de qua sequitur: Verbum in communi sensu significat enuntiatum oris seu sermonem; & quia sermo est mentis cogitatio per voces enuntiata, ideo verbum significat rem quæ cogitatur, inde omnis res quæ realiter existit, & est aliquid, in Lingua originali dicitur verbum; at in sensu eminente est Verbum Divinum Verum, ex causa, quia omne quod realiter existit, & quod est aliquid, ex Divino Vero est; ideo dicitur apud Davidem, "*Per verbum Jehovæ cœli facti sunt, & per spiritum oris Ipsius omnis exercitus eorum,*" Psalm: XXXIII: 6, ubi Verbum Jehovæ est Divinum Verum procedens a Domino; spiritus oris Jehovæ est vita inde; cœli inde facti, & omnis exercitus eorum, sunt angeli, quatenus sunt receptiones Divini veri, quod cœli sint angeli est quia illi constituunt cœlum; & quia Angeli sunt receptiones Divini Veri, ideo per Angelos in sensu abstracto, significantur Divina Vera quæ a Domino, videatur n: 8192, & quod exercitus cœlorum in eodem sensu sint Divina vera, n: 3448. 7236. 7988: inde constare potest, quid per Verbum significatur apud Johannem, "*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil; quod factum est: & Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam Ipsius,*" I: 1. 3. 14; quod Dominus ibi per Verbum intelligatur, patet, nam dicitur quod Verbum Caro factum sit: quod Dominus sit Verbum, est quia Dominus, cum in mundo erat, fuit Ipsum Divinum Verum, & cum abivit e mundo, Divinum Verum ab Ipso processit, videantur loca citata, n: 9199 fin: & 9315 fin. Quod Verbum in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum Verum, seu quod idem, quod Verbum sit Divinum Verum procedens a Domino, constat a pluribus locis, ut apud Davidem, "Clamaverunt ad Jehovam, & *misit Verbum suum,* & *sanavit eos,*" Psalm: CVII: 20. Apud Johannem, "*Verbum Patris non habetis manens in vobis,* quia Quem misit Ille, Huic vos non creditis: nec vultis venire ad Me, ut vitam habeatis," V: 38. 40. Apud Eundem, "*Ego dedi illis verbum tuum,* ideo mundus odio habet eos; *sanctifica eos in veritate tua, verbum tuum veritas est,*" XVII: 14. 17. Et in Apocalypsi, "Insidens equo albo, indutus erat vestimento tincto sanguine, & *vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei;* & habebat super vestimento suo, & super femore suo, nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominorum," XIX: 13. 16; ex his & ex aliis locis constat, quod Divinum Verum procedens a Domino sit Verbum, & in supremo sensu Dominus quoad Divinum Verum, nam dicitur quod Nomen insidentis equo albo sit Verbum Dei, & quod Ille sit Rex regum, & Dominus dominorum; & quia Verbum est Divinum Verum, ideo dicitur

quod

quod indutus esset vestimento tincto sanguine, nam per vestimentum significatur verum, n: 9952, & per sanguinem Verum ex bono; videantur hæc plenius explicata n: 2760. 2761. 2762. Inde est, quod omne Verum quod a Divino, dicatur Verbum, ut apud Joelem, "Jehovah edidit vocem suam coram exercitu suo, magna valde castra Ipsius, *qui innumerus qui facit verbum Ipsius*," ii: 11, vox quam edit Jehovah est verum a Divino, n: 9926; castra Jehovæ sunt cœlum, n: 4236. 8193. 8196, inde patet, quod innumerus qui facit verbum sit qui facit verum Divinum. Apud Matthæum, "*Qui audit verbum regni*, & non attendit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: qui super petrosa seminatus, est *qui verbum audit*, & statim cum gaudio accipit illud, non autem habet radicem: qui inter spinas seminatus, est *qui verbum audit*, sed cura sæculi & fraus divitiarum *suffocat verbum:* qui in terram bonam seminatus, est *qui verbum audit & attendit*, & inde fructum fert," XIII: 19 ad 23, quod verbum ibi sit verum Divinum, absque explicatione patet; verbum regni dicitur, quia est verum Cœli & Ecclesiæ, nam regnum est Cœlum & Ecclesia. Inde constare potest, quod verba sint Divina vera quæ a Domino, ut apud Johannem, "*Verba, quæ Ego loquor vobis*, spiritus sunt & vita sunt;" VI: 63: ideo quoque præcepta decalogi vocantur *decem verba*," Exod: XXXIV: 28: Quod Verbum sit lex ordinis, est quia Divinum Verum procedens a Domino facit ordinem in cœlis, usque adeo, ut id ibi sit ordo, inde leges ordinis cœlestis sunt Divina vera, videatur n: 1728. 1919. 2247. 2258. 4839. 5703. 7995. 8513. 8700. 8988. Lex ordinis, quæ significatur per verbum in hoc Capite, est quomodo Dominus Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit, nam de illa re in sensu interno hic agitur; & inde in sensu respectivo de regeneratione hominis, nam regeneratio hominis est imago glorificationis Domini, n: 3130. 3212. 3296. 4402. 5688. 9145. 9146; quod id imprimis sit lex ordinis, est quia Dominus quoad Divinum Humanum est Ordo in cœlis; & quia omnis qui regeneratur, ad illum ordinem redigitur; quapropter qui in illo ordine sunt, in Domino sunt.

9988. Ad sanctificandum illos, quod significet ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Humanum, constat ex significatione sanctificare, quod sit repræsentare Dominum quoad Divinum Humanum, de qua n: 9958; quod id sit sanctificare, est quia Dominus solus est Sanctus, & quia omne sanctum procedit ab Ipso, ac omnis sanctificatio repræsentat Ipsum, n: 9479. 9680. 9820.

9989. Ad fungendum sacerdotio Mihi, quod significet omne opus salvationis ab Ipso; constat ex significatione sacerdotii, quod sit repræsentativum Domini quoad opus salvationis, de qua n: 9809.

9990. Sume juvencum unum filium armenti, quod significet purificationem naturalis seu externi hominis, constat ex significatione juvenci, quod sit bonum innocentiæ & charitatis in naturali seu externo homine, de qua n: 9391; & quia dicitur filius armenti, significatur etiam verum illius boni, nam filius est verum, & armentum est naturale, quod filius sit verum, videatur

tur n: 489. 491. 533. 2623, 3373. 9807; & quod armentum sit naturale, n: 2566. 5913. 8937; quod per juvencum filium armenti hic significetur purificatio naturalis seu externi hominis, est quia ille sacrificabatur, & per sacrificia significabatur purificatio a malis & falsis, seu expiatio, hic purificatio a malis & falsis, quæ in naturali seu externo homine; purificatio autem in spirituali seu interno homine significatur per holocaustum ex ariete. Ut sciatur quid singula holocausta & sacrificia repræsentabant, sciendum est, quod in homine sit externum & internum, & quod in utroque sit quod se refert ad verum & quod ad bonum; quapropter cum regenerandus est homo, regenerandus est quoad externum & quoad internum, & in utroque quoad verum & quoad bonum; sed antequam homo regenerari potest, purificandus est a malis & a falsis, nam illa obstant; purificationes externi hominis repræsentabantur per holocausta & sacrificia ex bovibus, juvencis & hircis; purificationes autem interni hominis per holocausta & sacrificia ex arietibus, hædis, & capris; purificatio autem ipsius interni, quod intimum, ex agnis; quapropter ex ipsis animalibus, quæ sacrificabantur, constare potest quæ purificatio seu expiatio repræsentabatur. Dicitur quæ purificatio seu expiatio repræsentabatur, quia holocausta & sacrificia non purificabant seu expiabant hominem, sed modo purificationem seu expiationem repræsentabant; nam quis non scire potest, quod talia non aliquid mali & falsi apud hominem tollant, videantur loca ex Verbo, n: 2180; quod non sustulerint, sed modo repræsentaverint, erat causa, quia apud gentem Israeliticam & Judaicam institutum fuit repræsentativum Ecclesiæ, per quod conjunctio facta est cum cœlis, ac per cœlos cum Domino, de qua re videantur quæ in locis citatis n: 9320 fin: & n: 9380, ostensa sunt. Quid autem in specie repræsentabatur per holocausta & sacrificia ex juvencis, & arietibus, & ex agnis, videbitur in sequentibus hujus Capitis, nam de illis ibi agitur.

9991. Et arietes duos integros, quod significet purificationem spiritualis seu interni hominis, constat ex significatione arietis, quod sit internum hominis, ita spirituale ejus, de qua n: 2830; internum enim apud hominem dicitur spirituale, & externum naturale. Quod significetur purificatio, est quia holocausta ex arietibus facta sunt, & per holocausta & sacrificia in genere repræsentatæ sunt purificationes a malis & falsis seu expiationes, & per holocausta & sacrificia ex arietibus purificationes seu expiationes interni seu spiritualis hominis, de quibus in sequentibus hujus Capitis, ubi de illis agitur.

9992. Et panem azymorum, quod significet purificationem cœlestis in intimo homine, constat ex significatione panis, quod sit cœleste, de qua n: 2165. 2177. 3478. 9545; & ex significatione azymi, quod sit purificatum, de qua sequitur; quod sit intimum hominis, est quia cœleste est bonum amoris, & bonum amoris est intimum: sunt tria apud hominem, quæ consequuntur in ordine successivo; illa tria vocantur cœleste, spirituale & naturale; cœleste est bonum amoris in Dominum, spirituale est bonum charitatis erga proximum, & naturale inde est bonum fidei, quod quia est ex spirituali,

ſpirituali, vocatur ſpirituale naturale; nam ſimiliter ſe habet apud hominem, prout in cœlis; in intimo cœlo, quod etiam tertium cœlum vocatur, eſt cœleſte, in ſecundo ſeu medio cœlo eſt ſpirituale, & in primo ſeu ultimo cœlo eſt naturale inde ſeu ſpirituale naturale: quod ſimiliter ſe habeat apud hominem prout in cœlis, eſt cauſa, quia homo qui in bono, eſt cœlum in minima forma, videantur citata n: 9279. De tripartitione etiam cœli ſeu Regni cœleſtis, in ſequentibus dicetur, ubi de placentis, & laganis ex ſimila triticorum. Quod azymum ſignificet purificatum, eſt quia fermentum ſignificat falſum ex malo, n: 2342, 7906; inde azymum ſeu infermentatum ſignificat purum ſeu abſque falſo illo; quod fermentum ſignificat falſum ex malo; eſt quia id falſum conſpurcat bonum, & quoque verum, tum quia excitat pugnam, nam accedente illo falſo ad bonum fit fervor, & ad verum fit colliſio; inde eſt, quod minchah ex pane azymo, in holocauſtis & in ſacrificiis adhibita fuerit: ideo ſtatutum eſt, quod *omnis minchah, quam adferrent Jehovæ, non conficeretur fermentata,*" Levit: ii: 11: *quod non ſacrificarent ſuper fermentato ſanguinem ſacrificii,*" Exod: xxiii: 18: quodque in feſto paſchatis, *prorſus non comederent fermentatum,* & *quod qui comederet, exſcinderetur ex Iſraele,*" Exod: xii: 15. 18. 19. 20; quod exſcinderetur ex Iſraele, qui in feſto Paſchatis fermentatum ederet, fuit cauſa, quia feſtum paſchatis ſignificabat liberationem a damnatione, ac in ſpecie liberationem a falſis ex malo, apud illos qui patiuntur ſe a Domino regenerari, videatur n: 7093. 9286 ad 9292; inde quoque feſtum illud vocabatur feſtum azymorum.

9993. Et placentas azymorum mixtas oleo, quod ſignificet purificationem cœleſtis medii, conſtat ex ſignificatione placentarum, quod ſint cœleſte medium, de qua ſequitur; & ex ſignificatione olei, quod ſit bonum amoris, de qua n: 886. 4582. 4638; inde patet, quod per placentas mixtas oleo ſignificetur cœleſte quod ex intimo, nam oleum eſt bonum amoris, quod intimum. Cum his ita ſe habet, cœli diſtincti ſunt in duo Regna, quorum unum vocatur ſpirituale, alterum cœleſte; Regno ſpirituali in cœlis correſpondet Intellectuale apud hominem, & Regno cœleſti ibi correſpondet Voluntarium ejus, n: 9835: in utroque Regno eſt Internum & Externum, ſicut etiam apud hominem Intellectuale & Voluntarium, apud hominem enim eſt Intellectuale internum & externum, & eſt Voluntarium internum & externum; Intellectuale internum facit vitam ſpiritualem Interni hominis, & Intellectuale externum facit vitam ſpiritualem externi hominis; Voluntarium autem internum facit vitam cœleſtem interni hominis, & voluntarium externum facit vitam cœleſtem externi hominis: quod Internum & Externum apud hominem ſit, conſtare poteſt unicuivis qui reflectit, imprimis ex hypocritis, doloſis, aſtutis, & malitioſis, quod illi interius apud ſe cogitent contra vera fidei, & quoque velint contra bona amoris cœleſtis, ſed exterius cogitant & volunt cum illis, inde quoque loquuntur & agunt, ut coram mundo appareant: præterea ſciendum, quod utrumque Regnum, nempe Spirituale & Cœleſte, in cœlis ſit tripartitum, eſt intimum ejus, eſt medium, & eſt

externum,

externum, videatur n: 9873; intimum Regni cœlestis est bonum amoris in Dominum, medium ibi est bonum amoris mutui, quod est bonum procedens inde, & externum est jucundum procedens ex eo bono; bina priora sunt in Interno homine apud illos qui in cœlesti Regno Domini sunt, tertium autem est in externo homine apud eosdem: hæc tria repræsentata sunt per panem azymorum, per placentas azymorum mixtas oleo, & per lagana azymorum uncta oleo; & purificatio illorum repræsentatur per oblationem trium illorum super altari una cum holocausto aut sacrificio. Quod talia in ordine significentur, constare potest solum ex eo, quod tria illa mandata sint, & quoque præparatio illorum descripta in Libris Moschis; quod haudquaquam factum fuisset, nisi involvissent arcana Cœli & Ecclesiæ, ad quid alioquin forent talia. Sed scio, quod arcana illa vix ab aliquo hodie capi possint, ex causa, quia mundanum est hodie omne in intellectu & voluntate, & qui cogitant de cœlo & volunt illud, non aliam de illo ideam habent, nec habere volunt, quam naturalem & terrestrem, & ubi talis idea, & talis voluntas, ita ubi talis amor, ibi arcana cœli non locum habent: prorsus aliter foret, si mens delectaretur cœlestibus præ mundanis, nam illa, quibus delectatur homo, capiuntur; sicut cum delectatur arcanis status civilis in Regnis, & arcanis status moralis apud hominem; per statum moralem intelligitur status amorum & affectionum, ac inde cogitationum, quorum arcana homo astutus facile appercipit, causa est, quia delectatur ducere alios per talia, ad aucupandum honores aut lucra, seu famam propter illa. Quod placentæ significent cœleste in Interno homine, est quia in secundo ordine sunt, in primo enim est panis azymorum, in secundo sunt placentæ mixtæ oleo, & in tertio sunt lagana uncta oleo; tria illa vocabantur minchæ, & offerebantur super altari una cum holocaustis & sacrificiis; describitur quomodo conficiendæ in Levitico Cap: II, & quomodo offerendæ variis in locis, ut quomodo ab Aharone die unctionis ejus, Levit: VI: 13 ad 16. Per placentas etiam in Verbo intelligitur bonum amoris in genere; inde est, quod panes facierum seu propositionis dicantur placentæ, apud Moschen, "Sumes similaginem, & *coques illas duodecim placentas*, duarum decimarum erit *placenta una*; & pones super mensa coram Jehovah, & dabis super ordinem thus purum," Levit: XXIV: 5 ad 9, thus purum, quod dabatur super placentas, significabat verum ex bono cœlesti, quod est ultimum, seu extremum Regni cœlestis: etiam per placentas significatur bonum amoris in genere apud Jeremiam, "Filii colligent ligna, & patres accendunt ignem, mulieres depsunt massam, *ad faciendum placentas Melecheth cœlorum*, & ad libandum libamina diis aliis," VII: 18. Cap: XLIV: 19, facere placentas Melecheth cœlorum, est colere ex bono amoris cœlestis diabolum, & libare libamina diis aliis, est colere ex veris fidei Satanam, nam per melecheth cœlorum significantur qui in inferno geniorum sunt, & per deos alios qui in inferno malorum spirituum, de quibus videatur n: 5977. 8593. 8622. 8625; qui in inferno geniorum sunt, simul sumti vocantur diabolus, qui autem in inferno malorum spirituum vocantur Satanas. Bonum autem amoris spiritualis significatur per placentas

apud

apud Hoscheam, "*Ephraim factus est placenta non conversa,*" VIII : 8, sed placenta ibi exprimitur alio in nomine in Lingua originali, quæ significat bonum amoris spiritualis; placenta non conversa est, cum Externus homo regnat super Internum, cum hoc fit apud hominem, est ordo inversus, nam tunc externum imperat, ac Internum servit; Ephraim est Intellectuale Ecclesiæ, quod illustratur & afficitur, cum recipiuntur vera & bona fidei.

9994. Et lagana azymorum uncta oleo, quod significet cœleste in externo homine, constat ex significatione laganorum, quod sint cœleste in externo homine, de qua sequitur; ex significatione azymi, quod sit purificatum, de qua supra n: 9992; & ex significatione olei, quod sit bonum amoris, de qua n: 886. 4582. 4638, inde patet quod per lagana azymorum uncta oleo, significetur cœleste in externo homine, quod procedit ordine a prioribus. Lagana dicuntur uncta oleo, at placentæ mixtæ oleo, ex causa quia lagana in tertio ordine sunt, & placentæ in secundo, ut mox supra n: 9993, dictum; & quod in secundo ordine est, hoc procedit ab intimo immediate, & inde in se habet cœleste intimum, quod significatur per oleum; & quod in tertio ordine est, hoc procedit ab intimo mediate, nempe per id quod in secundo ordine est, ac inde non ita in se habet intimum, sicut id quod in secundo ordine est; ideo placentæ, quia significant cœleste secundi ordinis dicuntur mixtæ oleo, & lagana, quia significant cœleste tertii ordinis, dicuntur uncta oleo. Sed hæc ægre capi possunt, nisi sciatur quomodo se habet cum existentia rerum in ordine successivo, quæ se habet sicut finis, causa, & effectus, intimum est finis, medium est causa, & ultimum est effectus, finis erit in causa ut fit causa illius finis, & causa erit in effectu ut sit effectus illius causæ; finis non apparet in effectu sicut in causa, quia effectus longius abest a fine quam causa: ex his illustrari potest mens, quomodo res se habet cum intimo, medio, & externo in ordine successivo.

9995. Simila triticorum facies ea, quod significet verum quod ex Divino Bono, ex quo illa, constat ex significatione similæ seu similaginis, quod sit verum, de qua sequitur; & ex significatione triticorum, quod sint bonum amoris, de qua n: 3941, ita in supremo sensu Divinum Bonum; & ex significatione facere illa, quod sit quod bona illa cœlestia, quæ significantur per panem, placentas, & lagana azymorum, sint ex illo vero. Cum his ita se habet; omnia vera & bona, quæ in cœlis sunt ex Divino Vero procedente ex Divino Bono Domini sunt; Divinum id Verum receptum ab Angelis in Regno cœlesti, vocatur bonum cœleste, at in Regno spirituali receptum ab Angelis ibi vocatur bonum spirituale; nam utcunque Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, vocatur Verum, usque tamen est bonum; causa quod dicatur Verum, est quia illud in cœlis apparet, coram visu angelorum externo ibi, ut Lux, nam Lux ibi est Divinum Verum; sed calor in Luce illa, qui est bonum amoris, facit ut sit bonum: similiter se habet apud hominem, verum fidei cum procedit a bono charitatis, quod fit cum homo regeneratus est, tunc verum apparet ut bonum, quod etiam inde

vocatur bonum ſpirituale, nam eſſe veri eſt bonum, ac verum eſt forma boni: inde conſtare poteſt, cur homo tam ægre diſtinguere poteſt inter cogitare & velle, dicit enim cum aliquid vult quod id cogitet, & ſæpe cum aliquid cogitat quod id velit, cum tamen diſtincta ſunt ſicut verum & bonum, nam eſſe cogitationis eſt voluntas, & forma voluntatis eſt cogitatio, ſicut eſſe veri eſt bonum, & forma boni eſt verum, ut mox dictum eſt: quia homo tam ægre diſtinguit inter bina illa, ideo nec ſcit quid eſt eſſe vitæ ſuæ, & quod bonum id ſit, & quod non verum niſi quantum ex bono exiſtit: bonum pertinet ad voluntatem, & voluntas eſt id quod homo amat, quare verum non fit eſſe vitæ hominis, priuſquam id amat, & cum homo id amat, id facit; verum autem pertinet ad intellectum, cujus eſt cogitare, & cum cogitat id, loqui poteſt de eo, ac intelligere & cogitare verum abſque velle & facere id datur, ſed cum eſt abſque velle, tunc non eſt appropriatum vitæ hominis, quia in ſe non habet eſſe vitæ ejus: quia tale ignorat homo, ideo tribuit fidei omne ſalutis, & vix aliquid charitati, cum tamen fides ſuum eſſe vitæ habet a charitate, ſicut verum a bono. Præterea omne bonum apud hominem formatur per verum, influit enim bonum per viam internam a Domino, ac intrat verum per viam externam, & conjugium ineunt in Interno homine, ſed aliter apud hominem & angelum ſpiritualem, & aliter apud hominem & angelum cœleſtem; apud hominem & angelum ſpiritualem fit conjugium in parte intellectuali, at in homine & angelo cœleſti in parte voluntaria; via externa, per quam verum intrat, & per auditum & viſum in intellectum; via autem interna, per quam bonum influit a Domino, eſt per intimum ejus in voluntatem, de qua re videantur quæ in locis citatis n: 9596, oſtenſa ſunt: ex his patet, quod bona cœleſtia, quæ per panem, placentas, & lagana azymorum ſignificantur, exiſtant per Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, & quod hoc intelligatur per quod ex ſimila triticorum facies illa. Quia ita eſt, ideo omnes minchæ, quæ vario modo conficiebantur, ex ſimilagine mixta oleo fiebant, videatur Levit: ii: 1 ad fin: Cap: vi: 13 ad 16. Num: vii: ſeq: Cap: xv: 2 ad 15. Cap: xxviii: 11 ad 15. Quod Simila ſeu ſimilago, ut & farina, ſit verum quod ex bono, conſtat a ſequentibus his locis; apud Ezechielem, "*Similam, mel, & oleum comediſti*, unde pulchra facta es valde," xvi: 13; dicuntur illa de Hieroſolyma, per quam ibi intelligitur Antiqua Eccleſia, ſimila eſt verum ex bono illius Eccleſiæ, mel eſt jucundum illius, oleum eſt bonum amoris, & comedere eſt appropriare; quare dicitur pulchra facta, nam pulchritudo ſpiritualis ex veris & bonis eſt. Apud Hoſcheam, "Seges ſtans non illi, *germen non faciet farinam*, forte faciet, alieni deglutient eam," viii: 7, ſeges ſtans eſt verum fidei ex bono in conceptione, n: 9146; germen non faciet farinam eſt ſterilitas, quia non verum ex bono; alieni qui deglutient, ſunt falſa ex malo quæ conſument. In Libro 1 Regum, "Dixit mulier Sidonis in Zorpa ad Eliam, quod non ſit ſibi ex quo placenta, *niſi plenitudo volæ farinæ in cado*, & parum olei in lenticula: dixit Elias quod faceret ſibi placentam priori loco, & *cadus farinæ non conſumetur*, ac lenticula olei non deficiet:
quod

quod quoque factum est," XVII : 12 ad 15 ; per farinam ibi significatur verum Ecclesiæ, & per oleum bonum ejus, nam per mulierem in Sidone repræsentatur Ecclesia quæ in cognitionibus veri & boni est, & per Eliam prophetam Dominus quoad Verbum ; inde patet quid Miraculum hoc involvit, nam omnia miracula, de quibus in Verbo involvunt talia quæ Ecclesiæ, n : 7337. 8364. 9086 ; inde patet, quid significat quod farinæ cadus non consumetur, & lenticula olei non deficiet, si priori loco ex paucis suis faceret Eliæ placentam, & posteriori filio suo ; quod mulier sit Ecclesia, videatur n : 252. 253 ; quod Sidon sint cognitiones veri & boni, n : 1201, & quod Elias sit Dominus quoad Verbum, n : 2762. 5247 fin : Apud Esaiam, " Filia Babelis, *sume molam*, & *mole farinam*," XLVII : 2, filia Babelis pro illis in Ecclesia qui in sancto externo sunt, sed in prophano interno ; molere farinam pro eligere talia ex Verbi sensu literæ, quæ inserviunt confirmandis malis amorum sui & mundi, quod malum est prophanum, molere est eligere, & quoque ad favorem amorum illorum explicare ; & farina est verum inserviens, videatur n : 4335 ; inde patet, quid sit molere, proinde quid commolitum, ut apud Jeremiam, " Principes manu eorum suspensi sunt, facies senum non honoratæ sunt, *juvenes ad molendum adduxerunt*," Thren : V : 12. 13. Apud Moschen, " Moscheh accepit vitulum, quem fecerant, & combussit igne, & *commoluit*, usque dum fieret minutissimus, tunc sparsit superfacies aquarum, & bibere fecit filios Israelis," Exod : XXXII : 20. Deut : IX : 21 : & apud Matthæum, " Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter derelinquetur ; *duæ molentes*, una assumetur, altera derelinquetur," XXIV : 40. 41 ; inde patet quid sit molere, quod in bono sensu sit vera ex Verbo eligere & explicare ut inserviant bono, & in malo sensu ut inserviant malo, videatur n : 7780 ; ex quo etiam constat, quid significat commolitum, proinde quid farina & simila.

9996. Et dabis illa super corbem unum, quod significet sensuale in quo illa, constat ex significatione corbis, quod sit sensuale ; quod corbis sit sensuale, est quia sensuale est ultimum vitæ hominis, & in ultimo se recondunt interiora omnia ordine, videatur n : 9828. 9836 ; & per vasa omnis generis in Verbo significantur externa, in quibus interiora, n : 3079 ; inde nunc est, quod dicatur, quod panis, placentæ & lagana azymorum darentur in corbem, & adducerentur in corbe ; quod sensuale apud hominem sit ultimum vitæ ejus, videatur n : 9212. 9216 : sed cum his ita se habet ; sunt bina apud hominem, quæ faciunt vitam ejus, intellectuale & voluntarium, ultimum intellectualis vocatur scientificum sensuale, & ultimum voluntarii vocatur jucundum sensuale ; scientificum sensuale, quod est ultimum intellectualis, hauritur per binos sensus, qui sunt auditus & visus ; & jucundum sensuale, quod est ultimum voluntarii, hauritur etiam per binos sensus, qui sunt gustus & tactus ; ultimum perceptionis utriusque est odoratus : scientificum sensuale, quod est ultimum intellectualis, intelligitur in Verbo per schyphum seu poculum, nam vinum quod inibi, aut aqua, sunt vera quæ partis intellectualis ; jucundum autem sensuale, quod est ultimum voluntarii, intelligitur in Verbo

 per

per corbem seu caniſtrum; & quia ultimum eſt continens omnium interiorum, ideo quoque interiora per vaſa illa intelliguntur, per ſchyphum ſeu poculum vera intellectualia, & in oppoſito ſenſu falſa, ac per corbem ſeu caniſtrum bona voluntaria, ac in oppoſito ſenſu mala; bona enim pertinent ad voluntatem, & vera ad intellectum; quod ſchyphi ſeu pocula ſint vera intellectualia in complexu, videatur n: 5120. 9557; & quod corbes ſeu caniſtra ſint bona voluntaria in complexu, n: 5144; ſive dicas bona voluntaria, ſive bona cœleſtia, idem eſt, pariter ſive dicas vera intellectualia ſive vera ſpiritualia; quod illa quæ ponebantur in corbe, ſignificent bona cœleſtia, videatur mox ſupra n: 9992. 9993. 9994. & quia ſenſuale, eſt ultimum eorum, & ſic continens omnium dicitur quod illa omnia in corbem darentur.

9997. Et appropinquare facies illa in corbe, quod ſignificet ſic præſentiam omnium, conſtat ex ſignificatione appropinquare facere, quod ſit conjunctio & præſentia, de qua n: 9378; & ex ſignificatione corbis, quod ſit ſenſuale in quo omnia, de qua mox ſupra n: 9996.

9998. Et juvencum, & duos arietes, quod ſignificet naturale ſeu externum hominis, ac ſpirituale ſeu internum ejus, quæ purificanda, conſtat ex ſignificatione juvenci, quod ſit naturale ſeu externum, hominis quod purificandum, de qua ſupra n: 9990; & ex ſignificatione arietum, quod ſint ſpirituale ſeu internum hominis, quod purificandum, de qua etiam ſupra n: 9991.

9999. Verſ. 4 ad 9. *Et Aharonem & filios ejus appropinquare facies ad oſtium Tentorii conventus, & lavabis eos aquis. Et accipies veſtes, & indues Aharonem tunica, & pallio ephodi, & ephodo, & pectorali; & cinges illum cingulo ephodi. Et pones cidarim ſuper caput ejus, & dabis coronamentum ſanctitatis ſuper cidarim. Et accipies oleum unctionis, & fundes ſuper caput ejus, & unges eum. Et filios ejus appropinquare facies, & indues illos tunicis. Et accinges illos baltheo, Aharonem & filios ejus, & alligabis illis tiaras, & erit illis ſacerdotium in ſtatutum ſæculi: & implebis manum Aharonis, & manum filiorum ejus.* Et Aharonem & filios ejus ſignificat Dominum quoad Divinum Bonum & quoad Divinum Verum inde: appropinquare facies ad oſtium Tentorii conventus, ſignificat conjunctionem utriuſque in cœlo: & lavabis eos aquis, ſignificat purificationem per vera fidei: & accipies veſtes, ac indues Aharonem, ſignificat repræſentativum Regni ſpiritualis Domini: tunica, ſignificat intimum illius Regni: pallio ephodi, ſignificat medium illius Regni: & ephodo, ſignificat ultimum ejus: & pectorali, ſignificat Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini: & pones cidarim ſuper caput ejus, ſignificat Divinam ſapientiam: & dabis coronamentum ſanctitatis ſuper cidarim, ſignificat Divinum Humanum Domini: & accipies oleum unctionis, ſignificat repræſentativum inaugurationis in Divinum Bonum: & fundes ſuper caput ejus, & unges eum, ſignificat repræſentativum Divini Boni in Domino quoad totum Humanum: & filios ejus appropinquare facies, ſignificat conjunctionem Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini: & indues illos tunicis, ſignificat repræſentativum Divini ſpiritualis procedentis: & accinges illos baltheo, ſignificat vinculum conjunctionis ut omnia teneantur in nexu, & inde in forma cœleſti: Aharonem & filios

filios ejus, significat Dominum quoad Divinum Bonum, & inde procedens Divinum Verum: & alligabis illis tiaras, significat intelligentiam ex sapientia: & illis erit sacerdotium, significat Dominum quoad opus salvationis in ordine successivo: in statutum sæculi, significat secundum leges ordinis æternas: & implebis manum Aharonis, & manum filiorum ejus, significat repræsentativum Divinæ potentiæ Domini per Divinum Verum ex Divino Bono.

10,000. Et Aharonem & filios ejus, quod significet Dominum quoad Divinum Bonum, & quoad Divinum Verum inde, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9806; & ex repræsentatione filiorum ejus, quod sit Dominus quoad Divinum Verum inde, de qua n: 9807.

10,001. Appropinquare facies ad ostium Tentorii conventus, quod significet conjunctionem utriusque in cœlo, constat ex significatione appropinquare facere, quod sit præsentia & conjunctio, ut supra n: 9997, hic conjunctio Divini Boni & Divini Veri a Domino in cœlo; ex significatione ostii, quod sit introductio, de qua n: 8989; & ex repræsentatione Tentorii conventus, quod sit cœlum, de qua n: 9457. 9481. 9485. 9963. Quod juvencus, arietes, panis, placentæ, & lagana azymorum in corbe, & Aharon cum filiis sisterentur ad ostium Tentorii Conventus, & quod hi ibi induerentur vestibus & ungerentur, & illa ibi offerentur super altari, erat causa, quia locus ubi ostium Tentorii conventus, repræsentabat conjugium Divini Boni cum Divino Vero; per Altare enim, quod etiam ad ostium Tentorii positum fuit, repræsentabatur Dominus quoad Divinum Bonum, & per Tentorium conventus repræsentabatur Dominus quoad Divinum Verum; inde per locum ad ostium Tentorii repræsentabatur conjunctio Boni & Veri, quæ conjunctio vocatur conjugium cœleste: quod per Altare holocausti repræsentatus sit Dominus quoad Divinum Bonum, videatur n: 9964; & quod per Tentorium conventus repræsentatus sit Dominus quoad Divinum Verum, n: 9963; quod Altare ibi positum fuerit, constat apud Mosen, "Et Moscheh *Altare holocausti posuit ad ostium Tentorii*," Exod: XL: 29: quod conjunctio boni & veri sit conjugium cœleste, & quod id sit cœlum, videatur n: 2173. 2508. 2618. 2803. 3204 seq: 3132. 3952. 4434. 6179. Ex his nunc patet, quod per appropinquare facere Aharonem & filios ejus ad ostium Tentorii conventus, significatur conjunctio utriusque, nempe Divini Boni & Divini Veri a Domino in cœlo.

10,002. Et lavabis eos aquis, quod significet purificationem per vera fidei, constat ex significatione lavare aquis, quod sit purificatio per vera fidei, de qua n: 3147. 5954 fin: 9089; quod omnis purificatio & regeneratio fiat per vera fidei, videatur n: 2769 med: 7044. 8625. ad 8640. 8772; & quod aquæ sint vera fidei, n: 739. 2702. 3058. 3424. 4976. 7307. 8568.

10,003. Et accipies vestes, & indues Aharonem, quod significet repræsentativum Regni spiritualis Domini, constat ex significatione vestium Aharonis, quod sint repræsentativum Regni spiritualis Domini, de qua n: 9814.

10,004. Tu-

10,004. Tunica, quod significet intimum illius Regni, constat ex significatione tunicæ, qua indutus Aharon, quod sit Divinum spirituale immediate procedens ex Divino cœlesti, ita intimum Regni spiritualis, de qua n: 9826. 9942.

10,005. Pallio ephodi, quod significet medium illius Regni, constat ex significatione pallii, quod sit Divinum spirituale mediate procedens ex Divino cœlesti, ita medium Regni spiritualis, de qua n: 9825: quod dicatur pallium ephodi, est quia pallium pertinebat ad ephodum, distinguebatur etiam a tunica per cingulum; erant enim duo cingula, unum commune pro ephodo & simul pallio, alterum pro tunica solum, quod significabat quod illa Regni spiritualis, quæ repræsentabantur per tunicam, distincta essent ab illis quæ repræsentabantur per pallium & simul ephodum; cingulum seu baltheus significat vinculum commune, per quod in nexu tenentur interiora, n: 9828, & quoque per quod separatur unum ab altero, n: 9943. Cum his ita se habet; sunt tria quæ ordine consequuntur seu succedunt; illa tria in cœlis vocantur Cœleste, Spirituale, & Naturale inde; cœleste est bonum amoris in Dominum, Spirituale est bonum charitatis erga proximum, ac Naturale inde est bonum fidei; Cœleste, quod est bonum amoris in Dominum, constituit intimum seu tertium cœlum; Spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum constituit medium seu secundum cœlum, & Naturale inde, quod est bonum fidei, constituit ultimum seu primum cœlum: quoniam vestes Aharonis repræsentabant Regnum spirituale Domini, n: 9814, ex dictis patet, quid Tunica repræsentavit, & quid pallium, ac quid ephodum, quod nempe Tunica repræsentaverit medium uniens Regni Spiritualis cum Regno cœlesti, quapropter etiam illa per cingulum distincta fuit a pallio & ephodo, quæ repræsentabant Regnum spirituale internum & externum; de Tunica, videatur n: 9826. 9942, de Pallio, n: 9825; & de Ephodo, n: 9822. Idea hujus rei etiam haberi potest ex illis quæ de Tentorio conventus, per quod repræsentatum est Cœlum in quo Dominus, prius ostensa sunt; per intimum ejus, ubi Arca Testimonii, repræsentatum est intimum seu tertium cœlum, per Habitaculum, quod erat extra Velum, repræsentatum est medium seu secundum cœlum, & per Atrium tertium seu ultimum cœlum; ita quoque Cœleste, Spirituale, & Naturale inde; medium autem uniens cœli intimi & medii repræsentabatur per Velum inter Sanctum & Sanctum sanctorum, simile quod per tunicam super Aharone; de intimo Tentorii, ubi arca, videatur n: 9485; de Habitaculo quod extra velum, n: 9594. 9632; de Atrio, n: 9741; & de Velo, quod sit medium uniens cœli intimi & medii, n: 9670. 9671. Adhuc melior idea de illis capi potest ex correspondentia hominis cum cœlis, quod omnium, quæ apud hominem, correspondentia sit cum omnibus in cœlis, videantur quæ ad finem plurium Capitum prius ostensa sunt; Caput apud hominem correspondet intimo seu tertio cœlo, ubi est cœleste bonum; Pectus usque ad lumbos correspondet medio seu secundo cœlo ubi est spirituale bonum; ac pedes correspondent ultimo seu primo cœlo ubi est naturale bonum; Collum autem

ex

ex correfpondentia eft medium uniens intimi cœli & medii, n: 9913. 9914; fimiliter ac Velum in Tentorio; nam omnia repræfentativa in natura fe referunt ad formam humanam, & fecundum relationem ad illam fignificant, n: 9496. Ex his nunc conftare poteft, cur tunica per cingulum diftincta fuit a pallio & ephodo, & quoque cur pallium dicitur pallium ephodi.

10,006. Et Ephodo, quod fignificet ultimum ejus, nempe Regni fpiritualis, conftat ex fignificatione Ephodi, quod fit ultimum Regni fpiritualis, de qua n: 9824.

10,007. Et pectorali, quod fignificet Divinum Verum elucens ex Divino Bono Domini, conftat ex illis quæ de Pectorali, n: 9823. 9863 ad 9873, 9905, oftenfa funt.

10,008. Et pones cidarim fuper caput ejus, quod fignificet Divinam Sapientiam, conftat ex fignificatione cidaris, quod fit intelligentia, & cum de Domino, qui repræfentatur per Aharonem, Divina fapientia, de qua n: 9827.

10,009. Et dabis coronamentum fanctitatis fuper cidarim, quod fignificet Divinum Humanum Domini, conftat ex illis quæ de bractea auri, in qua infculpta fuit Sanctitas Jehovæ, quæ hic vocatur coronamentum fanctitatis, prius n: 9930. 9931, dicta funt.

10,010. Et accipies oleum unctionis, quod fignificet repræfentativum Divini Boni in Domino, conftat ex fignificatione Olei, quod fit bonum amoris, & in fupremo fenfu Divinum Bonum Divini Amoris in Domino, & ex fignificatione unctionis, quod fit inauguratio ad repræfentandum id bonum, de quibus n: 9474. 9954.

10,011. Et fundes fuper caput ejus, & unges eum, quod fignificet repræfentativum Divini Boni in Domino quoad totum Humanum, conftat ex fignificatione fundere oleum fuper Aharonis caput, quod fit Divinum Bonum fuper totum Humanum Domini, nam per oleum fignificatur Divinum Bonum, n: 4582. 9474, per Aharonem Dominus quoad Divinum Bonum, n: 9806, & per Caput totum Humanum; & ex fignificatione ungere, quod fit repræfentativum ejus rei, de qua n: 9474. 9954. Quod Caput fit totum Humanum feu totus homo, eft quia à Capite defcendit omne hominis, eft enim corpus derivatio inde, quapropter etiam, quod homo cogitat & vult, quod fit in Capite, id in effectu fiftitur in corpore: fe habet caput ficut fupremum feu intimum in cœlis, id defcendit & influit in cœlos qui infra funt, ac producit & derivat eos, quapropter etiam cœlo intimo correfpondet caput apud hominem, cœlo medio corpus ufque ad lumbos, & cœlo ultimo pedes: in fumma, quod intimum eft, hoc in derivatis eft unicum, quod effentialiter vivit: inde patet, quod Divinum, quia eft omnium intimum, feu quod idem, omnium fupremum, unicum fit ex quo omnium vita, quapropter quantum homo a Divino recipit, tantum vivit. Præterea oleum, quo ungebatur facerdos, defluebat a vertice capitis ufque in corpus, ut conftare poteft apud Davidem, "*Sicut oleum bonum fuper capite defcendens in barbam Aharonis, quod defcendit fuper os veftium illius,*" Pfalm: CXXXIII: 2:

apud Matthæum, "*Mulier alabastrum balsami effudit super caput Jesu*, cum accumberet; Jesus dixit, effudit hæc balsamum *super corpus meum* ad sepulchrum," XXVI: 7. 12: & apud Marcum, "Venit *mulier habens alabastrum Unguenti Nardi* potatilis multum pretiosæ, & *diffringens alabastrum effudit super caput Jesu*; & dixit Jesus, prævenit hæc *ungere corpus meum* ad sepulturam," XIV: 3. 8; inde quoque patet, quod ungere caput, sit ungere totum corpus. Quod per caput intelligatur totus homo, etiam constat a pluribus locis in Verbo, ut apud Esaiam, "Redempti Jehovæ revertentur, & venient ad Zionem cum cantu, & *gaudium æternitatis super caput eorum*," XXXV: 10. Apud Moschen, "Pretiosa proventuum solis, primitiæ montium orientis, & *pretiosa terræ capiti Josephi*, & vertici naziræi fratrum illius," Deut: XXXIII: 14. 15. 16. Apud Jeremiam, "Procella Jehovæ *super caput impiorum irruet*," XXX: 23. Apud Ezechielem, "Viam illorum *in caput eorum* dabo," XI: 21. Cap: XVI: 43. Cap: XXII: 31. Joel: IV: 2. Obad: Vers: 15. Apud Eundem, "Væ facientibus pepla *super caput omnis staturæ* ad venandum animas," XIII: 18. Apud Davidem, "*Deus contundet caput*, verticem capilli," Psalm: LXVIII: 22. Ex his nunc patet, quod per caput significetur totus homo, ac ita quod per fundere oleum super caput Aharonis significetur Divinum Bonum in Domino super totum Humanum: quod Dominus cum in mundo erat, se fecerit Divinum Verum, & cum abivit e mundo, se fecerit Divinum Bonum, videantur citata n: 9315 fin: 9199 fin:

10,012. Et filios ejus appropinquare facies, quod significet conjunctionem Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini, constat ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sint Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, de qua n: 9807; & ex significatione appropinquare facere, quod sit conjunctio, de qua n: 3806. 10,001.

10,013. Et indues illos tunicis, quod significet repræsentativum Divini spiritualis procedentis, constat ex significatione tunicarum, quæ filiis Aharonis, quod sint Divinum Verum procedens ex Divino spirituali, quod repræsentatur per tunicam Aharonis, de qua n: 9947.

10,014. Et accinges illos baltheo, quod significet vinculum conjunctionis ut omnia teneantur in nexu, & inde in forma cœlesti, constat ex significatione balthei, quod sit vinculum externum continens omnia vera & bona fidei in nexu, & in forma, de qua n: 9341 fin: 9828. 9837. 9944.

10,015. Aharonem & filios ejus, quod significet Dominum quoad Divinum Bonum, & inde procedens Divinum Verum, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9806; & ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Verum inde procedens, de qua n: 9807.

10,016. Et alligabis illis tiaras, quod significet intelligentiam ex sapientia, constat ex significatione tiararum, quod sint intelligentia ex sapientia, de qua n: 9949.

10,017. Et illis erit ſacerdotium, quod ſignificet Dominum quoad opus ſalvationis in ordine ſucceſſivo, conſtat ex ſignificatione ſacerdotii, quod ſit repræſentativum Domini quoad omne opus ſalvationis, de qua n: 9809: quod ſit in ordine ſucceſſivo, eſt quia de ſacerdotio filiorum Aharonis hic agitur, & per filios ejus repræſentantur illa quæ procedunt, ita quæ ſuccedunt in ordine, n: 9807. Cum his ita ſe habet; ſacerdotium, quod per Aharonem repræſentatur, eſt opus ſalvationis illorum, qui in cœleſti Regno Domini ſunt, quod Regnum proprie intelligitur in Verbo per Regnum ſacerdotum; ſacerdotium autem quod per filios Aharonis repræſentatur, eſt opus ſalvationis illorum qui ſunt in Regno ſpirituali Domini proxime procedente ex Regno cœleſti Ipſius; inde eſt, quod per ſacerdotium hic intelligatur opus ſalvationis Domini in ordine ſucceſſivo; ſacerdotium autem quod per Levitas repræſentatur, eſt opus ſalvationis Domini iterum ab illo procedens. Sunt tria, quæ ordine ſuccedunt, eſt cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum; eſt ſpirituale, quod eſt bonum charitatis erga proximum; & eſt naturale inde, quod eſt bonum fidei; quia illa tria ſunt, quæ ordine ſuccedunt, etiam tres cœli ſunt, & in illis bona in illo ordine; opus ſalvationis illorum qui in bono cœleſti ſunt, repræſentatur per ſacerdotium Aharonis; opus aut ſalvationis illorum qui in bono ſpirituali ſunt, repræſentatur per ſacerdotium filiorum Aharonis; & opus ſalvationis illorum qui inde in bono naturali ſunt, repræſentatur per ſacerdotium Levitarum; & quia illa quæ ſuccedunt ordine, procedunt ex bono amoris in Dominum, quod repræſentatur per Aharonem & ejus ſacerdotium, ideo de Levitis dicitur, quod dati ſint Aharoni, nam quæ procedunt, ſunt ejus a quo procedunt, procedentia enim ſeu ſucceſſiva inde ſuum eſſe ducunt, ſecundum illa quæ mox ſupra n: 10,011, dicta ſunt. Quod Levitæ dati ſint Aharoni & filiis ejus, ut obirent miniſterium ſacerdotii ſub illis, videatur Numer: iii. 1 ad fin:

10,018. In ſtatutum ſæculi, quod ſignificet ſecundum leges ordinis æternas, conſtat ex ſignificatione ſtatuti, quod ſit lex ordinis, de qua n: 7884. 7995. 8357; & ex ſignificatione ſæculi, quod ſit æternum.

10,019. Et implebis manum Aharonis, & manum filiorum ejus, quod ſignificet inaugurationem ad repræſentandum Divinam potentiam Domini per Divinum Verum ex Divino Bono, conſtat ex ſignificatione implere manum, quod ſit inaugurari ad repræſentandum Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono, & inde potentiam: duo erant, per quæ inauguratio in ſacerdotium fiebat, Unctio & Impletio manus, per Unctionem fiebat inauguratio ad repræſentandum Dominum quoad Divinum Bonum, oleum enim, per quod unctio fiebat, ſignificat bonum amoris, n: 10,011, & per Impletionem manus fiebat inauguratio ad repræſentandum Dominum quoad Divinum Verum ex Divino Bono, & ſic potentiam; per manum enim ſignificatur potentia, n: 878. 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6947. 7011. 7188. 7189. 7518. 7673. 8050. 8069. 8153; & manus prædicatur de vero quod ex bono, n: 3091. 3563. 4931. 8281. 9025; quoniam omnis potentia eſt veri ex bono, n: 5623. 6344. 6413. 6948. 8200. 8304. 9327. 9410. 9639. 9643; & quia caput ac

totum corpus exercet potentiam suam per manus, ac potentia est activum vitæ apud hominem, ideo per manum etiam significatur quicquid est apud hominem, ita ipse homo quatenus agens, n: 9133; ex quibus constare potest, quid significatur per implere manum; quod soli Domino omnis potentia sit, & nulla omnino angelo, spiritui, & homini, nisi quæ inde, videatur n: 8200. 8281. 9327. 9410. 9639: quod per duo illa, nempe per unctionem & impletionem manus inauguratio fieret in sacerdotium, erat causa, quia omnia quæcunque sunt & existunt, in cœlis & in terris, se referunt ad bonum & ad verum. Quomodo autem impletio manus fiebat, describitur in hoc Capite a Vers: 9 ad 36: & quoque in Levit: Cap: VIII: Vers: 22 ad fin: fiebat per secundum arietem, qui ideo aries impletionum vocatur: processus impletionis erat, quod aries ille mactaretur; de sanguine ejus daretur super auriculam auris dextræ, pollicem manus dextræ, pollicem pedis dextri, Aharonis & filiorum ejus; quod de sanguine ex altari, & de oleo unctionis, spargeretur super Aharonem & filios ejus, ac super vestes eorum; quod adeps, cauda, adeps super intestinis, reticulum jecoris, renes & eorum adeps, ac armus dexter, ex ariete illo; tum panis, placentæ & lagana azimorum, ex corbe, ponerentur super volis Aharonis & filiorum ejus, & agitarentur; ac postea adolerentur super holocausto ex primo ariete; quod pectus, postquam agitatum, & armus sinister, essent Aharoni & filiis ejus, ac caro illa cocta in loco sancto, atque panis residuus in corbe, ad ostium Tentorii Conventus ab illis comederentur: hic processus impletionum manus erat; quid autem singula significabant, in sequentibus, ex Divina Domini Misericordia, dicetur. Divina Potentia Domini, quæ repræsentabatur per impletionem manus Aharonis & filiorum ejus, est Divina Potentia salvandi genus humanum; & potentia salvandi genus humanum, est potentia super cœlos & super inferna; nam per illam potentiam Domini, & non per aliam, salvatur homo; influit enim omne bonum quod amoris & omne verum quod fidei per cœlos a Domino; quæ non possunt influere, nisi removeantur inferna, nam ab infernis omne malum, & inde omne falsum; homo per remotionem malorum & inde falsorum ab infernis, & tunc per influxum boni amoris & veri fidei per cœlum a Domino, salvatur: quod Dominus, cum in mundo fuit, subjugaverit inferna, ac redegerit in ordinem cœlos, & acquisiverit sibi Divinam Potentiam super illa, videatur n: 9486. 9715. 9809. 9937, & citata n: 9528 fin: Hæc potentia Domini, est quæ repræsentabatur per impletionem manus Sacerdotum; nam per Sacerdotium significabatur omne opus Salvationis Domini, n: 9809. Quod Domino illa Potentia sit, docet Ipse apertis verbis, apud Matthæum, "*Data est Mihi omnis Potestas in cœlis & in terris*," XXVIII: 18: & apud Lucam, "Jesus dixit ad Septuaginta, dicentes, *quod dæmonia illis obediant*; *ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & super scorpios*; & *super omnem potestatem hostis*, ut nihil quicquam vobis noceat: *omnia Mihi tradita sunt a Patre meo*," X: 19. 22, per hæc describitur potestas Domini super inferna; dæmonia sunt qui in infernis; serpentes & scorpii sunt mala & falsa mali; calcare super illos, est

destruere

destruere illa; inferna etiam intelliguntur per hostem, super quem potestatem haberent. Quod Dominus sibi illam potestatem acquisiverit cum in mundo fuit, constat apud Esaiam, "*Quis Hic qui venit ex Edom, incedens in multitudine roboris sui, magnus ad salvandum; salutem præstitit Mihi brachium meum; ideo factus est illis in Salvatorem,*" LXIII: 1 ad 10; quod illa de Domino dicantur, notum est in Ecclesia: pariter quæ alibi apud Eundem, "*Salutem præstitit Ipsi brachium suum, & Justitia sua suscitavit Ipsum, inde induit justitiam sicut loricam, & galeam salutis super caput suum; & venit Zioni Redemptor,*" LIX: 16 ad 21: & apud Davidem, "*Dictum Jehovæ ad Dominum meum, sede ad dextram meam, usque dum posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum: sceptrum roboris tui mittet Jehovah e Zione; dominare in medio hostium; Dominus ad dextram tuam,*" CX: 1 seq: quod hæc de Domino dicta sint, docet Ipse Dominus apud Matthæum Cap: XXII: 42; describitur ibi dominium Ipsius super inferna per sedere ad dextram, nam per dextram significatur Potentia quæ est Divino Vero ex Divino Bono; inferna & inde mala & falsa sunt inimici qui ponerentur scabellum pedum Ipsius, & quoque hostes in quorum medio dominaretur. Quod dextra Jehovæ sit Divina Potentia, patet a pluribus locis in Verbo, ut apud Moschen, "*Dextra tua Jehovah magnifica est robore, dextra tua Jehovah confringit hostem,*" Exod: XV: 6. Apud Davidem, "Deus, das mihi scutum salutis, & *dextra tua sustentat me,*" Psalm: XVIII: 36. Apud Eundem, "Brachium eorum non servavit eos, sed *dextra tua*, & *brachium tuum*, & *lux facierum tuarum,*" Psalm: XLIV: 4; dicitur dextra tua, & brachium tuum, & lux facierum quia dextra est potentia, brachium est robur, & lux facierum est Divinum Verum ex Divino Bono; quod brachium sit robur, videatur n: 4932. 4934. 4935. 7205; quod lux sit Divinum verum, n: 9548. 9684; & quod facies Jehovæ sit Divinum Bonum, n: 222. 5585. 9306. Apud Eundem, "Deus, *me sustentat dextra tua,*" Psalm: LXIII: 9. Apud Eundem, "Jehovah, Tibi brachium cum virtute, fortis est manus tua, *exaltabitur dextra tua,*" Psalm: LXXXIX: 14. Apud Esaiam, "*Juravit Jehovah per dextram suam,* per brachium roboris sui," LXII: 8. Et apud Davidem, "*Jehovah sit, manus tua pro Viro dextræ tuæ*; pro *Filio hominis* confortasti Tibi; tunc non recedemus a Te," Psalm: LXXX: 18. 19. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "Jesus dixit, *ex nunc videbitis Filium hominis sedentem a dextris potentiæ,*" XXVI: 64; & apud Lucam, "*Ex nunc erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei,*" XXII: 69; quod Filius hominis sit Dominus quoad Divinum Verum, videatur n: 9807; at quod dextra sit Divina Potentia, constat ex illis quæ nunc ostensa sunt; ideo quoque dicitur dextra potentiæ & dextra virtutis. Ex his nunc patet, quid repræsentatum est per Unctionem Aharonis & filiorum ejus, & quid per impletionem manus eorum, quod nempe per Unctionem Divinum Bonum Divini Amoris in Domino, n: 9954 ad fin: & per impletionem manus Divinum Verum & inde Divina Potentia: quod omnis potentia sit Divino Bono per Divinum Verum, & quod illa

Soli Domino, videantur loca supra citata: ideo quoque Dominus in Verbo Veteris Testamenti vocatur Heros, Vir belli, & quoque Jehovah Zebaoth seu Exercituum.

10,020. Vers: 10. 11. 12. 13. 14. *Et appropinquare facies juvencum ante Tentorium conventus, & imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput juvenci. Et mactabis juvencum coram Jehovah ad ostium Tentorii conventus. Et accipies ex sanguine juvenci, & dabis super cornua altaris digito tuo; & omnem sanguinem effundes ad fundamentum altaris. Et accipies omnem adipem tegentem intestina, & reticulum super jecore, & duos renes, & adipem qui super illis, & adolebis altare. Et carnem juvenci, & pellem ejus, & fimum ejus, combures igne extra castra: peccatum hoc.* Et appropinquare facies juvencum, significat statum applicationis naturalis seu externi hominis, qualis in sua infantia: ante tentorium conventus, significat ad purificationem, receptionem veri e cœlo, & conjunctionem ejus cum bono: & imponent Aharon & filii ejus manus suas super caput juvenci, significat repræsentativum receptionis boni & veri in naturali seu externo homine: & mactabis juvencum coram Jehovah, significat præparationem ad purificationem boni & veri a Divino in externo seu naturali homine: ad ostium tentorii conventus, significat ut sit conjunctio illorum: & accipies de sanguine juvenci, significat Divinum Verum accommodatum in naturali seu externo homine: & dabis super cornua altaris digito tuo, significat potentiam Divinam Domini ex proprio: & omnem sanguinem effundes ad fundamentum Altaris, significat Divinum Verum totum in sensuali, quod ultimum vitæ hominis: & accipies omnem adipem, significat bonum accommodatum: tegentem intestina, significat quod ultimis seu infimis: & reticulum super jecore, significat bonum interius externi seu naturalis hominis: & duos renes & adipem super illis, significat verum interius externi seu naturalis hominis & illius bonum: & adolebis altare, significat ex Divino amore Domini: & carnem juvenci, significat malum amorum priorum ibi: & pellem ejus, significat falsum in ultimis: & fimum ejus, significat immunda reliqua: combures igne extra castra, significat quod illa amandanda inferno, & consumenda malis amoris sui: peccatum hoc, significat sit purificatum a malis.

10,021. Et appropinquare facies juvencum, quod significet statum applicationis naturalis seu externi hominis qualis in sua infantia, constat ex significatione appropinquare facere, quod sit præsentia & conjunctio, de qua n: 9378. 9997. 10,001, & quoque applicatio, n: 8439, hic applicatio ad purificationem & ad receptionem boni & veri a Divino, nam per sacrificium hoc, & per sacrificia in genere id significatur; & ex significatione juvenci, quod sit bonum charitatis & innocentiæ in naturali seu externo homine, de qua n: 9391, ita externus seu naturalis homo qualis est in sua infantia, nam tunc in bono innocentiæ est; dum in illo statu est, etiam in statu applicationis ad purificationem & ad receptionem boni & veri a Divino est. Quoniam de his nunc in sensu interno agitur, dicendum est quomodo se habent; quando regeneratur homo, quod fit cum adolevit ætate, tunc primum

immittitur in ſtatum innocentiæ; ſed in ſtatum innocentiæ externæ, pœne qualis eſt infantum, horum innocentia eſt innocentia externa, quæ habitat in ignorantia; hic ſtatus eſt planum novæ vitæ cum homo regeneratur, eſt etiam homo tunc ſicut infans, nam cum regeneratur, tunc e novo concipitur, naſcitur, fit infans, adoleſcit, quod fit per verum implantatum bono; & quantum tunc in genuinum bonum, tantum in bonum innocentiæ internæ venit, quæ innocentia habitat in ſapientia: & quia Regeneratio hominis eſt imago glorificationis Domini, patet, quod Dominus ita ſe glorificaverit, hoc eſt, Humanum ſuum Divinum fecerit; agitur enim in ſenſu interno in hoc Capite de glorificatione Domini, n: 9985; ſed quia glorificatio Domini quoad ſuum Humanum tranſcendit intellectum, ideo ut aliquo modo capiatur, per inſtar ſeu imaginem ejus, explicatur. Hæc præmiſſa ſunt, ut ſciatur quid intelligitur per purificationem & per receptionem boni & ac per conjunctionem eorum, quæ per ſacrificia in genere, & hic per ſacrificia inaugurationis Aharonis & filiorum ejus in ſacerdotium in ſpecie, ſignificantur. Quod regeneratio hominis ſit imago glorificationis Domini, videatur n: 3130. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688. Quod innocentia infantum ſit innocentia externa, & habitet in ignorantia, n: 2306. 3474. 3504. 4563. 4797. 5608. 7305. 9301. Quod homo, qui regeneratur, e novo concipiatur, naſcatur, infans & puer fiat, & adoleſcat, n: 3203. Quod innocentia infantiæ ſit planum, n: 2780. 3183. 3994. 4797. 5608. 7840. Quod cognitiones veri & boni implantentur innocentiæ infantiæ, ut ſuo plano, n: 1616. 2299. 3504. 4797. Quod innocentia regeneratorum ſit innocentia interna, & habitet in ſapientia, n: 1616. 3495. 3994. 4797, 5608. 9301. 9939. Differentia innocentiæ externæ quæ infantum, & innocentiæ internæ quæ ſapientum, n: 2280. 4563. 9301: quod ita ſe res habeat, conſtare poteſt ex educatione & regeneratione infantum in altera vita, de qua n: 2289 ad 2309. Quod omne bonum Eccleſiæ & cœli in ſe habeat innocentiam, & quod abſque ea bonum non ſit bonum, n: 2736. 2780. 6013. 7840. 7887. 9262. Quid innocentia, n: 3994. 4001. 4797. 5236. 6107. 6765. 7902. 9262. 9936.

10,022. Ante Tentorium conventus, quod ſignificet ad purificationem, receptionem veri e cœlo, & conjunctionem ejus cum bono, conſtat ex repræſentatione Tentorii Conventus, quod ſit Cœlum ubi Dominus, de qua n: 9457. 9481. 9485: quod purificatio, implantatio veri, & conjunctio ejus cum bono, hic quoque ſignificetur, eſt quia juvencus adducebatur illuc ut ſacrificaretur, & per ſacrificia ſignificatur tam purificatio, quam implantatio veri & boni, & conjunctio illorum: quod per ſacrificia repræſentatæ fuerint purificationes a malis & falſis, ac expiationes, videatur n: 9990. 9991; & quod per locum ante Tentorium, qui vocatur oſtium ejus, repræſentatur conjunctio veri & boni, quæ conjugium cœleſte vocatur, n: 10,001: inde nunc eſt, quod per appropinquare facies juvencum ante Tentorium conventus, ſignificetur applicatio externi ſeu naturalis hominis, qualis in ſua infantia, ad purificationem ejus a malis & falſis, & ſic ad receptionem veri e cœlo,

& conjunctionem ejus cum bono. Quia de Sacrificiis & Holocaustis in nunc sequentibus in hoc Capite agitur, dicetur quid per illa in genere repræsentatum est; per holocausta & sacrificia in genere repræsentata est purificatio a malis & falsis, & quia purificatio repræsentata est, etiam repræsentata est implantatio boni & veri a Domino, & quoque conjunctio eorum; nam quando homo purificatus est a malis & falsis, quod fit per remotionem eorum, tunc influit bonum & verum a Domino, & quantum bonum & verum in eo statu influunt, tantum implantantur, & tantum conjunguntur; Dominus enim jugiter adest cum bono & vero apud unumquemvis hominem, sed non recipitur, nisi quantum mala & falsa removentur, ita quantum homo ab illis purificatur; conjunctio veri & boni est regeneratio: inde constare potest, quid per holocausta & per sacrificia in genere repræsentatum fuit; quid autem in specie, constat ex diversæ speciei animalibus, quæ sacrificabantur. Quia illa tria, nempe purificatio a malis & falsis, implantatio veri & boni, ac conjunctio eorum, repræsentata sunt per sacrificia & holocausta, ideo per illa etiam significatur omnis cultus ex vero fidei & bono amoris, n: 6905. 8680. 8936; nam omnis cultus pro fine habet, ut homo a malis & falsis purificetur, consequenter ut ei bona & vera a Domino implantentur, & sic regeneretur, quod fit per conjunctionem eorum: conjunctio eorum est Cœlum seu Regnum Domini apud hominem.

10,023. Et imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput juvenci, quod significet repræsentativum receptionis boni & veri in naturali seu externo homine, constat ex significatione imponere manus, quod sit communicare id quod suum est cum altero; quod etiam sit receptio, est quia id quod communicatur, ab altero recipitur; ex significatione capitis, quod sit totum, de qua n: 10,011; & ex significatione juvenci, quod sit bonum innocentiæ & charitatis in externo seu naturali homine, de qua n: 9391, 10,021. Quod per imponere manum significetur communicatio & receptio, est quia per manus significatur potentia, quæ quia est activum vitæ, etiam per manus significatur quicquid est apud hominem, ita totus homo quatenus agens, videantur citata n: 10,019, & per impositionem communicatio respective ad illum qui imponit, & receptio respective ad illum seu ad illud super quo imponitur: inde patet, quid per impositionem manus apud antiquos significatum est, quod nempe communicatio & translatio, illius rei de qua agitur, & quoque receptio ab altero, res illa sive sit potentia, sive obedientia, sive benedictio, sive testificatio. Quod per impositionem manus significata sit potentia, constat a sequentibus his locis apud Moschen, "Jehovah dixit ad Moschen, quod *imponeret manum super Joschuam*, & statueret eum coram Eleazare Sacerdote ante universam concionem, & *sic daret de gloria sua super eum*, & *obediat* ei omnis concio," Num: XXVIII: 18. 19. 20, quod per imponere manum hic significetur communicatio & translatio potentiæ quæ Moschi, & ejus receptio a Joschua patet; inde dicitur, quod sic daret ex gloria sua super eum. Apud Eundem, "Cum purificarentur Levitæ, & illis addicaretur ministerium sacerdotii sub Aharone mandatum est, quod addu-

adducerentur bini juvenci cum minchah, & quod Aharon adduceret Levitas ante Jehovam, & *imponerent filii Israelis manus suas super Levitas*; & *Levitæ imponerent manus suas super caput juvencorum*, quorum unus offerretur in sacrificium, alter in holocaustum; & sic separarent Levitas e medio filiorum Israelis, & essent Jehovæ," Num: VIII: 7 ad 14; quod filii Israelis imponerent manus suas super Levitas significabat translationem potentiæ ministrandi pro illis, & receptionem a Levitis, ita separationem; & per quod Levitæ imponerent manus super caput juvencorum, significabat translationem potentiæ illius ad Jehovam, hoc est, Dominum; ideo dicitur, quod sic separarentur e medio filiorum Israelis, & essent Jehovæ. Apud Eundem, "Postquam filii Israelis confessi fuerunt peccata sua, *tunc Aharon imponeret ambas manus suas super caput hirci vivi Asasel*, & confitebitur super illum omnes iniquitates filiorum Israelis, & omnia peccata eorum, & dabit illa super caput hirci, & mittet in desertum," Levit: XVI: 21; quod impositio manuum super hircum significaverit communicationem & translationem omnium iniquitatum & peccatorum filiorum Israelis, & receptionem ab hirco, patet; desertum, quo mitteretur hircus est infernum. *Quod Testes & omnes qui audiverunt, imponerent manus suas super illum qui lapidaretur*," Levit: XXIV: 14, significabat testificationem sic communicatam & translatam, qua recepta addicatus est morti. Apud Eundem, "Homo qui adducit de armento aut de grege holocaustum in munus Jehovæ, *imponet manum super caput holocausti*, tunc cum beneplacito recipietur ab illo, ad expiandum illum," Levit: I: 2. 3. 4; similiter *super caput muneris quod in sacrificium*," Levit: III: 1. 2. 8. 13; similiter *sacerdos* faceret, si is peccaverit; similiter *seniores*; similiter *tota congregatio*; tum *princeps*, si ille; & similiter *anima quæcunque*, si peccaverint," Vers: 4. 15. 24. 29; per impositionem manus eorum super holocaustum & super sacrificium, significabatur omne cultus illius qui offerebat, nempe agnitio peccatorum, confessio, inde purificatio, implantatio boni & veri, ita conjunctio cum Domino, quæ omnia fiebant per communicationem, translationem, & receptionem; per translationem & receptionem intelligitur id quod significatur per portationem iniquitatum, de qua n: 9937. 9938. Quoniam communicationes, translationes, & receptiones, significabantur per impositionem manuum, sciri potest quid per impositionem manuum significatur apud Matthæum, "Princeps venit ad Jesum, & dixit, filia mea modo mortua est, *sed veniens impone manum tuam super illam*, tunc vivet: Jesus ingressus *apprehendit manum ejus*, & surrexit puella," IX: 18. 19. 25. Apud Marcum, "*Jesus imposuit manum super oculos cæci*, & restitutus est," VIII: 25: apud Eundem, "Adferunt surdum ad Jesum, *ut imponeret illi manum*; Ipse assumens eum de populo, *immisit digitum suum in aures ejus, & tetigit linguam ejus*, & aperti sunt auditus ejus," VII: 32. 33. 35: apud Lucam, "Mulier ex spiritu infirmitatis incurva facta, *Jesus imposuit illi manus, & sanavit*," XIII: 11. 13: apud Marcum, "*Jesus infirmis imposuit manus, & sanavit*," VI: 5; quod hic per impositionem manus a Domino, & quoque per contactum, significetur communicatio & receptio virtutis

virtutis Divinæ; quod illa ſignificentur, conſtat manifeſte apud Marcum, "Venit quædam a tergo, & *tetigit veſtimentum Jeſu*, dicens ſi *vel veſtimentum Ipſius tetigero*, ſanabor, & ſtatim ſanata eſt a plaga; & *Jeſus cognovit in Se Ipſo virtutem ex ſe egreſſam*, v: 27 ad 30: apud Lucam, "*Mulier tangens veſtimentum Jeſu* ſanata eſt; Jeſus dixit, *tetigit Me aliquis*; Ego *enim cognovi virtutem a Me egreſſam*." VIII: 44. 46; & apud Lucam, "*Univerſa turba quærebant tangere Jeſum, quia Virtus ab Illo exivit*, & *ſanavit omnes*," VI: 19; inde patet, quid ſignificatur per tangere manu ſeu digito; & quoque quid apud Eundem, "*Jeſus accedens tetigit loculum*, in quo mortuus, & portantes conſtiterunt; tunc dixit, adoleſcens tibi dico, ſurge, & reſedit mortuus, & cæpit loqui," VII: 14. 15: & quid per impoſitionem manus ſuper pueros & infantes; ſuper pueros; apud Matthæum, "Allati ſunt ad Jeſum pueri, ut *manus imponeret ſuper illos*; Jeſus dixit, ſinite pueros, & ne prohibete illos, venire ad Me, talium eſt Regnum cœlorum; & *impoſuit illis manus*," XIX: 13. 14. 15: & ſuper infantes, apud Marcum, "Jeſus ſuſcepit infantes ſuper ulnas, & *poſuit manus ſuper eos*, & benedixit eis," X: 16; per impoſitionem manus ſuper pueros & ſuper infantes ſignificatur etiam hic communicatio, & receptio virtutis Divinæ, per quæ ſanatio interiorum, quæ eſt ſalvatio. Quod per contactum, qui fit per manus, talia ſignificentur, trahit originem ex repræſentativis in altera vita, illi ibi qui in diſſimili ſtatu vitæ ſunt, apparent remoti ad diſtantiam; qui autem in ſimili ſunt, apparent conſociati; & qui ibi ſe mutuo tangunt, communicant ſuæ vitæ ſtatum cum altero; ſi id fit per manus, communicatur omne vitæ, quia per manus, ut ſupra dictum eſt, ex correſpondentia ſignificatur potentia, quæ eſt activum vitæ, ita quicquid eſt apud illum repræſentativa talia exiſtunt in mundo ſpirituum, ſed fiunt per influxum a cœlo, ubi ſolum conſociationes quoad affectiones boni & veri percipiuntur.

10,024. Et mactabis juvencum coram Jehovah, quod ſignificet præparationem ad purificationem boni & veri a Domino in externo ſeu naturali hominis, conſtat ex ſignificatione mactare, cum de animalibus, quæ offerebantur in holocauſtum vel in ſacrificium, quod ſit præparatio ad illa, quæ per holocauſta & ſacrificia repræſentantur; quod ea eſſent purificatio a malis & falſis, implantatio boni & veri, & conjunctio eorum, videatur ſupra n: 10022; & quia illa ſunt a Divino, ideo dicitur, coram Jehovah; & ex ſignificatione juvenci, quod ſit purificatio externi ſeu naturalis hominis, de qua ſupra n: 9990: inde eſt, quod per mactare, cum de holocauſtis & de ſacrificiis, in Verbo ſignificetur omne id quod per ipſum holocauſtum & ſacrificium, quoniam omne id tunc intelligitur.

10,025. Ad oſtium tentorii conventus, quod ſignificet ut ſit conjunctio illorum, conſtat ex ſignificatione oſtii Tentorii conventus, quod ſit conjunctio veri & boni, quæ conjugium cœleſte vocatur, de qua ſupra n: 10,001. Quia per oſtium Tentorii conventus id ſignificatur, ideo ſtatutum erat, "quod, ſi alibi, imputaretur ſanguis, & exſcinderetur anima illa ex populis," Levit: XVII: 3. 4. 8. 9; cauſa erat, quia tunc non repræſentabatur conjunctio boni

& veri, ita non conjugium cœleste, sed conjunctio mali & falsi, quæ est conjugium infernale.

10,026 Et accipies de sanguine juvenci, quod significet Divinum Verum accommodatum naturali seu externo homini, constat ex significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, de qua sequitur; & ex significatione juvenci, quod sit naturale hominis, quod purificandum, & cui implantandum Verum & Bonum, de qua n: 9990. Quod hic primum de sanguine dicatur, & quod is dandus sit super cornua altaris, & reliquum ejus effundendum ad fundamentum ejus, est quia per sanguinem in Verbo, significatur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, & per id verum fit omnis purificatio, nam Verum docet hominem quid bonum, & quomodo vivet, & cum homo id novit, tunc primum implantari potest affectio seu amor boni, & sic regenerari; cognitio enim præcedet, antequam homo fidem habere potest, & vitam fidei vivere, quæ est vita boni; quod omnis purificatio a malis & falsis fiat per vera fidei, proinde omnis regeneratio, videantur citata n: 9959. Qui non sensum internum Verbi norunt, ita qui non sciunt, quod per sanguinem significetur Divinum Verum, & per hoc a Domino fiat purificatio, credunt quod homo purificetur per sanguinem Domini, per quem intelligunt passionem crucis Ipsius; ast sciant, quod per passionem crucis Domini, ita per sanguinem Ipsius, nemo purificetur, sed per vitam secundum præcepta Ipsius, ut Ipse docet multis in locis; passio crucis fuit ultimum tentationis Domini, per quam plene glorificavit Humanum suum, ut quoque Ipse dicit apud Lucam, "*Nonne hoc oportet pati Christum, & ingredi in gloriam suam,*" XXIV: 26; Dominus enim in mundum venit, ut subjugaret inferna, & redigeret omnia in ordinem, etiam in cœlis, quod factum est per admissas in Se tentationes; & passio crucis fuit ultimum tentationis Ipsius, per quam plenarie vicit inferna, & disposuit in ordinem cœlos, & simul Humanum suum glorificavit; & nisi ita fecisset, nemo hominum salvari potuisset; sed videantur quæ de his prius in locis citatis n: 9528. & n: 9715. 9937. 10,019, copiose ostensa sunt, & quod per sanguinem Domini significetur Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipsius, n: 4735. 4978. 6378. 7317. 7326. 7850. 9127. 9393.

10,027. Et dabis super cornua altaris digito tuo, quod significet potentiam Divinam Domini ex proprio, constat ex significatione cornuum altaris, quod sint potentia veri ex bono; quod cornua sint potentia, videatur n: 9081. 9719. 9720. 9721, & quod altare sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, seu repræsentativum Divini Boni in Domino, n: 9388. 9389. 9714. 9964; & ex significatione digiti, quod sit potentia, de qua n: 7430; quod sit ex potentia propria seu ex proprio, est quia per Moschen id factum est, & per Moschen repræsentatur Dominus quoad Divinum Verum, n: 9372. 9806, quapropter dicitur digito tuo. Quod sanguis primum super cornua altaris daretur, erat causa, ut repræsentaretur ipsa potentia Divini Veri ex Divino Bono; nam per potentiam Divini Veri ex Divino Bono omnia fiunt, & absque illa nihil, videantur citata supra n: 10,019.

10,028. Et omnem ſanguinem effundes ad fundamentum altaris, quod ſignificet Divinum Verum totum in ſenſuali, quod ultimum vitæ hominis, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, quod ſit Divinum Verum ex Divino Bono Domini, de qua mox ſupra n: 10,026: & ex ſignificatione fundamenti Altaris, quod ſit ſenſuale quod ultimum vitæ hominis; quod fundamentum altaris id ſit, eſt quia Altare fuit repræſentativum Divini Humani Domini, quare fundamentum ejus ſignificat id quod ultimum vitæ in humano eſt, ac ultimum vitæ in humano eſt id quod quod vocatur ſenſuale externum, quod hic intelligitur; quod Altare fuerit præcipuum repræſentativum Divini Humani Domini, videatur n: 9388. 9389. 9714. 9964, quod fundamentum ſit ultimum ejus, patet, quod id apud hominem ſit ſenſuale externum, & quale id, videatur n: 9212. 9216. 9996. Quomodo cum his ſe habet, paucis dicendum eſt; cum homo purificatur, tunc omnium primum addiſcuntur talia vera, quæ capi poſſunt a ſenſuali homine, talia vera ſunt, qualia ſunt in ſenſu literæ Verbi; poſtea addiſcuntur vera interiora, qualia ſunt quæ colliguntur ex Verbo ab illis qui in illuſtratione ſunt, hi enim colligunt ſenſum interiorem ejus ex variis locis, ubi ſenſus literæ ibi explicatur, ex his cognitis dein vera adhuc interiora ab illuſtratis hauriuntur, quæ cum prioribus inſerviunt Eccleſiæ pro doctrina, hæc pro doctrina illis qui internæ Eccleſiæ homines ſunt, illa pro doctrina illis qui externæ Eccleſiæ homines ſunt: hi & illi, ſi vixerunt ſecundum illa, in cœlum inter angelos elevantur, ac ibi imbuuntur ſapientia angelica, quæ eſt ex veris adhuc interioribus, & tandem ex intimis in cœlo tertio: hæc vera cum prioribus in ſuo ordine, deſinunt in ultima, quæ ſunt ſenſualis externi, ac ibi ſimul ſunt; inde patet, quod interiora vera omnia ſint ſimul in veris ſenſus literæ Verbi, nam hæc vera, ut ſupra dictum eſt, ultima ſunt: quod in ultimis ſe reponant interiora omnia ordine, & ibi ſimul ſint, videatur n: 9828. 9826. Ex his patet, quid intelligitur per quod Divinum Verum ſit totum in ſenſuali, quod ſignificatur per quod omnis ſanguis effunderetur ad fundamentum altaris.

10,029. Et accipies omnem adipem, quod ſignificet bonum accommodatum, conſtat ex ſignificatione adipis ſeu pinguedinis, quod ſit bonum, de qua n: 5943: bonum accommodatum dicitur, quia hic agitur de purificatione externi ſeu naturalis hominis, & de implantatione veri & boni, ac ſic de conjunctione utriuſque ibi, nam ea ſunt, quæ ſignificantur per ſacrificia & holocauſta; ideo per adipem ex juvenco hic intelligitur bonum accommodatum naturali ſeu externo homini, & quod conjungi poteſt cum vero ibi, nam verum erit accommodatum ſuo bono, ac bonum ſuo vero, ex cauſa quia unum erunt. Sciendum etiam eſt, quod verum & bonum in naturali ſeu externo homine differat a vero & bono in interno, ſicut exterius & interius, ſeu ſicut inferius & ſuperius, ſeu quod idem, ſicut poſterius & prius; Verum in naturali eſt ſcientificum, & bonum ibi eſt jucundum ejus, utrumque perceptibile homini dum in mundo eſt, nam tunc cum cogitatur, apparet; aſt verum in interno homine non eſt ſcientificum apparens, ſed eſt verum implantatum intellectuali ejus parti; bonum etiam ibi non eſt

per-

perceptibile, quia eſt implantatum parti ejus voluntariæ, utrumque interiori vitæ hominis, in qua verum eſt fidei, & bonum eſt amoris: talis differentia eſt veri & boni in interno ſeu ſpirituali homine, ac veri & boni in externo ſeu naturali homine; horum implantatio & conjunctio ſignificatur per ſacrificium ex juvenco, illorum autem implantatio & conjunctio per holocauſtum ex ariete, de quo in ſequentibus hujus Capitis. Ex his patet, quid intelligitur per bonum accommodatum, quod ſignificatur per adipem ex juvenco.

10,030. Tegentem inteſtina, quod ſignificet quod ultimis ſeu infimis, conſtat ex ſignificatione inteſtinorum, quod ſint ultima ſeu infima: quod Inteſtina ſint ultima ſeu infima, eſt quia ſunt ultima & infima viſcerum interiorum hominis, non modo quoad ſitum, ſed etiam quoad uſum; quoad ſitum, ſunt infra ventriculum, cui appenduntur; & quoad uſum, ultimo recipiunt illa quæ apud hominem digeruntur; ſupra illa ſunt, ut notum eſt, ventriculus, hepar, pancreas, lien; & ſuperius adhuc cor & pulmo, & adhuc ſuperius caput; etiam notum eſt, quod ſuperiora hæc ſuas ſordes & ſua recrementa conjiciant in inteſtina, & per illa amandent ea, partim per ventriculum, partim per ductus ex hepate, qui vocantur ductus hepatici, ut & cyſtici ſeu biliares, partim per ductus ex pancreate, qui ductus cum reliquis exitus ſuos habent in inteſtinum duodenum; inde nunc patet, cur per inteſtina ſignificantur ultima ſeu infima. Quod per viſcera, quæ apud hominem, ſignificentur talia quæ ſpiritualis mundi ſunt, conſtare poteſt ex illis, quæ ad finem plurium Capitum, ubi de Correſpondentia Maximi Hominis, quod eſt cœlum, cum omnibus apud hominem, actum eſt, copioſe oſtenſa ſunt; quid in ſpecie correſpondet Inteſtinis, videatur n: 5392; & quod inferna correſpondeant ejectis inde fæcibus & excrementis, n: 5393 ad 5396. Quia in ſequentibus nunc memorantur aliquot viſcera corporis, ſicut Reticulum, Hepar, Renes, Crura, Pectus, Armus, Caput, ac de ordinatione eorum in ſacrificiis agitur, ideo hic primum oſtendendum eſt, quod per hominis membra in genere ſignificentur talia quæ in Maximo Homine ſunt, hoc eſt, in Cœlo, hic ſolum per illa, per quæ deſcribitur Statua Nebucadnezaris apud Danielem, "Quod ejus *Caput* eſſet aurum purum, *Pectus* & *Brachia* argentum, *Venter* & *Latus* æs, *Crura* ferrum, & *Pedes* ex parte ferrum ex parte argilla," ii: 32. 33; qui non ſcit, quod Verbum Domini ſit ſpirituale, credit quod illa de Regnis terræ dicta ſint, ſed in Verbo non agitur de Regnis terræ, ſed de Regno Dei, ita de Cœlo & de Eccleſia: quod hæc per talia, quæ ſunt in terris, & in harum regnis, deſcribantur eſt cauſa, quia mundana & terreſtria correſpondent talibus quæ in Cœlo ſunt; eſt enim univerſa natura, & univerſus mundus theatrum repræſentativum Regni Domini, videantur citata n: 9280, & terreſtria ac mundana ſunt quæ homo primum capit; inde conſtare poteſt, quod per Statuam Nebucadnezari viſam in ſomnio, non ſignificentur mundana, ſed cœleſtia: ſed quid in ſpecie per Caput, per Pectus, per Ventrem & Latus, per Crura, & per Pedes ſignificatur, ex correſpondentia illorum, ita ex ſenſu interno Verbi, ſciri poteſt; ex correſpondentia ſcitur, quod per Caput ſignificetur Primus ſtatus Eccleſiæ, per Pectus &

Brachia Secundus, per Ventrem & Latus Tertius, & per Crura Quartus, ac per Pedes ultimus: quia Primus ſtatus Eccleſiæ fuit ſtatus boni amoris in Dominum, dicitur quod Caput eſſet ex auro; & quia Secundus ſtatus fuit ſtatus veri ex illo bono, dicitur quod Pectus & Brachia eſſent ex Argento; & quia Tertius ſtatus fuit bonum amoris & ejus verum in externo ſeu naturali homine, dicitur quod Venter & Latus eſſent ex ære; & quia Quartus ſtatus fuit verum fidei, dicitur quod Crura eſſent ex ferro; & quia ultimus ſtatus fuit Verum, quod fidei vocatur, abſque bono, dicitur quod Pedes eſſent quoad partem ex ferro, & quoad partem ex argilla; & quia talis ſtatus Eccleſiæ ultimus fuit, dicitur *quod ex Petra exciſus ſit Lapis, qui contrivit & diſperſit omnia, adeo ut abſtulerit ea ventus, & nullus locus inventus ſit illis*," Verſ: 34. 35, per quæ ſignificatur, quod bonum amoris in Dominum, bonum charitatis erga proximum, & bonum fidei prorſus diſparata ſint, uſque adeo ut non ſciretur quid ſunt, ſed modo aliquid de veris fidei abſque bono, ſeu cum bono quod non bonum eſt, ita quod non cohæret cum Veris fidei; hoc bonum eſt bonum externum abſque interno, quale eſt bonum meriti, bonum propter ſe & propter mundum, ita propter lucra, honorem, & famam, propter amicitias illorum cauſa, aut propter favorem, & quoque ſolum propter timorem legis, & non propter bonum charitatis, quod eſt bonum concivis, bonum ſocietatis humanæ, bonum patriæ, & bonum Eccleſiæ; talia bona quæ ſupra dicta ſunt ſignificantur per argillam ſeu lutum, verum cum quo id bonum non cohæret, eſt ferrum; ideo dicitur, "*Ferrum, quod vidiſti mixtum cum argilla luti, commiſcebant ſe per ſemen hominis, ſed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiſcetur cum argilla*," Verſ: 43; ſemen hominis eſt verum fidei ex proprio, ita verum falſificatum & adulteratum per applicationem ad mala ex intuitione ſui & mundi: ex his patet, quod per membra hominis a Capite ejus uſque ad plantam pedis ſignificentur talia quæ ſunt Eccleſiæ. Quod in genere Caput ſignificet cœleſte bonum, quod eſt bonum amoris in Dominum; Pectus ſpirituale bonum, quod eſt bonum charitatis erga proximum; & quod Pedes naturale bonum, quod eſt bonum & verum fidei, videatur n: 9913. 9914; quod etiam ſimilia per aurum, argentum, æs & ferrum; n: 5658: quid autem in ſpecie ſignificatur per Caput videatur n: 4938. 4939. 5328. 9913. 9914: quid per aurum, n: 113. 1551. 1552. 5658. 9510. 9881: quid per pectus, n: 4938. 4939 5328. 6436. 9913. 9914: quid per argentum, 1551. 5658. 6914. 6917: inde patet, quid ſignificatur per Ventrem & per latus, quæ ſunt infra pectus: quid autem per æs, n: 425. 1551: quid per pedes, 2162. 3147. 3761. 4938 ad 4952: quid per ferrum, n: 425. 426: & quid per argillam ſeu lutum, n: 1300. 6669. Ex his nunc ſciri poteſt, quod per membra ſeu viſcera hominis ſignificentur talia, quæ eis correſpondent in Maximo Homine, ſeu in Cœlo, quæ omnia ſe referunt ad bonum amoris & ad verum fidei, & quæ correſpondent his, etiam correſpondent iiſdem in Eccleſia, nam Cœlum Domini in terris eſt Eccleſia. Quod Correſpondentia ſit hominis & omnium apud hominem cum Maximo Homine, quod eſt Cœlum,

videantur

videantur quæ ab ipsa experientia ad finem plurium Capitum ostensa sunt, in his locis, n: 3624 ad 3649. 3741 ad 3751. 3883 ad 3896. 4039 ad 4051. 4218. ad 4228. 4318 ad 4331. 4403 ad 4421. 4527 ad 4533. 4622 ad 4633. 4652 ad 4660. 4791 ad 4805. 4931 ad 4953. 5050 ad 5061. 5171 ad 5189. 5377 ad 5396. 5552 ad 5573. 5711 ad 5727. 5846 ad 5866. 5976 ad 5993. 6053 ad 6058. 6189 ad 6215. 6307 ad 6326. 6466 ad 6495. Et quid Correspondentia, n: 2987 ad 3003. 3213 ad 3227. 3337 ad 3352. 3472 ad 3485.

10,031. Et reticulum super jecore, quod significet bonum interius externi seu naturalis hominis, constat ex significatione reticuli quod super jecore, quod sit bonum interius externi seu naturalis hominis: quod reticulum sit id bonum, est quia totum est adeps, & per adipem significatur bonum, de qua supra n: 10028; quod sit bonum interius, est quia adeps ille superius seu interius in corpore est, quam adeps tegens intestina, de quo mox supra; per jecur etiam significatur purificatio interior, nam jecur purificat sanguinem, intestina autem illa, ex quibus sanguis: quod sit bonum externi seu naturalis hominis, est quia per juvencum, in quo reticulum illud, significatur bonum innocentiæ & charitatis in externo seu naturali homine, n: 9990. Alioquin per jecur seu hepatem significatur bonum innocentiæ externum, quale est infantibus, ex causa, quia infantes, antequam reliqua viscera ad usum suum plene formata sunt, quod fit cum embryones sunt, nutriuntur per jecur, adducitur enim illuc omnis succus nutritius per placentam & umbilicum ex utero matris, is succus correspondet bono innocentiæ: quod id bonum per jecur significetur, constat apud Jeremiam, "Consumti sunt per lachrymas oculi mei, conturbata sunt viscera mea, *effusum est in terram Jecur meum*, super confractione filiæ populi mei: *infans* & *lactens* deficit in plateis, matribus suis dicunt, ubi frumentum & vinum," Thren: ii: 11. 12, describitur ibi dolor vastatæ Ecclesiæ; dolor ob deperditum verum significatur per quod consumti sunt per lachrymas oculi; dolor ob deperditum verum innocentiæ per quod conturbata sint viscera, & dolor ob deperditum bonum innocentiæ per quod effusum sit in terram jecur; quare dicitur, infans & lactens deficit in plateis, & matribus suis dicunt, ubi frumentum & vinum; filia populi, propter cujus confractionem ille dolor, est Ecclesia, n: 2362. 3963. 6729; oculi sunt quæ visus interni, ita vera fidei, n: 4526. 4528. 9051: viscera sunt vera innocentiæ, n: 3294: jecur est bonum innocentiæ, nam infantes & lactentes, qui deficiunt in plateis, sunt qui in bono innocentiæ, n: 430. 3183. 4563. 5608; frumentum & vinum, de quibus dicunt matribus, ubi sunt, sunt bonum veri & verum boni, frumentum bonum veri, n: 5959, vinum verum boni, n: 1071. 1798.

10,032. Et duos renes, & adipem super illis, quod significet verum interius externi seu naturalis hominis, & illius bonum, constat ex significatione renum, quod sint vera interiora, de qua sequitur; & ex significatione adipis, quod sit bonum, de qua supra n: 10,028; quod sit bonum illius veri, est quia erat adeps super renibus. Dicitur bonum illius veri, quoniam omni

bono

bono est suum verum, & omni vero est suum bonum; sunt innumerabilia genera boni, & cuivis generi boni est verum quod ejusdem generis est; nam in universo cœlo sunt bona & vera, quæ faciunt vitam ibi, ac ubivis sunt varia. Quale bonum est, quod per adipem super renibus significatur, constat ex veris quæ significantur per renes; per renes significantur vera explorantia, purificantia & castigantia: significatio illa ducit causam ex functione illorum: inde patet, quid significatur per renes in sequentibus his locis, *Jehovah probat renes & cor,*" xx: 12. Apud Davidem, "*Probas corda & renes, Deus juste,*" Psalm: VII: 10. Apud Eundem, "*Jehovah explora renes meos, & cor meum,*" Psalm: XXVI: 2. Apud Eundem, "*Jehovah Tu possides renes meos,*" Psalm: CXXXIX: 13. Apud Johannem, "*Ego sum, qui scrutatur renes & cor,*" Apoc: II: 23; scrutari & probare renes, & explorare vera fidei; & scrutari & probare cor, est explorare bona amoris, nam Cor est bonum amoris, n: 3883 ad 3896. 7542. 9050: quod vera fidei per renes significentur, patet manifeste apud Davidem, "*Jehovah, ecce veritatem desideras in renibus,*" Psalm: LI: 8. Quod per renes significetur verum interius, & ejus exploratio, est quia per ureteres & vesicam, quæ ex renibus exeunt, significatur verum exterius, & ejus exploratio, ut & castigatio, n: 5381. 5382. 5383. 5384.

10,033. Quia in hoc Capite agitur de sacrificio & de holocausto, per quæ Aharon & filii ejus inaugurarentur in sacerdotium, paucis adhuc dicetur de sanguine & de adipe; quod omnis sanguis sacrificii & holocausti effunderetur ad altare, & quod omnis adeps adoleretur super altari, constat ex statutis & legibus de Holocaustis & Sacrificiis in Levitico: quod ita fierat, causa fuit, quia Sanguis significabat Divinum Verum, & adeps Divinum Bonum; quod Sanguis id significaverit, constat ex illis quæ de Sanguine n: 4735. 4978. 6378. 7317. 7326. 7850. 9127. 9393, ostensa sunt; & quod adeps significaverit Divinum Bonum, ex illis quæ n: 5943. Quod per Sanguinem Divinum Verum significetur, constat manifeste apud Ezechielem, "Congregate vos a circuitu super Sacrificium meum, quod Ego sacrifico vobis, Sacrificium magnum super montibus Israelis, ut comedatis carnem, & *bibatis sanguinem,* carnem fortium comedetis, & *sanguinem principum terræ bibetis;* comedetis *adipem* ad satietatem, & *bibetis sanguinem usque ad ebrietatem,* de sacrificio meo, quod sacrificabo vobis; satiabimini super mensa mea, equo, curru, forti & omni viro belli: sic dabo gloriam meam inter gentes," XXXIX: 17 ad 22; quod non sanguis ibi per sanguinem intelligatur, quisque videre potest, nam dicitur quod biberent sanguinem principum terræ, & usque ad ebrietatem; & quoque quod comederent adipem usque ad satietatem; & dein quod satiarentur equo & curru; inde patet, quod aliud per sanguinem intelligatur quam sanguis, & aliud per principes terræ quam principes terræ, tum aliud per adipem, ut & per equum & currum, quam adeps, equus & currus; quid autem significatur non sciri potest, quam per sensum internum, hic docet, quod Sanguis sit Divinum Verum, principes terræ primaria vera Ecclesiæ, adeps Divinum Bonum, equus sensus internus Verbi, & currus ipsa doctrina inde; quod sanguis sit Divinum Verum, constat ex locis supra citatis,

tis, quod principes terræ ſint primaria vera, n: 5044; quod Terra ſit Eccleſia, n: 9325; quod Equus ſit ſenſus internus Verbi, n: 2760. 2761. 2762; & quod currus ſit doctrina, n: 5321. 8218. Ex his nunc patet, quid ſignificatur per Domini verba apud Johannem, "Jeſus dixit, niſi comederitis *carnem Filii hominis*, & *biberitis Ipſius ſanguinem*, non habebitis vitam in vobis ipſis: qui manducat meam *carnem*, & *bibit meum ſanguinem*, habet vitam æternam, & Ego reſuſcitabo illum extremo die: nam *Caro mea eſt vere cibus*, & *ſanguis meus eſt vere potus: qui manducat meam carnem*, & *bibit meum Sanguinem*, in Me manet, & Ego in illo," VI: 53. 54. 55. 56; quod Caro ſit Divinum Bonum, videatur n: 3813. 7850. 9127; & quod Filius hominis, cujus carnem comederent, & ſanguinem biberent, ſit Dominus quoad Divinum Verum ex Divino Bono, n: 9807. Quod autem adeps ſeu pinguedo ſit Divinum Bonum, conſtat apud Eſaiam, "Faciet Jehovah omnibus populis in monte hoc *convivium pinguedinum*," XXV: 6: apud Eundem, "Attendite ad Me, & *comedite bonum*, & *delitietur in pinguedine anima veſtra*," LV: 2: & apud Jeremiam, "Implebo animam ſacerdotum *pinguedine*; & populus meus *bono meo ſaturabuntur*," XXX: 14; ex his conſtare poteſt cur omnis adeps ſacrificii adoleretur ſuper altari, & cur omnis ſanguis effunderetur ad latus ejus. Quia Sanguis & Adeps Divina illa ſignificabant, ideo populo Iſraelitico prorſus vetitum fuit comedere adipem & ſanguinem; ut conſtat apud Moſchen, "Statutum æternitatis in generationes veſtras, *nullum adipem & nullum ſanguinem comedetis*," Levit: iii: 17: apud Eundem, "*Nullum adipem ſive bovis, ſive avis, ſive capræ comedetis*; *omnis qui comederit adipem de beſtia, de qua offertur ignitum Jehovæ*, exſcindetur anima comedens e populis ſuis," Levit: VII: 23. 25: & apud Eundem, "*Quiſquis comederit ullum ſanguinem*, dabo facies meas contra animam *comedentem ſanguinem*, & exſcindam eam e medio populi ſui," Levit: XVII: 10 ad 14: tum Deutr: XII: 17. 23. 24. 25. Quod tam ſevere prohibitum fuerit comedere ſanguinem & adipem, erat cauſa, quia per id repræſentabatur prophanatio Divini Veri & Divini Boni; Gens enim Iſraelitica & Judaica erat in externis ſeparatis ab internis, ita in nullo Divino vero & in nullo Divino bono quoad fidem & amorem, ſed in cultu externo abſque illis; erant enim in amore ſui & mundi præ aliis gentibus, conſequenter in malis inde ſcaturientibus, quæ ſunt contemtus aliorum, inimicitia, odium, vindicta, ſævitia, & crudelitas; inde etiam erat, quod interna vera non illis revelata fuerint; ſi enim revelata fuiſſent, non potuiſſent non prophanare illa: quod gens illa talis fuerit, videantur citata n: 9320 fin: & n: 9380; quapropter prophanationem repræſentaviſſent, ſi comediſſent ſanguinem & adipem; nam quicquid apud illos inſtitutum fuit, repræſentativum interiorum Eccleſiæ & Cœli fuerunt. Ex his iterum patet, quid ſignificatur per quod comederent adipem ad ſatietatem, ac quod biberent ſanguinem, ſanguinem principum terræ, uſque ad ebrietatem, apud Ezechielem Cap: XXXIX: 17 ad 22, de quibus ſupra; quod nempe cum interiora aperta ſunt, tunc illis qui in interioribus eſſent, hoc eſt, in fide & in amore in Dominum, adpropriaretur Divinum Verum, & Divinum Bonum, quod factum

cum

cum Dominus in mundum venit, apud gentes, quapropter etiam ibi dicitur, *sic dabo gloriam meam inter gentes*; per gloriam significatur Divinum Verum procedens a Domino, quale est in cœlo, n: 9429; & per gentes significantur omnes qui in bono, n: 1259. 1260. 1416. 1849. 4574 6005. 8771. 9256. Hæc confirmat Ipse Dominus, cum dicit, quod *Caro Ipsius esset vere cibus*, & *sanguis Ipsius esset vere potus*, & qui *comederet Ipsius carnem*, & *biberet Ipsius sanguinem*, in Ipso maneat, & Ipse in illo," Joh: VI: 55. 56; " & quoque quod instituerit Sanctam cœnam, in *qua comederent Ipsius carnem*, & *biberent Ipsius sanguinem*," Matth: XXVI: 27. 28, per quæ significatur adpropriatio Divini Boni & Divini Veri ab Ipso; & adpropriatio Divini Boni & Divini Veri a Domino, non dari potest quam apud illos, qui agnoscunt Divinum Domini, nam hoc est primum & ipsum essentiale omnium quæ fidei sunt in Ecclesia; non enim recludi cœlum aliis potest, quia totum cœlum in illa fide est, ita non potest communicari illis Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini, quod per sanguinem ibi intelligitur; caveat itaque sibi, quicunque sit intra Ecclesiam, ne Dominum neget, & quoque ne Divinum Ipsius, nam ad illam negationem clauditur cœlum, & aperitur infernum; sunt enim separati a cœlo, ubi Divinum Domini est omne in omnibus, nam id facit cœlum; & cum cœlum clausum est, quidem scientia veritatum fidei ex Verbo & ex doctrina Ecclesiæ datur, sed nusquam fides quæ fides, nam fides quæ fides desuper venit, hoc est, per cœlum a Domino. Quod Dominus ita loquutus sit, nempe quod Divinum Bonum procedens ab Ipso dixerit Carnem suam & Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipsius dixerit Sanguinem suum, erat causa, quia Verbum, quod ab Ipso, erat Divinum implens universum cœlum, tale Verbum erit per correspondentias, proinde repræsentativum & significativum in omnibus & singulis, ita enim & non aliter conjungit homines Ecclesiæ cum angelis in cœlis; nam cum homines percipiunt Verbum secundum literam, angeli percipiunt illud secundum sensum internum, ita pro Carne Domini Divinum Bonum, & pro sanguine Ipsius Divinum Verum, utrumque a Domino: inde Sanctum influit per Verbum.

10,034. Et adolebis altare, quod significet ex Divino amore Domini, constat ex significatione adolere, quod sit accensio Divini amoris; & ex repræsentatione Altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum amoris, de qua n: 9388. 9389. 9714: quod adolere sit accensio Divini amoris, est quia per ignem super altari significabatur Divinus amor, n: 6832.

10,035. Et carnem juvenci, quod significet malum amorum priorum ibi, constat ex significatione Carnis, quod sit bonum amoris, & in opposito sensu malum amoris, de qua sequitur; & ex significatione juvenci, quod sit externum seu naturale, de qua prius; per juvencum enim & vitulum in bono sensu significatur externum seu naturale hominis quoad bonum innocentiæ & charitatis, at in opposito sensu externum seu naturale hominis quoad malum quod contrarium bono innocentiæ & charitatis est, nam pleraque quæ in

Verbo

Verbo etiam oppositum sensum habent. Quod Caro juvenci hic significet malum amorum priorum in externo seu naturali homine, est quia per Carnem significatur voluntarium hominis, ita ejus proprium; nam quod voluntatis est, id est proprium: & quia per carnem significatur voluntarium seu proprium, ideo quoque per illam significatur bonum amoris, aut malum amoris; sunt enim binæ facultates apud hominem, quæ vocantur Intellectus & Voluntas, ad Intellectum pertinent vera aut falsa, ad voluntatem autem bona aut mala; ita ad Intellectum pertinent illa quæ fidei sunt, & ad voluntatem illa quæ amoris, nam quæ amoris sunt, percipiuntur ut bona, & quæ fidei sunt percipiuntur ut vera; etiam falsa sunt fidei & mala sunt amoris, apud illos qui in falsis & in malis sunt: inde constare potest, quid intelligitur per proprium voluntarium, quod significatur per carnem in utroque sensu. Porro sciendum, quod omne proprium voluntarium hominis sit malum quia homo ex se non amat nisi se & mundum, & si proximum est propter se; quapropter regenerandus est, & per regenerationem accipiet novam voluntatem; sed voluntas, quam accipit per regenerationem, non est hominis, sed Domini apud hominem; cum hæc voluntas seu hoc voluntarium intelligitur per carnem, tunc Caro significat bonum amoris: sed videantur quæ de Carne & de Proprio, prius ostensa sunt, nempe quod Caro significet Proprium Domini, quod est Divinum Bonum, ac inde omne bonum amoris apud hominem regeneratum, n: 3813. 7850. 9127: & quod in opposito sensu significet proprium voluntarium hominis, quod est malum amoris, n: 999. 3813. 8409. Quod Proprium Domini sit Divinum Bonum, & inde bonum amoris in Ipsum, & erga proximum, quoniam Proprium Domini est quod vitam cœli dat homini cum regeneratur, n: 1023. 1044. 1937. 1947. 3812. 5660. 5780. 8480; & quod proprium hominis non sit nisi quam malum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1047. 3812. 4328. 5660. 5780. 8480. 8497. Quod per Carnem juvenci hujus significetur malum amoris, constat ex illis quæ in hoc Versu sequuntur, quod nempe Caro, Pellis & Fimus comburerentur extra castra, quia peccatum. Quid autem repræsentabatur per quod Caro sacrificii comederetur a Sacerdote & a populo in loco sancto, videbitur infra n: 10,040.

10,036. Et pellem ejus, quod significet falsum in ultimis, constat ex significatione pellis seu cutis, quod sit verum in ultimis, & in opposito sensu falsum ibi; quod cutis seu pellis id significat, est ex correspondentia; illi enim qui cutem referunt in Maximo Homine seu in Cœlo, sunt qui in veris fidei sunt, & non ita in correspondente bono, qui sunt in limine ad cœlum, videatur n: 5552 ad 5559; inde per cutem seu pellem in sensu abstracto significatur verum in ultimis, n: 3540. 8980: quod hic per illam significetur falsum in ultimis, est quia per carnem significatur malum amoris, de qua mox supra n: 10,034; cum Caro significat malum amoris, pellis ejus significat falsum fidei inde.

10,037. Et fimum ejus, quod significet immunda reliqua, constat ex significatione fimi, quod sit immundum. Quod fimus significat immundum,

proinde malum & falsum, nam hæc in spirituali sensu immunda sunt, est quia in fimum & in stercus abit omne inutile & obsoletum cibi, & cibus in spirituali sensu est verum & bonum fidei & amoris, n: 4792. 5147. 5293. 5340. 5342. 5576. 5915. 8562. 9003; inde quoque est, quod fimus, stercus, & excrementum, correspondeant malis quæ in inferno, quod etiam in Verbo vocatur latrina; de correspondentia illa videatur n: 954. 2755. 4948. 5394. 5395. 7161: inde nunc est quod talia in Verbo significent infernalia, ut constare potest ex his locis; apud Esaiam, "Relictus in Zione, & residuus in Hierosolyma, sanctus dicetur, omnis scriptus ad vitam in Hierosolyma, *cum laverit Dominus excrementum filiarum Zionis*, & sanguines Hierosolymæ abluerit," IV: 3. 4; per Zionem & Hierosolymam significatur Ecclesia, per Zionem Ecclesia apud illos qui in bono amoris, & per Hierosolymam apud illos qui in veris ex illo bono; lavare excrementum filiarum Zionis est purificare a malis illos in Ecclesia qui in bono amoris, & lavare sanguines Hierosolymæ est purificare a falsis mali illos qui ibi in veris. Apud Jeremiam, "Extrahent ossa regum Jehudæ, & ossa principum ejus, & ossa sacerdotum, & ossa prophetarum, & expandent ea soli & lunæ, & omni exercitui cœlorum, quæ amaverant, & quibus serviverant, non colligentur, neque sepelientur, *in stercus super faciebus terræ erunt*," VIII: 1. 2; per hæc describitur status eorum qui prophanaverunt bona & vera Ecclesiæ, qui status etiam illo tempore repræsentabatur per extractionem ossium ex sepulchris; ossa regum & principum e sepulchris extracta significant vera prophanata; ossa sacerdotum & prophetarum significant bona prophanata; expandi soli, lunæ, & omni exercitui cœlorum, significat remotionem ab omni bono & vero; non colligi & sepeliri, significat non resurrectionem ad vitam; stercus super faciebus terræ esse, significat quod non nisi quam infernale. Apud Eundem, "Mortibus morborum malignorum morientur, ita ut non plangantur, neque sepeliantur, *in stercus super faciebus terræ fient*," XVI: 4. XXV: 33; per stercus super faciebus terræ, simile quod supra significatur. In Threnis, "Qui comederunt lautitias, devastati sunt in plateis, *educati super purpura, amplexi sunt sterquilinea*," IV: 5; qui comederunt lautitias, sunt qui Verbum habent, & inde cognitiones veri; educati super purpura, sunt qui in cognitionibus boni; amplecti sterquilinea, est loco illorum addiscere & eligere falsitates. Apud Malachiam, "Si non audiveritis, & si non posueritis super cor, mittam in vos maledictionem, & *spargam stercus super facies vestras, stercus festorum vestrorum*," II: 2. 3; spargere stercus super facies, est conspurcare interiora vitæ falsis mali; stercus festorum est conspurcare sancta cultus. Apud Ezechielem, "Mandatum Prophetæ, quod placentam hordeorum *cum stercore fimi humani faceret*, quia sic comedunt filii Israelis panem suum immundum: sed dixit, ah Domine Jehovih, anima mea non polluta est, non venit in os meum caro abominationis, tunc respondit, *do tibi excrementum bovis pro stercore hominis*, ut facies panem tuum cum illo; nam faciam ut careant pane & aqua, & desolentur vir & frater ejus, & contabescant propter iniquitatem suam," IV: 17 seq: per hæc repræsentabatur quale

esset

esset bonum & verum Ecclesiæ gentis Judaicæ; placenta hordeorum cum stercore fimi hominis, significat bonum Ecclesiæ interius conspurcatum malis amoris sui; placenta cum excrementis bovis significat bonum Ecclesiæ externum conspurcatum malis illius amoris; quia illa significantur per placentam, dicitur quod carituri essent pane & aqua & desolarentur; panis & aqua est bonum & verum, carere illis & desolari est deprivari. Quia talia per fimum, stercus & excrementum significabantur, patet quid significatur per hæc apud Moschen, "Spatium erit extra castra, quo foras exeas, & clavus erit tibi, *quo conteges excrementum tuum*; nam Jehovah Deus ambulans in medio castrorum tuorum, ut castra tua sancta sint, & non videat in te nuditatem ullius rei, & revertatur a post te." Deut: XXIII: 13. 14. 15; hoc mandatum est, quia immundum repræsentabatur per stercus; per castra enim ubi filii Israelis, repræsentabatur Cœlum & Ecclesia, ubi Dominus præsens per fidem & amorem; quare per locum extra castra repræsentabatur ubi non Cœlum & Ecclesia, ita ubi Dominus non præsens per fidem & amorem; quapropter dicitur, quod Jehovah ambulans in medio castrorum, ut castra sancta sint, ne videat nuditatem ullius rei, & revertatur; nuditas est immundum ex malis & falsis. Quod Castra ibi significaverint Cœlum & Ecclesiam, ubi Dominus, videbitur in nunc sequentibus.

10,038. Combures igne extra castra, quod significet quod illa amandanda sint inferno, & conspurcanda malis amoris sui, constat ex significatione comburere igne, quod sit consumere malis amoris sui; per comburere enim significatur consumere, & per ignem malum amoris sui; quod illa per comburere & per ignem significentur, videatur n; 1297. 5071. 5248. 6314. 6832. 7324. 7575. 9041, 9434; & ex significatione castrorum, quod sint Cœlum & Ecclesia, & in opposito sensu ubi non Cœlum & Ecclesia, ita infernum, de qua sequitur. Quod comburi igne sit consumi malis amoris sui, est quia ille amor consumit omnia bona & vera fidei: quod amor sui id faciat, vix aliquis hodie novit, & inde nec quod ille amor sit infernum apud hominem, & quod ille intelligatur per ignem infernalem. Sunt enim duo ignes vitæ apud hominem, unus est amor sui, alter est amor in Deum, qui in amore sui sunt, non possunt esse in amore in Deum, quoniam oppositi sunt: quod oppositi sint, est quia amor sui producit omnia mala, quæ sunt contemtus aliorum præ se, inimicitia contra illos qui non favent, tandem odia, vindictæ, sævitiæ, crudelitates, quæ mala prorsus resistunt influxui Divino, consequenter exstinguunt vera & bona fidei, & charitatis, nam hæc sunt quæ influunt a Domino: quod amor cujusvis sit ignis vitæ ejus, quisque scire potest qui reflectit, nam absque amore non vita, & qualis amor talis vita; & inde quod amor sui producat mala omnis generis, & quod tantum producat, quantum pro fine habetur, hoc est, quantum regnat: genus pessimum amoris sui est amor dominandi propter se, hoc est, solum propter honorem & propter lucrum; qui in illo amore sunt, quidem profiteri possunt fidem & charitatem, sed hoc faciunt ore & non corde; imo qui eorum pessimi sunt, illa quæ fidei & charitatis sunt, ita sancta Ecclesiæ, pro

mediis ad fines suos habent: sed de amore sui & de ejus generibus, deque malis inde scaturientibus, & de statu illorum in altera vita, ex Divina Domini Misericordia, in specie dicendum est: hæc dicta sunt, ut sciatur, quid sit comburi igne extra castra. Quod Castra, ubi filii Israelis castrametati sunt, repræsentaverint Cœlum & Ecclesiam, ac inde quod extra Castra sit ubi non Cœlum & Ecclesia, ita infernum, constare potest ex illis in Verbo, quæ de Castris & de Castrametatione filiorum Israelis in deserto memorantur; ut ex his apud Moschen, "*Filii Israelis castrametabuntur vir apud castra sua*, & vir apud vexillum suum, juxta exercitus eorum: & *Levitæ castrametabuntur circum Habitaculum testimonii*, ut non sit excandescentia super congregationem filiorum Israelis," Num: i: 51. 52. Cap: ii: 2. Et porro, "castrametabatur Tribus Jehudæ, Jisaschar, & Sebulonis ad Orientem; Tribus Rubenis, Schimeonis & Gadis ad Meridiem; Tribus Ephraim, Menascheh, Benjamin ad occidentem, ac Tribus Danis, Ascheris, & Naphtali ad septentrionem; Levitæ autem in medio castrorum," Num: ii: 1 ad fin: Cap: x: 1 ad fin: quod castrametationes eorum ita ordinatæ fuerint, erat ut repræsentarent Cœlum & Ecclesiam, n: 9320 fin: per Tribus etiam, secundum quas castrametabantur, repræsentabantur omnia bona & vera Cœli & Ecclesiæ in complexu, n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397. 6640. 7836. 7891. 7996. 7997: inde est, quod dicatur, *quod Jehovah habitet in medio castrorum*, Levit: v: 3: & *quod ambulet in medio eorum, ac ideo sancta erunt*," Deut: xxiii: 14: & in enuntiato Prophetico Bileami, "Cum vidit Israelem *habitantem juxta Tribus*, dixit, *quam bona sunt Tabernacula tua Jacob, & Habitacula tua Israel*," Num: xxiv: 2. 3. 5. Quia per castra repræsentabatur Cœlum & Ecclesia, sequitur quod per extra castra significatum sit ubi non Cœlum & non Ecclesia, ita Infernum; quapropter illuc emittebatur omnis immundus, & quoque reus; ut constare potest ex his sequentibus, "Emittetis e castris omnem leprosum, & omnem fluxum patientem, omnem immundum propter animam, a masculo usque ad fœminam, *foras extra castra mittetis eos*, ut *non polluant castra*, in quorum medio Jehovah habitat, Num: v: 2. 3. Levit: xiii: 15. 16. Vir qui non mundus casu noctis, *exibit foras extra castra*, nec *veniet in medium castrorum*: cum laverit se aquis, & occiderit sol, *intrabit in castra*. Spatium erit tibi *extra castra*, quo foras exeas, & per clavum conteges excrementum tuum, quia Jehovah ambulat in medio castrorum, ideo castra sancta erunt," Deut: xxiii: 11 ad 15: & quod *lapidarentur extra castra*," Levit: xxiv: 14. Num: xv: 35. 36. Ex his nunc constat, quod per comburere igne carnem, pellem, & fimum juvenci, extra castra, significetur quod mala, quæ per illa significantur, amandanda sint inferno. Simile quod per castra & per extra castra, etiam per terram Canaanem, & per terras circum illam, postquam terra illa inter filios Israelis in hæreditates distributa fuit, repræsentatum est; inde est, quod per terram Canaanem, ac simpliciter per terram in Verbo, significetur Cœlum & Ecclesia, & per filios Israelis qui in Cœlo & in Ecclesia; quod

per

per terram Cœlum & Ecclesia significetur, videantur citata n: 9325; & quod per filios Israelis illi qui ibi, n: 9340.

10,039. Peccatum hoc, quod significet sic purificatum a malis & falsis, constat ex significatione peccati, cum per id intelligitur sacrificium, quod sit purificatio a malis & falsis; in Lingua enim Originali per *Peccatum*, ubi agitur de Sacrificiis, intelligitur *sacrificium pro peccato*, & per sacrificium significatur purificatio a malis & falsis, n: 9990. 9991: quod sacrificium pro peccato in Verbo dicatur peccatum, videatur Levit: IV: 3. 8. 14. 20. 21. 24. 25. 29. 33. 34. Cap: V: 6. 8. 9. Cap: VI: 10. 18. 19. 23; & alibi.

10,040. Quia Caro juvenci cum pelle & fimo ejus, extra castra comburebatur igne, constare potest quod per Carnem non bonum amoris sed malum amoris significaretur, secundum illa quæ de carne ejus supra n: 10,034, dicta sunt, & de Castris nunc supra n: 10,039. Quod autem concessum fuerit comedere Carnem sacrificii, ut constare potest ex locis quæ sequuntur, erat causa, quia gens illa, dum in cultu, fuit in externo absque interno, videantur citata n: 9320 fin: & n: 9380; & externum absque interno prorsus non sanctum est, quia tunc gestus modo agit, & os loquitur, at cor & anima abest: sed usque externum absque interno sanctum dicebatur, quia repræsentabat sancta interna; sancta interna sunt omnia quæ amoris & fidei a Domino in Dominum: quia gens illa talis erat, non licebat ei comedere sanguinem & adipem, quoniam per sanguinem significabatur Divinum Verum quod fidei, & per adipem Divinum Bonum quod amoris, utrumque a Domino, videatur supra n: 10,033; sed licebat illis comedere carnem sacrificii, quia per illam significabatur proprium hominis, n: 10,035, & proprium illius gentis erat colere externa ut sancta, & prorsus nihil facere interna, qui cultus, præter repræsentativum, quod erat sanctum, erat idololatricus, videatur n: 4281. 4311: etiam Caro repræsentative non aliud est, quando Sanguis ejus repræsentabat Divinum Verum, & adeps Divinum Bonum, n: 10,033, nam tunc repræsentabat Caro quoddam absque vita & anima quod vocatur mortuum, quale est externum absque interno secundum hæc apud Mosen, "Non comedes sanguinem, quia sanguis est anima; non comedes animam cum Carne," Deut: XII: 23. *Pæne similis cultus est apud gentem religionis Catholicæ, prout vocatur, nempe externus absque interno, non enim vulgo datur scire interna Verbi, quia negatur ei legere Verbum; ideo quoque ex Providentia Divina Domini factum est, quod in Sancta cœna daretur Panis qui est Caro, & non Vinum quod est Sanguis; & tamen sanguis est quod vivificat Carnem, sicut Vinum Panem; nam sicut Panis absque Vino non dat nutritionem corpori, ita nec bonum amoris quod significatur per Panem & per Carnem, absque Vero fidei quod significatur per Vinum & per Sanguinem, dat nutritionem animæ: ex Divina etiam Providentia Domini ibi factum est, quod sacerdos ebiberet Vinum, quia per id significatur nutritio animæ per Divinum Verum absque bono amoris, quod est sanctum externum absque sancto interno: quod hoc ex Divina Domini Providentia factum sit, non sciunt, ex causa quia idololatrice adorant externa, & sic non capiunt interna; quapropter si aliter, non secus ac Judæi, prophanavissent sancta: per ebibere*

vinum solum, etiam significatur scire Divinum Verum solum, & non vulgus, nisi quantum & quale volunt; sicut etiam ibi fit. Quod in Sancta Cœna Caro & Panis sint Divinum Bonum Divini amoris Domini erga genus humanum, & reciprocum hominis in Dominum; & quod Sanguis & Vinum sint Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, ita Verum fidei a Domino in Dominum, videatur n: 3464. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 6135. 6189. 6377. 7850. 9127. Quod carnem sacrificiorum attinet, quando illa educeretur extra Castra, & combureretur igne, videatur Levit: IV: 11. 12. 21: & quando & a quibus comederetur, Levit: VI: 19 ad fin: Cap: VII: 6. 15 ad 19. Cap: XIX: 5. 6. Deut: XII: 7. 17. 18. 27. Cap: XXVII: 6. 7.

10,041. Vers: 15. 16. 17. 18. *Et arietem unum accipies, & imponent Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis. Et mactabis arietem, & accipies sanguinem ejus, & asperges super altare circumcirca. Et arietem secabis in segmenta sua, & lavabis intestina ejus, & crura ejus, & dabis super segmenta ejus, & super caput ejus; Et adolebis cum toto ariete altare: holocaustum hoc Jehovæ, odor quietis, ignitum Jehovæ hoc.* Et arietem unum accipies, significat bonum innocentiæ in interno homine: & imponent Aharon & filii ejus manus suas, significat potentiæ communicationem: super caput arietis, significat cum toto: & mactabis arietem, significat præparationem ad purificationem interni hominis: & accipies sanguinem, quod significet Divinum Verum: & asperges super Altare circumcirca, significat conjunctionem cum Divino Bono: & arietem secabis in segmenta, significat interiora distincte ordinanda: & lavabis intestina, significat purificationem infimorum: & crura ejus, significat purificationem exteriorum quæ naturalis hominis: & dabis super segmenta ejus & super caput, significat ordinationem exteriorum sub internis & sub intimis: & adolebis cum toto ariete altare, significat internum Divini Humani Domini unitum Divino Bono Divini amoris Ipsius, quod in Ipso: holocaustum hoc Jehovæ, significat glorificationem Humani Domini: odor quietis, significat perceptivum pacis: ignitum Jehovæ hoc, significat omnia ex Divino amore.

10,042. Et arietem unum accipies, quod significet bonum innocentiæ in interno homine, constat ex significatione arietis, quod sit bonum innocentiæ & charitatis in interno homine, de qua sequitur. Quoniam in hoc Capite de Sacrificiis & Holocaustis ex arietibus & agnis agitur, dicetur quid per animalia in genere, quæ in sacrificia & holocausta offerebantur, significatum fuit: illa animalia erant Boves, Juvenci, Hirci, Arietes, Capræ & Hoedi; atque Agni, Agnæ & capellæ caprarum: qui non scit, quid illa animalia significant, nusquam scire potest, quid significant Sacrificia & Holocausta ex illis in specie; sciendum est, quod omnia animalia, quæ in terris sunt, significent talia quæ sunt apud hominem, quæ in genere se referunt ad affectiones quæ sunt ejus voluntatis, & ad cogitationes quæ sunt ejus intellectus, ita ad bona & ad vera, nam bona sunt voluntatis, & vera sunt intellectus; & quia se referunt ad bona & vera, etiam se referunt ad amorem & ad fidem, nam omnia quæ amoris sunt vocantur bona, & omnia quæ fidei sunt, vocantur

vera.

vera. Quod animalia diversi generis talia significent, ducit causam ex repræsentativis in altera vita; ibi apparent animalia plurium generum, & innumerabilium specierum; talia ibi sunt apparentiæ prorsus ad vivum correspondentes affectionibus & cogitationibus, quæ apud Spiritus & Angelos: quod ita sit, etiam constare potest ex visionibus propheticis passim in Verbo; omnia enim quæ prophetis visa sunt, sunt talia quæ coram angelis apparent in cœlo: inde est, quod bestiæ in Verbo toties memorentur, & per singulas significetur aliquid quod se refert ad talia quæ apud hominem, de quibus supra; homo nec aliud est, quam animal quoad externum suum hominem, sed distinguitur per internum, per quod hic & ille elevari possit versus Cœlum & ad Deum, & inde recipere fidem & amorem; inde est, quod bestiæ in sacrificiis & holocaustis adhibitæ fuerint: qui hæc non scit, nequaquam scire potest, cur mandatum fuerit, nunc offerre Juvencos, Arietes, Agnos, nunc Boves, capras & agnas, nunc Hircos, Hœdos, & capellas caprarum; ad quid alioquin talia forent: quod bestiæ in Verbo significet bona & mala apud hominem, ut & vera & falsa, videatur n: 142. 143. 246. 714. 715. 776. 1823. 2179. 2180. 2781. 3218. 3519. 5198. 7523. 7872. 9090, & quod ideo in sacrificiis adhibitæ fuerint, n: 1823. 2180. 2805. 2807. 2830. Quod autem Sacrificia & Holocausta ex illis concernit, sciendum est, I. Quod cultus repræsentativus apud Gentem Judaicam & Israeliticam præcipue constiterit in Sacrificiis & Holocaustis. II. Quod Sacrificia & Holocausta in genere significaverint Regenerationem hominis per vera fidei & bona amoris a Domino: & in supremo sensu Glorificationem Humani Domini. III. Quod omne cultus per sacrificia & holocausta secundum ejus varia, ita cum omni varietate repræsentatum sit; & quod ideo varia genera animalium mandata fuerint. Sed ad singula; I. *Quod cultus repræsentativus apud gentem Judaicam & Israeliticam præcipue constiterit in Sacrificiis & Holocaustis*, constat ex eo quod adhibita fuerint pro omni peccato, & pro omni reatu; tum pro omni consecratione & inauguratione; & præterea quovis die, quovis sabbatho, quovis novilunio, & quovis festo; & quod ideo altare esset omnium sanctissimum; reliqua cultus apud illam gentem pendebant ab illis: idcirco ubi agitur de abolitione cultus repræsentativi apud Danielem, dicitur quod cessabit *Sacrificium & Oblatio*, Cap: IX: 27; & removebitur *Juge*, Cap: VIII: 10. 11. 12. 13. Cap: XI: 31. Cap: XII: 11; per Juge significatur in specie sacrificium quod fiebat quotidie, & in genere omnis cultus: sed videantur quæ de his prius ostensa sunt, quod nempe Sacrificia in genere significent omnem cultum repræsentativum, n: 923. 2165. 6905. 8680. 8936: quod altare fuerit principale repræsentativum Domini & inde cultus, n: 2777. 2811. 8935. 8940. 9388. 9389. 9714. 9964. Quod Antiqui ante Eberum, nihil noverint de Sacrificiis, n: 2180: quod ab Ebero, ita apud Gentem Hebræam, & inde apud posteros Jacobi, sacrificia instituta fuerint, & cur, n: 1178. 1343. 2180. 2818: quod Sacrificia non mandata fuerint, sed permissa, n: 2180. II. *Quod Sacrificia & Holocausta in genere significaverint Regenerationem hominis per vera fidei & bona amoris in Dominum a Domino*, con-

stat

ſtat ex eo, quod omnia cultus ſe referant ad purificationem a malis & falſis, ad implantationem veri & boni, & ad conjunctionem eorum, ita ad Regenerationem, nam per tria illa regeneratur homo; inde eſt, quod ſacrificia & holocauſta pro omni peccato & pro omni reatu oblata fuerint; & cum oblata, dicitur, quod expiatum, & quod condonabitur, Levit: IV: 20. 26. 31. 35. Cap: V: 6. 10. 13. 16. 18. 26. Cap: VII: 7. Cap: X: 17. Cap: XIV: 18. 19. Cap: XV: 30. 31. Cap: XVI: 6. 24. Cap: XVII: 11: condonatio peccatorum, expiatio, propitiatio, & redemtio, nec aliud ſunt quam purificatio a malis & falſis, implantatio boni & veri, ac conjunctio eorum, ita regeneratio, n: 9056. 9452. 9453. 9454. 9937. 9938: omnis proceſſus Regenerationis etiam deſcribitur per ritualia ſingula cujuſvis Sacrificii & Holocauſti, & panditur cum evolvuntur repræſentativa per ſenſum internum, n: 10,022. *Quod Sacrificia & Holocauſta in ſenſu ſupremo ſignificent Glorificationem Humani Domini*, eſt quia omnia ritualia cultus inſtituta apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam unice ſpectabant Dominum, ita ſpectabant Ipſum principaliter Sacrificia & Holocauſta, per quæ in genere repræſentabatur omne cultus, ut ſupra oſtenſum eſt; etiam Regeneratio hominis non aliunde eſt quam a Domino, n: 9506. 9715. 9486. 9487. 9809. 10,019; quapropter ubi in Verbo agitur de regeneratione hominis, in ſenſu ſupremo ibi agitur de Glorificatione Humani Domini; nam regeneratio hominis eſt imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688: Glorificare Humanum eſt id Divinum facere, regenerare autem hominem, eſt eum cœleſtem facere, ut in illo Divinum Domini habitare poſſit. III. *Quod omne cultus per Sacrificia & Holocauſta ſecundum ejus varia, ita cum omni varietate, repræſentatum ſit: & quod ideo varia genera animalium mandata fuerint*, conſtat ex variis, pro quibus ſacrificia & holocauſta, nempe pro peccatis per errorem, & pro peccatis non per errorem, pro omni prævaricatione ac immunditie, ſive apud ſacerdotem, ſive apud totam concionem, ſive apud principem, ſive apud aliquam animam; pro mundatione ex lepra; pro purificatione poſt partum; pro conſecratione altaris, Tentorii conventus, & omnium inibi, pro mundatione eorundem cum Aharon ſemel quotannis ingrederetur in Sanctum ſanctorum; pro inauguratione Aharonis & filiorum ejus in ſacerdotium, pro conſecratione Naziræorum; & in genere in tribus Feſtis, in ſingulis Noviluniis, Sabbathis, & diebus mane & inter veſperas, præter Votiva & Voluntaria. Quia Sacrificia & Holocauſta pro tam variis erant, & per illa repræſentabantur varia cultus, ideo etiam varia genera animalium, quæ offererentur, mandata erant, nempe Juvenci, Boves & Hirci, Arietes, Capræ & Hoedi; Agni, Agnæ, & Capellæ caprarum; & per ſacrificia & holocauſta ex juvenco, bove & hirco repræſentabatur purificatio & regeneratio Externi ſeu naturalis hominis; ex ariete, capra, & hœdo, repræſentabatur purificatio & regeneratio Interni ſeu ſpiritualis hominis; & ex agno, agna, & capella caprarum repræſentabatur purificatio ſeu regeneratio intimi ſeu cœleſtis hominis; quod tria ſint quæ apud hominem ſuccedunt, Cœleſte, Spirituale, & Naturale, videatur n: 9992. 10,005. 10,017; & quod homo regene-

regenerandus sit quoad interna & quoad externa, ut regeneratus sit, citata n: 9325 fin. Quid autem in specie significatur per Sacrificium & Holocaustum ex ariete, de quibus in hoc Capite agitur, constat ex locis in Verbo, ubi sacrificia & holocausta ex ariete describuntur, & ubi aries nominatur; ex quibus patet, quod per arietem significetur bonum innocentiæ & charitatis in interno homine, & per sacrificium & holocaustum ex illo purificatio & regeneratio interni hominis, ita implantatio boni innocentiæ & charitatis ibi; quod id per arietem significetur, constat a sequentibus his locis; apud Esaiam, "Omnes greges Arabiæ congregabuntur tibi, *arietes Nebajoth ministrabunt tibi, ascendent ad beneplacitum altare meum*," LX: 7; agitur ibi de Domino, & de cœlo ac Ecclesia Ipsius; greges Arabiæ sunt omnia bona interni hominis; arietes Nebajoth sunt bona innocentiæ & charitatis ibi; quod greges sint bona interni hominis, videatur n: 8937. 9135; quod Arabia sit ubi bonum, n: 3268; quod Nebajoth sint qui ibi in illo, n: 3268. 3686. 3688. Apud Ezechielem, "Arabia & omnes principes Kedar, negotiatores manus tuæ per *pecora* & *arietes* & *hircos*," XXVII: 21, ibi de Tyro, per quam significatur Ecclesia ubi cognitiones boni & veri, n: 1201; negotiatores sunt qui habent illas & communicant, n: 2967. 4453; pecora sunt bona amoris, arietes sunt bona charitatis, & hirci sunt bona fidei; in Verbo dicuntur greges, pecora & pecudes, quæ in Lingua originali distinguuntur per sua nomina; & per greges significantur in genere interna, per pecudes eadem in specie, & per pecora intima in specie; per armenta autem externa. Apud Jeremiam, "Descendere faciam eos sicut *pecora* ad mactandum, sicut *arietes* cum *hircis*," LI: 41, per pecora, arietes & hircos hic similia significantur. Apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego judicans inter *pecudes* & *pecudes*, & inter *arietes* & inter *hircos*," XXXIV: 17; inter pecudes & pecudes pro inter illos qui in interioribus boni & mali; inter arietes & inter hircos pro inter illos qui in charitate & inde fide, & inter illos qui in veris fidei absque charitate; arietes hic simile significant quod oves, nam arietes sunt masculi ovium; quod oves sint qui in charitate & inde fide, videatur n: 4169. 4809; & quod hirci sint qui in veris quæ fidei dicuntur absque charitate, 4169 fin: 4769; similia per *arietem* & *hircum* significantur apud Danielem, Cap: VIII: 1 ad fin: & similia per *oves* & *hircos* apud Matthæum Cap: XXV: 32. Apud Moschen, "Si anima peccaverit per errorem, adducet reatum suum Jehovæ *arietem integrum de grege*," Levit: V: 15. 18. 25; per sacrificia ex ariete significatur purificatio interni hominis, & implantatio boni innocentiæ ibi; nam peccatum per errorem est peccatum ex ignorantia in qua innocentia, ac innocentia ignorantiæ est interni hominis. Apud Eundem, "Quod in Noviluniis offerrent duos *juvencos*, unum *arietem*, & septem *agnos*; & postea *hircum caprarum*. Similiter diebus singulis Paschatis: & similiter *die primitiarum*," Num: XXVIII: 11. 15. 19. 22. 27, hoc erat ut repræsentaretur purificatio totius hominis, tam externi, interni, ac intimi, per sacrificium & holocaustum ex juvencis purificatio externi hominis, ex ariete purificatio interni, & ex agnis purificatio intimi; & quia purificatio,

etiam implantatio boni innocentiæ repræsentabatur, nam juvencus est bonum innocentiæ in externo homine, aries in interno, & agnus in intimo, ut supra dictum est; quod ultimum eorum esset hircus, erat quia per hircum significatur verum fidei in externo homine, & verum fidei ibi est ultimum, n: 9959. Quia bona & vera apud hominem in eo ordine sequuntur, ideo quoque munera principum Israelis, cum ungebatur altare & Tentorium conventus, erant *Juvencus*, *Aries*, & *Agnus* in holocausta, & *Hircus caprarum* in sacrificium, Num: VII: 15. 16. 17. 21. 22. 23. 27. 28. 29. 33 seq: Ex his nunc constare potest, quod aries significet bonum innocentiæ & charitatis in interno homine.

10,043. Et imponent Aharon & filii ejus manus suas, quod significet potentiæ communicationem, constat ex significatione imponere manus, quod sit communicatio potentiæ, de qua supra n: 10,023.

10,044. Super caput arietis, quod significet cum toto, constat ex significatione Capitis, quod sit totus homo, ita totum, de qua n: 10,011: quod caput sit totum, est causa, quia est supremum, & inibi est intimum hominis; & a supremo procedunt omnia quæ infra, sicut etiam ab intimo procedunt omnia quæ extra, nam hæc & illa sunt inde; intimum apud hominem est ejus voluntas & intellectus, hæc in principiis sunt in Capite, quæ inde procedunt, sunt actus, qui interiorum effectus sunt in corpore; quapropter cum dicitur voluntas & intellectus, intelligitur totus homo, nam inde homo est homo; actus corporis etiam omne suum habent ex voluntate; inde est, quod homo non ex actibus corporis seu operibus spectetur, sed ex voluntate in illis: quia ita est, *per animam* in Verbo intelligitur totus homo, & quod homo dicatur anima, ut Levit: IV: 27. Cap: V: 1. 4. 17. 21. Cap: XVII: 10. 15, & alibi. Sunt duo quæ significant totum, nempe supremum & infimum; quod etiam infimum seu ultimum, est quia in ultima desinunt omnia interiora, usque a primo seu supremo, ac ibi simul sunt, videatur n: 9828. 9836; inde est, quod supremum per ultimum contineat omnia interiora, quæ sunt intermedia, in nexu & in forma, utque ad unum finem spectent, n: 9878. Quod ultimum etiam significet totum, constat a pluribus in Verbo, sicut quod totus homo dicatur Caro, ut Gen: VI: 22. Num: XVI: 22. Cap: XXVII: 16. Esai: XL: 5. Sachar: II: 17, & alibi. Quia ultima etiam significant omnia seu totum, ideo Crinis, Pilus, Barba, quæ sunt ultima quæ excrescunt apud hominem, sumuntur pro illis, etiam Pedes, imo eorum & manuum digiti: quod *Crinis*, *Pilus*, *Barba*, constat apud Esaiam, "In illo die *detondebit* Dominus *novacula* per regem Aschuris *caput*, *pilos pedum* etiamque *barbam*," VII: 24; rex Aschuris est ratiocinatio, qualis illorum qui per illam destruunt Divina, n: 1186; detondere caput, pilos pedum, & barbam, est auferre ultima, nam his ablatis diffluunt interiora, ac pereunt: ideo quoque sacerdoti vetitum fuit *radere caput*, Levit: XXI: 10, ut & Naziræo, cujus coma dicebatur Naziræatus Dei, Num: VI: n: 6437. 9407 fin: ac intelligitur per *Verticem Naziræi* fratrum, Genes: XLIX: 25. 26. Deut: XXXIII: 16: inde quoque dicitur, *quod pili capitis omnes numerati sint*, Matth: X: 30.

x : 30, per quod significatur quod omnia & singula in homine; tum quod *capillus e capite non peribit,*" Luc : xxi : 18. Quod etiam Pedes, ac eorum & manuum digiti significent omnia, ac ita totum, constat apud Johannem, "Dixit Petrus, Domine, non lavabis pedes meos tantum, sed etiam manus & caput, dixit illi Jesus, *qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, & mundus est totus,*" xii : 9. 10; pedes sunt naturale, quod ultimum, n : 2162. 3147. 4938 ad 4952. 9406. Et in sequentibus hujus Capitis, "De sanguine arietis dabis *super auriculam* auris Aharonis, & *super pollicem manus dextræ,* & *super pollicem pedis dextri,*" Vers : 20, quod est super omnia & singula, quæ significantur per aurem, manum, & pedem. Quia supremum & infimum, seu quod idem, primum & ultimum, æque significant omnia & singula, seu totum cum partibus, ideo describitur Omnipotentia & Omniscientia Domini, per quod sit *Primus & Ultimus, Principium & Finis, Alpha & Omega,*" Apoc : i : 8. Cap : xxi : 6. Cap : xxii : 13. Esai : xli : 4. Quod omnia contineantur in nexu, ac stent una a Primo seu Supremo per Ultima seu Infima, ita describitur apud Esaiam, "*Ego Primus* & *Ego Novissimus,* etiam manus mea fundavit *terram,* & dextra mea palmavit *cælum*; *convocans Ego ea, stant una,*" xlviii : 12. 13; manus & dextra Jehovæ seu Domini, est omnipotentia, terra quam fundavit est ultimum, cœlum quod extendit, est quod est inter Primum & ultimum; convocare ea ut stent una, ex continere interiora omnia per ultimum in nexu, & in forma, ut ad unum finem spectent; unus finis quem spectent, est qui est Primus & Novissimus; quod ille sit Dominus, constat apud Esaiam, "Sic dixit Jehovah, *Rex Israelis* & *Redemptor ejus, Ego Primus & Ego novissimus,*" xliv : 6, Rex Israelis est Dominus, Joh : xviii : 37, quod Redemptor, patet : & in Apocalypsi, "Hæc *dicit Primus & Novissimus,* qui fuit mortuus & revixit," ii : 8. Quod Primum contineat omnia in nexu per Ultimum, constare potest ex *Verbo* & ex *Homine*; Verbum in ultimis est sensus literæ ejus, & Verbum in Primo est Dominus, & Verbum in interioribus est sensus internus ejus, qui in cœlis percipitur, & facit ut illi qui ibi spectent ad unum finem, qui est Dominus; de hoc arcano videatur n : 9560. 9824. Quod ad Hominem, homo in ultimis est Ecclesia in terris, Homo in Primo est Dominus, homo in interioribus est Cœlum, nam Ecclesia & Cœlum coram Domino est sicut unus Homo, ideo cœlum vocatur Maximus Homo, de quo ad finem plurium Capitum actum est, videantur citata n : 10,030 fin : continuus nexus & secundum nexum influxus est omnium a Domino per cœlos ad Ecclesiam in terris; per cœlos intelliguntur Angeli qui ibi, per Ecclesiam homines qui sunt veri homines Ecclesiæ, & per Hominem in Primo Dominus quoad Divinum Humanum Ipsius; quod a Primo per Ultimum omnia contineantur in nexu, & stent una, intelligitur per Domini Verba supra allata, apud Esaiam, "*Ego Primus & Ego Novissimus, etiam manus mea fundavit terram, & dextra mea palmavit cælum, convocans Ego ea, stant una,*" xlviii : 12. 13; quod per Terram in Verbo intelligatur Ecclesia, etiam multis ostensum est, videantur citata n : 9325. Idea hujus rei haberi

potest ex ultimo ac intimo apud hominem, ultimum ejus est cutis, intimum est cor, intermedia seu interiora sunt Viscera; a corde usque ad cutim trans viscera est continuus nexus per vasa sanguinea, hæc enim procedunt ex corde, & terminantur in cute; quod cutis sit ultimum continens interiora in nexu, patet, nam ablata cute diffluunt interiora. Ex his videri potest, unde est, quod sicut Supremum seu Intimum significet omnia & singula, ita quoque infimum seu ultimum. Ex his etiam patet arcanum, cur Dominus etiam quoad ultima glorificavit Humanum suum, ultima vocantur Ossa & Caro, quare Dominus dixit discipulis suis, qui putabant se Spiritum videre, "Videte manus meas, & pedes meos, quod Ego sim, *palpate Me, & videte, nam spiritus Carnem & Ossa non habet, sicut Me videtis habentem*," Luc: XXIV: 37. 39; quod Ipsum Divinum fuerit Primum in Ipso, notum est, nam conceptus erat a Jehovah, & quod concipitur a patre, hoc primum hominis est; quod Dominus etiam ultima Humani sui glorificaverit, ex verbis Ipsius ibi patet, & quoque ex eo, quod nihil de Humano suo reliquerit in sepulchro. Quod interiora desinant & quiescant in ultimis, ac ibi simul sint, & quod ultima contineant interiora in nexu, etiam in rebus spiritualibus, videatur n: 9216. 9828: quod ideo in ultimis sit robur & potentia, n: 9836: & quod ideo sanctitas in ultimis, n: 9824; & quod in ultimis revelata & responsa, n: 9905.

10,045. Et mactabis arietem, quod significet præparationem ad purificationem interni hominis, constat ex significatione mactare, cum de sacrificio vel holocausto, quod sit præparatio ad purificationem, de qua n: 10,024; & ex significatione arietis, quod sit quoad internum hominem, de qua supra n: 10,042.

10,046. Et accipies sanguinem, quod significet Divinum Verum, de qua n: 10,026. 10,033; quod omnis purificatio a malis & falsis, & omnis regeneratio, fiat per Divinum Verum procedens a Domino, videantur citata n: 9959.

10,047. Et asperges super altare circumcirca, quod significet conjunctionem cum Divino Bono, constat ex significatione sanguinis, qui spargeretur super altare circumcirca, quod sit Divinum Verum, de qua n: 10,026. 10,033; & ex repræsentatione Altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 9388. 9389. 9714. 9964; inde patet, quod aspergere sanguinem super altare circumcirca, sit unire Divinum Verum cum Divino Bono in Domino. Cum his ita se habet; supra dictum est, quod in hoc Capite agatur de Glorificatione Humani Domini, ac in sensu repræsentativo de Regeneratione hominis a Domino: quod Glorificationem Humani Domini attinet, facta est illa per unitionem Divini Veri cum Divino Bono; Divinum Bonum, quod est Jehovah, fuit in Domino, sicut anima a patre in homine, nam conceptus fuit a Jehovah, ac Humanum suum fecit Divinum Verum per Divina Media, imprimis per pugnas tentationum, & quantum univit, tantum glorificavit, hoc est, Divinum fecit; hæc unitio est, quæ per sparsionem sanguinis circumcirca altare in supremo sensu significatur:

catur: quod Dominus cum in mundo fuit, fecerit Humanum suum Divinum Verum, ac univerit id cum Divino Bono, quod in Ipso, & sic glorificaverit Humanum suum, videantur citata n: 9199. fin: 9315: fin: quodque Jehovah Pater Ipsius sit Divinum Bonum, quod fuit in Ipso, citata n: 9194. Sicut Dominus glorificavit Humanum suum, ita quoque regenerat hominem; Dominus enim apud hominem influit cum bono per animam, quod est per viam internam, & cum vero per auditum & visum, quod est per viam externam, & quantum homo desistit a malis, tantum conjungit Dominus bonum cum vero, ac bonum fit charitatis erga proximum & amore in Deum, ac verum fit fidei; ita Dominus hominem novum creat seu regenerat, nam regeneratio hominis, ut supra dictum est, fit per purificationem a malis & falsis, per implantationem boni & veri, & per conjunctionem eorum; regeneratio hominis, & in supremo sensu Glorificatio Humani Domini, est quæ repræsentatæ sunt per sacrificia & holocausta, n: 10,022. Sciendum est, quod in Holocaustis sparsus sit sanguis super Altare circumcirca; similiter in sacrificiis eucharisticis; at in sacrificiis pro reatu & pro peccato sparsus est sanguis ad fundamentum altaris; per sparsionem sanguinis super altare circumcirca repræsentabatur unitio Divini Veri & Divini Boni omnimoda, tam in interno quam in externo homine, & per sparsionem sanguinis ad fundamentum altaris repræsentabatur unitio Divini Veri & Divini Boni solum in externo homine; apud regeneratos fit conjunctio in externo homine, secundum Domini verba apud Johannem, "Qui lotus est, non opus habet nisi ut quoad pedes lavetur, & mundus est totus," XIII: 9. 10; lavatio significat purificationem & regenerationem, n: 3147. 9809, ita lotus significat purificatum & regeneratum; ac pedes significant naturale seu externum hominis, n: 2162. 3147. 4938 ad 4952. 9406. Quod in Holocaustis sanguis sparsus sit super altare circumcirca, Levit: I: 5. 11: etiam in sacrificiis eucharisticis, Levit: ii: 2. 8. 13: & quod in sacrificiis pro reatu & peccato sanguis sparsus sit ad fundamentum altaris, Levit: IV: 7. 18. 25. 30. 34. Cap: V: 9.

10,048. Et arietem secabis in segmenta, quod significet interiora distincte ordinanda, constat ex significatione arietis, quod sit bonum innocentiæ & charitatis in interno homine, de qua n: 10,042, hic præparatio ad ejus purificationem, quæ per holocaustum ex illo significatur; & ex significatione secare in segmenta, quod sit ordinatio interiorum ibi: quod præparatio ad ordinationem interiorum per secare in segmenta, frustra, membra & partes significetur, est quia ordinatio describitur per quod intestina & crura darentur super segmenta & super caput, & per intestina significantur infima, quæ vocantur sensualia externa, per crura proxime superiora quæ vocantur naturalia; ita per segmenta, quæ adhuc superiora erant, significantur interiora, & per caput intima; quod per intestina, crura & caput illa significentur, constabit a sequentibus; quod per Viscera & membra hominis talia in ordine significentur, videatur supra n: 10,030. Quia in sensu repræsentativo per sacrificia & holocausta intelligitur regeneratio hominis, paucis dicetur quomodo cum ordinatione in illa se habet; apud illos qui regenerantur, ordinantur

nantur interiora & exteriora a Domino ad status omnes sequentes, usque adeo ut præsentia involvant futura, ac futura cum fiunt præsentia, similiter, & hoc usque in æternum; Dominus enim prævidet omnia & providet omnia, ac Prævidentia & Providentia Ipsius est in æternum, ita æterna; Divinum enim, quod solum est Ipsius, in se est Infinitum, & infinitum respective ad durationem est æternum; inde est, quod quicquid Dominus disponit & ordinat, sit æternum: ita fit cum illis, quos Dominus regenerat; regeneratio hominis inchoat in mundo, & perstat in æternum; semper enim perficitur homo cum fit Angelus. Sunt in homine externa, interna, & intima; omnia illa disponuntur & ordinantur simul & successive ad receptionem sequentium in æternum: sed quo ordine regenerantur externa, interiora ac intima, & vicissim, in sequentibus, ex Divini Domini Misericordia, dicetur.

10,049. Et lavabis intestina, quod significet purificationem infimorum, constat ex significatione lavare, quod sit purificare, de qua n: 3147. 5954 fin: 9089; purificatio, quæ per lavationem repræsentabatur, est purificatio a malis & falsis, nam hæc sunt sordes in spirituali sensu; & ex significatione intestinorum, quod sint infima, de qua supra n: 10,039. Quod dicatur, quod intestina & crura lavanda essent, est quia per illa significantur infima & naturalia, ac infima & naturalia sunt conspurcata malis & falsis præ interioribus; sunt enim illa in mundo, ac sensualia, quæ sunt infima, exstant mundo, ac ideo immediate recipiunt illa quæ in mundo sunt; illa quæ recipiunt, sunt jucunda amorum sui & mundi, cum jucundis sensuum, & eorum fallaciis; interiora autem non ita, nam hæc non sunt in mundo, sed in cœlo; ac illa quæ mundi sunt, non intrare possunt in illa quæ cœli sunt, influxus enim physicus non datur, sed illa quæ cœli sunt, intrare possunt in illa quæ mundi apud hominem; quapropter ut primum externus homo vult se immittere in internum, quod fit per ratiocinia ex amoribus sui & mundi, atque ex fallaciis sensuum, clauditur internus homo; ita providet Dominus: quapropter purificatio interni hominis, cum regeneratur homo, fit in cœlo a Domino: inde est, quod homo, cum in mundo est, non percipiat quid peragitur in interno suo homine, cum regeneratur; hæc sunt quæ intelliguntur per Domini verba apud Johannem, "Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, atqui non scis, unde venit, & quo abit, sic est omnis qui generatus est a spiritu," iii: 8, spiritus est vita charitatis per fidem.

10,050. Et crura, quod significet purificationem exteriorum quæ naturalis hominis, constat ex significatione lavare crura, quod sit purificatio naturalis hominis; quod lavare sit purificare, videatur mox supra n: 10,049; & ex significatione crurum, quod sint exteriora quæ naturalis hominis; quod crura significent illa, est quia simul intelliguntur pedes, nam crura bestiarum sunt quatuor, & cohærent pedibus, & pedes ex correspondentia significant naturale seu externum hominis, videatur n: 2162. 3147. 3765. 4938 ad 4952. Simile per crura significatur apud Amos, "Sicut eripuit pastor ex ore leonis *duo crura*, aut particulam auris, sic eripientur filii Israelis habitantes in Samaria, in angulo lecti, & in extremitate spondæ," iii: 12, per leonem hic signifi-

cantur

cantur qui vastant Ecclesiam; per crura externum ejus, quod etiam est naturalis hominis; per auriculam auris apperceptivum ejus; per habitantes in Samaria illi qui in cultu externo sunt; angulus lecti & extremitas spondæ est infimum naturale, quod est sensuale externum, & ejus verum & bonum. Per Crura, ubi agitur de statua Nebuchadnezaris apud Danielem, "Quod Caput ejus esset ex auro puro, Pectus & Brachia ex argento, Venter & Latus ex ære, Crura ex ferro, ac Pedes partim ex ferro, partim ex argilla," ii : 32. 33, significatur verum fidei in externo seu naturali homine, quod etiam est ferrum, videatur n : 10,030: quod Crura hic distinguantur a Pedibus, est causa quia Crura se aliter habent apud hominem quam apud bestias.

10,051. Et dabis super segmenta & super caput, quod significet ordinationem exteriorum sub interioribus & intimis, constat ex significatione segmentorum, quod sint interiora, de qua supra n : 10,048; & ex significatione Capitis, quod sit intimum, de qua n : 5328. 6436. 9656. 9913. 9914; & ex significatione intestinorum & crurum, quæ darentur super illa, quod sint extrema & exteriora, quod intestina sint extrema seu infima, videatur n : 10,030, & quod crura sint exteriora, n : 10,050; & ex significatione dare hæc super illa, quod sit ordinare. Quod sit ordinare exteriora sub interioribus, & non super illa secundum sensum literæ; est quia Altare & Ignis super altari sunt suprema seu intima, altare enim repræsentabat Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum, & Ignis ipsum Divinum Amorem, quapropter illa quæ ex ariete & holocausto erant proxima igni altaris, erant superiora seu interiora, & quæ locum supra illa habebant, quia remotiora ab igne altaris, erant inferiora seu exteriora; in sensu enim interno spectantur illa ut superiora seu interiora quæ sunt proxima Supremo, ac ut inferiora seu exteriora quæ sunt remotiora ab illo, secus ac in sensu literæ; sive dicas superiora & inferiora, sive interiora & exteriora, idem est, nam quod superius est, hoc interius est; & quod inferius est hoc exterius est, n : 2148. 3084. 4599. 5146. 8325: inde nunc patet, quod per dabis intestina & crura super segmenta, & caput significetur, quod extrema & exteriora ordinanda sint sub interioribus ac intimis. Quod Altare fuerit repræsentativum Divini Humani Domini quoad Divinum Bonum, videatur n : 921. 2777. 2811. 9388. 9389. 9714, 9964; & quod ignis Altaris sit Ipsius Divinus Amor.

10,052. Et adolebis cum toto ariete Altare, quod significet internum Divini Humani Domini unitum Divino Bono, Divini amoris Ipsius quod in Ipso, constat ex significatione adolere, quod sit unire Divino Bono Divini amoris, de qua sequitur; ex significatione arietis, quod sit internum apud hominem, ita in sensu supremo internum Divini Humani Domini, de qua n : 10,042; & ex significatione Altaris, quod sit principale repræsentativum Divini Humani Domini quoad Divinum Bonum Ipsius, de qua mox supra n : 10,051 fin: Sciendum est, quod apud unumquemvis hominem sit internum & externum, quæ ejus Internus & Externus homo vocantur, & quod

cum regeneratur homo regeneretur tam quoad internum quam quoad externum, & quod regeneratio sit conjunctio boni & veri in utroque: similiter in Domino quoad Humanum Ipsius; at de Humano Ipsius non dici potest, quod regeneratum sit, sed quod glorificatum, nam intimum Ipsius, quod apud hominem vocatur anima ex patre, fuit Ipsum Divinum, conceptus enim erat ex Jehovah; Ipsum Divinum est Divinum Bonum Divini Amoris; & quia Dominus cum Hoc univit Humanum suum, ac sic etiam Humanum suum Divinum fecit, ideo non dici potest, quod Humanum Ipsius regeneratum sit, sed glorificatum, nam glorificare est Divinum facere, videatur mox infra n: 10,053: glorificatio Interni hominis Ipsius, seu Interni Humani Ipsius, describitur per repraesentativa in holocaustis ex arietibus & ex agnis. Quod adolere Altare cum toto ariete, sit unire Divinum Bonum Divini amoris cum Interno Humani Ipsius, est quia Altare erat repraesentativum Divini Humani Domini, ac ignis super Altari, quo adolebatur holocaustum, significabat Divinum Bonum Divini amoris, ut constare potest ex citatis mox supra n: 10,051 fin: & quia aries, qui holocaustum, & adolebatur, significat internum apud hominem, ita Internum Humani Domini, n: 10,042. Ex his patet, quod per adolebis cum toto ariete Altare in holocaustum, significetur Internum Humani Domini unitum Divino Bono Divini amoris Ipsius, quod in Ipso.

10,053. Holocaustum hoc Jehovae, quod significet glorificationem Humani Domini, constat ex repraesentatione holocausti, quod sit glorificatio Humani Domini; erant apud Gentem Judaicam Sacrificia & Holocausta; sacrificia significabant purificationem a malis & falsis, ac implantationem veri, holocausta autem significabant conjunctionem veri cum bono, ita plenariam regenerationem; in supremo autem sensu, in quo agitur de Domino sacrificia significabant ejectionem malorum & falsorum ab Humano suo quod a matre, ac implantationem Divini Veri ex Divino Bono quod in Ipso, & Holocausta significabant unitionem Divini Veri cum Divino Bono, quae unitio est quae intelligitur per Glorificationem, nam Dominus cum in mundo fuit, Humanum suum fecit Divinum Verum, ac successive etiam per unitionem cum Divino Bono quod in Ipso, & erat Esse Vitae Ipsius, fecit Humanum suum Divinum Bonum, ita unum cum Jehovah; Esse vitae Ipsius fuit quod apud hominem vocatur anima ex patre, ac id fuit Ipsum Divinum Bonum seu Divinus Amor; sed de his videantur quae in locis citatis n: 9194. 9315 fin: 9528 fin: ostensa sunt; & quod Dominus expulerit omne humanum quod a matre, usque tandem ut non filius ejus esset, n: 9315; & quod Filius hominis, quem se vocavit Dominus, non sit filius Mariae, sed Divinum Verum, n: 9807. Quod Glorificatio, ubi de Domino, sit unitio Humani Ipsius cum Ipso Divino quod in Ipso, ita cum Jehovah Patre Ipsius, per quam unitionem Ipse Humanum suum etiam Divinum Bonum fecit, constat ex locis in Verbo, ubi Gloria & Glorificatio, cum de Jehovah seu Domino dicuntur, nominantur; ut apud Esaiam, "Revelabitur *Gloria Jehovae*, & videbunt omnis caro simul, quia os Domini loquutum est," XL: 5: apud

Eundem,

Eundem, " Jehovah vocavi Te in justitia ad aperiendum oculos cæcos, ad educendum e carcere vinctum, Ego Jehovah, hoc Nomen meum, & *Gloriam meam alteri non dabo*," XLII : 6. 7. 8 : & apud Eundem, " Super Te exorietur Jehovah, *& Gloria Ipsius super te videbitur*; ambulabunt gentes ad lucem tuam," LX : 2. 3; in illis locis agitur de Domino, & per Gloriam Jehovæ intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, nam Divinum Verum procedens ex Domino est Gloria Jehovæ, n : 9429; quod aliunde non Divinum Verum, docet Dominus apud Johannem, " Neque vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis," V : 37; & quia est Dominus, est Ipse Jehovah, nam dicit, Ego Jehovah, hoc Nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Inde quoque est, quod Dominus dicatur Rex gloriæ, apud Davidem, " Attollite portæ Capita vestra, & extollimini ostia mundi, & ingredietur *Rex gloriæ, quis hic Rex gloriæ*, Jehovah fortis & heros, Jehovah heros belli," Psalm : XXIV : 7 ad 10; dicitur hic Dominus Rex gloriæ ex Divino Vero, ex quo pugnavit, vicit & subjugavit inferna; quod hoc factum sit ex Humano Ipsius, cum in mundo fuit, videatur n : 9715. 9809. 10,019, inde est quod dicatur Jehovah fortis & heros belli, & quoque heros apud Esaiam, " Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, Nomen Ipsius, *Deus, Heros, Pater æternitatis*," IX : 5: Quod gloria Jehovæ sit Dominus quoad Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipsius, quod est Jehovah seu Pater, docet Ipse Dominus apud Johannem, " Verbum Caro factum est, & *vidimus Gloriam Ipsius*, ut *gloriam Unigeniti a Patre*," I : 14; quod Dominus ibi intelligatur per Verbum quod Caro factum, patet; Verbum est Divinum Verum, & quoque Gloria. Apud Matthæum, " Venturus Filius hominis *in gloria Patris sui*," XVI : 27 : & apud Lucam, " Jesus dixit ad discipulos, nonne hoc oportebat pati Christum, & *ingredi in gloriam suam*," XXIV : 26; ingredi in gloriam suam est uniri Divino Bono quod in Ipso, ita Jehovæ seu Patri suo : inde patet quid sit glorificari in his locis, apud Johannem, " Nondum erat Spiritus sanctus, *quia Jesus nondum glorificatus est*," VII : 39 : apud Eundem, " Hæc non sciverunt discipuli Jesu, sed *cum glorificatus est Jesus*, tunc recordati sunt. Jesus dixit, *venit hora, ut glorificetur Filius hominis*. Et dixit, Pater, *glorifica Nomen tuum*, exiit vox e cœlo, & *glorificavi*, & *rursus glorificabo*," XII : 16. 23. 27. 28 : & apud Eundem, " Postquam exivit Judas, dixit Jesus, *nunc glorificatus est Filius hominis*, & *Deus glorificatus est in Ipso*, & *Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso*, & statim *glorificabit Ipsum*," XIII : 31. 32; inde patet, quod unitio Domini quoad Humanum cum Ipso Divino quod in Ipso, ac Jehovah Pater vocatur, sit glorificatio, nam dicitur, quod Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso : etiam patet, quod unitio illa plenarie facta sit, per passionem crucis, quæ fuit ultimum tentationum : quod Dominus per pugnas cum infernis, quæ sunt tentationes, glorificaverit Humanum suum, videantur citata n : 9528. 9937. Quod, cum Dominus glorificatus est, Divinum Verum procedat ab Ipso, docet Ipse apud Johannem, " Nondum erat Spiritus sanctus, *quia Jesus nondum glorificatus est*," VII : 39 : & apud Eundem, " Paracletus Spiritus veritatis, quem mittam

vobis, non loquetur a Seipso, *Ille Me glorificabit*, quia ex Meo accipiet; & annuntiabit vobis. *Omnia quæcunque Pater habet, mea sunt*," xvi : 13. 14. 15. 28. Spiritus veritatis est Divinum Verum procedens a Domino, n : 9818; unitio Humani cum Divino in Ipso, etiam hic describitur, per quod omnia quæ Pater habet Ipsius sint; ac alibi, quod *Pater & Ipse unum sint*; & quod *Pater in Ipso, & Ipse in Patre*, Joh : x : 30. Cap : xv : 10. 11, videatur n : 3704; ita quod glorificatio seu unitio fuerit reciproca, quod etiam Dominus docet apud Johannem, *Pater glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet te*," xvii : 1, Pater est Ipsum Divinum quod in Ipso, & Filius est Divinum Humanum: quod Pater sit Divinum Bonum quod in Domino, videatur n : 3704. 7499. Quod Jehovah in Verbo sit Dominus, n : 2921. 6303. 8865: & quod Dominus sit Ipsum Divinum seu Jehovah sub forma Humana, citata n : 9315.

10,054. Odor quietis, quod sit perceptivum pacis, constat ex significatione odoris, quod sit perceptivum, de qua n : 3577. 4624 ad 4634. 4748; & ex significatione quietis, quod sit pax. Quid Pax Divina in cœlis, videatur n : 92. 93. 2780. 5662. 8455. 8665. 8722; quod Pax in supremo sensu sit Dominus, ac Divinum procedens ab Ipso officiens bonum in cœlis ab intimo, n : 3780. 8517. Quod Holocaustum dicatur odor quietis Jehovæ, est quia per holocaustum repræsentabatur unitio Divini Humani Domini cum Ipso Divino, de qua supra n : 10,053; & per illam unitionem acquisita fuit Pax in Cœlis; nam omnia inferna a Domino, cum in mundo fuit, subjugata sunt, & omnes cœli in ordinem redacti, n : 9715. 9809. 9937. 10,019: inde patet, unde est, quod Holocaustum dicatur odor quietis Jehovæ; ut pluries alibi, ubi agitur de Holocaustis & Minchah, ut Levit : i : 9. 13. 17. Cap : ii : 2. 9. 12. Cap : iii : 5. Cap : iv : 31. Cap : vi : 8. 14. Cap : viii : 28. Cap : xxiii : 13. 18. Num : xv : 3. 7. 13. Cap : xxviii : 6. 8. 13. Cap : xxix : 2. 6. 13.

10,055. Ignitum Jehovæ hoc, quod significet omnia ex Divino amore, constat ex significatione igniti Jehovæ, quod sit quod ex Divino amore, nam ignis in Verbo significat amorem in utroque sensu, & cum de Jehovah seu Domino, significat Divinum amorem; quod ignis sit amor in utroque sensu, videatur n : 4906. 5215. 6314. 7324; & quod in supremo sensu, in quo de Jehovah seu Domino, sit Divinus amor, n : 6832. 6834. 6849. Holocaustum dicitur ignitum Jehovæ, quia Divinum assumsit Humanum, & ex Humano pugnavit contra inferna, & subjugavit ea, & simul univit id Divino, ad salvandum genus humanum, ex puro amore: quod Unitio illa significetur per Holocaustum, videatur n : 10,042. 10,053.

10,056. Vers : 19 ad 35. *Et accipies arietem secundum, & imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis. Et mactabis arietem, & accipies ex sanguine ejus, & dabis super auriculam auris Aharonis, & super auriculam auris filiorum ejus dextræ, & super pollicem manus eorum dextræ; & super pollicem pedis eorum dextri, & asperges sanguinem super altare circumcirca. Et accipies ex sanguine qui super altari, & ex oleo unctionis, & sparges super Aharonem,*

& super vestes ejus, & super filios ejus, & super vestes filiorum ejus cum illo: & sanctus ille, & vestes ejus, & filii ejus, & vestes filiorum ejus cum illo. Et accipies de ariete adipem, & caudam, & adipem tegentem intestina, & reticulum jecoris, & duos renes, & adipem qui super illis, & armum dextrum, quia aries impletionum ille. Et tractam panis unam, & placentam panis olei unam, & laganum unum, e corbe azymorum, quæ coram Jehovah. Et pones omnia super volis Aharonis, & super volis filiorum ejus, & agitabis illa agitationem coram Jehovah. Et accipies ea de manu eorum, & adolebis altare super holocausto, ad odorem quietis coram Jehovah, ignitum hoc Jehovæ. Et accipies pectus de ariete impletionum, qui Aharoni, & agitabis illud agitationem coram Jehovah, & erit tibi in portionem. Et sanctificabis pectus agitationis, & armum sublationis, quod agitatum, & qui sublatus de ariete impletionum, de eo qui Aharoni & de eo qui filiis ejus. Et erit Aharoni & filiis ejus in statutum sæculi a cum filiis Israelis, quia sublatio hæc, & sublatio erit a cum filiis Israelis de sacrificiis pacificis illorum, sublatio illorum Jehovæ. Et vestes sanctitatis quæ Aharoni erunt filiis ejus post illum, ad ungendum in illis, & ad implendum in illis manum eorum. Septem diebus induet illas sacerdos post eum de filiis ejus, qui intrabit in Tentorium conventus ad ministrandum in sancto. Et arietem impletionum accipies, & coques carnem ejus in loco sancto. Et comedet Aharon & filii ejus carnem arietis, & panem qui in corbe, ad ostium Tentorii conventus. Et comedent illa in quibus expiatum, ad implendum manum eorum, ad sanctificandum illos; & alienus non comedet, quia sanctum illa. Et si relictum fuerit de carne impletionum, & de pane usque ad mane, & combures relictum igne, non comedetur, quia sanctum hoc. Et facies Aharoni & filiis ejus ita, secundum omne quod præcepi tibi: septem diebus implebis manum eorum. Et accipies arietem secundum, significat statum sequentem, qui est Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini in cœlis: & imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis, significat communicationem potentiæ cum toto: & mactabis arietem, significat præparationem: & accipies de sanguine ejus, significat Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini in cœlis: & dabis super auriculam auris Aharonis, & super auriculam auris filiorum ejus dextræ, significat omne perceptivum Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini in cœlis: & super pollicem manus eorum dextræ, significat intellectuale inde in cœlo medio: & super pollicem pedis eorum dextri, significat intellectuale in cœlo ultimo: & sparges sanguinem super altare circumcirca, significat unitionem Divini Veri cum Divino Bono: & accipies ex sanguine qui super altari, significat Divinum Verum unitum Divino Bono in Domino: & ex oleo unctionis, significat Divinum Bonum Divini amoris quod in Domino: & sparges super Aharonem & super vestes ejus, significat unitionem reciprocam Divini Boni cum Divino Vero in Divino Humani Domini in cœlis superioribus: & super filios ejus, & super vestes filiorum ejus, significat unitionem reciprocam Divini Boni cum Divino Vero in Divino Humano Domini in cœlis inferioribus: & sanctus ille & vestes ejus, & filii ejus & vestes filiorum ejus, significat ita Divina omnia in cœlis: & accipies de ariete

ariete adipem, significat Bonum in cœlis : & caudam, significat Verum ibi omne : adipem tegentem intestina, significat bonum in ultimis : & reticulum jecoris, significat bonum interius naturalis hominis purificatum : & duos renes, & adipem qui super illis, significat verum interius naturalis hominis purificatum & ejus bonum : & armum dextrum, significat bonum intimum : quia aries impletionum ille, significat repræsentativum potentiæ Divini Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius : & tractam panis unam, significat bonum cœleste intimum a Domino : & placentam panis olei unam, significat bonum cœleste medium : & laganum unum, significat bonum cœleste ultimum : e corbe azymorum, significat quæ simul in sensuali : quæ coram Jehovah, significat ex Divino Bono Domini : & pones omnia super volis Aharonis, & super volis filiorum ejus, significat agnitionem in cœlis quod illa sint Domini & a Domino : & agitabis illa agitationem coram Jehovah, significat inde vitam Divinam : & accipies ea de manu eorum, & adolebis altare super holocausto, significat unitionem cum Divino Bono Divini amoris : odor quietis coram Jehovah, significat perceptivum pacis : ignitum hoc Jehovæ, significat ex Divino amore : & accipies pectus, significat Divinum spirituale in cœlis, & ejus appropriationem ibi : de ariete impletionum, qui Aharoni, significat repræsentativum potentiæ Divinæ Domini in cœlis per Divinnm Verum ex Divino Bono Ipsius : & agitabis illud agitationem coram Jehovah, significat vivificationem : & erit tibi in portionem, significat communicationem cum illis qui in veris Divinis : & sanctificabis pectus agitationis, significat Divinum Spirituale in cœlo & in Ecclesia agnitum : & armum sublationis, significat Divinum cœleste, quod solius Domini, in Cœlo & in Ecclesia perceptum : quod agitatum, & qui sublatus, significat quod agnitum & quod receptum : de ariete impletionum de eo qui Aharoni, & de eo qui filiis ejus, significat repræsentativum Divinæ Potentiæ Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono : & erit Aharoni & filiis ejus in statutum sæculi a cum filiis Israelis, significat legem ordinis in Ecclesia repræsentativa quoad Divinum Bonum Domini & inde procedens Divinum Verum : quia sublatio hæc, significat repræsentativum Divini Boni ac inde procedentis Divini Veri : & sublatio erit a cum filiis Israelis de sacrificiis pacificis illorum, sublatio illa Jehovæ, significat receptionem in Cœlis & in Ecclesia, & agnitionem quod solius Domini : & vestes sanctitatis quæ Aharoni, significat Divinum spirituale immediate procedens ex Divino cœlesti : erunt filiis ejus post illum, significat in naturali successive : ad ungendum in illis, significat ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Bonum : & ad implendum in illis manum eorum, significat repræsentativum Divini Veri procedentis a Divino Bono Domini in cœlis : septem diebus induet illas sacerdos post eum de filiis ejus, significat agnitionem & receptionem plenariam : qui intrabit in Tentorium conventus ad ministrandum in sancto, significat in omni cultu in cœlo & in Ecclesia : & arietem impletionum accipies, significat repræsentativum potentiæ Divinæ Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono, ac communicativum & receptativum ejus

ibi: & coques carnem in loco sancto, significat præparationem boni ad usum vitæ per vera doctrinæ in illustratione ex Domino: & comedet Aharon & filii ejus carnem arietis, significat appropriationem boni spiritualis a Domino: & panem qui in corbe, significat appropriationem boni cœlestis a Domino: & comedent illa in quibus expiatum, significat appropriationem boni apud illos qui purificati a malis & inde falsis: ad implendum manum eorum, significat ad recipiendum Divinum Verum: ad sanctificandum illos, significat ut sint in veris a bono ex Domino: & alienus non comedet, significat nullam appropriationem apud illos qui non agnoscunt Dominum: quia sancta illa, significat quia Divina: & si relictum fuerit de carne impletionum & de pane usque ad mane, significat bona spiritualia & celestia, quæ non conjuncta sunt ad statum novum: & combures relictum igne, significat dissipationem eorum: non comedetur, significabit non appropriabitur; quia sanctum, significat cui non conjungetur, quia inde prophanum: & facies Aharoni & filiis ejus ita, significat hoc repræsentativum glorificationis Domini, ac influxus Ipsius in Cœlos & in Ecclesiam: secundum omne quod præcepi tibi, significat secundum leges ordinis Divini: septem diebus implebis manum eorum, significat repræsentativum plenariæ potentiæ Domini in cœlis per influxum ex Divino Bono Divini amoris Humani Ipsius.

10,057. Et accipies arietem secundum, quod significet statum sequentem, qui est Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini in cœlis, constat ex illis quæ præcedunt & quæ sequuntur; in præcedentibus actum est de Sacrificiis ex Juvenco, & de holocausto ex ariete primo; in sequentibus agitur de ariete secundo, & de impletione manus per illum, & demum de sacrificio ex juvenco, & de holocausto quotidiano ex agnis. Quis non videre potest, qui ex ratione aliquantum illustrata cogitat, quod in singulis illis arcana cœli lateant; nam ad quid alioquin fuissent sacrificia & holocausta cum tot ritualibus; ut quod altare inundaretur sanguine, ac quod sanguis daretur super auriculam auris, pollicem manus, & pollicem pedis, Aharonis & filiorum ejus, & quoque super vestes illorum; & quod in sacrificio adeps intestinorum, jecoris & renum cum ipsis renibus, adolerentur super altari, & reliqua comburerentur igne extra castra, vel comederentur, & in holocausto quod intestina & crura posita super segmenta & caput adolerentur; tum quod illa quæ ex secundo ariete primum super volis Aharonis & filiorum ejus agitarentur, & quod aliquæ partes ex illo comederentur; expendat qui velit, annon talia fuissent terrestria nullius rei si non involvissent sancta arcana; & si sancta arcana, omnino erunt talia, quæ sunt cœli & Ecclesiæ, & in supremo sensu quæ sunt Domini, nam hæc solum sancta sunt, quia Divina; si fides sit, quod Verbum sit sanctum, & a Divino quoad omnia & singula inspiratum, etiam fides erit, quod omnia & singula, quæ de sacrificiis & holocaustis instituta sunt, intus in se comprehendant & contineant talia: quid autem comprehendunt & continent in se, nequaquam sciri potest in terris, nisi sciatur quid per talia significatur in cœlis; quid autem significatur, docet solus sensus internus Verbi, quoniam hic evolvit correspondentias; omnia enim quæ in

naturali

naturali mundo sunt, correspondent illis quæ in spirituali mundo, ex causa quia ille ex hoc existit & subsistit. Quid autem Sacrificia & Holocausta, quæ in hoc Capite describuntur, involvunt, ex evolutione correspondentiarum per sensum internum in serie dicetur. In supremo sensu, in quo omnia Sancta Divina sunt, agitur de Glorificatione Humani Domini, ac in sensu repræsentativo de Regeneratione hominis; ipse Processus Glorificationis Humani Domini ac Regenerationis hominis, plene per illa quæ de sacrificiis & holocaustis mandata sunt, describuntur: qui processus ut capiatur, illum exponere licet per talia, quæ cadere possunt in intellectum: notum est, quod visa oculis & audita auribus appercipiantur intus apud hominem, & quasi transeant e mundo per oculos aut per aures in cogitationem, ita in intellectum, nam cogitatio est intellectus; & si talia sunt quæ amantur, inde transeunt in voluntatem, ac dein e voluntate per viam intellectualem in loquelam oris, & quoque in actum corporis; talis circulus rerum est e mundo per naturalem hominem in ejus spiritualem, & ab hoc iterum in mundum: sed sciendum est, quod circulus ille instituatur ex voluntate, quæ est intimum vitæ hominis, & quod ibi inchoet, & inde peragatur, & voluntas hominis qui in bono est, regitur e cœlo a Domino, tametsi aliter apparet; est enim influxus e spirituali mundo in naturalem, ita per internum hominem in ejus externum, non autem vicissim; internus enim homo est in cœlo, externus autem in mundo. Quia hic circulus est circulus vitæ hominis, ideo cum homo regeneratur, secundum eundem regeneratur, & cum regeneratus est, secundum eundem vivit & agit; quapropter, cum regeneratur homo, per auditum & visum insinuantur vera quæ fidei erunt, ac illa implantantur memoriæ naturalis ejus hominis, e memoria illa subducuntur in cogitationem quæ intellectus, & quæ amantur, fiunt voluntatis; & quantum fiunt voluntatis, tantum fiunt vitæ, nam voluntas hominis est ipsa vita ejus, & quantum fiunt vitæ, tantum fiunt affectionis ejus, ita charitatis in voluntate, & fidei in intellectu; postea homo ex illa vita, quæ est vita charitatis & fidei, loquitur & agit, ex charitate quæ est voluntatis exit loquela oris, & quoque actus corporis, utrumque per viam intellectualem, ita per viam fidei: ex his constat, quod circulus regenerationis hominis sit similis circulo vitæ ejus in communi; & quod ille similiter instituatur in voluntate per influxum e cœlo a Domino. Inde quoque patet, quod bini status sint homini qui regeneratur, primus cum implantantur vera fidei, & conjunguntur bono charitatis, alter cum ex bono charitatis per vera fidei loquitur, & secundum illa agit; sic quod primus status sit e mundo per naturalem hominem in spiritualem, ita in cœlum, & alter e cœlo per spiritualem hominem in naturalem, ita in mundum; spiritualis seu internus homo, est, ut supra dictum est, in cœlo, ac naturalis seu externus homo in mundo; hic circulus est circulus regenerationis hominis, & inde est circulus vitæ spiritualis ejus; de bino illo statu hominis qui regeneratur, videantur citata n: 9274. Ex dictis aliqua idea capi potest de Glorificatione Humani Domini, nam sicut Dominus glorificavit Humanum suum, ita regenerat hominem, quapropter, ut prius aliquoties

ties dictum est, regeneratio hominis est imago glorificationis Domini; inde patet, quod primus status glorificationis Ipsius fuerit, Humanum suum Divinum Verum facere, & unire illud cum Divino Bono quod in Ipso; & quod alter status fuerit ex Divino Bono agere per Divinum Verum, nam per Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini conditur cœlum & conditur Ecclesia; & per illud omnes qui in Ecclesia regenerantur. Hæc sunt, quæ per Sacrificia & Holocausta, & eorum ritualia, de quibus in hoc Capite, describuntur per sacrificium ex juvenco & per holocaustum ex primo ariete, Primus status; & per impletiones manus ex secundo ariete secundus status; & tandem per sacrificium ex juvenco, & per holocausta significatur continuum ejus. Sciendum est, quod apud hominem qui regeneratur, purificatio a malis & inde falsis continue perstet, nam quantum homo a malis & falsis purificatur, tantum implantantur vera quæ fidei, & hæc conjunguntur bono quod charitatis, & tantum dein homo ex bono charitatis agit: purificatio a malis & falsis apud hominem, non est liberatio ab illis, sed est remotio eorum, videatur n: 868. 887. 894. 929. 1581. 2269. 2406. 4564. 8206. 8393. 8988. 9014. 9333. 9446 ad 9451. 9938. Ast apud Dominum non fuit remotio, sed ejectio eorum quæ ex matre traxit, ita plenaria liberatio ab illis, usque adeo ut non amplius filius Mariæ esset, videantur citata n: 9315 fin: Hæc præmissa sunt, ut sciatur quid significatur per impletionem manus ex secundo ariete, de quo nunc sequitur.

10,058. Et imponet Aharon & filii ejus manus suas super caput arietis, quod significet communicationem potentiæ cum toto, constat ex significatione imponere manus, quod sit potentiæ communicatio, translatio & receptio, de qua n: 10,023; ex significatione capitis, quod sit totum cum partibus, de qua n: 10,011, ita omnia & singula quæ per secundum hunc arietem repræsentantur.

10,059. Et mactabis arietem, quod significet præparationem, constat ex significatione mactare, cum de sacrificio & holocausto, quod sit præparatio, de qua n: 10,024.

10,060. Et accipies de sanguine ejus, quod significet Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, in cœlis, constat ex significatione sanguinis, cum de sacrificio & holocausto, quod sit Divinum Verum, de qua supra n: 10,026. 10,033, hic Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Humani Domini, communicatum & receptum in cœlis, nam de hoc in nunc sequentibus agitur. Dictum est supra n: 10,057, quod bini status sint homini qui regeneratur, primus cum implantatur Verum, & hoc conjungitur bono, alter cum homo in bono est, & ex bono agit; cum in hoc statu est, tunc vera apud illum procedunt ex bono, nam ex bono spectat illa, loquitur illa, ac agit illa; in singulis tunc est bonum sicut anima in homine, aut sicut cor in corpore, quod etiam a sapiente percipitur ex loquelis & ex actibus eorum qui in bono sunt; ex hac idea regenerationis hominis aliquantum cogitari potest de glorificatione Humani Domini, nam Dominus ad instar, sicut glorificavit Humanum suum, etiam regenerat hominem, 3130. 3212. 3296.

3296. 3490. 4402. 5680: Primus enim status glorificationis Humani Ipsius fuit implantatio Divini Veri, ac unitio ejus cum Divino Bono; inde Dominus cum in mundo fuit, Humanum suum fecit Divinum Verum, & quoque per unitionem cum Divino Bono, quod in Ipso, fecit illud Divinum Bonum, videantur citata n: 9199 fin: 9315 fin: secundus status glorificationis Ipsius est, quod ex Divino Bono procedat Divinum Verum, quod est Divinum Ipsius in cœlis: Primus status glorificationis Humani Domini describitur in sensu interno per illa quæ de sacrificio ex juvenco, & de holocausto ex ariete primo, dicta sunt, de quibus in hoc Capite Vers: 10 ad 18; secundus autem status describitur per illa quæ de ariete secundo, qui vocatur aries impletionum, nunc sequuntur. Inde patet, quod per sanguinem hic significetur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, communicatum & receptum in cœlis.

10,061. Et dabis super auriculam auris Aharonis, & super auriculam auris filiorum ejus dextræ, quod significet omne perceptivum Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini in cœlis, constat ex significatione sanguinis, qui dabatur super auriculam auris, quod sit Divinum Verum in Cœlis & in Ecclesia procedens ex Divino Bono Domini, de qua nunc supra n: 10,060; ex significatione auris, quod sit perceptivum, de qua n: 9397, hic perceptivum Divini Veri in cœlis & in Ecclesia, nam omne perceptivum ibi est illius; in specie hic intelligitur perceptivum in Regno cœlesti, nam ibi percipitur verum ex bono, videantur citata n: 9277; ex significatione auriculæ, quæ est extremum auris, quod sit totum seu omne, nam sicut per primum seu supremum significatur totum seu omne, ita quoque per ultimum seu extremum, videatur supra n: 10,044; & ex significatione dextræ auris, quod sit perceptivum veri ex bono; quod auris dextra id sit, est causa quia illa quæ a dextro latere hominis sunt, correspondent bono ex quo vera, & quæ a sinistro, correspondent veris per quæ bonum, n: 9604. 9736; ita in cerebro, ita in facie & in organis sensoriis ibi, ita in pectore, ita in lumbis, ac ita in pedibus; qui hoc arcanum non scit, nequaquam scire potest, cur mandatum quod sanguis daretur super auriculam *auris dextræ*, super pollicem *manus dextræ*, & super pollicem *pedis dextri* Aharonis & filiorum ejus; & quod ex ariete hoc præter adipem *armus dexter* adoleretur super altari, de quo in sequentibus hujus Capitis, Vers: 22. 25. Similiter quod sanguis e sacrificio daretur super auriculam *auris dextræ* mundandi a lepra, ac super pollicem *manus dextræ*, & super pollicem *pedis dextri* ejus: & quod sacerdos oleum ex logo funderet super *volam suam sinistram*, ac intingeret *digitum dextrum* oleo quod *super vola ejus sinistra*, & spargeret id *digito suo dextro* septem vicibus coram Jehovah," Levit: XIV: 14 ad 18. 25 ad 28. Nec scire potest, quid significat quod Dominus dixerit ad discipulos cum piscarentur, *quod mitterent rete in dextras partes navigii*, & cum miserunt, quod tantum ceperint, ut præ multitudine piscium non valuerint trahere rete," Joh: XXI: 6; per hoc repræsentabatur, quod ex bono agere & docere, sit concludere innumerabilia quæ veri sunt, non autem vicissim. Illi etiam qui

qui in veris sunt ex bono, intelliguntur *per oves quæ a dextris*, at qui in veris sunt & non ex bono, intelliguntur *per hircos qui a sinistris*," Matth: xxv: 32. Per dextram etiam intelliguntur qui in luce veri sunt ex bono, apud Davidem, " Tui cœli, & Tua terra, orbem & plenitudinem ejus Tu fundasti, Septentrionem & *dextram Tu creasti*," Psalm: LXXXIX: 13, per cœlos, terram, & orbem, significatur Ecclesia, n: 9325, per plenitudinem omne verum & bonum, quæ faciunt Ecclesiam; per septentrionem illi ibi qui in statu obscuro sunt quoad verum, n: 3708, & per dextram illi, qui in luce veri sunt ex bono, ita simile quod per meridiem, n: 9642. Inde constare potest, quid per sedere a dextris Dei, ubi de Domino, significatur, Psalm: cx: 1. 5. Matth: xxvi: 63. 64. Marc: xii: 36. Cap: xiv: 61. 62. Luc: xx: 42. 43, quod nempe Divina Potentia per Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipsius, n: 3387. 4592. 4933. 7518. 8281. 9133. Quoniam pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque dextrum & sinistrum, & in eo sensu dextrum significat malum ex quo falsum, & sinistrum falsum per quod malum, ut apud Sachariam, " Væ pastori nihili deserenti gregem, gladius super brachio ejus, & *super oculo dextro ejus*, brachium ejus arefaciendo arefiet, & *oculus dexter ejus* caligando caligabit," xi: 17; brachium ibi pro potentia veri applicati ad confirmandum malum, de qua potentia quia est nihili, dicitur quod arescendo arefiet; & oculus dexter est scientia boni applicati ad confirmandum falsum, de qua scientia; quia est nihili, dicitur quod caligando caligabit; pastor est qui docet vera, & per illa ducit ad bonum, n: 343. 3745. 6044, inde pastor nihili est qui docet, ac ducit ad malum; brachium est potentia quæ veri ex bono, n: 4931 ad 4937. 7205; at brachium pastoris nihili est nulla potentia; oculus est intellectus & perceptio veri, n: 4403 ad 4421: 4523 ad 4534. 9051; at oculus dexter pastoris nihili est scientia boni absque intellectu & perceptione ejus, quia applicatur ad falsum, caligo est falsum ex malo, n: 7711. Apud Matthæum, " Jesus dixit, *si oculus tuus dexter scandalizaverit te*, erue illum, & abjice abs te, & *si dextra tua scandalizaverit te*, amputa illam & abjice abs te; melius est tibi unum membrorum tuorum pereat, & non totum corpus tuum conjiciatur in gehennam," v: 29. 30, oculus dexter est intellectus & fides falsi ex malo, & dextra est ipsum falsum ex malo; quisque scire potest, quod hic non oculus per oculum intelligatur, & non dextra per dextram, & quod oculus scandalizans non eruendus, & dextra scandalizans non amputanda, nam inde nihil salutis homini. Apud Johannem, " Bestia dedit omnibus characterem *super manum dextram*, aut super frontes eorum," Apoc: xiii: 16, dextra hic est falsum ex malo, & frons est amor mali ex quo falsum; quod frons sit amor cœlestis, & inde in opposito sensu amor infernalis, videatur n: 9936.

10,062. Et super pollicem manus eorum dextræ, quod significet intellectuale inde in cœlo medio, constat ex significatione pollicis manus, quod sit potentia boni per verum, seu verum in sua potentia ex bono, & inde intellectuale, de qua sequitur; quod sit intellectuale in cœlo medio, est quia

per sanguinem, qui dabatur super pollicem manus significatur Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini in cœlis, de qua supra n: 10,060; hic itaque intellectuale inde; nam per sanguinem super auriculam auris dextræ significatur perceptivum in cœlo intimo; inde per sanguinem super pollicem manus dextræ significatur intellectuale in cœlo medio; & per pollicem pedis dextri significatur intellectuale in cœlo ultimo; nam illa quæ sunt cœli intimi significantur per caput, & per illa quæ capitis sunt, hic itaque perceptivum ejus per aurem dextram, nam hæc est capitis; & illa quæ cœli medii sunt significantur per corpus & per illa quæ corporis sunt, hic itaque intellectuale per manum dextram; & illa quæ cœli ultimi sunt significantur per pedes, & per illa quæ pedum; quod talis correspondentia sit cœlorum cum homine, videatur supra n: 10,030, ac in locis citatis ibi. In cœlo intimo etiam est perceptivum veri ex bono; in cœlo autem medio non est perceptivum veri sed est intellectuale ejus, pariter in cœlo ultimo, videantur loca citata n: 9277. 9596. 9684. Quod pollex manus dextræ significet verum ex bono in sua potentia, ac inde intellectuale in cœlo medio, apparet quidem sicut inferius & non tanti, ut cœlum significetur, nam autumari potest, unde pollicis tanta & talis significatio; sed sciendum est, quod ultimum seu extremum alicujus membri significet idem cum toto membro, & manus totam potentiam corporis, ac corpori potentia est per brachia & manus; quod ultimum seu extremum significet omne & totum, similiter ac primum & supremum, videatur supra n: 10,044. Quod manus significent potentiam, & quod omnis potentia sit veri ex bono, videantur citata n: 10,019, & quod manus dextra significet potentiam veri ex bono, & manus sinistra verum per quod bonum, n: 10,061: quod intellectuale sit quod intelligitur, est quia omne intellectuale formatum est ex veris, omne autem voluntarium ex bonis, nam omnia in mundo & in cœlo se referunt ad verum & ad bonum, ac intellectus hominis datus est pro veris, & voluntas pro bonis; ideo quia per manus significatur verum in sua potentia, etiam significatur intellectus. Quia pollex manus, similiter ac manus, significabat potentiam quæ est veri ex bono, ideo antiquo tempore apud gentes, & quoque apud populum Israeliticum in usu fuit amputare pollices manuum, & pollices pedum ab hostibus suis," Judic: 1: 6. 7, per quod repræsentabatur ablatio omnis potentiæ; in pollice etiam est primaria potentia manus, nam illo amputato, manus non amplius valet ad bellum. Sicut pollex, etiam digiti significant potentiam, ut apud Davidem, "Jehovah docet manus meas pugnas, & *digitos meos bellum,*" Psalm: CXLIV: 1: apud Eundem, "Quando aspicio cœlos, *opus digitorum tuorum,*" Psalm: VIII: 4. Apud Lucam, "Jesus dixit, si *per digitum Dei* ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos Regnum Dei," XI: 20.

10,063. Et super pollicem pedis eorum dextri, quod significet intellectuale in cœlo ultimo, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,062, dicta & ostensa sunt.

10,064. Et

10,064. Et ſparges ſanguinem ſuper altare circumcirca, quod ſignificet unitionem Divini Veri cum Divino Bono, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, cum de ſacrificio & holocauſto, quod ſit Divinum Verum, de qua ſupra n: 10,026. 10,033; & ex ſignificatione Altaris, quod ſit repræſentativum Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 9964: cum dicitur Divinum Bonum, intelligitur etiam Divinus amor, nam omne bonum eſt amoris, quicquid enim amatur, hoc percipitur ut bonum, & inde quoque vocatur bonum; omne autem verum eſt fidei, nam quicquid creditur, hoc appercipitur & quoque dicitur verum; inde ſequitur, quod illa quæ intellectum hominis formant, ſint fidei, & illa quæ voluntatem, ſint amoris, nam intellectus hominis dicatus eſt recipiendis veris quæ fidei, ac voluntas ejus dicata eſt recipiendis bonis quæ amoris: talis itaque eſt intellectus hominis, qualis ſunt vera quæ formant illum, & qualis eſt fides eorum; & talis eſt voluntas hominis qualia ſunt bona quæ faciunt illam, & qualis eſt amor illorum: in oppoſito ſenſu eſt amor mali & fides falſi, inde etiam voluntas & intellectus, ſed talis eſt intellectus quale eſt falſum quod format illum, & qualis eſt fides falſi; ac talis eſt voluntas, quale eſt malum quod facit illam, & qualis eſt amor mali; quod voluntas mali ac intellectus falſi ſint ex inferno, ac quod ſint infernum apud hominem, patet, quia ſunt oppoſita intellectui veri & voluntati boni, quæ ſunt ex cœlo a Domino, & ſic quæ faciunt cœlum apud hominem.

10,065. Et accipies ex ſanguine qui ſuper altari, quod ſignificet Divinum Verum unitum Divino Bono in Domino, conſtat ex ſignificatione ſanguinis ſuper altari, quod ſit Divinum Verum unitum Divino Bono, de qua mox ſupra n: 10,064. Quomodo cum his ſe habet, in mox ſequentibus dicetur.

10,066. Et ex oleo unctionis, quod ſignificet Divinum Bonum Divini amoris, quod in Domino, conſtat ex ſignificatione olei unctionis, quod ſit repræſentativum Divini Boni Divini amoris quod in Domino, de qua n: 9954. 10,019.

10,067. Et ſparges ſuper Aharonem, & ſuper veſtes ejus, quod ſignificet unitionem reciprocam Divini Boni ac Divini Veri in cœlis ſuperioribus, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9806, quod eſt Divinum Bonum Domini in Regno cœleſti, de qua n: 9966, ſeu quod idem, in cœlis ſuperioribus; & ex ſignificatione veſtium Aharonis, quod ſint repræſentativum Regni ſpiritualis Domini adjuncti Regno cœleſti Ipſius, de qua n: 9814; & ex ſignificatione ſpargere ſuper illos, quod ſit unire, nam quod ſpargebatur & fundebatur ſuper aliquem, hoc repræſentabat unitionem, ſicut etiam prius, quod ſanguis ſpargeretur ſuper altare circumcirca n: 10,064. Quod ſit Divinum Humanum Domini in cœlis quod intelligitur, eſt quia hic & in nunc ſequentibus agitur de Divino Domini in cœlis, ac de unitione Ipſius cum angelis ibi, ita de altero ſtatu glorificationis Humani Domini, videatur n: 10,057, idcirco hic per Aharonem repræſentatur Dominus quoad Divinum Bonum in Regno cœleſti, & per veſtes ejus quoad Divinum Verum in Regno ſpirituali ad-

juncto Regno cœlesti, ita quoad utrumque in cœlis superioribus; quod sit Divinum Humanum a quo illa, est quia non aliud Divinum in cœlis, quam Divinum Humanum Domini agnoscitur & colitur, nam Divinum, quod Dominus Patrem suum vocavit, fuit Divinum in Ipso: quod in cœlis non aliud Divinum, quam Dominus quoad Divinum Humanum agnoscatur & colatur, constare potest a Domini Verbis pluries apud Evangelistas, ut ex his, "*Omnia tradita Mihi a Patre*" Matth: XI: 27. Luc: X: 22. "*Pater omnia dedit in manum Filii,*" Joh: iii: 34. 35. "*Pater dedit Filio potestatem omnis carnis,*" Joh: XVII: 2: "*Sine Me non potestis facere quicquam,*" Joh: XV: 5. "*Pater, omnia mea tua sunt, & omnia tua mea,*" Joh: XVII: 11. "*Data est Mihi omnis potestas in cœlis & in terra,*" Matth: XXVIII: 16. Jesus dixit ad Petrum, "*Dabo tibi claves Regni cœlorum, ut quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis,*" Matth: XVI: 19. Quod ita sit, etiam patet ex eo, quod nemo possit per fidem & amorem conjungi Ipsi Divino absque Divino Humano; ipsum enim Divinum, quod Pater vocatur, non cogitari potest, quia est incomprehensibile, & quod non cogitari potest, hoc non cadit in fidem, ita nec in amorem, cum tamen principale omnium cultus est credere in Deum, & amare Ipsum super omnia: quod Ipsum Divinum, quod Pater, sit incomprehensibile, etiam docet Dominus, apud Johannem, "*Deum nemo vidit unquam,* Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit," i: 17: apud Eundem, "*Neque vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis,*" V: 37. Et quod Ipsum Divinum, quod Pater, comprehensibile sit in Domino per Divinum Humanum Ipsius, apud Johannem, "*Qui videt Me, videt Ipsum qui misit Me,*" XII: 45: apud Eundem, "*Si cognovistis Me, & Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Illum, & vidistis Illum; qui videt Me, videt Patrem,*" XIV: 6 ad 11. Et apud Matthæum, "Omnia Mihi tradita sunt a Patre meo, & *nemo cognoscit Filium nisi Pater,* neque *Patrem quisquam cognoscet nisi Filius*; & cui voluerit Filius revelare," XI: 27. Luc: X: 22; quod etiam dicatur, quod nemo cognoscat Filium nisi Pater, est quia per Filium intelligitur Divinum Verum, & per Patrem Divinum Bonum, utrumque in Domino, ac unum non potest cognosci nisi ab altero, quapropter Dominus primum dicit, quod omnia Ipsi tradita sint a Patre, & dein quod ille cognoscit cui Filius vult revelare; quod Filius sit Divinum Verum, & Pater Divinum Bonum, utrumque Domini, videatur n: 2803. 2813. 3704. 7499. 8328. 8897. 9807: ex his nunc patet, quod Divinum in cœlis sit Divinum Humanum Domini. Nunc dicetur, quid repræsentabatur per quod aspergeretur sanguis ex ariete secundo super altare circumcirca, & quod acciperetur ex illo sanguine & ex oleo unctionis, & spargeretur super Aharonem & super vestes ejus; quod significaverint unitionem Divini Veri cum Divino Bono, ac Divini Boni cum Divino Vero cum Divino Humano Domini, patet ex illis quæ supra n: 10,064. 10,065. 10,066. 10,067, dicta & ostensa sunt; sed arcanum, quod in eo latet, nondum detectum est; arcanum est, quod unitio reciproca fuerit Divini Boni & Divini Veri, ita Ipsius Divini quod

Pater

Pater vocatur, ac Divini Veri quod Filius: unitio Divini Veri cum Divino Bono significatur per sparsionem sanguinis super altare, n: 10,064; hæc unita significantur per sanguinem super altari, ex quo acciperetur, n: 10,065; & per oleum unctionis, per quod significatur Divinum Bonum, n: 10,066; inde unitio reciproca Divini Veri ac Divini Boni in Divino Humano Domini, significatur per sparsionem illius sanguinis, ac simul olei unctionis super Aharonem & super vestes ejus, n: 10,067, pr. Quod unitio fuerit reciproca, constat manifeste a Domini Verbis in sequentibus his locis; apud Johannem, "*Pater & Ego unum sumus*; si itaque Mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, *quod Pater in Me & Ego in Patre*," x: 30. 38: apud Eundem, "Nonne credis *quod Ego in Patre & Pater in Me*: credite Mihi, quod *Ego in Patre & Pater in Me*," xiv: 6 ad 11: apud Eundem, "Jesus dixit, Pater, venit hora, *glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te: omnia Mea Tua sunt, & omnia Tua Mea*," xvii: 10. 11: apud Eundem, "Nunc glorificatus est Filius hominis, & *Deus glorificatus est in Ipso, & Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso*," xiii: 31. 32; ex his constare potest, quod Divinum Bonum Divini amoris, quod Pater, unitum sit Divino Vero, quod est Filius, reciproce in Domino; ac inde quod Ipsum Humanum Ipsius sit Divinum Bonum: simile etiam significatur per quod *exiverit ex Patre, & venerit in mundum, & quod eat ad Patrem*," Joh: xvi: 27. 28. Ac *quod omnia Patris Ipsius sint*," Joh: xvi: 15. Et *quod Pater & Ipse unum sint*," Joh: x: 30. Sed hæc melius capi possunt ex conjunctione reciproca boni & veri apud hominem qui regeneratur a Domino, nam, ut prius dictum est, Dominus regenerat hominem, sicut Ipse glorificavit Humanum suum n: 10,057; cum Dominus regenerat hominem, insinuat verum quod erit fidei in Intellectuale hominis, ac bonum quod erit amoris in Voluntarium ejus, ac inibi conjungit illa, ac cum conjuncta sunt, tunc verum quod fidei habet suam vitam ex bono quod amoris, & bonum quod amoris habet suum quale vitæ ex vero quod fidei; hæc conjunctio peragitur reciproce per bonum, & vocatur conjugium cœleste, & est cœlum apud hominem: in cœlo illo habitat Dominus ut in suo, nam omne bonum amoris est ab Ipso, & quoque omnis conjunctio veri cum bono; in aliquo proprio hominis Dominus non habitare potest, quia id est malum: hæc reciproca conjunctio est quæ intelligitur per Domini verba apud Johannem, "In die illo cognoscetis quod Ego in Patre meo, *& vos in Me, & Ego in vobis*," xiv: 20: & apud Eundem, "Omnia Mea Tua sunt, & Tua Mea, sed glorificatus sum in illis, ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & *Ego in* illis, *& illi in nobis* unum sint," xvii: 10. 21: reciproca conjunctio ita describitur, sed usque non intelligitur quod homo se conjungat Domino, sed quod Dominus conjungat sibi hominem qui desistit a malis, nam desistere a malis, juri hominis relictum est, & cum desistit, tunc fit conjunctio reciproca veri quod fidei & boni quod amoris a Domino, & prorsus non ab homine; nam quod homo a se nihil boni facere possit, & sic a se nihil veri recipere in bono, notum est in Ecclesia; hoc etiam confirmat Dominus apud Johannem, "*Manete in Me, & Ego in*

vobis; qui *manet in Me & Ego in illo*, hic fert fructum multum; quia *sine Me non potestis facere quicquam*," xv: 4. 5. Reciproca hæc Conjunctio illustrari potest ex conjunctione intellectus & voluntatis apud hominem; intellectus ejus formatur ex veris, & voluntas ex bonis, ac vera sunt fidei apud illum, & bona sunt amoris; homo haurit vera ex auditione per auditum, & ex lectione per visum, & reponit illa in memoria, vera illa sunt vel status civilis, vel status moralis, & vocantur scientifica; amor hominis qui est voluntatis ejus, per intellectum introspicit in illa ibi, & inde eligit talia, quæ cum amore concordant, & illa quæ eligit, arcessit ad se, ac conjungit sibi, & per illa corroborat se indies; vera sic ab amore vivificata faciunt intellectuale ejus, & ipsa bona quæ sunt amoris faciunt voluntarium ejus; suntque bona amoris sicut ignes ibi, & sunt vera in peripheriis circumcirca ab amore vivificata sicut lux ex illo igne: per gradus ut vera accenduntur ab illo igne, ita accenditur illis desiderium se conjungendi reciproce; inde reciproca conjunctio, quæ jugiter perstat. Ex his constat, quod bonum quod amoris sit ipsum conjungens, non autem verum quod fidei, nisi quantum hoc ex bono amoris in se habet: sive dicas amorem, sive bonum, idem est, nam omne bonum est amoris, & quod amoris est hoc vocatur bonum; & quoque sive dicas amorem sive voluntatem, etiam idem est, nam quod homo amat, hoc vult. Sciendum est, quod illa quæ sunt status civilis & moralis, de quibus nunc dictum, se conjungant in externo homine; at illa quæ sunt status spiritualis, de quibus prius, se conjungant in interno homine, & dein per internum in externo; nam illa quæ sunt status spiritualis, quæ sunt vera fidei & bona amoris in Dominum, & spectant vitam æternam, communicant cum cœlis, & aperiunt internum hominem, ac tantum & taliter aperiunt, quantum & qualiter vera quæ fidei recipiuntur in bono quod amoris in Dominum, & erga proximum, a Domino: inde patet, quod modo externi homines sint, qui non ea quæ sunt status spiritualis simul imbuunt; & quod mere sensuales qui ea negant, utcunque apparent loqui intelligenter.

10,068. Et super filios ejus, & super vestes filiorum ejus, quod significet unitionem reciprocam Divini Boni & Divini Veri ex Divino Humano Domini in cœlis inferioribus, constat ex eo, quod cum per sparsionem sanguinis ex altari & olei unctiones super Aharonem significetur unitio reciproca Divini Boni & Divini Veri ex Divino Humano Domini in cœlis superioribus, n: 10,067, per similia super filios Aharonis & eorum vestes significetur talis unitio in cœlis inferioribus; nam Divinum Domini in cœlis inferioribus repræsentatur per filios Aharonis, cum Divinum Domini in cœlis superioribus repræsentatur per ipsum Aharonem; causa quod ita sit, est quia cœli inferiores nascuntur a superioribus, sicut filii a patre, videatur n: 9468. 9473. 7004. 9680. 9683. 9780. Sciendum est, quod per cœlos superiores intelligatur Regnum cœleste Domini, & per cœlos inferiores Regnum spirituale Ipsius: quod cœli in duo Regna distincta sint, pluries dictum & ostensum est. In utroque Regno est Divinum Domini simile, sed quoad receptionem ab Angelis ibi dissimile.

10,069. Et sanctus ille & vestes ejus, & filii ejus & vestes filiorum ejus, quod significet ita Divina omnia in cœlis, constat ex significatione sancti, quod sit quod procedit ex Domino, quoniam Ille est solus Sanctus, de qua n: 9229. 9479. 9680. 9818. 9820. 9956. 9980, ita Divinum; & quia per Aharonem & per vestes ejus, ac per filios ejus & per horum vestes, repræsentabantur sancta seu Divina in cœlis, de quibus supra n: 10,067. 10,068; ideo per illa significantur Divina omnia in cœlis. Quod Aharon, filii ejus, ac vestes eorum sancta dicta fuerint, ex eo quod repræsentaverint sancta Divina constat, quisque enim qui rite expendit, scire potest, quod non sanguis arietis, nec oleum unctionis, aliquem possit sanctificare; nam sanguis & oleum sunt res mortuæ, & sic non afficere possunt interiora hominis; ipsa interiora hominis solum afficiuntur ex veris fidei & ex bono amoris a Domino in Dominum, ita ex Divinis, & hæc sunt quæ sanctificant, quia hæc solum sancta sunt.

10,070. Et accipies de ariete adipem, quod significet bonum in cœlis, constat ex significatione adipis, quod sit bonum, de qua n: 10,033; quod sit in cœlis, est quia per impletionem manus ex secundo ariete, significatur Divinum procedens a Domino in cœlis, n: 10,057.

10,071. Et caudam, quod significet verum ibi omne, constat ex significatione caudæ arietis, quod sit verum; quod cauda sit verum, est quia est ultimum, ac in ultimis est verum, n: 9959: cauda etiam est ultimum cerebri & cerebelli, hæc enim continuantur in medullam spinæ, quæ etiam terminatur in caudam, quæ sic est ultima appendix eorum; ideo dicitur, quod in Sacrificiis *cauda removeretur juxta spinam dorsi*," Levit: III: 3. Quod Cauda significet verum in ultimis, & in opposito sensu falsum, constat ex his locis; apud Esaiam, " Exscindet Jehovah ex Israele *Caput* & *Caudam*, senex & honoratus *Caput* est, *propheta autem doctor mendacii cauda est*," IX: 13. 14; exscindere caput & caudam, in spirituali sensu est bonum & verum; agitur enim de Ecclesia, qua devastata Caput significat malum, & cauda falsum; quod Caput sit bonum, videatur n: 4936. 4939. 5328. 9913. 9914; similiter senex n: 6523. 9404; quod propheta sit qui docet verum, ita abstracte verum, n; 2534. 7269; in opposito igitur sensu Caput est malum, similiter senex & honoratus qui facient illud; & cauda est falsum, similiter propheta, unde propheta mendacii dicitur, mendacium enim est falsum. Apud Eundem, " Non erit Ægypto opus, *quod faciat caput & caudam*," XIX: 15; Ægyptus pro illis qui per ratiocinia ex scientificis intrare volunt in vera & bona fidei, & non ex revelatis, ita non ex fide horum, n: 1164. 1165. 1186; non opus quod facit caput & caudam, pro quod illis nec bonum nec verum; quod cauda sit verum in ultimis; patet ex significatione ejus in sensu opposito, in quo cauda est falsum, apud Johannem, " *Locustæ caudas habebant similes scorpiis*, & *stimuli erant in caudis earum*, & potestas illarum ut damno afficerent hominem," Apoc: IX: 10; caudæ similes scorpiis, & stimuli in caudis, sunt ratiocinia callida ex falsis per quæ persuadent, & sic nocent, quare dicitur quod potestas illarum sit damno afficere homines; quod etiam locusta sit

sit falsum in extremis, videatur n: 7643. Apud Eundem, "*Caudæ equorum* similes erant serpentibus, habentes capita, & per illas damno afficiunt," Apoc: IX: 19; Caudæ similes serpentibus etiam hic pro ratiociniis ex falsis, per quæ damnum infertur. Apud Eundem, "*Caudæ draconis traxit tertiam partem stellarum cœli*, & projecit in terram," Apoc: XII: 3; Cauda draconis pro veris falsificatis, imprimis per applicationem ad mala; stellæ sunt cognitiones veri & boni, quæ falsificantur; projicere in terram, est destruere.

10,072. Adipem tegentem intestina, quod significet bonum in ultimis, constat ex significatione adipis, quod sit bonum, de qua n: 10,033; & ex significatione intestinorum, quod sint ultima, & infima, de qua n: 10,030. 10,049.

10,073. Et reticulum jecoris, quod significet bonum interius naturalis hominis purificatum, constat ex significatione reticuli jecoris, quod sit bonum interius externi seu naturalis hominis, de qua n: 10,031; quod sit bonum purificatum, est quia jecur est organum purificatorium, n: 10,031; & quia per renes significatur verum purificatum, n: 10,032, inde etiam dicitur, quod reticulum illud juxta renes removebitur, Levit: III: 4. 10. 15.

10,074. Et duos renes, & adipem qui super illis, quod significet verum interius naturalis hominis purificatum & ejus bonum, constat ex significatione renum, quod sint verum interius externi seu naturalis hominis; & ex significatione adipis qui super illis, quod sit bonum ejus, de quibus supra n: 10,032: quod sit verum purificatum, quod significatur per renes, est quia renes sunt organa purificantia sanguinem, n: 10,032, & sanguis est verum, n: 9393. 10,026.

10,075. Et armum dextrum quod significet bonum intimum, constat ex significatione armi dextri, quod sit bonum intimum: quod armus dexter sit bonum intimum, est quia armi animalium idem significant cum lumbis & femoribus apud hominem, ac lumbi & femora apud hominem significant amorem conjugialem, ac inde bonum amoris cœlestis, quod bonum est bonum intimi cœli, videatur n: 3021. 4277. 4280. 4575. 5050 ad 5062. 9961, ac lumbus dexter & femur dextrum bonum intimum ibi; nam quæ a dextris hominis sunt ex correspondentia significant bonum ex quo verum, & quæ a sinistris ejus verum per quod bonum; & inde quæ in medio sunt, significant conjunctionem utriusque, seu boni & veri. Inde quoque constare potest, quod armi sint partes posteriores animalis, ubi genitalia eorum, non autem partes anteriores, nam hæ vocantur pectus. Quia armus dexter significat bonum intimum seu bonum cœleste, ideo cum sublatus est e sacrificio, & datur Aharoni, vocatur unctio ejus, apud Moschen, "*Armum dextrum* dabitis sublationem sacerdoti de sacrificiis eucharisticis vestris: pectus motitationis, & *armum sublationis* accepi a cum filiis Israelis de sacrificiis eucharisticis eorum; dedi ea Aharoni sacerdoti, & filiis ejus in statutum sæculi; *hæc Unctio Aharonis* & *Unctio filiorum ejus* de ignitis Jehovæ," Levit: VII: 32. 34. 35; pectus & armus dicuntur unctio, ob repræsentationem boni spiritualis & boni cœlestis, nam pectus ex correspondentia significat bonum spirituale,

ſpirituale, quod eſt bonum medii ſeu ſecundi cœli, & armus dexter bonum cœleſte, quod eſt bonum intimi ſeu tertii cœli, ac unctio eſt repræſentatio Domini quoad Divinum Bonum, n: 9954, 10,019. Etiam *Pectus* & *Armus dexter* dabantur Aharoni ex ſacrificiis primogenitorum bovis, ovis, & capræ. Quod Armus dexter ſignificet bonum intimum, patet etiam ex eo, quod ultimo nominetur; primum enim nominatur cauda, & inteſtina, poſtea reticulum jecoris & renes, & demum armus dexter; quæ primo loco nominantur ſunt maxime externa, quæ ſecundo ſunt interiora, & quod ultimo eſt intimum.

10,076. Quia Aries impletionum ille, quod ſignificet repræſentativum potentiæ Divinæ Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono, ac communicativum & receptivum ejus ibi, conſtat ex ſignificatione arietis, quod ſit internum hominis quoad bonum innocentiæ & charitatis, de qua ſupra n: 9991; nam omnes beſtiæ, aliquid affectionis aut inclinationis apud hominem ſignificant, n: 9280, inde eſt quod qui in charitate & in innocentia ſunt, dicantur oves & agni; aries itaque qui eſt maſculus ovium ſignificat bonum charitatis & innocentiæ in interno homine, ac in ſupremo ſenſu idem in Interno Humani Domini; nam quod in ſenſu interno ſignificat aliquid hominis, ita aliquid Eccleſiæ ſeu cœli apud hominem, hoc in ſenſu ſupremo ſignificat tale eminenter apud Dominum cum in mundo fuit; omnia etiam Verbi in ſenſu intimo agunt de Domino, inde ſanctum Verbi; & ex ſignificatione impletionum manus, quod ſit repræſentativum Divini Veri ex Divino Bono Domini in cœlis, & ejus communicativum cum angelis ibi, ac receptivum ab illis; nam ut prius oſtenſum eſt, ſicut apud hominem qui regeneratur ſunt bini ſtatus, primus cum vera quæ fidei, implantantur bono quod amoris, & conjunguntur, ac alter cum ex bono amoris agit; ſimile eminenter in Domino, primus ſtatus glorificationis Humani Ipſius fuit facere illud Divinum Verum, & conjungere cum Divino Bono quod in Ipſo & Pater vocatum; & ſic fieri Divinum Bonum Divini Amoris, quod Jehovah; alter ſtatus glorificationis Ipſius fuit ex Divino Bono Divini Amoris agere, quod fit per Divinum Verum procedens ex Illo Bono. Quod ad hominem attinet, ille in primo ſtatu imbuitur illis quæ erunt fidei, & ſicut imbuitur illis ex bono, hoc eſt, per bonum a Domino, ita formatur ejus intellectuale; cum vera illa, quæ intellectualis, implantata ſunt & conjuncta bono, tunc venit in ſecundum ſtatum, qui eſt ut ex bono per vera agat: inde patet, qualis eſt alter ſtatus hominis qui regeneratur, quod ſit cogitare & agere ex bono, ſeu quod idem eſt, ex amore, ſeu quod etiam idem eſt, ex voluntate, nam quod vult homo hoc amat, & quod amat hoc bonum vocat: ſed homo tunc primum in altero ſtatu eſt, cum totus eſt a capite uſque ad calcem qualis ejus amor, ita qualis ejus voluntas & inde intellectus; quis unquam credere poteſt, quod totus homo ſit inſtar ſuæ voluntatis & ſui intellectus inde, conſequenter inſtar ſui boni ac inde veri, aut inſtar ſui mali ac inde falſi, nam bonum aut malum formant voluntatem, & verum aut falſum formant intellectum: hoc arcanum ſciunt omnes angeli in cœlis: quod autem

homo id non sciat, est quia nullam cognitionem suæ animæ habet, ac inde nec cognitionem quod corpus formetur ad similitudinem ejus, ac inde quod totus homo talis sit, qualis ejus anima; quod ita sit, manifeste constat ex spiritibus & angelis in altera vita; omnes illi sunt formæ humanæ, ac tales formæ quales sunt eorum affectiones quæ sunt amoris & fidei; & hoc usque adeo, ut qui in bono amoris & charitatis sunt, dici queant amores & charitates in forma: & vice versa, qui in malis sunt ex amoribus sui & mundi, ita in odiis ac similibus, sint odia in forma. Quod ita sit, etiam constare potest ex tribus his, quæ in universa natura ordine sequuntur, quæ sunt Effectus, Causa, & Finis; Effectus omne suum habet ex causa, nam effectus non aliud est, quam causa in forma externa, quoniam cum causa fit effectus, induit se talibus quæ in externis sunt, ut appareat in sphæra inferiore, quæ est sphæra effectuum: similiter se habet cum causa causæ, quæ in sphæra superiore vocatur causa finalis, seu finis, hic est omne in causa, ut sit causa propter aliquid, nam causa non propter aliquid non dici potest causa, nam ad quid alioquin; propter aliquid est finis, qui est primum in causa, & quoque ultimum ejus; inde patet, quod finis sit quasi anima causæ, & quasi vita ejus, consequenter etiam anima & vita effectus: si enim in causa & in effectu non sit quod producit finem, hoc non est aliquid, quia non est propter aliquid, ita est sicut mortuum absque anima seu vita, & tale interit, sicut corpus cum ab illo recedit anima. Similiter se habet apud hominem, ipsa anima ejus est ejus voluntas; causa proxima, per quam hæc producit effectum est ejus intellectus, & effectus qui producitur est in corpore, ita corporis; quod ita sit patet manifeste ex eo, quod id quod homo vult & inde cogitat se sistat convenienter in effectu in corpore, ita cum loquitur ac ita cum agit: ex his iterum patet, quod qualis voluntas hominis, talis sit totus homo: sive dicatur voluntas, sive finis, sive amor, sive bonum, idem est, nam omne id ut finis spectatur, ac amatur, & bonum dicitur, quod homo vult: similiter sive dicatur intellectus, sive causa finis, sive fides, sive verum, etiam idem est, nam quod homo ex voluntate intelligit seu cogitat, hoc pro causa habet, ac credit, & dicit verum. Quando hæc capiuntur, sciri potest, qualis homo, qui regeneratur, est in primo suo statu, & qualis in altero. Ex his aliqua idea haberi potest, quomodo intelligendum, quod Dominus cum in mundo fuit, & glorificavit Humanum suum, primum fecerit id Divinum Verum, ac per gradus Divinum Bonum Divini amoris; ac postea quod ex Divino Bono Divini amoris agat in cœlo & in mundo, ac det illis vitam, quod fit per Divinum Verum quod procedit ex Divino Bono Divini amoris Divini Humani Ipsius, nam ex illo cœli existerunt, & ex illo perpetuo existunt, hoc est, subsistunt; seu quod idem, ex illo cœli creati sunt, & ex illo perpetuo creantur, hoc est, conservantur, nam conservatio est perpetua creatio, sicut subsistentia est perpetua existentia. Talia involvunt etiam hæc verba apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est: & Verbum Caro factum est," i: 1. 3. 14;

Verbum est Divinum Verum; Primus status describitur per quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; alter status per quod omnia per Ipsum facta sint, & quod sine Ipso factum sit nihil quod factum est: similiter se habuit, cum Dominus in mundum venit, ac cœlos in ordinem redegit, & quasi ex novo creavit; quod Dominus per Verbum ibi intelligatur, constat; nam dicitur quod Verbum Caro factum sit. Communicativum & perceptivum Divini Veri procedentis ex Divino Bono Divini amoris Divini Humani Ipsius, est quod intelligitur per impletionem manus, & describitur per repræsentativa hic de secundo ariete. Quia Dominus quoad Divinum Bonum per Aharonem repræsentatur, n: 9806, ideo Glorificatio Domini quoad Humanum suum in processu inaugurationis Aharonis & filiorum ejus repræsentative describitur; status glorificationis primus per illa quæ de Sacrificio ex juvenco, & de holocausto ex ariete primo dicuntur, & status glorificationis alter per illa quæ de ariete secundo, qui aries impletionum vocatur; primus status vocatur Unctio, & alter status vocatur impletio manus; inde quando Aharon & filii ejus per unctionem & per impletionem manus inaugurati sunt in sacerdotium, dicti sunt uncti & quorum implevit manus, ut apud Moschen, "Sacerdos Magnus, *super cujus caput est effusum oleum unctionis*, & *implevit manum suam* ad induendum vestes, caput suum non radet, & vestes suas non diffuet," Levit: xxi: 10; ex his quoque patet, quod impletio manus sit repræsentativum communicationis & receptionis Divini Veri procedentis ex Divino Bono Domini in cœlis, nam dicitur implevit manum suam, & non impletus manu, & quoque implevit manum ad induendum vestes; per Aharonem enim & per unctionem illius repræsentatur Dominus quoad Divinum Bonum, & per vestes ejus simile quod per impletionem manus, nempe Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, quod per vestes id repræsentetur, videatur n: 9814; dissipatio ejus significatur per diffuere illas, ac dissipatio Divini Boni in cœlis per radere caput. Quia influxus & communicatio Divini Veri a Domino, ac receptio ejus in cœlis significatur per impletionem manus, ideo per eam etiam significatur purificatio a malis & falsis; nam quantum homo aut angelus purificatur ab illis, tantum recipit Divinum Verum a Domino; in eo sensu intelligitur implere manum, per hæc apud Moschen, "Filii Levi percusserunt de populo tria millia virorum; & dixit Moscheh, *implete manum vestram hodie Jehovæ*, ad dandum hodie super vos benedictionem," Exod: xxxii: 28. 29; benedici in spirituali sensu est donari bono amoris & fidei, ita recipere Divinum procedens a Domino, n: 2846. 3017. 3408. 4981. 6091. 6099. 8939. Dicitur etiam implere post Jehovam, & per id significatur facere secundum Divinum Verum, ita quoque per id significatur receptivum ejus, apud Moschen, "Fuit Spiritus alius cum Kalebo, & *implevit post Jehovam*," Num: xiv: 24. Deut: i: 36: & alibi, "Jehovah juravit, dicendo, si viderint viri, a filio viginti annorum & supra, terram, quam juravi Abrahamo, Jischako & Jacobo, *quia non impleverunt post Me*, præter Kalebum & Joschuam, *qui impleverunt post Jehovam*," Num: xxxii: 11. 12.

 10,077. Et

10,077. Et tractam panis unam, quod significet bonum cœleste intimum a Domino, constat ex significatione panis, quod sit bonum cœleste, de qua n: 2165. 2177. 3478. 9545; bonum cœleste est bonum amoris in Dominum; hoc bonum, quia est bonum Regni cœlestis, ideo bonum cœleste vocatur.

10,078. Et placentam panis olei unam, quod significet bonum cœleste medium, constat ex significatione placentæ panis olei, quod sit bonum cœleste medium, de qua supra n: 9993.

10,079. Et laganum unum, quod significet bonum cœleste ultimum, constat ex significatione lagani, quod sit bonum cœleste in externo homine, de qua n: 9994, ita ultimum. In cœlis sunt duo distincta Regna, unum vocatur Regnum cœleste, alterum Regnum spirituale, utrumque Regnum est tripartitum est intimum ejus, est medium ejus, & est ultimum ejus; bonum intimum Regni cœlestis significatur per panem, bonum medium per placentas, & bonum ultimum per lagana, videatur supra n: 9993. Dicitur quod acciperent tractam panis unam, & placentam unam, & laganum unum, & quod illa, postquam agitata sunt, adolerentur super holocausto, & quod Aharon & filii ejus residuum panis in corbe comederent ad ostium Tentorii conventus; per hæc significabatur communicativum boni amoris a Domino, & receptivum ejus in cœlis superioribus seu in Regno cœlesti, communicativum per panes illos, qui postquam agitati adolebantur super holocausto, & receptivum ejus per panes qui comedebantur: dicitur tracta panis una, placenta una, & laganum unum, quia Bonum Divinum in se est unum. Nunc etiam dicetur, cur statutum erat, quod non solum adeps arietis & armus ejus dexter adoleretur super altari, sed etiam panes, qui minchæ vocabantur; cum tamen per adipem & per armum significatur æque bonum ac per panes seu minchas; nisi sciatur causa, cur ita factum, videri posset sicut superfluum: sed causa fuit, quod Sacrificia & Holocausta non mandata fuerint, sed permissa, & quod ideo in illis non beneplacitum fuerit in cœlis; ideo minchæ, quæ erant panes, etiam adhibebantur, ut & libamina ex Vino, in quibus beneplacitum, nam Panis significat omne bonum cœleste, & Vinum omne verum ejus; inde etiam est, quod Sacrificia & Holocausta dicta fuerint Panis, & quoque minchæ seu munera, nam in Lingua originali minchæ sunt munera: sed videantur quæ de his prius ostensa sint; nempe quod Sacrificia & Holocausta ab Ebero primum instituta fuerint, & quod inde emanaverint ad posteros Jacobi, n: 1128. 1343. 2818. 4874. 5702: quod Sacrificia & Holocausta non mandata fuerint, sed permissa, n: 2180: quod Sacrificia & Holocausta dicta fuerint Panis, n: 2165. Quod Panis sit bonum cœleste, ac Vinum verum ejus, n: 276. 680. 2165. 2177. 3735. 4217. 4735. 4976. 5915. 6118. 6377. 8410. 9323. 9545; similiter minchah & libamen, n: 4581: inde patet, quod etiam propter illam causam holocausta & sacrificia a Domino abrogata fuerint, ac Panis & Vinum retenta. At sciendum est, quod Caro sacrificii & holocausti in specie significaverit bonum spirituale, ast Panis minchæ bonum cœleste, & quod ideo non modo caro sed etiam panis offererentur.

10,080. E

10,080. E corbe azymorum, quod significet quæ simul in sensuali, constat ex significatione corbis, in quo panes, per quod significantur bona, quod sit sensuale externum, in quo illa simul, de qua n: 9996: & ex significatione azymorum, quod sint quæ purificata, de qua n: 9992.

10,081. Quæ coram Jehovah, quod significet ex Divino Bono Domini, constat ex eo quod Jehovah in Verbo sit Dominus, qui Jehovah dicitur ex Divino Bono, ac Deus ex Divino Vero. Quod omnia illa, quæ hic de secundo ariete dicantur, & vocantur impletiones manus, significent Divinum Domini in cœlis procedens ex Divino Bono Divini amoris Ipsius, patet ex illis quæ supra ostensa sunt. Quod Jehovah in Verbo sit Dominus, videantur citata n: 9373; & quod Dominus Jehovah dicatur ubi agitur de Divino Bono, ac Deus ubi de Divino Vero, n: 2769. 2807. 2822. 4402. 6303. 9167.

10,082. Et pones omnia super volis Aharonis, & super volis filiorum ejus, quod significet agnitionem in cœlis quod illa sint Domini, & a Domino, constat a significatione omnium quæ ex ariete, ut adipes, renes, & armus dexter, ac quæ in corbe, ut panis, placenta, laganum, quod sint Divina Bona ac Divina Vera quæ Domini quia ex Domino, de quibus n: 10,070 ad 10,080; & ex significatione volarum, quod sint quæ ex propria potentia, ita proprium, de qua sequitur; & ex repræsentatione Aharonis & filiorum ejus, quod sint Dominus quoad Divinum Bonum ac inde procedens Divinum Verum, de qua n: 9806. 9807. 10,017. Quod Volæ sint quæ ex propria potentia, ac inde poni super volis sit agnitio quod omnia illa sint Domini & ex Domino, est quia volæ sunt manuum, ac per manus significatur potentia, ac ponere super illis est addicare, ita agnoscere; nam sequitur, quod agitarentur super illis, per quæ significatur inde vita a Divino, ac vita a Divino datur per fidem, cujus primum est agnitio. Quia per manus significatur potentia, sequitur quod per volas manuum significetur plena potentia, quoniam volæ plene comprehendunt; inde cum volæ prædicantur de Domino, ac de Divino Vero procedente ex Divino Bono Ipsius, ut hic, significatur Omnipotentia: inde patet, quod per ponere super volis Aharonis & filiorum ejus, significetur agnitio Omnipotentiæ Domini, ita quod omnia Ipsius sint, quia omnia ab Ipso in cœlis: quod manus sint potentia, videatur n: 4931 ad 4937. 5327. 5328. 6947. 7188. 7189. 7518: quod manus & dextra cum de Domino, sit omnipotentia, n: 3387. 4592. 4933. 7518. 7673. 8050. 8153. 8281. 9133: & quod Divino Vero procedenti a Divino Bono Domini sit omnis potentia, n: 6948. 8200. 9327. 9410. 9639. 10.019.

10,083. Et agitabis illa agitationem coram Jehovah, quod significet inde vitam Divinam, constat ex significatione agitare agitationem, quod sit vivificare, ita vita; & quia dicitur a coram Jehovah, significatur Vita Divina. Quod agitare agitationem sit vivificare seu vitam Divinam dare, constat a locis in Verbo, ubi agitare agitationem dicitur, ut apud Moschen, "Cum adfertis manipulum primitiarum messis vestræ ad sacerdotem, *agitabit manipulum coram Jehovah* in beneplacitum vestri; a crastino sabbathi *agitabit*

illum

illum sacerdos," Levit: XXIII: 10. 11; per messem significatur status veri fidei ex bono, ita status boni, n: 9295, per manipulum primitiarum significatur collectim ejus status; inde per agitari a sacerdote significatur vivificari ad recipiendum benedictionem; omnis enim benedictio vitam a Divino in se habebit, ut sit benedictio. Apud Eundem, "*Aharon agitabit Levitas agitationem coram Jehovah* a cum filiis Israelis, ut sint ad ministrandum ministerium Jehovæ. Statues Levitas ante Aharonem, & ante filios ejus, & *agitabis eos agitationem Jehovæ*: postea venient Levitæ ad ministrandum in Tentorio conventus, & purificabis eos, & *agitabis eos agitationem*: cumque purificati sunt Levitæ, & *Aharon agitavit eos agitationem coram Jehovah*, & expiavit eos ad purificandum eos," Num: VIII: 11. 13. 15. 21; quid agitare agitationem, ex his constare potest, quod nempe sit vivificare per agnitionem, quæ est primum vitæ a Divino apud hominem; cognitio quidem præcedit agnitionem, sed cognitioni nihil vitæ Divinæ inest, priusquam sit agnitio, & dein fides: Levitæ repræsentabant vera ministrantia bono, ac Aharon repræsentabat Bonum cui ministrabant, ideo illi agitabantur, hoc est, vivificabantur; quapropter etiam dicitur quod purificandi, nam veris inerit vita a Divino ut ministrent bono, ac vita illa primum influit per agnitionem. Simile per agitationem auri significatur apud Moschen, "Venerunt viri cum fœminis, & attulerunt fibulam, monile, aurum, cingulum, omnia vasa auri, omnis vir *qui agitavit agitationem auri Jehovæ*," Exod: XXXV: 22; agitare agitationem auri Jehovæ est vivificare per agnitionem, quod Jehovæ, hoc est, Domini esset. Quod agitare agitationem talia significet, est ex correspondentia, omnis namque motus correspondet statui cogitationis; inde progressiones, profectiones, & similia quæ motus sunt, in Verbo significant status vitæ, videatur n: 3335. 4882. 5493. 5606. 8103. 8417. 8420. 8557. Apud Johannem, "Ad lacum Bethesdam jacebat multitudo ingens ægrotorum, & angelus certo tempore descendebat ad lacum, & *commovit aquam*; qui tunc prius ingrediebatur post *motum aquæ*, sanus factus est, quocunque teneretur morbo," V: 2 ad 7; per commovere aquam hic similiter significabatur vivificatio per agnitionem & fidem, ita quoque purificatio per vera; quod motus significet status vitæ, videatur n: 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5604. 7381. 9440. 9967; & quod aquæ sint vera fidei, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 8568. 9323; quod omnes purificationes fiant per vera fidei, n: 2799. 5954 fin: 7044. 7918. 9089; & quod sanationes repræsentaverint restitutiones vitæ spiritualis, n: 8365. 9031 fin: Quoniam per agitationem super volis Aharonis, significatur vivificatio per agnitionem Domini, & quod ab Ipso omnia, ideo de agnitione illa & inde fide, paucis dicetur: a Domino sæpe dictum est, cum ægroti sanabantur, quod fidem haberent, & ut fiat illis secundum fidem, ut Matth: VIII: 10 ad 13. Cap: IX: 2. 22. 27. 28. 29. Cap: XIII: 57. 58. Cap: XV: 28. Cap: XXI: 21. 22. 31. 32. Marc: V: 34. 36. Cap: X: 49. 52. Luc: VII: 9. 48. 49. 50. Cap: VIII: 48. Cap: XVII: 19. Cap: XVIII: 42. 43; causa erat, quia omnium primum est agnoscere, quod Dominus sit salvator mundi, nam absque illa agnitione nemo

recipere

recipere potest aliquid veri & boni e cœlo, ita nec fidem, & quia id omnium primum & essentialissimum est, ideo, ut agnosceretur Dominus cum in mundum venit, cum sanavit ægrotos, interrogavit de fide, & qui fidem habebant, sanabantur, fides erat quod Ipse esset Filius Dei venturus in mundum, & quod ei potestas sanandi & salvandi; omnes etiam sanationes morborum a Domino, cum fuit in mundo, significabant sanationes vitæ spiritualis, ita quæ sunt salvationis, n: 8364. 9086. 9031 fin: Quia agnitio Domini omnium primum vitæ spiritualis est, & essentialissimum Ecclesiæ, & quia absque illa nemo aliquid veri fidei ac boni amoris recipere potest e cœlo, ideo Dominus etiam sæpe dicit, quod qui credit in Ipsum, vitam æternam habeat, & qui non credit, non habeat, ut Joh: I: 1. 4. 12. 13. Cap: III: 14. 15. 16. 36. Cap: V: 39. 40. Cap: VI: 28. 29. 30. 34. 35. 40. 47. 48. Cap: VII: 37. 38. Cap: VIII: 24. Cap: XI: 25. 26. Cap: XX: 30. 31: sed etiam simul docet, quod illi fidem in Ipsum habeant, qui vivunt secundum præcepta Ipsius, sic ut vita inde ingrediatur fidem. Hæc dicta sunt, ad illustrandum & confirmandum quod agnitio Domini, & quod ab Ipso omnis salvatio, sit primum vitæ a Divino apud hominem: primum illud vitæ significatur per agitationes super volis Aharonis.

10,084. Et accipies ea de manu eorum, & adolebis altare super holocausto, quod significet unitionem cum Divino Bono Divini amoris, constat ex significatione accipere de manu eorum, quod sit status post agnitionem, nam cum per agitationem super volis Aharonis & filiorum ejus significatur agnitio per quam vita Divina, per accipere ea de manu eorum significatur status post agnitionem, qui est status conjunctionis cum bono, qui significatur per adolere altare super holocausto; per adolere enim altare significatur conjungi bono, n: 10,052; & per holocaustum significatur & describitur ipsa conjunctio.

10,085. Odor quietis coram Jehovah, quod significet perceptivum pacis, constat ex significatione odoris quietis, cum prædicatur de Jehovah seu Domino, quod sit perceptivum pacis, de qua n: 10,054.

10,086. Ignitum hoc Jehovæ, quod significet ex Divino amore, constat ex significatione igniti Jehovæ, quod sit Divinus amor, de qua n: 10,055.

10,087. Et accipies pectus, quod significet Divinum spirituale in cœlis, & appropriationem ibi, constat ex significatione pectoris, quod sit bonum charitatis, & in supremo sensu Divinum spirituale, de qua sequitur, quod sit appropriatio ejus in cœlis, est quia in nunc sequentibus agitur de carne ex ariete, & de pane ex corbe, quæ non adolebantur super altari, sed cesserunt Moschi, Aharoni & filiis ejus, in portionem, & comedebantur, per quæ significatur appropriatio, processus ejus in nunc sequentibus describitur. Quod per Pectus significetur bonum charitatis, & in supremo sensu Divinum spirituale, est ex correspondentia; caput enim apud hominem correspondet bono amoris in Dominum, quod bonum est bonum intimi cœli, & vocatur Divinum cœleste; Pectus autem correspondet bono charitatis, quod est bonum medii seu secundi cœli, & vocatur Divinum spirituale; ac Pedes corre-

spondet

ſpondet bono fidei, ita bono obedientiæ, quod eſt bonum ultimi cœli, & vocatur Divinum Naturale, de qua Correſpondentia videantur quæ ſupra n: 10,030, oſtenſa ſunt. Quia Pectus ex correſpondentia eſt bonum charitatis, & bonum charitatis eſt ex velle bonum facere, ideo Johannes, qui id bonum repræſentabat *accumbebat ad pectus* ſeu *in ſinu Domini*, Joh: XIII: 22. 25, quo ſignificatur, quod id amaretur a Domino; nam accumbere ad pectus & in ſinu eſt amare: qui id ſcit, etiam ſcire poteſt, quid ſignificant hæc Domini verba ad Petrum & ad Johannem, "Jeſus dixit Simoni Petro, Simon Jona, amaſne Me, dicit, imo Domine, ſcis quod amem Te, dixit illi, paſce agnos meos: dicit illi iterum, Simon Jona, amaſne Me, dicit, imo Domine, ſcis quod amem Te, dixit illi, paſce oves meas: dixit illi tertium, Simon Jona, amaſne Me, contriſtatus eſt Petrus, ideo dixit, Domine Tu omnia noſti, Tu noſti quod amem Te; dicit illi Jeſus, paſce oves meas: amen dico tibi, cum fuiſti junior, cingebas te ipſum, & ambulabas quo volebas; quando autem ſenex ſis, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, quo non vis. Cum hæc dixiſſet, dixit illi, ſequere Me; converſus Petrus *vidit diſcipulum, quem amabat Jeſus, ſequentem*; *qui* etiam *accumbebat in cœna ſuper pectore Ipſius:* hunc videns Petrus, dicit, Domine, hic quid, dixit illi Jeſus, ſi illum volo manere donec venio, quid ad te, *tu ſequere Me*," Johan: XXI: 15 ad 21; quid hæc ſignificant, nemo ſcire poteſt niſi per ſenſum internum, qui docet, quod duodecim diſcipuli Domini repræſentaverint omnia fidei & amoris in complexu, quemadmodum duodecim Tribus Iſraelis, & quod Petrus repræſentaverit fidem, Jacobus Charitatem, & Johannes opera ſeu bona charitatis; quod duodecim diſcipuli Domini repræſentaverint omnia fidei & amoris in complexu, videatur n: 3488. 3858 f: 6397; ſimiliter duodecim Tribus Iſraelis, n: 3858. 3926. 4060. 6335. 6640: quod Petrus repræſentaverit fidem, Jacobus charitatem, & Johannes opera charitatis, Præf: ad Cap: XVIII: & XXII Geneſ: n: 3750. 4738. 6344 fin: & quod Petra, ut Petrus quoque vocatur, ſit Dominus quoad fidem, n: 8581. Quia fides abſque charitate non amat Dominum, & uſque docere poteſt talia quæ fidei & amoris ſunt, & quæ Domini, ideo Dominus ter dixit, amaſne Me, & paſce agnos meos, & paſce oves meas; ac ideo Dominus dicit, cum fuiſti junior, cingebas teipſum, & ambulabas quo volebas; cum autem ſenex eris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo non vis; per quæ ſignificatur quod fidei Eccleſiæ in ſuo ortu, ſit in bono innocentiæ ſicut infans, at cum in ſuo occaſu eſt, qui eſt in fine Eccleſiæ, quod fides non amplius in bono illo eſſet, nec in bono charitatis; & quod tunc malum & falſum ducerent, quæ ſignificantur per quando ſenex eris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis; ita ex libero ſervum fieri; cingere eſt ſcire & appercipere vera in luce ex bono, n: 9952: ambulare eſt vivere ſecundum illa, n: 8417. 8420; inde cingere ſeipſum eſt ambulare quo velit, eſt ex libero agere, & ex libero agere eſt ex affectione veri ex bono, n: 2870 ad 2893. 9585 ad 9591; ac eſt duci a Domino, n: 9096. 9586. 9589. 9590. 9591; at cingi ab alio, & duci quo non velit, eſt ſervum eſſe, &

ſervum

ſervum eſſe eſt agere ex malo, ita duci ab inferno, n: 9096. 9586. 9589. 9590. 9591: quod agni, de quibus Dominus primum dicit, ſint qui in bono innocentiæ, videatur n: 3994; quod oves, de quibus Dominus ſecundo & tertio dicit, ſint qui in bono charitatis & inde fide, n: 4169. 4809; & quod *tria* ſint tota periodus a principio ad finem, n: 2788. 4495. 7715. 9198, ideo quia de Eccleſia ab ortu ejus ad occaſum ejus ad Petrum loquutus eſt, ter dixit amaſne Me. Quod autem Johannes ſequutus ſit Dominum, ſignificabat, quod qui in bonis charitatis ſunt, ſequantur Dominum, & amentur a Domino, nec recedant; at quod illi qui in fide ſeparata, non modo non ſequantur Dominum, ſed etiam indignentur ſuper id, ſicut ibi Petrus; ut taceantur plura arcana, quæ in illis verbis. Ex his etiam patet, quod *accumbere ſuper pectore & in ſinu Domini*, ſit amari ab Ipſo, & quod id dicatur de illis qui in bonis charitatis ſunt; ſimiliter ac *portare in ſinu*, Eſai: XL: 10. 11: & *cubare in ſinu*, 2 Sam: XII: 3.

10,088. De ariete impletionum, qui Aharoni, quod ſignificet repræſentativum potentiæ Divinæ Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono Ipſius, ac communicativum & receptivum ejus ibi, ut ſupra n: 10,076.

10,089. Et agitabis illud agitationem coram Jehovah, quod ſignificet vivificationem, conſtat ex ſignificatione agitare agitationem coram Jehovah, quod ſit vivificatio per agnitionem Domini, & quod Ipſi omnis poteſtas in cœlis & in terris, de qua ſupra n: 10,083. Quod primum Eccleſiæ ſit agnoſcere Dominum, notum eſt, Doctrina enim Eccleſiæ docet, quod abſque Domino nulla ſalus: quod Ipſi omnis poteſtas, docet Verbum multis in locis, ac Ipſe Dominus in his ſequentibus, "*Omnia tradita Mihi ſunt a Patre,*" Matth: XI: 27. Luc: X: 22. *Pater omnia dedit in manum Filii,*" Joh: III: 34. 35. *Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis,*" Joh: XVIII: 2. *Sine Me non poteſtis facere quicquam,*" Joh: XV: 5. *Data eſt Mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra,*" Matth: XXVIII: 16. Jeſus dixit Petro, tu es petra, *dabo tibi claves Regni cœlorum, ut quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis, & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis,*" Mattth: XVI: 19, quod per Petrum ibi intelligatur fides a Domino, ita Dominus quoad fidem, cui illa poteſtas, videatur Præfat: ad Cap: XXII Geneſ: n: 4738. 6344 fin: & quod petra, ut ibi vocatur, ſit Dominus quoad fidem, n: 8581.

10.090. Et erit tibi in portionem, quod ſignificet communicationem cum illis qui in veris Divinis, conſtat ex repræſentatione Moſchis, cui pectus eſſet in portionem, quod ſit Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum quod a Domino, de qua n: 6752. 7010. 7014. 9372; & ex ſignificatione eſſe in portionem, quod ſit communicatio, nam quæ Moſchi, Aharoni, filiis ejus, & populo, dabantur ex ſacrificiis, ſignificabant communicationem ſancti Divini cum illis; & omnis communicatio fit ſecundum quale ejus qui recipit; ita ſecundum quale repræſentationis apud illos qui recipiebant: quod pectus Moſchi datum fuerit in portionem, & armus Aharoni, de quo ſequitur, erat cauſa, quia hic agitur de communicatione ac de appropriatione Divini Veri & Divini Boni a Domino in cœlo & in Eccleſia; ac duo

ſunt quæ recipiuntur ibi, nempe Divinum Verum, & Divinum Bonum, utrumque a Domino, Divinum Verum ab illis qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, ac Divinum Bonum ab illis qui in Regno cœleſti, videantur citata n: 9277. 9684, ideo Pectus dabatur Moſchi in portionem, & Armus Aharoni, per Pectus enim ſignificatur Divinum Verum in Regno ſpirituali Domini, n: 10,087, & per armum Divinum Bonum in Regno cœleſti, n: 10,075, & quoque per Panes in corbe, qui etiam ceſſerunt Aharoni, n: 10,077. Quod Moſcheh repræſentaverit Dominum quoad Divinum Verum, ſupra oſtenſum eſt; & quod Aharon, cum inauguratus eſt in ſacerdotium, repræſentaverit Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n: 9806. Quod Moſchi ceſſerit pectus in portionem, conſtat in Levitico, ubi etiam agitur de inauguratione Aharonis, & filiorum ejus, in ſacerdotium," Moſcheh ſumſit Pectus, & agitavit illud agitationem coram Jehovah, de Ariete impletionum, & fuit Moſchi in portionem, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi," VIII: 29.

10,091. Et ſanctificabis pectus agitationis, quod ſignificet Divinum ſpirituale in cœlo & in Eccleſia agnitum, conſtat ex ſignificatione ſanctificare, quod ſit repræſentare Dominum & ſancta quæ ab Ipſo, de qua n: 9956. 9988; ex ſignificatione pectoris, quod ſit Divinum ſpirituale in cœlo, de qua n: 10,087; & ex ſignificatione agitationis, quod ſit vivificatio per agnitionem, de qua n: 10,083. 10,089, Divinum ſpirituale eſt Divinum Verum in cœlo medio ſeu ſecundo, quod cœlum etiam Regnum ſpirituale vocatur.

10,092. Et armum ſublationis, quod ſignificet Divinum cœleſte quod ſolius Domini, in cœlo & eccleſia perceptum, conſtat ex ſignificatione armi, quod ſit Divinum cœleſte in Cœlo & in Eccleſia, de qua n: 10,075; & ex ſignificatione ſublationis, quod ſit datum & receptum, de qua ſequitur. Divinum cœleſte & Divinum Bonum a Domino in cœlo intimo receptum, quod cœlum etiam Regnum cœleſte dicitur: inde Divinum bonum receptum in cœlo intimo vocatur bonum cœleſte.

10,093. Quod agitatum, & qui ſublatus, quod ſignificet quod agnitum & quod perceptum, conſtat ex ſignificatione agitati, cum dicitur de pectore, quod ſit vivificatum per agnitionem, de qua ſupra n: 10,091; & ex ſignificatione ſublati, quod ſit Divinum cœleſte, quod ſolius Domini, in cœlo & in Eccleſia perceptum, de qua ſequitur. Quomodo cum his ſe habet, paucis dicetur; ſunt duo Regna, ex quibus cœli, cœleſte & ſpirituale; Divinum Verum in Regno ſpirituali agnoſcitur; at in Regno cœleſti percipitur; cauſa quod ita ſit, eſt quia Divinum Verum in Regno ſpirituali recipitur in parte intellectuali, at in Regno cœleſti in parte voluntaria, quod in parte intellectuali recipitur, hoc vocatur agnitum, at quod in parte voluntaria, dicitur perceptum; quod etiam illis ſolum ſit agnitio Divini Veri, at his perceptio ejus, videantur quæ de binis illis Regnis, in locis citatis n: 9277. 9596. 9684, copioſe oſtenſa ſunt. Quod Sublationem attinet, vocatur id ſublatio, quod Jehovæ ſeu Domini erat, & datur Aharoni propter repræſentationem; & quia Aharon repræſentabat Dominum quoad Divinum Bonum, n: 9806, ideo

2 quod

quod ſublatum eſt ex ſacrificiis, & datum Aharoni, repræſentabat Divinum Domini, & quoque vocatur Unctio apud Moſchen, " *Pectus agitationis*, & *armum ſublationis*, accepi a cum filiis Iſraelis de ſacrificiis euchariſticis eorum, & dedi ea Aharoni Sacerdoti & filiis ejus in ſtatutum æternitatis a cum filiis Iſraelis: hæc *Unctio Aharonis*, & *Unctio filiorum ejus* de ignitis Jehovæ, quo die appropinquare feci eos ad fungendum ſacerdotio Jehovæ," Levit: VI: 34. 35; quod dicatur unctio, eſt quia unctio eſt inauguratio ad repræſentandum Dominum quoad Divinum Bonum, videatur n: 9954. 10,019: Etiam alibi apud Eundem, " Loquutus eſt Jehovah ad Aharonem; Ego ecce dedi tibi *cuſtodiam ſublationum mearum*, quoad omnia ſancta filiorum Iſraelis *tibi dedi ea pro unctione*, & filiis tuis. Tibi *ſublatio doni quoad omnem agitationem filiorum Iſraelis*, *omnem adipem olei puri*, & *omnem adipem muſti & frumenti*, *primitiarum*, & quoad *omnes primitias*, quas dabunt Jehovæ, tibi erunt: quoad omne *devotum*; omnem *aperturam uteri quoad omnem carnem*, quam adducent Jehovæ, *ex primogenitis bovis*, *ovis* & *capræ*, caro erit tibi, ſicut *pectus agitationis*, & ſicut *armus dexter*; omnem *ſublationem ſanctorum*. Pars & hæreditas non erit tibi in terra, quia Jehovah pars & hæreditas tibi: tum omnem *ſublationem ex decimis & ex donis*, quæ *data ſunt Levitis*," Num: XVIII: ex his patet, quid ſublationes, quod nempe ita dicta fuerint omnia quæ Jehovæ, hoc eſt, Domini. Et quia Levitæ repræſentabant Divina Vera in Cœlo & in Eccleſia inſervientia Divino Bono, etiam illi dati ſunt Aharoni loco omnium primogenitorum, qui Jehovæ, hoc eſt, Domini erant, de quibus ita apud Moſchen, " Accepi Levitas e medio filiorum Iſraelis, loco omnis primogeniti, aperturæ uteri, de filiis Iſraelis, ut ſint Mihi Levitæ, quia Mihi omne primogenitum; & quia Levitæ dati Mihi, dedi illos datos Aharoni & filiis ejus," Num: III: 12. 13. Cap: VIII: 16. 17. 18. Sublationes dicuntur dona data Jehovæ, hoc eſt, Domino, a cum filiis Iſraelis; ſed intelligitur quod ſint Jehovæ non ex aliquo dono, ſed ex poſſeſſione, quoniam omne ſanctum ſeu Divinum apud hominem, non eſt hominis ſed eſt Domini apud illum; quod omne bonum & verum, ita omne ſanctum Divinum ſit a Domino Deo, & nihil ab homine, notum eſt in Eccleſia, inde patet, quod ſit ex apparentia, quod dicatur donum ab homine; quapropter etiam in mox ſequentibus dicitur, " Quia ſublatio hæc, & ſublatio erit a cum filiis Iſraelis, *ſublatio illa Jehovæ*," per quod ſignificatur, quod ſublatio a filiis Iſraelis ſit ſublatio Jehovæ, ita quod donum ab illis, ſit donum a Domino. Inde patet quid Sublatio.

10,094. De ariete impletionum, de eo qui Aharoni, & de eo qui filiis ejus, quod ſignificet repræſentativum Divinæ potentiæ Domini in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono, conſtat ex illis quæ ſupra n: 10,076, oſtenſa ſunt.

10,095. Et erit Aharoni & filiis ejus in ſtatutum ſæculi a cum filiis Iſraelis, quod ſignificet legem ordinis in Eccleſia repræſentativa quoad Divinum Bonum Domini & inde procedens Divinum Verum, conſtat ex repræſentatione Aharonis & filiorum ejus, quod ſint Dominus quoad Divinum Bonum ac

inde procedens Divinum Verum, de qua n: 9806. 9807. 10,068; ex significatione statuti sæculi, quod sit lex ordinis Divini, de qua n: 7884. 7995. 8357; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua n: 4286. 6426. 6637. 9340; quod sit Ecclesia repræsentativa, est quia apud filios Israelis illa Ecclesia instituta fuit, videantur citata n: 9320 fin:

10,096. Quia sublatio hæc, quod significet repræsentativum Divini Boni ac inde procedentis Divini Veri, constat ex illis quæ mox supra n: 10,093, ostensa sunt.

10,097. Et sublatio erit a cum filiis Israelis de sacrificiis pacificis illorum, sublatio illa Jehovæ, quod significet receptionem in Cœlis & in Ecclesia, & agnitionem quod solius Domini, constat etiam ex illis, quæ supra n: 10,093, ostensa sunt. Ex sacrificiis pacificis dicitur, quia per illa significatur cultus qui ex libero fit; sacrificia enim pacifica seu eucharistica erant sacrificia voluntaria, & quæ voluntaria sunt, ex libero hominis sunt; liberum dicitur quod fit ex amore, ita quod ex voluntate, nam quod homo amat hoc vult: Dominus influit apud hominem in ejus amorem, ita in ejus voluntatem, ac facit, ut quod homo recipit, fit in libero; & quod recipitur in libero, hoc etiam fit liberum, & amat, proinde fit ejus vitæ: inde patet, quid cultus ex libero, qui significatur per sacrificia pacifica seu voluntaria; ita quoque quid sublatio ex illis, quod nempe sit quod solius Domini: quod sacrificia significent omnem cultum in genere, videatur n: 6905. 8936. 10,042; & quod liberum hominis sit quod est amoris illius, n: 2870 ad 2893. 3158. 4031. 7439. 9096. 9585 ad 9591.

10,098. Et vestes sanctitatis quæ Aharoni, quod significet Divinum spirituale immediate procedens ex Divino cœlesti, constat ex significatione vestium Aharonis, quod sint repræsentativum Regni spiritualis Domini adjuncti Regno cœlesti Ipsius, de qua n: 9814; ita quoque Divinum Spirituale, nam Regnum spirituale Domini existit ex Divino Ipsius ibi, quod Divinum spirituale vocatur; universum cœlum nec aliud est quam Divinum Divini, angeli enim, qui ibi, sciunt, agnoscunt, credunt & percipiunt, quod omne bonum fidei & bonum amoris, quæ faciunt cœlum, sint a Domino, & nihil a semet. Vestes illæ dicuntur vestes sanctitatis, quia repræsentabant sancta Divina quæ a Domino: quod Dominus solus Sanctus, quodque omne sanctum sit ab Ipso, & omnis sanctificatio repræsentaverit Ipsum, videatur n: 9229. 9680. 9818. 9820. 9956. 9988; & quod Cœlum inde dicatur Sanctuarium, n: 9479.

10,099. Erunt filiis ejus post illum, quod significet in naturali successive, constat ex significatione filiorum Aharonis, quod sint quæ procedunt ex Divino Bono, ut a Patre, de qua n: 9807. 10,068; & ex significatione post illum, quod sit successive seu in ordine successivo; & cum illa dicuntur de vestibus Aharonis, per quas repræsentatum est Divinum spirituale, n: 10,098, ideo per quod erunt filiis ejus post illum, significatur Divinum spirituale in naturali successive. Sunt enim tria, quæ succedunt in cœlo, quæ ut distincte concipiantur, vocanda sunt suis nominibus, quæ sunt Cœleste, Spirituale, & Naturale;

Naturale; hæc tria procedunt ibi ordine, unum ab altero, ac per influxum unius in alterum ſucceſſive, connexa ſunt, & ſic unum faciunt: Divinum Domini in cœlis ex differentia receptionis illis nominibus vocatur. Quia hic agitur de ariete ſecundo, qui aries impletionum vocatur, & per impletionem manus ſignificatur inauguratio ad repræſentandum Divinum Domini in cœlis, ac communicativum & receptivum ejus ibi, n: 10,019; ideo, ut quoque receptio ejus in naturali deſcribatur, hic nunc agitur de Veſtium Aharonis induitione ſucceſſiva a filiis ejus poſt illum, per quam intelligitur ſucceſſivum ejus rei in cœlis, quæ ſignificatur per impletionem manus: inde patet, quod hæc in ſenſu interno continenter cohæreant, tametſi in ſenſu literæ ſeries rerum, quæ eſt de ariete, hic apparet diſrupta. Quia de ſucceſſivis in cœlo hic agitur, etiam dicetur quid ſucceſſivum; plerique ex eruditis hodie non aliam ideam de ſucceſſivis habent, quam ſicut de continuo, aut ſicut de cohærente per continuum; quia illam ideam de ſucceſſione rerum habent, ideo non concipere poſſunt quale diſcrimen eſt inter exteriora & interiora hominis, proinde nec inter corpus & inter ſpiritum hominis; quapropter cum cogitant de illis ex illis ideis, nequaquam poſſunt intelligere, quod ſpiritus hominis, etiam ſub forma humana poſſit vivere poſt diſſipationem ſeu mortem corporis. Aſt ſucceſſiva non ſe habent continue, ſed diſcrete, hoc eſt, diſtincte ſecundum gradus; interiora enim prorſus diſtincta ſunt ab exterioribus, uſque adeo, ut exteriora poſſint ſeparari, perſiſtentibus uſque interioribus in ſua vita; inde eſt, quod homo poſſit abduci a corpore, & cogitare in ſuo ſpiritu; aut ſecundum formulam ab antiquis uſitatam, abduci a ſenſualibus, & elevari verſus interiora; antiqui etiam ſciverunt, quod cum homo abducitur a ſenſualibus quæ ſunt corporis, ſubducatur ſeu elevetur in lucem ſui ſpiritus, ita in lucem cœli: inde quoque Eruditi antiqui ſciverunt, quod corpore diſſipato viverent vitam interiorem, quam vocarunt Spiritum ſuum; & quia hanc vitam fecerunt vitam ipſam humanam, ſciverunt etiam inde, quod viverent ſub forma humana; talis idea fuit illis de anima hominis: & quia illa vita eſſet affinis vitæ Divinæ, inde perceperunt quod anima illorum eſſet immortalis; ſciverunt enim, quod ea pars hominis, quæ affinis eſſet vitæ Divinæ, & ſic ei conjuncta, nequaquam mori poſſet. Sed hæc idea de anima & de ſpiritu hominis poſt antiqua illa tempora diſparata eſt, ex cauſa, ut ſupra dictum eſt, ob non juſtam ideam ſucceſſivorum: inde quoque eſt, quod qui ex eruditione hodierna cogitant, non ſciant quod ſpirituale, & quod hoc diſtinctum ſit a naturali, nam qui ideam de ſucceſſivis, ſicut de continuo, habent, non aliter poſſunt capere ſpirituale, quam ſicut purius naturale, cum tamen inter ſe diſtincta ſunt, ſicut prius & poſterius, ita ſicut id quod gignit & ſicut id quod gignitur; inde eſt, quod a talibus eruditis non capiatur diſcrimen inter Internum ſeu ſpiritualem hominem, ac inter Externum ſeu naturalem, ita nec inter cogitationem & voluntatem internam hominis & inter cogitationem & voluntatem externam ejus; inde quoque nec aliquid capere poſſunt de fide & amore, de cœlo & inferno, deque vita hominis poſt mortem. At qui juſtam & diſtinctam ideam de ſucceſſivis habent, illi aliquo

modo

modo comprehendere possunt, quod apud hominem, qui regeneratur, interiora successive aperiantur, & quod sicut aperiuntur, etiam eleventur in lucem & vitam interiorem, ac propriorem Divino; & quod aperitio & inde elevatio illa fiat per vera Divina, quæ sunt vasa recipientia boni amoris a Divino; bonum amoris est quod immediate conjungit hominem Divino, nam amor est conjunctio spiritualis; inde sequitur, quod homo sic possit interius & interius aperiri & elevari, sicut in bono amoris a Divino est: & quod vice versa, nulla aperitio & inde elevatio fit apud hominem qui non recipit vera Divina, quod fit si in malo est. Sed de ordine hoc successivo, & de ejus arcanis, alibi, ex Divina Domini Misericordia, plenius dicetur.

10,100. Ad ungendum in illis, quod significet ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Bonum, constat ex significatione unctionis, quod sit inauguratio ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Bonum, de qua n: 9954. 10,019, hic ab illis qui recipiunt Divinum Domini in naturali; nam per quod vestes Aharonis erunt filiis ejus post illum, significatur Divinum spirituale Domini in naturali, n: 10,098. 10,099.

10,101. Et ad implendum in illis manum eorum, quod significet repræsentativum Divini Veri procedentis a Divino Bono Domini, in cœlis, constat ex significatione impletionis manus, quod sit inauguratio ad repræsentandum Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini, ac communicativum & receptivum ejus in cœlis, de qua n: 10,019, hic ab illis qui in ultimis ibi.

10,102. Septem diebus induet illas sacerdos post eum de filiis ejus, quod significet agnitionem & receptionem plenariam, constat ex significatione septem dierum, quod sint status plenus, de qua n: 6508. 9228, ita plenarium; & ex significatione induere vestes post Aharonem de filiis ejus, quod sit repræsentare receptionem Divini spiritualis in Naturali, de qua supra n: 10,098. 10,099.

10,103. Qui intrabit in Tentorium conventus ad ministrandum in sancto, quod significet in omni cultu in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione Tentorii Conventus, quod sit repræsentativum Cœli & Ecclesiæ, de qua n: 9457. 9481. 9485; & ex significatione intrare illuc ad ministrandum in sancto, quod sit cultus, de qua n: 9963. 9964.

10,104. Et arietem impletionum accipies, quod significet repræsentativum potentiæ Divinæ in cœlis per Divinum Verum ex Divino Bono, ac communicativum & receptivum ejus ibi, ut supra n: 10,076.

10,105. Et coques carnem in loco sancto, quod significet præparationem boni ad usus vitæ per vera Doctrinæ in illustratione ex Domino, constat ex significatione coquere, quod sit præparare ad usum vitæ per vera doctrinæ; ex significatione carnis, quod sit bonum, de qua n: 7850. 9127; & ex significatione in loco sancto, quod sit ex illustratione Divina; nam locus sanctus est ubi Divinum Domini præsens est, ita applicate ad vera doctrinæ, ubi illustratio Divina, nam ubi Divinum Domini præsens est, ibi illustratio. Quod coquere carnem sacrificii sit præparare bonum ad usum vitæ per vera doctrinæ, est quia caro, per quam significatur bonum, sic præparatur ad usum

corporis,

c rporis, inde in sensu spirituali, ad usum vitæ: quod præparatio fiat per vera doctrinæ, patet, quoniam illa docent usum; per aquas etiam, in quibus fit coctio, significantur vera, videatur n: 2702. 3058. 3424. 5668. 8568. 9323. Dicitur per vera doctrinæ in illustratione a Domino, quoniam vera ex Verbo in doctrinam concinnanda sunt, ut inserviant usui, quod fiet ab illis qui in illustratione sunt a Domino; ac illi in illustratione sunt, cum legunt Verbum, qui in affectione Veri sunt propter verum, & propter bonum vitæ, & non illi qui propter gloriam sui, famam, aut lucrum, ut fides. Quod Doctrina ex Verbo omnino erit, ut Verbum intelligatur, videatur n: 9025. 9409. 9410. 9424. 9430; & qui doctrinam ex Verbo colligent, erunt in illustratione a Domino, n: 9382. 9424. Quod coquere in aquis, sit redigere vera in doctrinam, & sic præparare ad usum vitæ, apparet ad primum aspectum sicut non conforme & sicut distans; sed usque quod ita sit, constare potest ex locis in Verbo, ubi coquere aquis dicitur, & quoque ubi olla, in qua coctio, nominatur, ut in Libro 2 Regum, "Elisæus rediit ad Gilgalem, cum fames in terra; cum filii prophetarum sederent coram illo, dixit puero suo, *appone ollam magnam, & coque pulmentum filiis prophetarum*, exivit unus in agrum ad colligendum olera, & invenit vitem agrestem, & collegit de illa colychyntidas, & *concidit in ollam pulmenti:* cum comederent de pulmento, clamabant, *mors in olla vir Dei*; quare dixit, ut acciperent *farinam, quam jecit in ollam*, & dixit, effunde populo ut comedant, *tunc non fuit res mala in olla*," IV: 38 ad 42; hoc miraculum, sicut reliqua in Verbo, involvit sancta Ecclesiæ, quæ patefiunt per sensum internum; ex hoc scitur, quod Elisæus repræsentaverit Dominum quoad Verbum, pariter ac Elias; quod filii prophetarum sint qui docent vera ex Verbo; quod olla, quæ jussu Elisæi apponebatur, sit doctrina inde; quod vitis agrestis & inde colychyntides sint falsa; inde patet, quid mors in olla; farina, quam jecit in ollam, est verum ex bono, ex quo quia doctrina emendatur, factum est, quod non esset res mala in olla; inde quoque patet, quod coquere in olla sit conferre in doctrinam, & sic præparare ad usum: quod omnia miracula in Verbo involvant sancta Ecclesiæ, videatur n: 7337. 8364. 9086: quod Elisæus repræsentaverit Dominum quoad Verbum, n: 2762; quod prophetæ sint docentes vera, ita abstracte a personis vera doctrinæ, n: 2534. 7269; quod vitis sit verum Ecclesiæ, & uvæ ejus bonum, n: 5113. 5117. 9277: inde vitis agrestis & colychyntides sunt falsa & mala: quod farina sit verum fidei genuinum ex bono, n: 9995; quod pulmentum, quod coquerent, sit congeries doctrinalium, qualis erat Judæorum, n: 3316: inde concludi potest, quid sit coquere, & quid sit olla. Apud Ezechielem, "Paraboliza contra domum rebellionis parabolam; *appone ollam*, appone, etiamque *infunde in eam aquas*; colligendo frusta in eam, omne frustum bonum, femur & humerum, electione ossium imple, & *coquantur ossa in medio ejus:* sic dixit Dominus Jehovih, væ urbi sanguinum, *ollæ* cujus spuma in ea, & cujus spuma non exit ex ea," XXIV: 3 ad 6; describitur hic Verbum quale est quoad doctrinam, quod nempe ibi sint Divina Vera ex Divino Bono; & dein describitur

Doctrina

Doctrina ex Verbo, qualis erat apud Gentem Judaicam quod plena immunditiis & falsis; olla est doctrina; femur, humerus, & electio ossium sunt Divina vera ex Divino Bono in ordine successivo; urbs sanguinum est gens Judaica respective ad verum doctrinæ apud se, ita abstracte a gente seu persona est doctrina quæ destruit bonum; spuma in ea est externum favens spurcis amoribus, quo non remoto conspurcatur verum; inde quoque patet, quod olla sit doctrina, & coquere sit præparare ad usum. Apud Eundem, "Spiritus dixit ad me, fili hominis, hi viri cogitant iniquitatem, & consulunt consilium malitiæ in urbe, dicentes non prope ædificare domos, *ipsa olla & nos caro*," XI: 2. 3. 7; hic quoque olla pro doctrina falsi ex malo, ita enim dicitur urbs ubi cogitatur iniquitas & consulitur consilium malitiæ; quod etiam urbs sit doctrina, videatur n: 402. 2712. 2943. 3216. 4492. 4493, hic doctrina talis. Apud Jeremiam, "Jehovah dixit, quid tu vides, dixi *ollam exsufflatam ego video*, cujus facies versus septentrionem; dixit Jehovah, a septentrione aperietur malum super omnes habitatores terræ," I: 13. 14; olla exsufflata etiam hic pro doctrina falsi ex malo; septentrio est status obscurus quoad verum fidei, & quoque caligo ex falsis, n: 3708; inde patet, quid hæc visio prophetica involvit. Apud Sachariam, "In die illo *erit omnis olla in Hierosolyma in Jehudah sanctitas Jehovæ Zebaoth*, & venient omnes sacrificantes, & sument de illis, & *coquent in illis*," XIV: 21, hic olla significat doctrinam charitatis & fidei, ita doctrinam veri ex bono; Hierosolyma est Ecclesia Domini; sacrificantes sunt qui in cultu Divino; inde patet, quod coquere in ollis sit præparare ad usum vitæ spiritualis. Apud Moschen, "*Omne vas testæ, in quo coquitur caro sacrificii* reatus & peccati, *frangetur*: sed si in vase æris *coctum fuerit*, abradetur, & immergetur in aquis," Levit: VI: 21; vas testæ, in quo coctio, est falsum quod non cohæret cum bono; vas æris est doctrinale in quo bonum; coctio carnis sacrificii reatus & peccati in illis, est præparatio ad purificationem a malis & inde falsis; inde patet, quid repræsentatum est per quod vas testæ frangeretur, & quod vas æris abraderetur & immergeretur aquis.

10,106. Et comedet Aharon & filii ejus carnem arietis, quod significet appropriationem boni spiritualis apud illos qui in internis sunt a Domino, constat a significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; ex repræsentatione Aharonis & filiorum ejus, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum ac Divinum Verum, de qua n: 9806. 9807. 10,068, hic in cœlis, quia agitur de impletione manus, per quam significatur communicativum ac receptivum illorum ibi; ex significatione carnis arietis, quod sit bonum interni hominis, seu bonum in internis; quod caro sit bonum, videatur n: 3813. 7850. 9127; & quod aries sit bonum innocentiæ & charitatis in interno homine, n: 9991. 10,042. Dicitur Dominus quoad Divinum Bonum ac Divinum Verum in cœlis, ac communicativum & receptivum ejus ibi, quoniam Dominus est supra Cœlos, est enim Sol cœli, actualiter etiam apparet illis qui in cœlo ut Sol; omnis etiam Lux cœlorum inde est; per Lucem & Calorem inde est præsens in cœlis, & adeo præsens,

ſicut prorſus ibi ſit, nam implet cœlos, & facit illos. Lux ab Ipſo ut Sole procedens in ſua eſſentia eſt Divinum Verum, ac inde ſapientia & intelligentia, quæ Angelis; ac Calor ab Ipſo ut Sole procedens, eſt Divinum Bonum Divini amoris Ipſius ibi: communicatio & receptio Divini hujus Boni ac Divini illius veri, in cœlis, eſt quæ ſignificatur per impletionem manus. Quod Dominus ſit Sol cœli, & quod inde Lux & Calor in cœlis, a quibus vita, hoc eſt, ſapientia & Amor Angelis, videatur n: 3636. 3643. 4321 fin: 5097. 7078. 7083. 7171. 7173. 7270. 8644. 8812.

10,107. Et panem qui in corbe, quod ſignificet appropriationem boni cœleſtis a Domino, conſtat ex ſignificatione comedere, hic panem, quod ſit appropriatio ut mox ſupra n: 10,106; ex ſignificatione panis, quod ſit bonum amoris & charitatis, de qua n: 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4217. 4735. 4976. 5915. 6118. 9323. 9545; & ex ſignificatione corbis, quod ſit ſenſuale externum, de qua n: 9996; inde patet, quod per comedere panem qui in corbe, ſignificetur appropriatio boni a Domino in externis. Panes qui in corbe, erant panes azymi, placentæ azymæ, & lagana azyma, & per illa ſignificantur bona tam interna quam externa purificata, n: 9992. 9993. 9994; cum itaque dicitur panis in corbe, ſignificantur omnia illa in ſenſuali externo, & ſenſuale externum eſt ultimum vitæ hominis, continens omnia interiora in ſe ſimul; quod ſenſuale externum ſit ultimum vitæ hominis, videatur n: 5077. 5081. 5094. 5125. 5128. 5767. 6183. 6311. 6313. 6318. 6564. 7645. 9212. 9216. 9730. 9996; & quod contineat omnia interiora, quia ultimum, n: 6451. 6465. 9216. 9828. 9836. 10,044.

10,108. Ad oſtium Tentorii Conventus, quod ſignificet ad intrandum in cœlum, conſtat ex ſignificatione oſtii, quod ſit introitus, de qua n: 2145. 2152. 2356. 2385; & quod ſit introductio, n: 8989; & ex repræſentatione Tentorii Conventus, quod ſit cœlum ubi Dominus, de qua n: 9457. 9481. 9485. 9963.

10,109. Et comedent illa in quibus expiatum, quod ſignificet appropriationem boni apud illos qui purificati a malis & inde falſis, conſtat ex ſignificatione comedere, quod ſit appropriatio, de qua ſupra n: 10,106; & ex ſignificatione expiati, quod ſit purificatum a malis & inde falſis, de qua n: 9506. Purificatum a malis & inde falſis, dicitur, quia dantur falſa ut & vera apud illos qui in malo ſunt, & quoque falſa & vera apud illos qui in bono ſunt; falſa apud illos qui in malo ſunt, ſunt falſa mali, ac vera apud illos ſunt vera falſificata, quæ mortua; at falſa apud illos qui in bono ſunt, acceptantur ut vera, nam miteſcunt a bono, & applicantur ad uſus bonos, & vera apud illos ſunt vera boni, quæ viva; de utroque genere falſi & veri, videantur quæ n: 2243. 2488. 2863. 4736. 4822. 6359. 7272. 7437. 7574. 7577. 8051. 8137. 8138. 8149. 8298. 8311. 8318 fin: 9258. 9298, oſtenſa ſunt. Quia per comedere ſancta, in quibus expiatum, ſignificatur appropriatio boni apud illos qui purificati ſunt a malis & inde falſis, ideo ſevere vetitum fuit, ut aliquis immundus ab illis comederet, nam per immunditiem ſignificatur conſpurcatio a malis & inde falſis: res enim ita ſe habet, quamdiu

homo in malis & inde falsis est, nequaquam potest ei appropriari bonum, malum enim ex inferno ascendit, & bonum e cœlo descendit; ubi infernum, ibi cœlum non potest esse; sunt enim e diametro opposita; ut itaque cœlum locum habeat, hoc est, bonum e cœlo, removendum est infernum, hoc est, malum ab inferno: inde constare potest, quod nequaquam appropriari possit bonum homini, quamdiu in malo est: per appropriationem boni intelligitur implantatio boni in voluntatem, nam bonum non dici potest appropriatum homini, priusquam sit voluntatis ejus, voluntas enim hominis est ipse homo, & intellectus ejus tantum est homo, quantum ex voluntate habet; quod enim est voluntatis, hoc est amoris hominis, & inde vitæ ejus, nam quod homo vult, hoc amat, & hoc vocat bonum, & quoque cum fit, sentit ut bonum; aliter se habet cum illis quæ sunt intellectus, & non simul voluntatis: sciendum etiam est, quod per appropriationem boni apud hominem intelligatur modo facultas recipiendi bonum a Domino, quæ facultate donatur per regenerationem; inde bonum apud hominem non est hominis, sed est Domini apud illum, ac tenetur in illo quantum se patitur detineri a malis. Quoniam bonum non potest appropriari, hoc est, communicari homini, quamdiu in malo est, ideo prohibitum fuit ut immundus comederet carnem & panem sacrificii, nam per commestionem illam repræsentabatur appropriatio boni, ut supra dictum est. Quod immundis sub pœna mortis interdictum fuerit comedere ex sanctificatis, constat apud Moschen, "Omnis mundus comedet carnem; anima quæ comederet carnem de sacrificiis, dum *immundities est super illo, excidetur e populis* suis. Anima quæ attigerit ullum immundum, *immunditiem hominis*, aut *bestiam immundam*, aut *quodcunque reptile immundum*, & comederit de carne sacrificii eucharistici, *excidetur e populis*," Levit: VII: 18. 19. 20. 21; omnes illæ immunditiæ externæ repræsentabant immunditias internas, quæ sunt mala apud hominem, ac talia mala quæ sunt ejus voluntatis, per actualem vitam appropriata. Describitur hoc amplius alibi apud Moschen, "Quisquis vir de semine Aharonis, qui *leprosus* aut *fluxum patiens*, de sanctis non comedet, usque dum mundatus sit: qui attigerit ullum *immundum* ob animam, vir ex quo exiverit *concubitus seminis*, aut vir qui tetigerit ullum *reptile*, quo polluatur, aut hominem quo polluatur sibi quoad omnem *immunditiem* ejus, anima quæ tetigerit illud, immunda erit ad vesperam, & non comedet de sanctis; sed cum laverit carnem suam aquis, occideritque sol, mundus erit, & postea comedet de sanctis, quia panis ejus hic. Nullus alienus comedet sanctum; inquilinus sacerdotis & mercenarius non comedet sanctum. Si sacerdos emerit animam emtione argenti sui, ille comedere potest de eo; & natus domus ejus, hi comedent de pane ejus. Quando filia sacerdotis nupserit viro alieno, illa de sublatione sanctorum non comedet; sed si filia sacerdotis facta fuerit vidua, aut repudiata, & semen ei non, adeoque redierit ad domum patris sui secundum adolescentiam suam, de pane patris sui comedet," Levit: XXII: 1 ad 16, quod omnia illa significativa interiorum sint, manifeste patet ita quod involvant communicationem & appropriationem sanctorum cum illis qui in statu re-

cipiendi

cipiendi sunt; quod non alienus comederet, significabat quod non illi qui non agnoscunt Dominum intra Ecclesiam, ita qui non in veris & bonis Ecclesiæ sunt; quod non inquilinus & mercenarius, significabat quod nec illi qui in bono naturali sunt absque bono fidei, nec illi qui bonum faciunt propter mercedem; quod emti argento ac nati domus comederent, significabat quod illi qui conversi, & qui in vero & bono Ecclesiæ sunt ex fide & amore; quod filia sacerdotis nupta viro alieno non comederet, significabat quod sancta Ecclesiæ non appropriari possent bono quod non conjunctum est cum veris Ecclesiæ; quod autem vidua ac repudiata, si ei non semen, comederet significabat appropriationem boni postquam illa quæ non Ecclesiæ remota sunt, si non ex conjunctione eorum exclusum seu natum fuerit aliquid quod factum fidei; quod hæc significentur, patet ex sensu interno singulorum. Quod mala hæreditaria non impediant appropriationem boni, describitur etiam apud Moschen, "Omnis Vir ex semine Aharonis, in quo macula, non accedet ad offerendum panem Dei; vir cæcus, claudus, decurtatus, aut prælongus, cui fractura pedis aut manus, gibbosus, contusus, confusus oculo, scabiosus, verrucosus, aut contusus teste; panem Dei sui non accedet ad offerendum; sed panem de sanctis sanctorum, & de sanctis comedet," Levit: XXI: 17 ad 23; per hæc, ut dictum est, significantur mala hæreditaria, & per singula aliquid specificum; quod iidem non afferrent panem, & accederent ad altare, ut sacerdotes, erat causa quia vitiosa illa seu mala illa sic exstabant populo, & quæ exstabant, illa cadebant in speciem repræsentationis; non autem quæ latebant; nam tametsi sacerdos, Levita aut populus immundi essent quoad interiora, usque tamen mundi dicti sunt, & quoque crediti sanctificati, modo exterius loti & mundi apparuissent.

10,110. Ad implendum manum eorum, quod significet ad recipiendum Divinum Verum, constat ex significatione implere manum, quod sit repræsentare Dominum, quoad Divinum Verum, ac communicativum & receptivum ejus ibi, de qua n: 10,076. Dicitur quod comedent sancta in quibus expiatum ad implendum manum eorum, & quod per illa significetur appropriatio boni apud illos qui purificati a malis & inde falsis, ita ad recipiendum Divinum Verum: cum hoc ita se habet; omnium primum quod appropriatur homini est bonum, ac successive verum; causa quod ita sit, est quia bonum est humus, & verum est semen, ita similiter bonum adoptat verum, ac conjungit sibi, quia amat illud sicut parens; est enim conjugiale cœleste inter bonum & verum; & est bonum quod facit vitam apud hominem, quoniam bonum est voluntatis, & voluntas hominis est ipse homo; at verum non facit vitam apud hominem, nisi quantum a bono ducit; quoniam verum est intellectus, ac intellectus absque voluntate non est ipse homo, est modo introitus ad hominem, nam per intellectum intratur: comparari potest homo cum domo, in qua plura sunt conclavia, quorum unum ducit in alterum, qui in veris sunt solum quoad intellectum, illi non sunt in aliquo conclavi domus, sed modo in atrio; quantum autem verum per intellectum intrat in voluntatem, tantum in conclavia intrat, & habitat in domo; homo etiam

in Verbo comparatur domui, ac verum quod solius intellectus comparatur atrio; at verum quod etiam factum est voluntatis, & ibi fit bonum, comparatur conclavi ubi habitatur, & ipsi cubiculo. Quod bonum sit quod omnium primum a Domino appropriatur homini, constat ex infantia & ex prima pueritia ejus; quod tunc ei bonum innocentiæ, ac bonum amoris erga parentes ac erga nutricem, ac bonum charitatis erga infantes socios sit, notum est; hoc bonum influit a Domino apud illos, ut inserviat in procedente ætate pro primo vitæ Domini apud hominem, & sic pro plano recipiendi vera; conservatur etiam hoc apud hominem cum adolescit, si non destruit illud per vitam mali & inde fidem falsi. Cum dicitur bonum, intelligitur charitas erga proximum, & amor in Dominum, nam omne id quod est amoris & charitatis, est bonum. Quod bonum primo loco sit, & verum secundo, apud illos qui regenerantur, tametsi aliter apparet, videatur n: 3325. 3494. 3539. 3548. 3556. 3563. 3570. 4925. 4926. 4928. 4930. 6258. 6269. 6272. 6273.

10,111. Ad sanctificandum illos, quod significet ut sint in veris a bono ex Domino, constat ex significatione sanctificari, quod sit repræsentare Dominum & sancta quæ ab Ipso, de qua n: 9956. 9988, ita in sensu spirituali est duci a Domino, quoniam solus Dominus est sanctus, & omne sanctum procedit ab Ipso, n: 8806. 9229. 9479. 9688. 9818. 9820; inde patet, quod recipere vera per bonum a Domino, ita fidem per amorem ab Ipso in Ipsum, sit sanctificari; non quod homo in se spectatus ideo sit sanctus, sed Dominus apud illum; fides enim & amor sunt Dominus apud hominem, quia ex Illo sunt continue.

10,112. Et alienus non comedet, quod significet nullam appropriationem boni apud illos qui non agnoscunt Dominum, constat ex significatione alieni & alienigenæ, quod sit qui extra Ecclesiam, de qua n: 2049. 2115. 7996; & illi dicuntur esse extra Ecclesiam, qui non agnoscunt Dominum; apud gentem Israeliticam qui non agnoverunt Jehovam pro suo Deo, ac se instrui passi sunt in ritualibus Ecclesiæ; qui agnoverunt, & se instrui passi sunt, vocabantur peregrini, quibus idem jus fuit cum indigenis, videatur n: 8007. 8013. 9196; & ex significatione comedere, quod sit appropriatio boni, de qua n: 10,109: quod non sit appropriatio boni apud illos qui non agnoscunt Dominum, est quia agnoscere Deum suum est primum religionis, & apud Christianos agnoscere Dominum est primum Ecclesiæ, nam absque agnitione non datur communicatio, consequenter nec fides, ita nec amor: inde primarium doctrinæ in Ecclesia Christiana est quod absque Domino nulla sit salus: quicquid enim homo dicit verum, & credit, & quicquid dicit bonum & amat, non dici potest verum & bonum, nisi sit a Divino, ita nisi sit a Domino, nam quod homo a semet non possit credere, ac bonum facere, sed quod omne verum & omne bonum veniat desuper, etiam notum est: inde manifeste patet, quod qui non agnoscunt Dominum intra Ecclesiam, non fidem habere possint, ita nec amorem in Deum, proinde non salvari. Hoc repræsentabatur apud Gentem Israeliticam per quod agnoscerent Jehovam pro

Deo suo, ac quod cultus eorum acceptaretur & diceretur sanctus, ac illi tunc sanctificati, qualescunque fuerunt quoad interiora; repræsentativa enim solum erant externa, ac apud illam gentem satis fuit esse in externis, videantur citata n: 9320 fin: qui itaque eorum non agnoverunt Jehovam, sed alium Deum, utcunque similiter sacrificabant, ac similiter colebant, usque rejecti sunt ex Ecclesia, sicut qui Balem, & alios deos. Inde constare potest, qualis sors illorum est in altera vita, qui intra Ecclesiam nati sunt, & usque negant corde Dominum, qualescunque sint in morali vita; per plurem experientiam etiam scire datum est, quod illi non salvari possint; quod etiam Dominus aperte docet apud Johannem, "*Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illo,*" III: 36. Quod autem gentes extra Ecclesiam attinet, qui ex religioso suo in aliqua specie charitatis erga proximum suum vixerunt, & in aliqua specie amoris in Deum Creatorem Universi sub forma Humana, in altera vita acceptantur a Domino & salvantur; nam illi cum instructi ab angelis, agnoscunt Dominum, & credunt in Ipsum, & amant Ipsum, videatur n: 2589 ad 2604.

10,113. Quia sancta illa, quod significet quia Divina, constat ex significatione sanctorum, quod sint quæ a Domino, de qua supra n: 10,111, ita Divina.

10,114. Et si relictum fuerit de carne impletionum & de pane usque ad mane, quod significet bona spiritualia & cœlestia, quæ non conjuncta sunt ad statum novum, constat ex significatione relicti ex carne & ex pane, quod sit quod non appropriatum est, nam per comedere significatur appropriari, n: 10,109, ita per id quod non comestum est, significatur quod non appropriatum est; ex significatione carnis, quod sit bonum, de qua n: 7850. 9127; ex significatione impletionum, quod sint receptivum, de qua n: 10,076. 10,110; inde per carnem impletionum, significatur receptio veri in bono, proinde eorum conjunctio; hic autem non receptio & non conjunctio, quia intelligitur relictum ejus; ex significatione panis, quod sit bonum cœleste, quod est bonum intimum, de qua n: 10,077; & ex significatione mane, quod sit status novus, de qua n: 8211. 8427; ex quibus patet, quod per relictum de carne impletionum & de pane usque ad mane, significentur bona spiritualia & cœlestia, quæ non conjuncta sunt ad statum novum, per carnem enim sacrificii significatur bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum, & per panem ibi bonum cœleste, quod est bonum amoris in Dominum. Quid porro intelligitur per non conjunctionem ad statum novum, paucis dicetur; status novus est omnis status conjunctionis boni & veri, qui est quando homo, qui regeneratur, ex bono agit, ita ex affectione quæ amoris, & non ut prius ex vero, seu ex sola obedientia; status novus etiam est, quando illi qui in cœlo in bono amoris sunt, qui status ibi vocatur mane, nam variantur status amoris & fidei ibi sicut in terris meridies, vespera, diluculum, & mane: & quoque status novus est, cum vetus Ecclesia definit, & nova inchoat; omnes hi novi status in Verbo significantur per mane; de singulis illis passim actum est in explicationibus ad Genesin & ad Exodum.

Similia

Similia significantur per quod non relinquetur de carne pecudis Paschalis *usque ad mane*, & residuum de illo *igne combureretur*," Exod: XII: 10: tum per quod non pernoctabit adeps festi *usque ad mane*," Exod: XXIII: 18: similia etiam significantur per quod residuum de carne sacrificii eucharistici comederetur etiam die sequente, sed *combureretur die tertio*," Levit: VII: 16. 17. 18. Cap: XIX: 6, 7; per diem tertium etiam significatur status novus, videatur n: 4901. 5123. 5159; quod ita concessum fuerit, erat causa, quia sacrificia eucharistica erant sacrificia votiva & voluntaria, non ita propter purificationem & sanctificationem, ut reliqua, sed ut comederent in loco sancto, ac testificarentur gaudium cordis ex cultu Divino; & commessationes illæ, quas vocabant sanctas, præ reliquo cultu illos lætificabant. Similia etiam significantur per quod non relinquerent aliquid de manna usque ad mane, de qua ita apud Moschen, "Dixit Moscheh, *ne vir relinquat de manna usque ad mane*; sed non obediverunt Moschi, reliquum namque fecerunt de eo usque ad mane, & produxit vermes & computruit," Exod: XVI: 19. 20.

10,115. Et combures relictum igne, quod significet dissipationem eorum, constat ex significatione relicti de carne & pane, quod sit quod non appropriatum, ut supra n: 10,114; & ex significatione comburere igne, quod sit dissipare, hic per amores qui sunt proprii hominis, ita per mala quæ sunt illorum amorum; per ignem enim significatur amor in utroque sensu, hic amor proprius, qui est amor sui; quod ille amor per ignem significetur, videatur n: 1297. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7575; & quod proprium hominis non sit nisi quam malum, n: 210. 215. 694. 874. 875. 876. 987. 1023. 1044. 3812 fin: 5660: quod amor proprius hic significetur, est quia per relictum ad mane significatur id quod non conjunctum est bono, n: 10,114; & quod non conjungi potest, hoc non a Divino est, sed ex proprio; quod hoc immundum fuerit, ita malum, constat apud Moschen, "Qui *comedit relictum ad mane*, iniquitatem suam portabit, & exscindetur anima illa ex populis suis," Levit: XIX: 7. 8: apud Eundem, "*Si* comedendo *comedatur de carne sacrificii eucharistici in die tertio*, non placabitur offerens illud, nec imputabitur illi, abominatio erit, ac anima quæ comederit de illo, iniquitatem suam portabit," Levit: VII: 16. 17. 18; pariter ex eo, quod relictum ex manna produxerit vermes, & computruerit," Exod: XVI: 20.

10,116. Non comedetur, quod significet non appropriabitur, constat ex significatione comedere, quod sit appropriare, de qua supra n: 10,106.

10,117. Quia sanctum, quod significet Divinum, cui non conjungetur, quia inde prophanum, constat ex significatione sancti, quod sit Divinum, de qua supra n: 10,111; quod ei non conjungetur, est quia per relictum ex carne & pane, significatur quod non conjunctum est, n: 10,114, ita quoque quod non conjungendum est; quod id sit proprium hominis, quod non nisi quam malum est, videatur supra n: 10,115, & conjungere Divinum cum proprio hominis, ita cum malo, est prophanare, n: 6348. 9298; inde dicitur, quod qui comederit relictum ad mane, *sanctum Jehovæ prophanet*, & quod anima illa exscinderetur e populis suis," Levit: XIX: 7. 8: & quoque, *quod caro sacrificii*,

ſacrificii, quæ attigerit quamcunque rem immundam, *igne combureretur*," Levit: VII: 19: ex his nunc patet, quod prophanatio ſancti ſignificetur per comedere carnem & panem ſacrificii die ſequente.

10,118. Et facies Aharoni & filiis ejus ita, quod ſignificet hoc repræſentativum glorificationis Domini, ac influxus Ipſius in cœlos & in Eccleſiam, conſtat ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9809; & ex repræſentatione filiorum ejus, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum ſpirituale, de qua n: 10,068; & ex ſignificatione facere ita, hoc eſt, ungere illos & implere manus eorum, & ſic inaugurare in ſacerdotium, quod ſit ut repræſentent Dominum quoad Glorificationem Humani Ipſius, & influxum inde in Cœlos & in Eccleſiam; nam Unctio erat repræſentativum Glorificationis Humani Ipſius, ac impletio manus erat repræſentativum influxus Ipſius inde in Cœlos & in Eccleſiam: quod unctio repræſentaverit Divinum Bonum Domini in Divino Humano Ipſius, videatur n: 9954, conſequenter glorificationem, quæ eſt unitio Divini Humani cum Ipſo Divino quod Pater vocatur, n: 10,053; & quod impletio manus repræſentaverit potentiam Divinam Domini per Divinum Verum in Cœlis & in Eccleſia, ac communicativum & receptivum ejus ibi, n: 10,019, ita influxum ejus.

10,119. Secundum omne quod præcepi tibi, quod ſignificet ſecundum leges ordinis Divini, conſtat ex ſignificatione præcipere, cum de Jehovah, hoc eſt, Domino, quod ſit ſecundum leges ordinis Divini, nam quicquid Dominus præcipit, eſt ſecundum ordinem Divinum, ita ſecundum leges ejus, nam Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini in cœlis, ita Dominus ibi, eſt ipſe ordo; quapropter omne quod Dominus præcipit, eſt lex ordinis; quod leges ordinis ſint Divina Vera Domini, videatur n: 1728. 2247. 2258. 5703. 7995. 8512. 8700. 8988.

10,120. Septem diebus implebis manum eorum, quod ſignificet repræſentativum plenariæ potentiæ Domini in cœlis per influxum ex Divino Bono Divini amoris Divini Humani Ipſius, conſtat ex ſignificatione ſeptem dierum, quod ſint ſtatus plenus ſeu plenarium, de qua n: 6508. 7228; & ex ſignificatione implere manum, quod ſit repræſentativum Divinæ potentiæ Domini in cœlis, ac communicativum & receptivum ibi, de qua n: 10,019; & quia id fit per influxum ex Divino Bono Divini amoris Ipſius, ex Divino Humano Ipſius, ideo etiam id ſignificatur.

10,121. Verſ: 36 ad 46. *Et juvencum peccati facies in diem ſuper propitiationibus, & mundabis a peccato ſuper altari in propitiando te ſuper illo, & unges illud ad ſanctificandum illud. Septem diebus propitiabis ſuper altari, & ſanctificabis illud, & erit altare ſanctum ſanctorum; omnis tangens altare ſanctificabitur. Et hoc quod facies ſuper altari; agnos filios anni duos in diem, juge. Agnum unum facies in mane, & agnum alterum facies inter veſperas. Et decima ſimilæ mixtæ oleo tuſo quadrans hinis, & libamen quadrantis hinis vini agno primo. Ad agnum ſecundum facies inter veſperas, ſecundum mincham matutinam, & ſecundum libamen ejus facies illi, ad odorem quietis, ignitum Jehovæ.*

Jehovæ. Holocaustum juge in generationes vestras, ad ostium Tentorii conventus coram Jehovah, ubi conveniam vobis ad loquendum ad te ibi. Et conveniam ibi filiis Israelis, & sanctificabitur in gloria mea. Et sanctificabo Tentorium conventus & Altare, & Aharonem & filios ejus, ad fungendum sacerdotio Mihi. Et habitabo in medio filiorum Israelis, & ero illis in Deum. Et cognoscent quod Ego Jehovah Deus eorum, qui eduxi illos e terra Ægypti, ad habitandum Me in medio illorum: Ego Jehovah Deus illorum. Et juvencum peccati facies in diem super propitiationibus, significat remotionem continuam malorum & inde falsorum in naturali homine per bonum innocentiæ a Domino: & mundabis a peccato super altari, significat purificationem a malis in Cœlo & in Ecclesia: in propitiando te super altari, significat sic facultatem recipiendi bonum a Domino: & unges illud, significat inaugurationem ad repræsentandum Divinum Bonum Amoris a Domino in Cœlo & in Ecclesia: ad sanctificandum illud, significat sic Dominus ibi: septem diebus propitiabis super altari, significat plenum quoad influxum in Cœlum & in Ecclesiam: & sanctificabis illud, significat ad recipiendum Dominum: & erit altare sanctum sanctorum, significat Regnum cœleste, ubi Dominus in bono amoris est præsens: omnis tangens altare sanctificabitur, significat quemvis qui Divinum Domini recipit: & hoc quod facies super altari, significat quod in genere concernit receptionem Domini in Cœlo & in Ecclesia: agnos filios anni in diem, significat bonum innocentiæ in omni statu: juge, significat in omni cultu Divino: agnum unum facies mane, significat remotionem malorum per bonum innocentiæ a Domino in statu amoris & lucis inde in interno homine: & agnum unum facies inter vesperas, significat simile in statu lucis & amoris in externo homine: & decima similæ mixtæ oleo tuso, quadrans hinis, significat bonum spirituale ex cœlesti, quantum ad conjunctionem: & libamen quadrantis hinis vini, significat verum spirituale quantum ad conjunctionem: agno primo, significat hoc in interno homine: & agnum secundum facies inter vesperas, significat remotionem malorum per bonum innocentiæ a Domino in statu amoris & lucis inde in externo homine: secundum mincham matutinam, & secundum libamen ejus facies illi, significat bonum spirituale ex cœlesti & ejus verum quantum ad conjunctionem: ad odorem quietis, significat perceptivum pacis: ignitum Jehovæ, significat ex Divino amore Domini: holocaustum juge, significat omnem cultum Divinum in genere: in generationes vestras, significat perpetuum in Ecclesia: & ostium Tentorii, significat conjunctionem boni & veri: coram Jehovah, significat a Domino: ubi conveniam vobis ad loquendum ad te ibi, significat præsentiam & influxum Ipsius: & conveniam ibi filiis Israelis, significat præsentiam Domini in Ecclesia: & sanctificabitur in gloria mea, significat receptivum Divini Veri a Domino: & sanctificabo Tentorium conventus, significat receptivum Domini in cœlis inferioribus: & altare, significat receptivum Divini a Domino in cœlis superioribus: & Aharonem & filios ejus ad fungendum sacerdotio Mihi, significat repræsentativum Domini in utrisque quoad opus salvationis: & habitabo in medio filiorum Israelis, significat præsentiam Domini

&

& influxum Ipsius per bonum in Cœlo & in Ecclesia: & ero illis in Deum, significat præsentiam Domini & influxum Ipsius in Verum in Ecclesia: & cognoscent quod Ego Jehovah Deus eorum, significat perceptivum quod a Domino omne bonum & omne verum: qui eduxi illos e terra Ægypti, significat salvationem ab inferno a Domino: ad habitandum Me in medio illorum, significat Divinum Domini, quod omne in omnibus Cœli & Ecclesiæ: Ego Jehovah Deus illorum, significat a quo omne bonum amoris & verum fidei.

10,122. Et juvencum peccati facies in diem super propitiationibus, quod significet remotionem continuam malorum & inde falsorum in naturali homine per bonum innocentiæ a Domino, constat ex significatione juvenci, quod sit bonum innocentiæ in naturali homine, de qua n: 9391. 9990; ex significatione peccati, quod sit purificatio a malis & inde falsis, nam per peccatum intelligitur sacrificium peccati, n: 10,039, & per sacrificium peccati significatur purificatio a malis & falsis, n: 9939. 9990. 10,022. 10,053: quod dicatur remotio malorum & inde falsorum, est causa, quia mala & falsa apud hominem non ejiciuntur, sed solum removentur, videantur citata n: 10,057; ex significatione in diem, seu quovis die, quod sit continue; & ex significatione propitiationum, quod sint receptio boni amoris & fidei a Domino post remotionem malorum & inde falsorum, de qua n: 9506. Dicitur remotio malorum & inde falsorum, quoniam omnia falsa sunt ex malo, quapropter quantum removetur malum, tantum removentur falsa: cum his ita se habet; omnia in Cœlo, se referunt ad bonum & inde verum; at omnia in inferno se referunt ad malum & inde falsum: inde similiter in homine; omnia quæ e cœlo sunt apud illum, se referunt ad bonum & verum, at omnia quæ ex inferno sunt apud illum, se referunt ad malum & falsum: seu quod idem, omnia quæ sunt a Domino apud hominem, se referunt ad bonum & verum, at omnia quæ sunt ab ipso homine, se referunt ad malum & falsum; quia illa sunt, ad quæ omnia in universo se referunt, & homo est receptaculum illorum, ideo duo sunt apud hominem, quæ recipiunt illa, unum vocatur Voluntas, & alterum Intellectus; Voluntas est receptaculum boni vel mali, & Intellectus est receptaculum veri vel falsi; Voluntas, quæ a Domino, quæ etiam nova Voluntas vocatur, est receptaculum boni; at Intellectus qui a Domino, qui etiam vocatur novus Intellectus, est receptaculum veri; at Voluntas, quæ a proprio hominis, & quoque vocatur vetus voluntas, est receptaculum mali; & Intellectus qui a proprio hominis, & quoque vocatur vetus Intellectus, est receptaculum falsi; in hunc Intellectum, & in hanc Voluntatem, nascitur homo a parentibus; at in illum Intellectum & in illam Voluntatem, nascitur homo a Domino; quod fit cum regeneratur; nam cum homo regeneratur, concipitur ille & nascitur e novo: homo ita creatus est, ut Voluntas & Intellectus unum faciant, ita ut duo illa simul constituant unum hominem; datus enim est homini Intellectus, ut intelligere possit verum, sed ob finem ut implantetur voluntati & fiat bonum, & quantum fit voluntatis tantum est in homine, nam voluntas est intimum hominis, & est esse

vitæ ejus, intellectus autem exterius est, & existit inde; nam homo quod vult, hoc amat, & quod amat, hoc sentit jucundum, & ideo id vocat bonum; intellectus ei favet, & confirmat per rationes, & hos vocat vera; inde est, quod voluntas & intellectus unum faciant reipsa; sed quod appareat aliter, sicut fit, cum homo intelligit verum, & tamen vult malum; ille usque, quando sibi relictus est, & ex se cogitat, prorsus intelligit sicut vult, hoc est, sicut amat: quod homo qui vult malum, usque loqui possit verum, ut & facere bonum, est ex hypocrisi, cui inservit verum & bonum pro mediis; talis homo, si media illa ei auferuntur, ac relinquitur in libero, ruit in mala secundum lubitum voluntatis, & patrocinatur illis per facultatem suam intellectualem: hoc apprimis patet a similibus in altera vita, ibi venit unusquisque in statum similem suæ voluntatis; & tunc illi, quibus non nova voluntas a Domino, ruunt in mala omnis generis, ac cogitant talia quæ favent malis, utcunque in mundo prorsus aliter loquuti fuerint, ac aliter fecerint: lex enim ordinis Divini est, ut Voluntas & Intellectus unam mentem faciant, ita unum hominem, proinde ut totus homo sit vel in cœlo vel in inferno, & non pendeat inter utrumque, hoc est, ut oculo spectet ad illa quæ cœli sunt, & corde ad illa quæ inferni; per cor intelligitur voluntas, & per oculum intellectus.

10,123. Et mundabis a peccato super altari, quod significet purificationem a malis in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione mundare, quod sit purificare; ex significatione peccati, quod sit malum, nam omne malum ab homine vocatur peccatum; & ex significatione altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, & Ipsius cultus, de qua n: 9714. 9964; hic quoad Divinum Bonum in Cœlo & in Ecclesia: quia continuatur adhuc de influxu, præsentia & receptione Domini ibi, inde est, quod etiam per altare significetur Cœlum & Ecclesia quoad receptionem Divini Boni a Domino ibi; est enim Divinum Domini, quod facit Cœlum & Ecclesiam, quoniam Dominus habitat ibi in Suo, & non in proprio hominis; inde quoque est, quod per altare etiam significetur ipse homo, in quo est Cœlum, seu in quo est Ecclesia, ita in quo est Dominus, & abstracte a persona, Altare est ipsum Bonum quod a Domino apud Angelos Cœli & apud homines Ecclesiæ: in his sensibus dicitur Altare apud Johannem, "Datus est mihi calamus similis baculo, & adstitit angelus, & dixit, *metire Templum Dei & Altare*, & adorantes in eo," Apoc: XI: 1; ibi Templum Dei & Altare sunt Cœlum & Ecclesia, Templum est Ecclesia spiritualis, & Altare est Ecclesia cœlestis; metiri est cognoscere quantum & quale veri & boni, quapropter non modo dicitur metire Templum & Altare, sed etiam adorantes in eo; quod Templum sit Ecclesia spiritualis, videatur n: 3720; & quod metiri sit cognoscere statum rei quoad verum & bonum, n: 9603. Apud Eundem, "Audivi alium Angelum *ex Altari*, dicentem, Domine Deus omnipotens, vera & justa judicia tua," Apoc: XVI: 7; ex altari est ex cœlo intimo, ubi cœleste bonum regnat, cœleste bonum est bonum amoris in Dominum. Apud Jeremiam, "*Deseruit Dominus Altare suum*, abominatus est Sanctua-

rium:

rium ſuum," Thren : ii : 7, deſerere Altare & Sanctuarium, eſt omne Eccleſiæ, Altare omne Eccleſiæ quoad bonum, & ſanctuarium omne Eccleſiæ quoad verum.

10,124. In propitiando te ſuper illo, quod ſignificet ſic facultatem recipiendi bonum a Domino, conſtat ex ſignificatione propitiare ſuper altari, quod ſit poſt remotionem malorum & inde falſorum, implantatio boni a Domino, ac receptio illius ab homine Eccleſiæ, & ab Angelo cœli, de qua n : 9506 ; nam per Altare, ut nunc ſupra n : 10,123, oſtenſum eſt, ſignificatur Cœlum & Eccleſia, quoad receptionem boni a Domino. Quia per Altare ſignificatur Cœlum & Eccleſia, ubi regnat cœleſte bonum, quod eſt bonum amoris a Domino in Dominum paucis dicetur, quomodo ſe habet cum receptione boni in Regno cœleſti ; quod Cœlum in duo Regna diſtinctum ſit, quorum unum vocatur Regnum cœleſte, & alterum Regnum ſpirituale, ſæpius prius dictum eſt ; in utroque Regno implantatur bonum per verum, ſed apud illos qui in Regno ſpirituali ſunt, implantatur bonum per verum in parte intellectuali, at apud illos qui in Regno cœleſti ſunt, implantatur bonum per verum in parte voluntaria : implantatio boni per verum apud illos qui in Regno ſpirituali ſunt, fit alio modo quam apud eos qui in Regno cœleſti ſunt ; apud illos qui in Regno ſpirituali ſunt, implantatur verum in externo ſeu naturali homine, & ibi primum fit ſcientia, & quantum homo afficitur illo, & vivitur ſecundum illud, evocatur in intellectuale, & fit fides & ſimul charitas erga proximum ; charitas hæc conſtituit novum ejus voluntarium, & fides novum intellectuale, utrumque conſcientiam : at apud eos qui in Regno cœleſti ſunt, verum non fit ſcientia, nec fides, nec conſcientia, ſed fit receptio in bono amoris, & quantum vivitur ſecundum illud, fit perceptio, quæ creſcit & perficitur apud illos ſecundum amorem ; hoc fit indies illis neſcientibus pœne ſicut apud infantes : quod fiat illis neſcientibus, eſt quia non hæret ut ſcientia in memoria, nec moratur ut intellectuale in cogitatione, ſed tranſit extemplo in voluntarium ac fit vitæ : quapropter hi non vident verum, ſed percipiunt illud ; & tantum & taliter percipiunt, quantum & qualiter in bono amoris a Domino in Dominum ſunt ; inde horum multa eſt differentia : & quia percipiunt verum ex bono, ideo nuſquam confirmant illud per rationes ſed cum res eſt de veris, modo dicunt vel ita, ita, vel non, non ; hi ſunt qui intelliguntur a Domino apud Matthæum, "*Eſto ſermo veſter, ita, ita*, non, non, *quod ultra hæc eſt, ex malo* eſt," v : 36 ; nam ratiocinari de veris num ita ſit, non ex bono eſt, quoniam tunc non percipitur verum, ſed modo creditur ex auctoritate, & inde confirmatione a ſemet ; quod creditur ex auctoritate, hoc aliorum in ſe eſt, & non ſuum ; & quod ſolum creditur inde ex confirmatione, hoc apparet poſt confirmationem ut verum, tametſi foret falſum ; ut manifeſte conſtare poteſt a fide cujuſvis religioſi, & ex ejus varietate in univerſo terrarum orbe : inde patet, quæ & qualis differentia eſt inter illos qui in Regno cœleſti Domini ſunt, & inter illos qui in Regno ſpirituali Ipſius ſunt : cauſa differentiæ eſt, quia illi vertunt vera Eccleſiæ ſtatim in bona per vitam, hi

 autem

autem manent in veris, & fidem præferunt vitæ. Qui vertunt vera Ecclesiæ statim in bona per vitam, ita qui e Regno cœlesti sunt, describuntur a Domino apud Marcum Cap: IV: 26. 27. 28. 29, ac alibi pluries. De differentia Regni Cœlestis & Regni spiritualis, videantur citata n: 9277.

10,125. Et unges illud, quod significet inaugurationem ad repræsentandum Divinum Bonum amoris a Domino in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione Unctionis, quod sit inauguratio ad repræsentandum Dominum quoad Divinum Bonum Divini amoris ex Divino Humano Ipsius, de qua n: 9474. 9954. 10,019, hic a Domino in Cœlo & in Ecclesia, nam de influxu & de receptione Ipsius ibi agitur: quicquid repræsentat Dominum, etiam repræsentat Ipsum apud homines Ecclesiæ, & apud Angelos cœli, ita Cœlum & Ecclesiam, quoniam homines in quibus Ecclesia, constituunt Ecclesiam in communi, & angeli in quibus Cœlum constituunt Cœlum in communi; sed usque ipsi homines in se spectati non constituunt Ecclesiam, sed Dominus apud illos, ita nec Angeli in se spectati constituunt Cœlum, sed Dominus apud illos; nam Dominus non habitat in aliquo proprio hominis & angeli, sed in suo apud illos; inde est, quod cum dicitur Ecclesia & Cœlum, intelligatur Divinum Domini apud illos qui ibi; ex quibus patet, quomodo comprehendi debet, quod Dominus sit omne in omnibus cœli & Ecclesiæ, & quod Ipse Dominus sit Cœlum & Ecclesia: hoc etiam patet ex doctrinali in orbe Christiano noto & recepto, quod omne bonum fidei & amoris sit a Deo, & nihil ab homine, & quod quicquid ab homine ut ab ipso, non sit bonum; inde quoque est, quod meritum nulli sit, nec justitia ex proprio. Hæc dicta sunt, ut sciatur quid Dominus in Cœlo & in Ecclesia, ita quid Cœlum & Ecclesia; & inde quid repræsentativum Ipsius per altare & ejus unctionem, de qua hic agitur. Ungebantur omnia, quæ repræsentarent Dominum, & Divina quæ a Domino, sicut Altare, Tentorium Conventus, Mensæ quæ inibi, Candelabrum, Arca, ipse Aharon, filii ejus, & vestes illorum; & cum uncta erant, vocabantur sancta; non quod oleum aliquid sanctum induceret, sed quia sic repræsentarent Divina a Domino, quæ solum sancta: causa quod in eum usum adhibitum fuerit oleum, erat quia oleum significabat bonum amoris, & Divinum Bonum Divini Amoris est ipsum Divinum, est enim Ipsum. Esse omnium; ita ad repræsentandum illud, inauguratio fiebat per oleum: Ipsum Divinum, quod est Esse omnium, in solo Domino fuit, erat enim conceptus a Jehovah; & omnis homo a patre suo habet esse suæ vitæ, quid vocatur anima ejus; inde constat quod Divinum Bonum Divini amoris, fuerit in Humano Domini, sicut anima patris in filio; & quia apud hominem nihil vivit quam anima ejus, nam corpus absque anima non vivit, & quia omne corporis producitur ex anima, ita ad instar, ut anima sit in statu adæquato & accommodata functionibus in ultimis ordinis, quæ sunt in mundo, inde sequitur, quod Ipsum Esse in Humano Domini fuerit Jehovah, quod est Divinum Bonum Divini amoris, & quod est Esse vitæ, hoc ad similitudinem sui facit omne quod inde existit, ita Dominus ex Ipso Divino quod in Ipso, ita quod Ipsius, fecit etiam Humanum suum Divinum Bonum Divini amoris: etiam

in

in Symbolo Athanasii, ubi fides recepta in Christiano orbe traditur, dicitur, *Sicut Corpus & Anima est unus homo, ita Divinum & Humanum in Domino est unus Christus*; qui itaque novit unionem animæ in corpore, ac instar illius in hoc, aliquo modo nosse potest unionem Divini & Humani in Domino, ac instar unius in altero, & inde nosset quod Divinum quod Pater vocatur, ac Humanum quod Filius unum essent, atque unus in altero, hoc est, Pater in Ipso & Ipse in Patre, secundum Domini verba apud Johannem Cap: x: 30. Cap: xiv: 10. 11: sed quia hodie non scitur quid anima, & vix quod illa sit ex patre, & quod corpus sit ejus instar, ac quod duo illa unum sint sicut prius & posterius, seu sicut esse & inde existens, ideo homo Divinum ab Humano in Domino separavit, & in binas naturas distinxit, & inde non aliam ideam cepit de Humano Domini, quam sicut de humano hominis; cum tamen anima hominis ex patre suo est finita, & malum in se habet ex hæreditario; at anima Domini, quia ex Jehovah, infinita fuit, & non nisi quam Divinum Bonum Divini Amoris, ac inde Humanum Ipsius post glorificationem non fuit sicut humanum hominis: ex illa causa Dominus omne Humanum suum glorificatum, hoc est, Divinum a Se factum, suscepit in cœlum, ac nihil de eo reliquit in sepulchro, secus ac fit cum homine: quod Dominus glorificaverit ipsum Corpus suum, usque ad ultima ejus, quæ sunt ossa & caro, etiam Dominus manifestavit discipulis, dicendo, "Videte manus meas, & pedes meos, quod Ipse Ego sim, palpate Me & videte, *nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut Me videtis habentem*," Luc: xxiv: 39: & usque intravit per fores clausas, & postquam manifestaverat Se, invisibilis factus est." Joh: xx: 19. Luc: xxiv: 31. Hæc dicta sunt, ut sciatur quod Solus Dominus quoad Humanum suum fuerit Unctus Jehovæ, verum non unctus oleo, sed Ipso Divino Bono Divini amoris, quod per Oleum significatur, & quod per Unctionem repræsentabatur, videatur n: 9954.

10,126. Ad sanctificandum illud, quod significet sic Dominus ibi, constat ex significatione sanctificare, quod sit repræsentare Dominum, & sancta quæ ab Ipso, ita præsentiam Ipsius in Cœlo & in Ecclesia, de qua supra n: 10,111; quod repræsentatur, hoc in sensu interno significatur; Verbum in litera consistit ex repræsentativis cœlestium & spiritualium, quæ sunt Cœli & Ecclesiæ, & ideo in sensu interno significant illa: inde vocari potest Verbum Domini quasi cœlum in ultimis, nam in ultimis cœli omnia quæ videntur & audiuntur, sunt repræsentativa talium quæ loquuntur & cogitant angeli in cœlis superioribus, quæ omnia se referunt ad vera fidei & ad bona amoris: causa quod in cœli ultimis talia repræsentativa sint, est quia illi qui in ultimis cœli sunt, non capiunt interiora sapientiæ angelicæ, sed modo talia quæ repræsentant illa; etiam secundum ordinem Divinum est, ut cum superiora delabuntur in inferiora, vertantur in similia, & sic sistantur coram sensibus externis, ita accommodata cujusvis captui; inde est, quod Verbum in ultimis, hoc est, in sensu literæ sit repræsentativum, & inde significativum cœlestium & spiritualium quæ in cœlis superioribus, & quod per id quoque sistatur accommodatum captui hominum; sic etiam inservit pro basi & fundamento cœlis.

10,127. Septem

10,127. Septem diebus propitiabis super altari, quod significet plenum quoad influxum in Cœlum & in Ecclesiam, constat ex significatione septem dierum, quod sint plenum de qua sequitur; ex significatione propitiare, quod sit purificatio a malis & inde falsis, de qua etiam sequitur; & ex significatione altaris, quod sit repræsentativum Divini Humani Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 9388. 9389. 9714. 9904, hic in Cœlo & in Ecclesia n: 10,123. Quod sacrificium ex juvenco ad propitiandum & sanctificandum Altare, fieret septem dies, erat quia septem dies significabant integram periodum a principio ad finem, majorem vel minorem, æque ac septimana; inde etiam septem dies significant plenum: numerus etiam ternarius significat integram periodum a principio ad finem, & inde quoque plenum; sed cum ea differentia, quod septem dicantur ubi agitur de re sancta, tria autem cum de re quacunque: sciendum est, quod omnes numeri in Verbo significent res, quod perquam notum est in altera vita, ubi quandoque chartæ e cœlo ad spiritus qui infra sunt demittuntur plenæ numeris, & illi ex spiritibus qui a Domino recipiunt influxum, sciunt inde res, quæ significantur, in continua serie, sicut scriptum foret literis; tales chartas etiam aliquoties mihi videre datum est; & dictum quoque quod quidam ex antiquissimis, qui quoad interiora sua cum angelis in consortio fuerunt, res Ecclesiæ suæ, & arcana cœlestia involverint numeris, & reconderint sicut memoriale sibi: inde constare potest, quod omnes numeri in Verbo significativi rerum sint, nam in Verbo non est vocula quæ non significat, scriptum enim est non solum pro hominibus, sed etiam simul pro angelis in cœlo; inde est Verbum Divinum transiens per omnes cœlos. Quod omnes numeri in Verbo significent res, videatur n: 575. 1963. 1988. 2075. 2252. 3252. 4264. 4495. 4670. 5265. 6175. 9659: quod Septem in Verbo involvant sancta, n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268; & quod significent integram periodum a principio ad finem, ita statum plenum, n: 6508. 9228: similiter septimana, n: 2044. 3845: quod etiam numerus ternarius, n: 2788. 4495. 4901. 5123. 5159. 7715. 9198. 9488. 9489. 9825. Quod propitiare attinet, significat id purificationem a malis & inde falsis, seu quod idem, remotionem eorum: & quia propitiare & expiare id significat, ideo quoque involvit implantationem boni & veri, & conjunctionem utriusque a Domino; quod hæc involvat, est causa, quia quantum homo purificatur a malis & falsis, tantum implantatur bonum & verum, & conjunguntur a Domino; quare posito uno ponitur alterum; Dominus enim apud unumquemvis hominem cum bono amoris est præsens, amat enim omnes, & ex amore vult conjungere illos Sibi, quod fit per bonum amoris & verum fidei; sed obstant mala & inde falsa, quæ homo per vitam mali sibi appropriat, ac inhibent influxum; inde patet, quid propitiatio & expiatio; videatur etiam n: 9506.

10,128. Et sanctificabis illud, quod significet ad recipiendum Dominum, constat ex significatione sanctificari, quod sit receptio Domini: quod sanctificari sit receptio Domini, est quia solus Dominus sanctus est, & inde quicquid procedit a Domino sanctum est, ideo quantum homo recipit bonum, &

cum

cum bono verum a Domino, quæ sunt sancta, tantum recipit Dominum; nam sive dicas recipere bonum & verum a Domino, sive Dominum idem est; bonum enim & verum sunt Domini, quia ab Ipso, ita sunt Dominus in Cœlo & in Ecclesia. Quod Dominus solus sanctus sit, & omne sanctum procedat ab Ipso, & inde quod recipere Ipsum sit sanctificari, videatur n: 9229. 9479. 9680. 9818. 9820. 9956. 9988. 10,069. Quod sanctificari sit receptio Domini, etiam patet ex eo, quod dicatur propitiabis & sanctificabis, per propitiare enim seu expiare significatur purificatio a malis & inde falsis, & simul implantatio veri & boni a Domino, n: 10,127; implantatio veri & boni a Domino est receptio Ipsius, ita sanctificatio; similiter ac supra in hoc Capite, "Comedent illa *in quibus expiatum*, ad implendum manum eorum, *ad sanctificandum illos*," Vers: 33; per expiatum ibi significatur purificatum a malis & inde falsis, n: 9506, 10,105; per implere manum significatur implantare bonum & verum, & conjungere illa, n: 10,075; ita per sanctificari significatur recipere illa a Domino, n: 10,111.

10,129. Et erit Altare sanctum sanctorum, quod significet Regnum cœleste, ubi Dominus in bono amoris est præsens, constat ex significatione altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 9388. 9389. 9714. 9964; hic quoad Divinum Bonum in Cœlo & in Ecclesia, n: 10,123; & ex significatione sancti sanctorum, quod sit bonum cœleste, seu bonum amoris a Domino, quod sit Regnum cœleste, quod hic per Altare, & bonum ibi quod per sanctum sanctorum significetur, est quia in illo Regno recipitur bonum amoris a Domino in Dominum, quod est bonum cœleste: sunt enim duo Regna, in quæ Cœli distincti sunt, Regnum cœleste & Regnum spirituale; in Regno cœlesti recipitur bonum amoris a Domino in Dominum; & in Regno spirituali recipitur bonum charitatis erga proximum a Domino, videantur citata n: 9277: & n: 9680. 10,068; per Altare repræsentatur Regnum cœleste, seu quod idem, repræsentatur Dominus ubi in bono amoris est præsens; & per Tentorium conventus extra velum repræsentatur Regnum spirituale, seu quod idem, repræsentatur Dominus ubi in bono charitatis erga proximum est præsens; bonum Regni spiritualis seu bonum spirituale vocatur sanctum, at bonum Regni cœlestis seu bonum cœleste vocatur sanctum sanctorum: quod bonum cœleste, quod est bonum amoris a Domino in Dominum dicatur sanctum sanctorum, est quia Dominus per id bonum immediate influit in cœlos, at per bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum, mediate per illud, videatur n: 9473. 9683. 9873. 9992. 10,005. Dicitur influere, quia Dominus est supra cœlos, & inde influit, n: 10,106; est tamen usque ut præsens in cœlis. Quod bonum cœleste, quod est bonum amoris a Domino in Dominum, intelligatur per sanctum sanctorum, constat ex locis in Verbo, ubi sanctum sanctorum dicitur, ut apud Moschen, "Distinguet vobis velum *inter Sanctum & inter Sanctum sanctorum*; & dabis propitiatorium super arcam Testimonii in *Sancto sanctorum*," Exod: XXVI: 33. 34; inde patet, quod sanctum dicatur id Tentorii, quod extra velum erat, ac sanctum sanctorum quod intra

velum ;

velum; quod Tentorium seu Habitaculum extra velum repræsentaverit Regnum spirituale Domini, seu medium Cœlum, ac quod Tentorium seu Habitaculum intra velum repræsentaverit Regnum cœleste Domini, videatur n: 9457. 9481. 9485. 10,001. 10,025, vocatur etiam id Tentorii quod intra velum, "*sanctuarium sanctitatis*," Levit: XVI: 33. Quia per arcam, in qua Testimonium, & super qua Propitiatorium, repræsentabatur intimum cœlum, ubi bonum cœleste regnat, ideo *adytum Templi*, ubi arca fœderis, etiam dicitur *sanctum sanctorum*," 1 Reg: VI: 16. Cap: VIII: 6. Panis & minchah, quia significabant bonum amoris a Domino in Dominum, quod est bonum cœleste, etiam dicuntur sanctum sanctorum, apud Moschen, "*Panis facierum seu propositionis* ab Aharone & filiis ejus comedetur in loco sancto, quia *sanctum sanctorum ille* de ignitis Jehovæ," Levit: XXIV: 9, quod panis facierum seu propositionis significet bonum cœleste, videatur n: 9545: apud Eundem, "*Residuum de Minchah* erit Aharoni & filiis ejus, *sanctum sanctorum* de ignitis Jehovæ," Levit: ii: 3. 10; quod minchah, quæ erat panis azymus, placentæ, & lagana azyma mixta oleo, sint bonum cœleste, seu bonum amoris, videatur n: 4581. 9992. 10,079. Apud Eundem, "Omnis minchah, sacrificium peccati & reatus, quod Aharoni & filiis ejus, *sanctum sanctorum Jehovæ*," Num: XVIII: 9 10; quod etiam illa dicta fuerint sanctum sanctorum, erat causa quia sacrificia illa significabant purificationem a malis, & omnis purificatio a malis fit in statu boni innocentiæ; quod bonum etiam est bonum cœleste; quapropter in sacrificiis peccati & reatus offerebantur agnæ vel agni, aut arietes, aut juvenci, aut turtures, ut constat ex Levit: Cap: IV & V; & per illa animalia id bonum significatur; quod per agnos, videatur n: 3994. 3519. 7840; quod per arietes, n: 10,042; quod per juvencos, n: 9391; quod per turtures, patet a locis in Verbo, ubi nominantur; quod purificatio a malis ac regeneratio fiat in statu innocentiæ, n: 10,021: ideo dicuntur illa sacrificia sanctum sanctorum etiam Levit: VI: 18. Cap: VII: 6. Cap: X: 17. Cap: XIV: 13. Quod altare holocausti repræsentaret Dominum quoad bonum amoris, ac receptivum ab angelis & hominibus, supra ostensum est; ideo de eo dicitur ita apud Moschen, "*Unges altare holocausti*, & omnia vasa ejus, labrum ejus, & basin ejus, & sanctificabis ea, *ut sint sanctum sanctorum*; omnis qui tetigerit ea, sanctificabit se," Exod: XXX: 29. *Suffimentum*, de quo dabatur ante Testimonium in Tentorio conventus, etiam dicitur *sanctum sanctorum*," Exod: XXX: 36, quia significabat bonum cœleste in ultimis, & quoque quæ procedunt ex illo bono, n: 9475. Apud Ezechielem, "Hæc lex *domus*, super *capite montis* omnis terminus ejus circumcirca, *sanctum sanctorum*," XLIII: 12, quod domus cum termino circum illam dicatur sanctum sanctorum, est quia per domum Dei significatur Regnum cœleste, ac in supremo sensu Dominus quoad bonum amoris, n: 3720; inde etiam dicitur super capite montis, nam per caput montis simile significatur, n: 6435. 9422. 9434. Apud Danielem, "Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum & super urbem sanctam, & obsignandum visionem & prophetam, & *ad ungendum sanctum sanctorum*," IX: 24; ibi de adventu Domini,

Domini, qui solus Unctus Jehovæ est, ac solus sanctus, & quoque quoad Humanum suum est Divinum Bonum Divini amoris, ita sanctum sanctorum: quod Dominus quoad Divinum Humanum solus sit Unctus Jehovæ, videatur n: 9954; & quod Solus sanctus n: 9229; & quod sit Divinum Bonum Divini amoris, citata n: 9199, fin: quod bonum cœleste sit sanctum sanctorum, at bonum spirituale sanctum, est quia bonum cœleste est bonum intimum, ideo quoque id bonum est bonum intimi cœli, at bonum spirituale est bonum inde procedens, & ideo est bonum medii cœli, & hoc bonum tantum est bonum, & inde tantum est sanctum, quantum in se habet bonum cœleste, influit enim hoc in illud, & concipit illud, & gignit illud sicut pater filium; per bonum cœleste intelligitur bonum amoris a Domino in Dominum, & per bonum spirituale intelligitur bonum charitatis erga proximum a Domino; ipsum bonum amoris in Dominum a Domino est sanctum sanctorum, quia Dominus per id se immediate conjungit, at bonum charitatis erga proximum est sanctum, quia Dominus per id se mediate conjungit, & tantum conjungit, quantum in se habet bonum amoris a Domino. Est bonum amoris in Dominum a Domino in omni bono charitatis, quod genuinum est, & quoque in omni bono fidei quod genuinum, nam influit a Domino; nemo enim potest amare proximum, & ex amore ei facere bonum ex se, sed ex Domino, & nemo potest credere in Deum ex se, sed ex Domino; idcirco cum agnoscitur Dominus, & amatur proximus, tunc Dominus est in amore erga proximum, utcunque homo id nescit; hoc quoque intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "Respondebant justi, Domine, *quando Te vidimus* esurientem, & nutrivimus Te, aut sitientem & potavimus Te; *quando vidimus Te* ægrotum & in custodia & venimus ad Te; sed Rex dicet illis, amen dico vobis, in *quantum fecistis uni ex his fratribus minimis Mihi fecistis*," xxv: 37. 38. 39. 40; inde patet, quod Dominus sit in bono charitatis, ac sit bonum illud, etiam nescientibus illis qui in eo bono sunt; per fratres in sensu proximo intelliguntur qui in bono charitatis sunt, & in sensu abstracto a persona fratres Domini sunt ipsa bona charitatis, videantur n: 5063 ad 5071.

10,130. Omnis tangens altare, sanctificabitur, quod significet quemvis qui Divinum Domini recipit, constat ex significatione tangere, quod sit communicatio, translatio, receptio, de qua sequitur; ex significatione altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad bonum amoris, hic in Cœlo & in Ecclesia, de qua supra n: 10,129; & ex significatione sanctificari, quod sit recipere Divinum Domini, de qua etiam supra n: 10,128. Quod tangere sit communicatio, translatio & receptio, est quia interiora hominis se exserunt per externa, imprimis per tactum, & sic se communicant cum altero, ac semet transferunt in alterum, & quantum ulterius voluntas concordat, & unum facit, recipiuntur; sive dicas voluntatem sive amorem, idem est, nam quod amoris hominis est, hoc etiam voluntatis ejus est; inde quoque sequitur, quod interiora hominis quæ sunt ejus amoris & inde cogitationis, se exserant per tactum, ac ita se communicent cum altero, ac semet transferant in

alterum; & quantum alter amat personam, vel res quas persona loquitur vel agit, tantum recipiuntur. Hoc apprimis se manifestat in altera vita, nam ibi omnes agunt ex corde, hoc est, ex voluntate seu amore, & non licet agere ex gestibus separatis ab illis, nec loqui ex ore simulate, hoc est, separatim a cogitatione cordis; ibi patet, quomodo interiora se communicant cum altero, ac se transferunt in alterum per tactum; & quomodo alter recipit illa secundum suum amorem; voluntas seu amor cujusvis constituit totum hominem ibi, ac sphaera vitae inde effluit ab illo sicut halitus aut vapor, ac circumdat illum, & facit quasi ipsum circum illum; vix aliter ac sicut effluviosum circum vegetabilia in mundo, quod etiam sentitur ad distantiam per odores; etiam circum bestias, quod sentitur exquisite a cane sagaci; tale effluviosum etiam exundat ex unoquovis homine, ut quoque ex multa experientia notum est: at cum homo deponit corpus, & fit spiritus aut angelus, tunc effluviosum seu exspiratorium illud non est materiale, ut in mundo, sed est spirituale effluens ex amore ejus; hic tunc format sphaeram circum illum, quae facit ut percipiatur ad distantiam ab aliis qualis est; de hac sphaera videantur quae in locis citatis n: 9606; ostensa sunt: quia communicatur haec sphaera cum altero, ac transfertur in illum ibi, & recipitur ab altero secundum ejus amorem, inde mirabilia plura ibi existunt, quae ignota sunt homini in mundo; sicut I^mo^ Quod omnis praesentia sit secundum similitudines amorum, & omnis absentia secundum dissimilitudines eorum. II^do^ Quod omnes consocientur secundum amores, qui in amore in Dominum a Domino sunt, consociantur in coelo intimo; qui in amore erga proximum a Domino sunt, consociantur in coelo medio; qui in obedientia fidei, hoc est, qui faciunt verum propter verum, consociantur in coelo ultimo: qui autem in amore sui & mundi sunt, hoc est, qui faciunt quae faciunt propter se & mundum ut fines, consociantur in inferno. III^tio^ Quod omnes vertant oculos suos ad illos quos amant; qui amant Dominum, vertunt oculos suos ad Dominum ut Solem; qui amant proximum a Domino, vertunt oculos suos ad Dominum ut Lunam; similiter qui faciunt verum propter verum: de Domino ut Sole & ut Luna, videantur quae n: 1521. 1529. 1530. 1531. 3636. 3643, 4060. 4321 fin: 5097. 5377. 7078. 7083. 7171. 8644 8812, ostensa sunt: & quod mirum, quocunque se vertunt, seu ad quamcunque plagam, usque spectant Dominum ante se. Contrarium est illis qui in inferno, quo magis ibi in amore sui sunt, ac in amore mundi, eo magis vertunt se a Domino, & Ipsum habent a tergo; hoc etiam quocunque seu ad quamcunque plagam se vertunt. IV. Cum angelus coeli determinat visum suum ad alios, tunc communicantur & transferuntur interiora ejus in illos, secundum quantum & quale amoris ejus, & recipiuntur ab illis secundum quale & quantum amoris eorum; quapropter si ab angelo coeli determinatur visus ad bonos, fit laetitia & gaudium; si autem ad malos, fit dolor & cruciatus. Quod autem per tactum manus etiam significetur communicatio, translatio ac receptio, est quia activum totius corporis collatum est in brachia & in manus, ac interiora per exteriora exprimuntur in

Verbo:

Verbo: inde eſt, quod per brachia, per manus, & imprimis per dextram ſignificetur potentia, videantur citata n: 10,019. & n: 10,023. 10,076; & inde per manus ſignificatur quicquid eſt apud hominem, ita totus homo quatenus agens, citata n: 10,019. Præterea, quod omnes ſenſus externi, ſicut Viſus, Auditus, Guſtus & Odoratus, ſe referant ad Tactum, & ſint ſpecies tactus, notum eſt in Orbe erudito. Quod per Tangere ſignificetur communicatio, tranſlatio, & receptio, conſtat ex pluribus locis in Verbo, quorum hæc licet in medium afferre; apud Moſchen, "Unges Tentorium conventus, & Arcam Teſtimonii, & Menſam, & omnia vaſa ejus, & Candelabrum & vaſa ejus, & Altare ſuffimenti, & Altare Holocauſti, & omnia vaſa ejus, & Labrum & baſin ejus, & ſanctificabis illa, ut ſint ſanctum ſanctorum; *omnis qui tetigerit illa, ſanctificabitur,*" Exod: 26 ad 29. Apud Eundem, "*Omne quod attigerit reſiduum minchæ*, & *reſiduum carnis ex ſacrificiis*, quæ Aharoni & filiis ejus, *ſanctificabitur,*" Lev: VI: 11. 20. Apud Danielem, "*Angelus tetigit Danielem*, & reſtituit ſuper ſtationem ejus, ac ſuſtulit eum ſuper genua ſua; ac *tetigit labia ejus*, & aperuit os ejus; & *addidit tangere illum*, & corroboravit illum," X: 10. 16. 18. Apud Eſaiam, "Unus de Seraphim, *tetigit pruna os meum*, dixit, ecce *tetigit hæc labia tua*, ideo receſſit iniquitas tua, & peccatum tuum expiatur," VI: 7. Apud Jeremiam, "Emiſit Jehovah manum ſuam, & *tetigit os meum*, & dixit, do verba mea in os tuum," I: 9. Apud Matthæum, "Jeſus extendens manum ad leproſum, *tetigit illum*, dicens, volo mundatus eſto, & ſtatim mundata eſt illius lepra," VIII: 3. Apud Eundem, "Jeſus vidit ſocrum Petri febri afflictam, & *tetigit manum ejus*, & reliquit eam febris," VIII: 14. 15. Apud Eundem, "*Jeſus tetigit oculos cæcorum*, & aperti ſunt eorum oculi," IX: 29. Apud Eundem, "*Jeſus tetigit oculos duorum cæcorum*, & ſtatim viſum receperunt," XX: 24. Apud Lucam, "*Jeſus tetigit aurem ſurdi*, & ſanavit," XXII: 51. Apud Marcum, "Attulerunt male habentes ad Jeſum, *ut ſaltem tangerent fimbriam indumenti Ipſius*, & quotquot tetigerunt, ſalvi facti ſunt," VI: 56. Matth: XIV: 36. Apud Lucam, "Mulier profluvio ſanguinis laborans, *tetigit fimbriam veſtimenti Jeſus*; & extempore ſtetit fluxus ſanguinis: Jeſus dixit, *quis eſt qui tetigit Me*; *tetigit Me aliquis*, Ego *cognovi virtutem egreſſam a Me*," VIII: 44 ad 48. Apud Marcum, "Attulerunt ad Jeſum infantes, *ut tangeret eos*; & *ſuſcepit eos in ulnas*, *poſuit manus ſuas ſuper eos*, *& benedixit illis*," X: 13. 16: ex his patet, quod per tangere ſignificetur communicatio, tranſlatio, & receptio. Similiter ubi agitur de immundis, per quæ in ſenſu interno ſignificantur mala & falſa, quæ ab infernis; ut apud Moſchen, "*Tangens mortuum* quoad omnem animam hominis, immundus ſeptem diebus. *Omnis tangens mortuum*, quoad animam hominis qui moritur, & non expiaverit ſe, *Habitaculum Jehovæ polluit*, ideo exſcindetur anima hæc ex Iſraele. *Omnis qui tetigerit ſuper ſuperficie agri confoſſum gladio*, aut *mortuum*, aut *os hominis*, aut *ſepulchrum*, immundus erit ſeptem dies. *Tangens aquas ſeparationis*, immundus ad veſperam. *Omne quod tetigerit immundus*, immundum fiet; & *anima quæ tetigerit*, immunda erit ad veſperam," Num: XIX: 11. 13. 16.

21. 22. Apud Eundem, "*Qui tangit immundas bestias, immunda reptilia*, immundus ad vesperam: *omne super quod ceciderit, immundum* erit, sive vas ligni, vestis, aquæ, vas testæ, cibus, potus, clibanus, fons, cisterna, receptaculum aquarum, immunda erunt," Levit: XI: 31 ad 36; pariter Cap: V: 2. 3. Cap: VII: 21. Apud Eundem, "Qui in fluxu, immundus est; *vir qui tetigerit cubile ejus*; *si sederit super vase super quo ille*; *qui tetigerit carnem ejus, vestes ejus*; *si exspuerit* fluxu affectus in mundum; *currus* super quo vehitur, *vas testæ*; *vas ligni*, immundus erit," Levit: XVI: 1 ad fin: Etiam *qui tetigerit leprosum*," Levit: XXII: 4. Apud Eundem, "*Si ceciderit de cadavere super omne semen sementis*, quod seminatur, mundum erit; si vero data fuerit aqua super semen, & *ceciderit cadaver super id*, immundum erit," Levit: XI: 37. 38; per immunda illa significantur varia genera malorum & inde falsorum, quæ ab inferno, quæ communicata, translata ac recepta; singula immunda aliquod malum in specie significant; mala enim sunt quæ immunda reddunt hominem, nam infectant animam ejus: etiam ex malis spiritibus & geniis exundant mala cordis eorum, ac secundum persuasiones mali infectant præsentes; hæc contagio est quæ significatur per tactum immundorum. Apud Moschen, "De fructu arboris, quæ in medio horti, non comedetis, *neque tangetis eam*, ne moriamini," Gen: III: 3. Apud Eundem, "Angelus, qui cum Jacobo luctatus est, videns quod non prævaleret ei, *tetigit acetabulum femoris ejus*, & luxabatur acetabulum femoris," Genes: XXXII: 26. Apud Eundem, "Moscheh dixit, *quod non tangerent quicquam* quod Koracho, Dathani, & Abiramo, ne consumentur ob omnia peccata eorum," Num: XVI: 26. Apud Esaiam, "Discedite, discedite, *immundum ne tangite*, exite e medio ejus, purificamini portantes vasa Jehovæ," LII: 11. Apud Jeremiam, "Errarunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine, ea quæ non possunt, *tangunt vestimentis suis*; recedite, immundus est, clamant ad illos, recedite, *ne tangite*," Thren: IV: 14. 15. Apud Haggæum, "Ecce portabit vir carnem sanctitatis in ala vestis suæ, & *tangit ala sua panem*, vel *vinum*, vel *oleum*, vel *quemcunque cibum*, usque non sanctificabitur: si *tetigerit immundus anima quodcunque illorum*, usque immundus erit," II: 12. 13. 14. Apud Hoscheam, "Pejerare, & mentiri, & occidere, & furari, & adulterari, latrocinantur, & *sanguines sanguines tangunt*; propterea lugebit terra," IV: 2. 3.

10,131. Et hoc quod facies super altari, quod significet quod in genere concernit receptionem Domini in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione hoc quod facies super altari, quod sit quod in genere concernit receptionem Domini in Cœlis; per Altare enim significatur Divinum Domini in cœlis, n: 10,129, ita quoque receptio Ipsius; & per hoc facies super illo, significatur quod in genere concernit; nam sequitur de holocaustis quotidie, & per illa repræsentatur in genere quod concernit receptionem Domini, per agnos enim significatur bonum innocentiæ, & bonum innocentiæ est unicum quod recipit Dominum, nam absque bono innocentiæ non datur amor in Dominum, nec datur charitas erga proximum, nec fides quæ vitam in se habet, in

genere non bonum in quo Divinum, videantur citata n: 10,021; inde est, quod per hoc facies super altari, significetur quod in genere concernit receptionem Domini in Cœlo & in Ecclesia. Cum dicitur Cœlum, etiam intelligitur Ecclesia, nam cœlum Domini in terris est Ecclesia, & unusquisque in quo est Ecclesia, in illo etiam est cœlum, est enim Dominus in illo, & ubi Dominus ibi cœlum; etiam Ecclesia unum facit cum cœlo, pendet enim unum ab altero nexu indivulso; Verbum est quod conjungit, in Verbo est Dominus, & Dominus est Verbum, Joh: i: 1 seq:

10,132. Agnos filios anni in diem, quod significet bonum innocentiæ in omni statu, constat ex significatione agnorum, quod sint bonum innocentiæ, de qua sequitur; ex significatione filiorum anni, quod sit quale infantiæ, cui tamen vera implantata sunt, de qua etiam sequitur; & ex significatione in diem, quod sit in omni statu, nam per diem significatur status, & per mane diei ac per vesperam ejus, in quibus fiebant holocausta ex agnis, significatur omnis status; quod dies sit status, videatur n: 893. 2788. 3462. 3785. 4850. 7680; & quod vices statuum se habeant sicut vices diei quoad mane, meridiem, vesperam, noctem, & iterum mane, n: 5672. 5962. 6110. 8426. Quod agni sint bonum innocentiæ, constat ex locis in Verbo ubi agni nominantur, ut apud Esaiam, "Commorabitur lupus *cum agno*, & pardus *cum hædo* cubabit, & *vitulus* & leo juvenis, & saginatum una; & *puer parvus* ducet ea; ludet *lactens* super foramine viperæ, & super speluncam basilisci *ablactatus* manum suam impellet; non corrumpent se in toto monte sanctitatis meæ. Et fiet in die illo, radicem Jischaki, qui stans in signum populorum, gentes quærent; & erit quies Ipsius gloria," xi: 6. 8. 9. 10; describitur hic status pacis & innocentiæ in Cœlis & in Ecclesia, postquam Dominus in mundum venit; & quia status pacis & innocentiæ describitur, memorantur agnus, hædus, & vitulus, tum puer parvus, lactens, & ablactatus, & per omnes illos significatur bonum innocentiæ, bonum innocentiæ intimum per agnum, bonum innocentiæ interius per hædum, & bonum innocentiæ exterius per vitulum; similiter per puerum, lactentem, & ablactatum; mons sanctitatis est Cœlum & Ecclesia ubi bonum innocentiæ; gentes sunt qui in illo bono sunt; radix Jischaki est Dominus a quo id bonum; bonum amoris ab Ipso in Ipsum, quod etiam bonum cœleste vocatur, est bonum innocentiæ: quod Agnus sit bonum innocentiæ in genere, ac in specie bonum innocentiæ intimum, constat ex eo, quod primo loco nominatur, tum ex eo, quod Ipse Dominus dicatur Agnus, ut videbitur in sequentibus; quod hædus sit bonum innocentiæ interius, videatur n: 3519. 4871; quod Vitulus seu Juvencus sit bonum innocentiæ exterius, n: 430. 9391; quod puer sit innocentia, n: 5236; similiter lactens, ablactatus, seu infans, n: 430. 2280. 3183. 3494. 5608; mons sanctitatis quod sit ubi bonum amoris in Dominum, n: 6435. 8758; quod gentes sint qui in illo bono, n: 1416. 6005: quod bonum amoris in Dominum, quod bonum cœleste vocatur, sit bonum innocentiæ, constat ex illis qui in cœlo intimo sunt, qui quia in illo bono sunt, apparent nudi & sicut infantes, ex causa quia nuditas est innocentia, pariter infantia,

infantia, videantur citata n: 9277: & n: 3887. 9680. Dicitur quod commorabitur lupus cum agno, quia per lupum significantur qui contra innocentiam, ut quoque apud Eundem, "*Lupus* & *Agnus* pascent simul, non malum facient, nec perdent in toto monte sanctitatis meæ," LXV: 25: & apud Lucam, "Dixit Jesus ad discipulos, quos emisit, *ecce mitto vos sicut agnos in medium luporum*," x: 3. Quoniam Dominus cum in mundo quoad Humanum suum fuit Ipsa Innocentia; & quoniam inde omne Innocentiæ ab Ipso procedit, ideo Dominus dicitur Agnus, & Agnus Dei; ut apud Esaiam, "*Mitte Agnum Dominatoris terræ* de petra versus desertum ad montem filiæ Zionis," XVI: 1. Apud Eundem, "Exactionem sustinuit, & afflictus est, non tamen aperuit os suum, *sicut Agnus ad mactationem ducitur*," LIII: 7. Apud Johannem, "Vidit Johannes Baptista Jesum venientem, dixit, *ecce Agnus Dei* qui tollit peccatum mundi," i: 29. 36. In Apocalypsi, "*Agnus qui in medio throni pascet eos*, ac deducet eos ad vivos fontes aquarum," VII: 17: & alibi, "Hi sunt qui cum mulieribus non polluti sunt, *hi sunt qui sequuntur Agnum quo vadit*; hi emti sunt de hominibus, *primitiæ Deo & Agno*," XIV: 4; præter pluries alibi in Apocalypsi, ut Cap: V: 6. 8. 12. 13. Cap: VI: 1. 16. Cap: VII: 9. 10. 14. Cap: XII: 11. Cap: XIII: 8. Cap: XIV: 1. Cap: XV: 3. Cap: XVII: 14. Cap: XIX: 7. 9. Cap: XXI: 9. 14. 21. 23. 26. Cap: XXII: 1. 3. Quia Agni sunt qui in innocentia, ideo Dominus dixit ad Petrum, primum, *pasce agnos meos*, & postea *pasce oves meas*, & adhuc pasce oves meas," Joh: XXI: 15. 16. 17; agni ibi sunt qui in bono amoris in Dominum, nam hi in bono innocentiæ præ reliquis sunt; oves autem qui in bono charitatis erga proximum, & qui in bono fidei. Simile per Agnos significatur apud Esaiam, "Ecce Dominus Jehovih in forti venit, & brachium Ipsius dominatur Ipsi, sicut Pastor gregem suum pascet, *in brachium suum colliget Agnos*, in gremio suo portabit, *lactentes leniter ducet*," XL: 10. 11; quod hæc de Domino dicta sint, patet; quia per agnos intelliguntur qui in amore in Ipsum, ita in bono innocentiæ, ideo dicitur quod illos colliget in brachium suum, & portabit in gremio; sunt enim conjuncti Domino per amorem, & amor est conjunctio spiritualis; & ideo quoque additur, quod lactentes leniter ducet, lactentes enim & infantes sunt qui in bono innocentiæ, n: 430. 2280. 3183. 3494. Ex his nunc constare potest, quid significant holocausta & sacrificia ex agnis, & cur illa quolibet die fierent, quolibet sabbatho, quolibet novilunio, & quolibet festo, in festo Paschatis singulis diebus; & cur ad festum Paschatis agnus, qui dicebatur agnus Paschalis, comederetur; de quo ita apud Moschen, "Mensis hic vobis caput mensium, primus hic vobis respectu mensium anni; sumetis *pecudem masculum de agnis* vel *de hædis*; ac sument de sanguine, & dabunt super postes, & super superliminare, & super domus in quibus comedent eam; non comedent de ea crudum, aut coctum in aquis, sed assum igne," Exod: XII: seq: per festum Paschatis significabatur liberatio eorum, qui recipiunt Dominum amore & fide, a damnatione, n: 9286. 9287 ad 9292; ita qui in bono innocentiæ sunt, nam bonum innocentiæ est intimum amoris & fidei, & est

anima

anima illorum; quapropter dicitur, quod sanguinem ejus darent super postes, superliminare, & domus, nam ubi bonum innocentiæ est, illuc infernum intrare non potest; quod comederent assum igne, erat causa, quia per id significabatur bonum amoris cœlestis, quod est bonum amoris in Dominum a Domino. Quia agnus innocentiam significabat, ideo cum impleti fuerunt dies post partum, offerebatur *Agnus filius anni in holocaustum*, ac filius columbæ aut turtur in sacrificium," Levit: XII: 6; per filium columbæ & per turturem similiter significabatur innocentia, ac per agnum; per partum in sensu spirituali significatur partus Ecclesiæ, qui est boni amoris, non enim alius partus in cœlo intelligitur; & per holocaustum & sacrificium ex illis significatur purificatio a malis per bonum innocentiæ; nam hoc bonum est in quod Divinum influit, ac per quod purificat Quod qui peccaverit per errorem, *offerret agnum* aut *capellam caprarum*, aut *duos turtures*, aut *duos filios columbarum*, in reatum," Levit: V: 1 ad 13, erat causa, quia peccatum per errorem, est peccatum ex ignorantia, & si in ignorantia est innocentia fit purificatio. De Naziræo etiam dicitur, quod cum implevit Naziræatum suum, *offerret agnum filium anni* in holocaustum, & *agnam filiam anni* in sacrificium peccati, & *arietem unum* in sacrificium eucharisticum, tum calathum azymorum, placentas mixtas oleo, & lagana azymorum uncta oleo," Num: VI: 13. 14. 15; per illa omnia, nempe per agnum; agnam, arietem, panes azymos, placentas, lagana, & oleum, significantur cœlestia, hoc est, quæ amoris sunt in Dominum a Domino; quod illa a Naziræo post impletionem dierum naziræatus sacrificarentur, erat causa quia Naziræus repræsentabat cœlestem hominem, seu Dominum quoad Divinum cœleste; Divinum cœleste est Divinum Domini in cœlo intimo; & hoc Divinum est innocentia. Ex his constare potest, quod per agnum significetur bonum innocentiæ, nam per omnes bestias, quæ sacrificabantur, aliquid Ecclesiæ significatum est; quod apprimis constare potest ex eo, quod Ipse Dominus dicatur Agnus, ut constat ex locis supra citatis; & quoque quod illi dicantur Agni, qui Dominum amant, ut apud Esaiam Cap: XL: 10. 11; & apud Johannem Cap: XXI: 15; & quod etiam homines probi dicantur oves, ut Matth: Cap: XV: 21 ad 29. Cap: XXV: 31 ad 41. Cap: XXIX: 31. Joh: X: 7 ad 16. 26 ad 31. Cap: XXI: 16. 17, & alibi; ac homines mali hirci, Matth: XXV: 31. Sachar: X: 3. Dan: VIII: 5 ad 11. 25: quod omnes bestiæ utiles ac mites significent affectiones & inclinationes bonas; at inutiles & immites affectiones & inclinationes malas, videantur citata n: 9280. Bonum innocentiæ significatur non modo per agnum, sed etiam per arietem, & per juvencum, sed cum differentia, quod per agnum significetur bonum innocentiæ intimum, per arietem bonum innocentiæ interius seu medium, ac per juvencum bonum innocentiæ externum; externum, internum, & intimum in unoquovis erit bonum innocentiæ, ut homo regeneratus sit, nam bonum innocentiæ est ipsa essentia omnis boni: quia hi tres gradus innocentiæ significantur per juvencum, arietem & agnum, ideo illi tres offerebantur in sacrificium & in holocaustum, quando repræsentabatur purificatio per id bonum, quod factum in

singulis

ſingulis Noviluniis, in Feſtis, Die primitiarum, cum inaugurabatur Altare, ut patet in Num: Cap: VII: 15. 21. 27. 38 ſeq: Cap: XXVIII: 1 ad fin: & Cap: XXIX: 1 ad fin: quod Juvencus ſit bonum innocentiæ externum, videatur n: 9391. 9990; quod aries ſit bonum innocentiæ internum, n: 10,042. Quid Innocentia, & qualis illa apud infantes, qualis apud ſimplices qui in ignorantia, & qualis apud ſapientes, videantur citata n: 10,021 fin: Quod dicatur, quod agnus, qui offerretur in holocauſtum, eſſet filius anni, ſignificabat quod tunc eſſet agnus, cum enim excedebat annum, erat ovis; & quia agnus erat ſicut infans ovis, per illum ſignificabatur tale bonum quod infantiæ eſt, quod eſt bonum innocentiæ; inde quoque erat, quod agni offererentur in holocauſtum in Primo menſe anni, quando Paſcha, Exod: XII: 2 ſeq: Num: XXVIII: 16. 19: in die primitiarum, Num: XXVIII: 26. 27: in die quo motitabant manipulum, Levit: XXIII: 11. 12, nam per primum menſem anni, perque diem primitiarum, & per diem motitationis manipuli, etiam ſtatus infantiæ, ita ſtatus innocentiæ, ſignificabatur.

10,133. Juge, quod ſignificet in omni cultu Divino, conſtat ex ſignificatione jugis, cum de talibus quæ ſunt cultus Divini, quod ſit omne & in omni; agitur enim de purificatione a malis & falſis per bonum innocentiæ, nam hoc bonum ſignificatur per agnos, & purificatio a malis & inde falſis per holocauſtum ex illis; hoc dicitur juge quia in omni cultu Divino; ideo etiam bis quovis die, mane & veſpere fiebat; & quod fiebat mane & veſpere, repræſentabat in genere omnem cultum, & in omni cultu; bonum enim innocentiæ erit in omni bono, & inde in omni vero, ut ſit bonum & verum, in quibus vita a Divino, ita in omni cultu, nam omnis cultus ex bono amoris & ex veris fidei erit, ut ſit cultus: quod omne bonum Eccleſiæ & Cœli in ſe habeat innocentiam, & quod abſque ea bonum non ſit bonum, ita nec cultus ſit cultus, videatur n: 2736. 2780. 6013. 7840. 7262. 7887; & quid innocentia, n: 3994. 4001. 4797. 5236. 6107. 6765. 7902. 9262. 9936, & citata n: 10,021 fin: Quod juge ſit omne & in omni, nempe omne cultus, & in omni cultu, eſt quia involvit tempus; & in cœlis, ubi Verbum non intelligitur in ſenſu naturali, ſed in ſenſu ſpirituali, non eſt aliqua notio temporis, ſed pro temporibus percipiuntur talia quæ ſunt ſtatus; hic itaque per juge ſtatus perpetuus in cultu, ita omne cultus & in omni cultu; ſimiliter per reliqua in Verbo quæ involvunt aliquid temporis, ut per heri, hodie, cras, biduum, triduum, per diem, ſeptimanam, menſem & annum, tum per diei & anni tempora, ut per mane, meridiem, veſperam, noctem, per ver, æſtatem, autumnum, & hyemem; quapropter ut ſenſus ſpiritualis Verbi intelligatur, ex ſenſu ejus naturali omne quod eſt temporis rejiciendum eſt, & quoque quod eſt loci, ut & omne quod eſt perſonæ, & pro illis concipiendi ſunt ſtatus rerum; ex quibus conſtare poteſt, quam purum eſt Verbum in ſenſu interno, ita quam pure percipitur ab angelis in cœlis, conſequenter quam eminens angelorum ſapientia & intelligentia eſt præ intelligentia & ſapientia hominum, qui ſolum ex naturali determinato ad maxime finita in mundo & tellure cogitant; quod tempora in cœlis ſint ſtatus, videatur n: 1274.

n: 1274. 1382. 2625. 2788. 2837. 3254. 3356. 3404, 3827. 4814. 4882. 4901. 4916. 6110. 7218. 7381. 8070; & quid ſtatus, n: 4850. Ex his patet, quid per holocauſtum juge ex agnis ſignificatur; ita quid per juge & jugiter, alibi, ut "quod ignis *jugiter* ardebit ſuper altari," Levit: VI: 6: quod *panis jugis* erit ſuper menſa," Num: IV: 7; per ignem ibi & per panem ſignificatur bonum amoris a Domino in Dominum; quod ignis id ſit, videatur n: 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324 7852. 10,055; & quoque panis, n: 2165. 2177. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 9323. 9545; per juge ibi etiam ſignificatur, quod bonum illud erit in omni cultu; & quod ex illo bono ſicut a ſuo igne luceret verum fidei ſignificatur per *quod aſcendere facerent lucernam jugiter*," Exod: XXVII: 20; quod lucerna ſit verum & bonum fidei, videatur n: 9548. 9783.

10,134. Agnum unum facies mane, quod ſignificet remotionem malorum per bonum innocentiæ a Domino in ſtatu amoris & lucis inde in interno homine, conſtat ex ſignificatione facere agnum ſeu ſacrificare illum, quod ſit remotio malorum per bonum innocentiæ a Domino, de qua ſequitur; & ex ſignificatione mane, quod ſit ſtatus amoris & lucis inde in interno homine, de qua etiam ſequitur: quod per facere ſeu ſacrificare agnum, ſignificetur remotio malorum per bonum innocentiæ a Domino, eſt quia per holocauſta & ſacrificia ſignificata eſt purificatio a malis & inde falſis, ſeu quod idem, remotio illorum, ac implantatio boni & veri, & conjunctio eorum a Domino, n: 9990. 9991. 10,022. 10,042. 10,053; quod purificatio a malis ſit remotio illorum, videantur citata n: 10,057; quod agnus ſit bonum innocentiæ, n: 10,132, quod remotio malorum, ac implantatio boni & veri, ac conjunctio eorum fiat per bonum innocentiæ a Domino, eſt quia in omni bono erit innocentia, ut ſit bonum; & quod abſque illa bonum non ſit bonum; eſt enim innocentia non modo planum, cui inſeminantur vera, ſed etiam eſt ipſa eſſentia boni; quantum itaque homo in innocentia eſt, tantum bonum ſit bonum, & verum a bono vivit, proinde tantum homo ſit vivus, & tantum removentur mala apud illum, & quantum ea removentur, tantum bona & vera implantantur & conjunguntur a Domino; inde eſt quod holocauſtum juge factum fuerit per agnos: quod omne bonum Cœli & Eccleſiæ in ſe habeat innocentiam, & quod abſque ea bonum non ſit bonum, videatur n: 2736. 2780. 6013. 7840. 7262. 7887: & quid innocentia, n: 3994. 4001. 4797. 5236. 6107. 6765. 7902. 9262. 9936. Quod mane ſit ſtatus amoris & lucis inde in interno homine, eſt quia in cœlis apud angelos variantur ſtatus quoad amorem & inde fidem, ſicut in mundo apud homines variantur tempora quoad calorem & ſimul lucem; tempora illa ſunt, ut notum eſt, mane, meridies, veſpera & nox; inde in Verbo per mane ſignificatur ſtatus amoris, per meridiem ſtatus lucis in claro, per veſperam ſtatus lucis in obſcuro, & per noctem ſeu diluculum ſtatus amoris in obſcuro; quod tales variationes ſtatuum ſint in cœlis, videatur n: 5672. 9962. 6110. 7218. 8426; quod mane ibi ſit ſtatus pacis & innocentiæ, ita ſtatus amoris in Dominum, n: 2405. 2780. 8426. 8812. 10,114; quod meridies ſit ſtatus

lucis in claro, n: 3708. 5672. 9642; quod vespera sit status lucis in obscuro, n: 3056. 3833. 6110; & quod nox non sit in cœlo, sed diluculum, n: 6110, per quod significatur status amoris in obscuro. Quod per mane significetur status amoris & inde lucis *in interno homine*, est quia cum angelus in statu amoris & lucis est, tunc in interno suo homine est; at cum in statu lucis & amoris in obscuro est, tunc in externo est; est enim angelis internum & externum, sed cum in interno sunt, quiescit pœne externum, cum autem in externo sunt, in crassiori & obscuriori statu sunt; inde est, quod cum in statu amoris & lucis sunt, in suo interno sint, ita in suo mane; ac cum in statu lucis & amoris in obscuro sunt, in externo sint, ita in sua vespera; inde patet, quod variationes statuum fiant per elevationes versus interiora, ita in sphæram lucis & caloris cœlestis superiorem, proinde propius ad Dominum, & per demissiones versus exteriora in sphæram lucis & caloris cœlestis inferiorem, proinde remotius a Domino: sciendum est, quod interiora sint superiora, ita propiora Domino, & quod exteriora sint inferiora, ita remotiora a Domino; & quod Lux in cœlis sit Divinum Verum quod fidei, & Calor in cœlis sit Divinum Bonum quod amoris, utrumque procedens a Domino; Dominus enim in Cœlo est Sol, a quo omne vitæ angelis, & inde omne vitæ spiritualis & cœlestis homini, videantur citata n: 9548. 9684; & quod interiora sint superiora, ita propiora Domino, n: 2148. 3084. 4599. 5146. 8325. Homo qui regeneratur, & quoque homo qui regeneratus est, etiam variationes status quoad amorem & quoad fidem subit, per elevationes versus interiora, & per demissiones versus exteriora; sed pauci sunt, qui super id reflectere possunt, quia non sciunt quid sit cogitare & velle in interno homine, & in externo, ne quidem quid internus homo, & quid externus; cogitare & velle in interno homine, est in cœlo, nam internus homo ibi est: at cogitare & velle in externo homine, est in mundo, nam externus homo ibi est; quapropter cum homo in amore in Deum est, & in fide inde, tunc in interno est, quia in cœlo; cum autem in obscuro est quoad amorem & inde fidem, tunc in externo est, quia in mundo: hi status quoque intelliguntur per mane, meridiem, vesperam, & noctem seu diluculum in Verbo; similiter status Ecclesiæ; primus ejus status etiam vocatur mane in Verbo, secundus status meridies, tertius vespera, & quartus seu ultimus nox; sed cum Ecclesia in sua nocte est, in qua est cum non amplius in amore in Deum & in fide, tunc inchoat a diluculo mane apud aliam gentem, ubi Ecclesia nova instauratur; se habet enim Ecclesia in communi, sicut homo in particulari, primus ejus status est status innocentiæ, ita quoque amoris erga parentes, erga nutricem, & quoque erga socios infantes; alter ejus status est status lucis, cum enim infans puer fit, discit illa quæ lucis sunt, hoc est, vera fidei, & credit illa; tertius status est cum incipit amare mundum & amare semet, quod fit cum fit juvenis, & cum cogitat ex se, & quantum hi amores crescunt, tantum decrescit fides, & cum fide charitas erga proximum, & amor in Deum; quartus & ultimus status est, cum non curat illa, & magis cum negat illa: tales status etiam sunt status cujusvis Ecclesiæ a suo principio

ad

ad finem, primus ejus ſtatus etiam eſt ſtatus infantiæ, ita quoque innocentiæ, proinde amoris in Dominum, hic ſtatus ejus vocatur mane; alter ſtatus eſt ſtatus lucis; tertius ſtatus eſt ſtatus lucis in obſcuro, qui eſt ejus veſpera; & quartus ſtatus eſt ſtatus nullius amoris & inde nec lucis, qui eſt ejus nox: quod ita ſit, eſt cauſa, quia mala creſcunt indies, & quantum illa creſcunt, tantum inficit ſicut contagio unus alterum, imprimis parentes ſuos liberos; præter quod mala hæreditaria ſucceſſive condenſentur, & ſic derivantur. Quod Mane ſignificet ſtatum primum Eccleſiæ, & quoque ſtatum amoris, conſtat apud Danielem, "Dixit unus ſanctus, quouſque viſio hæc, juge, & prævaricatio vaſtans, dixit ad me, *uſque ad veſperam mane* bis mille & trecenta; tunc juſtificabitur ſanctum," VIII: 13. 14; agitur ibi de adventu Domini; veſpera eſt ſtatus Eccleſiæ ante adventum Ipſius, mane autem eſt ſtatus Eccleſiæ primus poſt adventum, & in ſupremo ſenſu eſt Ipſe Dominus; quod Dominus in ſupremo ſenſu ſit Mane eſt quia eſt Sol cœli, & ſol cœli nunquam occidit, ſed ſemper eſt Oriens; inde quoque Dominus vocatur oriens, conſequenter etiam mane, videatur n: 2405. 2780. 9668. Apud Eſaiam, "Ad me clamans e Seir, quid *de nocte*, quid *de nocte*, cuſtos; dixit cuſtos, *venit mane, etiamque nox*," XXI: 11. 12; per cuſtodem in ſenſu interno intelligitur qui obſervat ſtatus Eccleſiæ, & illius mutationes; ita omnis propheta; per noctem intelligitur ſtatus ultimus Eccleſiæ, per mane ſtatus primus ejus; per Seir e quo clamat cuſtos ſignificatur illuminatio gentium quæ in tenebris; quod Seir id ſit, videatur n: 4240; & quod non ſit ſtatus ultimus Eccleſiæ, n: 6000; venit mane etiamque nox, ſignificat quod tametſi illuminatio illis qui e nova Eccleſia, uſque nox illis qui in veteri. Simile per mane ſignificatur apud Davidem, "*In veſpera* pernoctabit fletus, *in mane* cantus," Pſalm: V: 4: & apud Eſaiam, "*Circa tempus Veſperæ* ecce terror, *antequam mane*, non eſt," XVII: 14. Quia mane ſignificat in ſenſu ſupremo Dominum, & inde amorem ab Ipſo in Ipſum, ideo manna, quæ erat panis cœleſtis, *depluebat quovis mane*," Exod: XVI: 8. 12. 13. 21; quod Dominus ſit Panis qui deſcendit de cœlo, ita manna, videatur Johan: VI: 33. 35. 48. 50; & quod panis ſit amor cœleſtis, qui eſt amor a Domino in Dominum, n: 2165. 2177. 3464. 4217. 4735. 5405. 5915. 9545: & quia Dominus eſt oriens & mane, & quia omne amoris cœleſtis eſt ab Ipſo, ideo quoque ſurrexit *mane die ſabbathi*," Marc: XVI: 9; ac ideo quoque dies ante feſtum Paſchatis vocabatur veſpera, nam per feſtum Paſchatis ſignificabatur præſentia Domini, ac liberatio fidelium a damnatione ab Illo, n: 7867. 9286. 9287 ad 9292. Qui ſenſum internum Verbi novit, is ſcire poteſt quod involvit, quod Petrus ter negaverit Dominum, antequam Gallus bis cecinerit," Matth: XXVI: 34. 74. 75. Marc: XIV: 30. 68. 72. Luc: XXII: 34. 60. 61. Johan: XVIII: 27; per Petrum enim repræſentabatur fides Eccleſiæ, ſeu quod idem, Eccleſia quoad fidem; per tempus quando canebat gallus ſignificabatur ultimus ſtatus Eccleſiæ, quod tempus etiam gallinaceum vocabatur; per trinam negationem ſignificabatur negatio Domini plenaria in fine Eccleſiæ; quod Petrus repræſentaverit fidem Eccleſiæ, ita Eccleſiam quoad fidem, videatur

 Præfat:

Præfat: ad Cap: XVIII Genes: & ad Cap: XXII, tum n: 3750. 4738, & quod illa verba ad Petrum significaverint negationem Domini in Ecclesia, cum finis ejus est, n: 6000. 6073 fin: 10,087; Dominus enim negatur, cum non amplius aliqua fides est, & fides non est cum amplius non charitas; quod tria significent plenarium, n: 2788. 4495. 7715. 8347. 9198. 9488. 9489; inde est quod dictum sit, quod ter abnegaturus esset; quod hoc factum sit in diluculo, quando mane venturum erat, constat apud Johannem Cap: XVIII: 28; & quod *gallinaceum* & diluculum sit idem, patet apud Marcum, "Vigilate, non enim scitis quando Dominus domus venturus est; vesperi, an in media nocte, *an in gallinaceo*, an mane," XIII: 35. Ex his nunc constare potest, quid per mane significatur.

10,135. Et agnum alterum facies inter vesperas, quod significet simile in statu lucis & amoris in externo homine, constat ex significatione facere agnum seu sacrificare illum, quod sit remotio a malis per bonum innocentiæ a Domino, ut mox supra n: 10,134; & ex significatione inter vesperas, quod sit in statu lucis & amoris in externo homine; per vesperam enim in Verbo significatur status interiorum, cum vera fidei sunt in obscuro & bona amoris in aliquo frigido; nam status amoris & lucis variantur apud angelos, sicut in mundo variantur status temporum diei, quæ sunt mane, meridies, vespera, nox seu diluculum, & iterum mane; quando angeli in statu amoris sunt, tunc illis est mane, & tunc apparet illis Dominus ut Sol oriens; quando in statu lucis sunt, tunc illis est meridies, quando autem in statu lucis in obscuro sunt, tunc est illis vespera; & postea cum in statu amoris in obscuro seu in aliquo frigido sunt, tunc est illis nox, seu potius diluculum ante mane; tales status angelis succedunt continue, & per illos perficiuntur continue; sed variationes illæ non existunt ex Sole ibi, ejus ortu & occasu, sed ex statu interiorum ipsorum angelorum; desiderant enim illi sicut homines jam esse in internis suis, jam in externis; cum in internis sunt, tunc in statu amoris & inde lucis in claro sunt, & cum in externis, tunc in statu amoris & inde lucis in obscuro sunt, nam externum tale est respective ad internum; inde origo variationum status angelorum est: quod tales illis status, & tales variationes sint, est quia Sol cœli, qui ibi est Dominus, est Ipse Divinus amor; quapropter calor qui inde procedit, est bonum amoris, & lux quæ inde est verum fidei; nam omnia, quæ ab illo Sole procedunt, sunt viva, & non sicut illa quæ a sole mundi, quæ sunt mortua: inde constare potest quid cœlestis calor, & quid cœlestis Lux; & unde est quod per calorem, flammam, & ignem in Verbo significetur bonum amoris, ac per lucem & splendorem ejus verum fidei, & quod per Solem Ipse Dominus quoad Divinum amorem: quod Dominus in cœlis sit Sol, videatur n: 3636. 3643. 4321 fin: 5097. 7078. 7083. 7171. 7173. 8812; quod calor inde sit bonum amoris, n: 3338. 3339. 3636. 3693. 4018. 5125. 6032. 6314; & quod lux ex illo sole sit Divinum Verum, ex quo fides, intelligentia & sapientia, citata n: 9548. 9684. Ex his nunc constare potest, quid per mane, & quid per vesperam significatur. Sed sciatur, quod hic mane involvat etiam meridiem,

&

& quod vespera etiam diluculum; cum enim in Verbo dicitur mane & vespera, tunc intelligitur totus dies, ita per mane etiam meridies, & per vesperam etiam nox seu diluculum; inde est quod per mane hic significetur status amoris, & quoque lucis in claro, & per vesperam status lucis, & quoque amoris in obscuro, seu in externo homine. Quod per inter vesperas non intelligatur tempus inter vesperam unius diei & vesperam alterius diei, sed tempus inter vesperam & mane, ita inclusive nox seu diluculum, patet ex eo, quod holocaustum juge ex agno non solum factum sit vesperi, sed etiam mane: inde constare potest, quod simile per inter vesperas significetur alibi, ut quod facerent Pæsach *inter vesperas*, Exod: XII: 6. Num: IX: 5. 11; quod etiam explicatur alibi his verbis, "*Sacrificabis Pæsach in vespera*, cum occiderit Sol, tempore stato exitus ex Ægypto; deinde coques & comedes in loco quem elegerit Jehovah Deus tuus, & *respicies mane*, & ibis in tentoria tua," Deut: XVI: 6. 7. Quod vespera in genere significet statum lucis in obscuro, constat apud Jeremiam, "Surgite & ascendamus in meridie; væ vobis, quia abit dies, quia *inclinatæ sunt umbræ vesperæ*; surgite, ascendamus *in nocte*, & perdamus palatia," VI: 4. 5; ibi Vespera & Nox significant ultima tempora Ecclesiæ, quando omnia fidei & amoris destructa sunt. Apud Sachariam, "Erit dies unus, qui notus Jehovæ, *quum circa tempus vesperæ erit lux*: in die illo exibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma, & Jehovah erit in Regem super totam terram," XIV: 8. 9; ibi de adventu Domini; finis Ecclesiæ est tempus vesperæ; Lux est Dominus quoad Divinum Verum. Similiter apud Danielem, "Unus Sanctus dixit ad me, *usque ad vesperam, mane*, bis mille trecenta," VIII: 13.

10,136. Et decima similæ mixtæ oleo tuso, quadrans hinis, quod significet bonum spirituale ex cœlesti quantum ad conjunctionem, constat ex significatione decimæ ephæ, quod sit quantum satis, & quantum ad usus; de qua n: 8468. 8540. 9757; ex significatione similæ, quod sit verum ex bono, de qua n: 9995, hic verum ex bono cœlesti, quod verum vocatur bonum spirituale; ex significatione olei, quod sit bonum cœleste, de qua n: 886. 3728. 4582. 4638. 9474. 9780; ex significatione quadrantis hinis, quod sit quantum ad conjunctionem, nam per quatuor significatur conjunctio, n: 9601. 9674; inde quadrans seu quarta pars est quantum satis ad illam: epha & hin erant mensuræ, & per mensuras significatur quantitas rei de qua agitur; per epham, quæ erat mensura similæ, tritici & hordei, quantitas boni, & per hinem quæ erat mensura vini & olei, quantitas veri; quod decima ephæ sit quæ intelligitur, constat ex Levit: Cap: VI: 13, & alibi. Inde patet, quod per decimam similæ mixtæ oleo tuso quadrantis hinis, significetur bonum spirituale ex cœlesti quantum ad conjunctionem. Quid spirituale, & quid cœleste, videantur loca citata n: 9277.

10,137. Et libamen quadrantis hinis vini, quod significet verum spirituale quantum ad conjunctionem, constat ex significatione vini, quod sit verum, de qua n: 1071. 1798. 6377, hic verum spirituale correspondens bono spirituali ex cœlesti, quod per similam mixtam oleo, de qua mox supra n: 10,136,

signi-

significatur; nam in Verbo ubi agitur de bono etiam agitur de vero, & quidem de vero ejusdem generis ex quo bonum, ex causa quia omnia & singula in cœlo, & quoque in mundo, se referunt ad bonum & ad verum, & ad utrumque ut sint aliquid, nam bonum absque vero non est bonum, & verum absque bono non est verum, videantur citata n: 9263. 9314; inde est, quod, cum offerebatur minchah, quæ erat panis, offereretur etiam libamen quod erat vinum; similiter in Sancta Cœna; inde est, quod per libamen vini hic intelligatur verum correspondens bono quod per mincham, de qua mox supra, significatur; & ex significatione quadrantis hinis, quod sit quantum satis ad conjunctionem, de qua mox supra n: 10,136. Quisque videre potest, quod per mincham, quæ erat panis, & per libamen, quod erat vinum, non mere panis & vinum intelligatur, sed quod aliquid Ecclesiæ & cœli, ita spiritualia & cœlestia, quæ sunt Cœli & Ecclesiæ; ad quid alioquin fuisset, super ignem altaris mittere panem & vinum, an hoc gratum fuisset Jehovæ, seu an hoc Ipsi odor quietis, ut dicitur; & an hoc potuisset expiare hominem: qui sancte cogitat de Verbo, non cogitare potest, quod tale terrestre beneplaceret Jehovæ, nisi altius & interius Divinum inesset; qui credit quod Verbum Divinum sit & spirituale ubivis, credere omnino debet, quod in singulis ibi lateat arcanum cœli: sed quod hactenus non notum fuerit ubinam id arcanum latet, est causa, quia non notum fuit quod sensus internus, qui spiritualis & Divinus, sit in singulis ibi; & quod angeli sint apud unumquemvis hominem, qui percipiunt cogitata ejus, & Verbum, cum ab illo legitur spiritualiter capiunt, & quod per illos a Domino sanctum tunc influat, & sic quod per illos conjunctio cœli sit cum homine, proinde conjunctio Domini per cœlos cum illo; ob illam causam tale Verbum homini datum est, per quod ita prospici potest ejus saluti a Domino; & non aliter. Quod minchah quæ panis, significet bonum amoris, & quod libamen, quod vinum, significet bonum fidei, & quod ita percipiantur ab angelis, constare potest ab omnibus illis quæ de minchah & de libamine memorantur in Verbo; ut apud Joelem, "*Excisa est minchah & Libamen e domo Jehovæ*; luxerunt sacerdotes ministri Jehovæ, devastatus est ager, luxit terra, quia devastatum est frumentum, exaruit mustum, languet oleum, vitis exaruit, & ficus languet; ejulate ministri Jehovæ, *quia prohibita est e domo Dei nostri minchah & libamen*; quia propinquus est dies Jehovæ, & sicut devastatio a Schaddai venit," i: 9 ad 15; agitur ibi de ultimo tempore Ecclesiæ, quando ibi non amplius est bonum amoris & verum fidei, quod significetur per quod propinquus dies Jehovæ, & sicut devastatio a Schaddai venit; inde patet quod per mincham & libamen, quæ excisa e domo Jehovæ, per agrum qui devastatus, per terram quæ luget, per frumentum quod etiam devastatum, per mustum quod exaruit, per oleum quod languet, & quod per vitem & ficum, significentur talia quæ sunt Ecclesiæ & Cœli; quid autem significant docet sensus internus; inde patet, quod per agrum significetur Ecclesia quoad receptionem veri, videatur n: 3766. 4982. 7502. 7571. 9295; per terram Ecclesia quoad bonum, citata n: 9325; per frumentum omne bonum Ecclesiæ,

clesiæ, n: 5295. 5410. 5959; per mustum omne verum Ecclesiæ, n: 3580; per oleum bonum amoris, n: 4582. 4638. 9780; per vitem bonum Ecclesiæ spiritualis interius, n: 5113. 6376. 9277; per ficum bonum exterius, n: 217. 4231. 5113; inde patet, quod minchah & libamen sint cultus ex bono amoris & ex bono fidei. Apud Malachiam, "*Mincham non acceptabo* e manibus vestris; nam ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum Nomen Jehovæ inter gentes; & in omni loco suffitus allatus Nomini meo, & *minchah munda*," i: 10. 11; quod nec ibi per mincham intelligatur minchah, nec per suffitum suffitus, patet, nam agitur de Ecclesia apud gentes, apud quas tamen non minchah; dicitur enim, ab ortu solis ad occasum ejus magnum Nomen Jehovæ inter gentes, & in omni loco minchah munda & suffitus; quod suffitus sit adoratio ex bono fidei, videatur n: 9475. Similiter apud Davidem, "Acceptæ sunt præces meæ, *Suffitus coram Te*, sublatio manuum mearum, *minchah vesperæ*," Psalm: CXLI: 2; minchah vesperæ est bonum amoris in externo homine. Apud Esaiam, "Incaluistis in diis sub omni arbore viridi, *etiam illis effudisti Libamen*; ascendere fecisti munus, *offers munus regi in oleo*; & multiplicas aromata tua; ac humilias te ad infernum," LVII: 6: 9; agitur ibi de cultu ex malis & falsis quæ ab inferno; dii in sensu interno sunt falsa, nam qui coluerunt alios deos, quidem nomine vocabant illos, sed usque erant falsa ex malis quæ colebant; quod dii alieni in Verbo sint falsa, videatur n: 4402 fin: 8941; arbor viridis est omne perceptivum, cognotivum & confirmativum falsi, n: 2722. 2972. 4552. 7692; viride est sensitivum n: 7691; incalescere est ardor cultus, ignis enim, ex quo incalescentia, est amor in utroque sensu n: 5215. 6832. 7575; effundere libamen est cultus ex falsis mali; offerre munus regi in oleo, est colere satanam ex malis, munus in oleo est minchah; multiplicare aromata est multiplicare suffitus, per quos significantur adorationes, n: 9475; quare etiam dicitur, quod humiliet se ad infernum: ex his constare potest, quod minchah, quæ erat panis, & libamen, quod erat vinum, significent talia quæ sunt Ecclesiæ & Cœli, nempe cibum & potum cœlestem, similia quæ Panis & Vinum in Sancta Cœna; ob causam supra dictam, ut Cœlum se conjungat cum homine per Verbum, consequenter Dominus per cœlum mediante Verbo; cum Divinum Verbi in talibus consistit, tunc id non solum nutrit mentes humanas, sed etiam mentes angelicas, & facit ut Cœlum & Mundus unum sint. Ex his constare quoque potest, quod omnia & singula, quæ de Minchah & Libamine, seu de Pane & Vino, in Verbo dicta & mandata sunt, intus in se contineant Divina arcana; sicut quod minchah esset similago, super quam oleum, & quoque thus, & quod omnino saliretur, & quod esset azyma seu infermentata; quodque alia ratio compositionis ejus esset, cum sacrificabatur Agnus, alia cum Aries, alia cum Juvencus, & quoque alia in sacrificiis reatus & peccati, quam in sacrificiis reliquis; similiter alia ratio vini in libamine; nisi singula involvissent arcana cœli, nequaquam talia applicate ad varia cultus mandata fuissent. Ut hæc varia sub unum intuitum sistantur, licet offerre illa in suo ordine, "In sacrificiis & holocaustis eucha-

risticis erat pro *unoquovis Agno* minchah *ex una decima ephæ similaginis* mixtæ *quarta hinis olei*; & vinum in libamen *quarta hinis.* Pro *unoquovis Ariete* erat minchah *ex duabus decimis similaginis*, & *tertia hinis olei*; ex vino in libamen *tertia hinis.* Pro *unoquovis Juvenco* erat minchah *ex tribus decimis similaginis* mixtæ oleo *dimidio hinis*, & ex vino in libamen *dimidium hinis*," Num: XV: 4 ad 12. Cap: XXVIII: 10. 11. 12. 20. 21. 28. 29. Cap: XXIX: 3. 4. 9. 10. 14. 15. 18. 21. 24. 27. 30. 33. 37; quod pro agno alia ratio quantitatis similaginis, olei, & vini esset, quam pro Ariete & Juvenco, erat causa, quia agnus significabat bonum innocentiæ intimum, aries bonum innocentiæ medium, & juvencus bonum innocentiæ ultimum seu externum; sunt enim tres cœli, intimum, medium, & ultimum, inde quoque tres gradus boni innocentiæ sunt; ejus crescentia a primo ad ultimum per crescentem rationem similaginis, olei, & vini, significatur: sciendum est, quod bonum innocentiæ sit ipsa anima cœli, quia id bonum est solum receptivum amoris, charitatis, & fidei, quæ faciunt cœlos: quod agnus sit bonum innocentiæ intimum, videatur n: 3994. 10,132; quod aries sit bonum innocentiæ medium seu interius, n: 10,042; & quod juvencus sit bonum innocentiæ ultimum seu externum, n: 9391. 9990. In sacrificiis autem pro confessione, *erat minchah ex placentis azymis mixtis oleo, ex laganis azymis unctis oleo, ex similagine bullata placentæ mixtæ oleo; præter placentas panis fermentatas*," Levit: VII: 11. 12: & in sacrificiis reatus ac peccati, erat minchah *ex decima ephæ similaginis*, sed *non oleum* & *thus* super illam," Levit: V: 11; quod non oleum & thus super mincham sacrificii peccati & reatus daretur, erat causa quia per oleum significatur bonum amoris, & per thus verum illius boni, & per sacrificium peccati & reatus significatur purificatio & expiatio a malis & inde falsis, quæ ideo non cum bono & inde vero commiscenda erant. Præterea de Minchah Aharonis & filiorum ejus die quo ungerentur, videatur Levit: VI: 13. 14. 15: de Minchah primitiarum messis," Levit: II: 14. 15. Cap: XXIII: 10. 12. 13. 17: de Minchah Naziræi," Num: VI: de Minchah Zelotypiæ, Num: V: deque Minchah mundati a lepra," Levit: XIV: deque Minchah cocta in Clibano; de Minchah sartaginis; & de Minchah cacabi," Levit: II: 3. 4. 5. 6. 7: quod nullum fermentum erit in Minchah, nec ullum mel; & quod minchah omnino saliretur," ibid: Vers: 10. 11. 13; quod non fermentum & mel essent in minchah, erat causa quia fermentum in sensu spirituali est falsum ex malo, & mel jucundum externum ita commixtum cum jucundo amoris mundi, per quod etiam fermentant bona & vera cœlestia, & sic dissipantur: & quod omnino saliretur, erat causa quia sal significabat verum desiderans bonum, ita conjungens utrumque: quod fermentum sit falsum ex malo, videatur n: 2342. 7906. 8051. 9992; quod mel sit jucundum externum, ita amoris in utroque sensu, n: 5620; & quod sal sit verum desiderans bonum, n: 9207.

10,138. Agno primo, quod significet hæc in interno homine, constat ex significatione agni primi, seu quod fiebat holocaustum in mane, quod sit bonum innocentiæ in interno homine, de qua supra n: 10,134.

10,139. Et

10,139. Et agnum secundum facies inter vesperas, quod significet remotionem malorum per bonum innocentiæ a Domino in statu amoris & lucis inde in externo homine, constat ex illis quæ supra n: 10,135 explicata sunt, ubi similia.

10,140. Secundum mincham matutinam, & secundum libamen ejus facies illi, quod significet bonum spirituale ex cœlesti, & ejus verum quantum ad conjunctionem, constat ex significatione minchæ matutinæ, seu minchæ pro agno secundo, quod sit bonum spirituale ex cœlesti & ejus verum quantum ad conjunctionem, de qua etiam supra n: 10,136. 10,137.

10,141. Ad odorem quietis, quod significet perceptivum pacis, constat ex significatione odoris quietis, quod sit perceptivum pacis, de qua n: 10,054.

10,142. Ignitum Jehovæ, quod significet ex Divino amore Domini, constat ex illis quæ etiam supra n: 10,055, dicta & ostensa sunt.

10,143. Holocaustum juge, quod significet omnem cultum Divinum in genere, constat ex significatione holocausti, quod sit cultus Divinus, de qua sequitur; & ex significatione jugis, quod sit omne & in omni, de qua supra n: 10,133; inde per holocaustum juge significatur omnis cultus Divinus in genere, & cum intelligitur agnus, ex quo holocaustum, per quem significatur bonum innocentiæ, significatur etiam in omni cultu; nam omnis cultus, qui vere cultus, erit ex veris fidei & bonis amoris, & in omni bono amoris, & inde in omni vero fidei, erit bonum innocentiæ, n: 10,133; inde est quod per holocaustum juge etiam significetur in omni cultu. Quod holocaustum sit cultus Divinus, est quia holocausta & sacrificia erant principalia cultus repræsentativi apud gentem Israeliticam & Judaicam, & omnia ad suum principale se referunt, & inde denominantur: quod principale cultus apud illam gentem constiterit in sacrificiis & holocaustis, & quod inde per illa significetur omne cultus in genere, videatur n: 922. 1343. 2180. 6905. 8680. 8936. 10,142. Sed quid cultus Divinus, qui significatur per sacrificia & holocausta, paucis dicetur; per sacrificia & holocausta in specie significata est purificatio a malis & falsis, & tunc implantatio boni & veri, ac conjunctio utriusque, ita regeneratio, videatur n: 10,022. 10,053. 10,057; homo, qui in his est, in genuino cultu est, nam purificatio a malis & falsis, est desistere ab illis, ac fugere & aversari illa; & implantatio boni & veri est cogitare & velle bonum & verum, ac loqui & facere illa; ac conjunctio utriusque est vivere ex illis; nam cum bonum & verum conjuncta sunt apud hominem, tunc ei voluntas est nova & intellectus novus, proinde vita nova; cum homo talis est, tunc in omni opere quod agit, est cultus Divinus, spectat enim homo tunc Divinum in omni, id veneratur, idque amat, proinde id colit: quod hoc sit genuinus cultus Divinus, illi non sciunt qui omnem cultum ponunt in adoratione & in precibus, ita in talibus quæ oris & cogitationis sunt, & non in talibus quæ sunt operis ex bono amoris & ex bono fidei; cum tamen Dominus nihil aliud spectat apud hominem, qui in adoratione & in precibus est, quam ejus cor, hoc est, ejus interiora, qualia sunt quoad amorem & inde fidem; quapropter si hæc non intus sunt in adoratione &

in precibus, non est anima & vita in illis, sed est externum, quale est assentatorum & simulatorum, qui quod nec placeant sapienti in mundo, notum est: verbo facere secundum præcepta Domini, est vere cultus Ipsius, imo est vere amor & vere fides; quod etiam constare potest unicuique qui expendit; qui enim amat aliquem, & qui credit alicui, ei nihil optatius est, quam velle & facere quod alter vult & cogitat, solum enim desiderat nosse ejus voluntatem & cogitationem, ita ejus beneplacitum; aliter qui non amat, nec credit: similiter se habet cum amore in Deum, quod etiam Dominus docet apud Johannem, "*Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille est qui amat Me: qui vero non amat Me, verba mea non servat,*" XIV: 21. 24: & alibi apud Eundem, "*Si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo; mandatum meum est, ut ametis vos invicem,*" XV: 10. 12. Quod cultus externus absque illo interno non sit cultus, etiam significatur per ea quæ de holocaustis & sacrificiis dicuntur apud Jeremiam, "Non loquutus sum cum patribus vestris super verbis holocausti & sacrificii, sed verbum hoc præcepi iis, dicendo, *obedite voci meæ*, & ero vobis in Deum," VIII: 21. 22. 23. Apud Hoscheam, "*Misericordiam volo*, & *non sacrificium*, & *cognitiones Dei præ holocaustis,*" VI: 6. Apud Micham, "Num præveniam Jehovam holocaustis, num complacebit Jehovah in millibus arietum; indicavit tibi quid bonum, & quid Jehovah requirit a te, *tantum facere judicium*, & *amare misericordiam*, & humiliare se, *ambulando cum Deo tuo,*" VI: 6. 7. 8. In Libro 1 Schemuelis, "Num complacentia Jehovæ in holocaustis & sacrificiis, *ecce obtemperare præ sacrificio boum, obedientia præ adipe arietum,*" XV: 22. Quod ipsissimus cultus Domini consistat in vita charitatis, & non in vita pietatis absque illa, videatur n: 8252 ad 8257.

10,144. In generationes vestras, quod significet perpetuum in Ecclesia, constat ex significatione generationum, cum de filiis Israelis, quod sit succedens in Ecclesia, nam per filios Israelis significatur Ecclesia, & per generationes successivum ejus: per generationes etiam significantur generationes spirituales quæ sunt fidei & amoris, ita quæ sunt Ecclesiæ; & per in generationes etiam significatur perpetuum, ita quoque successivum: quod per filios Israelis significetur Ecclesia, videantur citata n: 9340; quod per generationes significentur illa quæ fidei & amoris, n: 2020. 2584, 6239; quod perpetuum & æternum, n: 9789; ita quod successivum, n: 9845.

10.145. Ad ostium tentorii, quod significet conjunctionem boni & veri, constat ex significatione ostii tentorii, quod sit conjunctio boni & veri, de qua n: 10,001. 10,025.

10,146. Coram Jehovah, quod significet a Domino, constat ex eo quod Jehovah in Verbo sit Dominus, videantur citata n: 9373; quod coram Jehovah sit a Domino, est quia coram significat præsentiam, & præsentia Domini est quantum recipitur bonum quod amoris & verum quod fidei ab Ipso; inde est quod coram Domino sit a Domino: Dominus quidem præsens est apud unumquemvis hominem, sed aliter præsens est apud bonos quam apud malos; apud bonos est præsens in singulis quæ cogitant ex veris fidei, &

quæ

quæ volunt ex bono amoris; & ita præsens ut Ipse sit fides, & Ipse sit amor illis; proinde est apud illos sicut habitans, secundum Ipsius Domini verba apud Johannem, "*Spiritus veritatis apud vos manebit, & in vobis erit; & cognoscetis quod Ego in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis; qui habet præcepta mea, & facit ea, ille est qui amat Me, ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus*," 14. 17. 18. 20. 21. 23. At apud malos Dominus non est præsens in singulis, quia illis non fides nec charitas, sed præsens est in communi, per quam præsentiam illis est facultas cogitandi & volendi, & quoque recipiendi fidem & charitatem, sed quantum desistunt a malis; quantum vero ab his non desistunt, tantum apparet absens; gradus absentiæ Ipsius sunt secundum absentiam veri & boni fidei & amoris: inde est, quod qui in cœlo sunt, in præsentia Domini sint, at qui in inferno, in Ipsius absentia. Sed usque res ita se habet, Dominus non est absens ab homine, sed homo est absens a Domino, spectat enim homo, qui in malis est, retro ab Ipso; & quæ tunc ei ante oculos sunt, ei præsentia sunt secundum affinitates malorum in quibus est: in altera enim vita non est spatium, sed modo apparentia spatii secundum affinitates cogitationum & affectionum: se habent illa pœne sicut præsentia Solis mundi quoad lucem & quoad calorem; sol æque præsens est omni tempore; sed cum tellus se avertit a sole, tunc perit lux, & subit umbra, primum umbra vesperæ, & dein umbra noctis; & cum tellus non spectat directe ad solem, sed oblique, ut fit tempore hyemis, tunc perit calor, & subit frigus, ac inde torpescunt & emoriuntur omnia terræ; hoc quoque vocatur absentia solis, cum tamen est absentia telluris a sole, non quoad spatium, sed quoad statum lucis & caloris: hæc dicta sunt illustrationis causa.

10,147. Ubi conveniam vobis ad loquendum ad te, quod significet præsentiam & influxum Ipsius, constat ex significatione convenire ad loquendum, quod sit præsentia & influxus; convenire enim est præsentia, & loqui, cum de Jehovah, hoc est, Domino, est influxus; quod loqui sit influxus, videatur n: 2951. 5481. 5797. 7270: quid præsentia Domini, supra n: 10,146, dictum est; quid autem influxus Ipsius, videantur loca citata n: 9223. 9276. 9682.

10,148. Et conveniam ibi filiis Israelis, quod significet præsentiam Domini in Ecclesia, constat ex significatione convenire, quod sit præsentia, ut nunc supra n: 10,147; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua n: 9340.

10,149. Et sanctificabitur in gloria mea, quod significet receptivum Divini Veri a Domino, constat ex significatione sanctificari, quod sit receptivum Divini a Domino, de qua sequitur; & ex significatione gloriæ, quod sit Divinum Verum, de qua n: 4809. 5922. 8627. 9427. Quod sanctificari sit receptivum Divini a Domino, est quia solus Dominus est sanctus, & inde omne sanctum est ab Ipso, n: 9229; & quia Divinum Verum procedens ab Ipso est quod in Verbo intelligitur per sanctum, n: 9818: hic autem, ubi agitur de filiis Israelis, de Holocaustis & Sacrificiis, de Tentorio conventus, & de Altari, per sanctum & per sanctificari significatur repræsentativum ejus,

ex causa, quia apud gentem Israeliticam & Judaicam omnia erant repræsentiva interiorum Ecclesiæ, quæ sunt fidei & amoris a Domino in Dominum, erat enim Ecclesia apud illam gentem instituta Ecclesia repræsentativa; inde externa omnia significabant & repræsentabant talia quæ sensus internus docet, propter id illa vocabantur sancta, sicut Altare, Ignis super illo, Holocaustum, Adeps, Sanguis; Tentorium conventus; mensa ibi ubi panes facierum, mensa suffitus, Candelabrum, & vasa illorum omnia; imprimis Arca in qua Testimonium; & præterea panes, placentæ, lagana, quæ vocabantur Minchah, Oleum, Thus; etiam Vestes Aharonis, sicut Ephodum, Pallium, Tunica, Cidaris, imprimis Pectorale, & quoque ipse Aharon vocabatur sanctus; ut & filii Israelis: sed omnia illa non erant sancta aliunde, quam quod repræsentarent, & sic significarent sancta, hoc est, Divina quæ a Domino, nam hæc solum sancta sunt. Qui in externis est absque internis, credit quod talia sancta fuerint non repræsentative sed essentialiter, postquam initiata fuerunt; sed prorsus falluntur; si illa colunt ut sancta essentialiter, tunc colunt terrestria, nec procul absunt ab illis qui colunt lapides & ligna, sicut idololatræ; at qui colunt illa quæ repræsentantur aut significantur, quæ sunt sancta Divina, illi in genuino cultu sunt, nam illis externa sunt modo causæ mediæ ad cogitandum de talibus, & ad volendum talia, quæ essentialia Ecclesiæ sunt, quæ, ut supra dictum est, sunt illa quæ fidei & amoris a Domino in Dominum. Similiter se habet hodie cum Sancta Cœna, qui, cum frequentant illam, non cogitant ex fide de Domino, Ipsius amore erga genus humanum, & de renovatione vitæ secundum præcepta Ipsius, ibi colunt solum panem & vinum, & non Dominum, & externa credunt sancta, quæ tamen non sancta sunt in se, sed ex illis quæ significant, panis enim ibi significat Dominum quoad bonum amoris, & vinum Dominum quoad verum fidei, & simul receptivum ab homine, quæ bina sunt ipsa essentialia Ecclesiæ, ita ipsa essentialia cultus, videantur n: 4211. 4217. 4735. 6135. 6789. 7850. 8682. 9003. 9127. 10,040. Ex his nunc constare potest, quid in Verbo significatur per sanctum, & per sanctificari.

10,150. Et sanctificabo Tentorium conventus, quod significet receptivum Domini in cœlis inferioribus, constat ex significatione sanctificare, quod sit receptivum Divini Domini, de qua mox supra n: 10,149; & ex significatione Tentorii conventus, quod sint cœli, de qua n: 3478. 9457. 9481. 9485. 9963; quod sint cœli inferiores, est quia per altare significantur cœli superiores, videatur mox infra n: 10,151. Quid cœli inferiores & cœli superiores, hic paucis dicetur; cœli distincti sunt in duo Regna, Cœleste & Spirituale; Regnum cœleste facit cœlos superiores, & Regnum spirituale cœlos inferiores; bonum essentiale Regni cœlestis est bonum amoris in Dominum, & bonum amoris mutui; at bonum essentiale Regni spiritualis est bonum charitatis erga proximum, & bonum fidei: hæc Regna inter se differunt sicut Intellectuale & Voluntarium apud hominem regeneratum, in genere sicut bonum & verum, sed qualis illa differentia est, constare potest ex illis quæ de binis illis Regnis in locis citatis n: 9277; tum n: 9543. 9688. 9992.

 10,005.

10,005. 10,068, ostensa sunt: Voluntarium etiam est intimum hominis, nam id est ipse homo; intellectuale autem est adjacens & inserviens, ita est exterius: quod interius est etiam dicitur superius, & quod est exterius dicitur inferius: quod Regnum cœleste correspondeat Voluntario, & Regnum spirituale Intellectuali apud hominem regeneratum, videatur n: 9835. Ex his patet, quid intelligitur per cœlos inferiores, & quid per cœlos superiores.

10,151. Et altare, quod significet receptivum Divini a Domino in cœlis superioribus, constat ex significatione sanctificare, quod sit receptivum Divini a Domino, de qua supra n: 10,149; & ex significatione altaris, quod sit repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum, de qua n: 9964, hic quoad Divinum Bonum procedens ab Ipso in cœlis, ubi id recipitur, ita in cœlis superioribus, nam ibi recipitur Dominus quoad Divinum Bonum; in cœlis autem inferioribus recipitur Dominus quoad Divinum Verum, secundum illa quæ mox supra n: 10,150, ostensa sunt. Sciendum est, quod quicquid repræsentabat Ipsum Dominum, hoc etiam repræsentaverit Cœlum, nam Divinum procedens a Domino receptum ab angelis facit cœlum; ipsi angeli quoad eorum proprium non faciunt cœlum, sed quoad Divinum quod recipiunt a Domino; quod ita sit, constare potest ex eo, quod quilibet eorum ibi agnoscat, credat, & quoque percipiat, quod nihil boni ab ipsis sit, sed a Domino; & quod quicquid ab ipsis, non sit bonum; ita prorsus secundum doctrinale Ecclesiæ, quod omne bonum desuper veniat; quia ita, sequitur, quod Divinum Domini sit, quod facit vitam cœlestem apud illos, proinde quod facit cœlum: inde constare potest, quomodo intelligendum, quod Dominus sit omne in omnibus cœli; tum quod Dominus habitet ibi in suo; ut & quod per angelum in Verbo significetur aliquid Domini, de quibus in præcedentibus passim actum est. Similiter se habet cum Ecclesia; homines ibi quoad eorum proprium non faciunt Ecclesiam, sed quoad Divinum quod recipiunt a Domino; nam quilibet ibi qui non agnoscit & credit, quod omne bonum amoris & verum fidei sit a Deo, non est ab Ecclesia; vult enim amare Deum a se, & credere in Deum a se, quod tamen nemo potest; inde quoque patet, quod Divinum Domini faciat Ecclesiam, sicut facit cœlum; est quoque Ecclesia cœlum Domini in terris; inde quoque Dominus in Ecclesia est omne in omnibus, sicut in cœlo, & habitat ibi in suo apud homines, sicut apud angelos in cœlo; etiam homines Ecclesiæ, qui ita recipiunt Divinum Domini amore & fide, fiunt angeli cœli post vitam in mundo; & non alii. Quod Divinum Domini faciat Regnum Ipsius apud hominem, hoc est, Cœlum & Ecclesiam apud illum, etiam docet Dominus apud Johannem, "Spiritus veritatis apud vos manebit, & *in vobis erit*; & cognoscetis quod Ego in Patre, & *vos in Me*, & *Ego in vobis*," XIV: 20; spiritus veritatis est Divinum Verum procedens a Domino, de quo dicitur quod id manebit in vobis; & dein quod Ipse in Patre, & illi in Ipso, & Ipse in illis, quibus significatur quod erunt in Divino Domini & Divinum Domini in illis; quod Divinum Humanum sit quod ibi intelligitur patet: & alibi apud Eundem, "*Manete in Me, etiam Ego in vobis*; quemadmodum palmes non potest

fructum

fructum ferre a seipso, nisi manserit in vite; ita neque vos nisi in Me manseritis; qui *manet in me, & Ego in illo*, hic fert fructum multum; *quia sine Me non potestis facere quicquam*," xv. 4.

10,152. Et Aharonem & filios ejus ad fungendum sacerdotio Mihi, quod significet repræsentativum Domini in utrisque quoad opus salvationis, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad bonum cœleste, de qua n: 9806. 9966, 10,068; & ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sint Dominus quoad bonum spirituale, de qua n: 10,017. 10,068, ita in cœlis utrisque, tam superioribus quam inferioribus; nam sive dicas bonum cœleste, sive Regnum cœleste, sive cœlos superiores, idem est; & quoque sive dicas bonum spirituale, sive Regnum spirituale, sive cœlos inferiores, idem est; de cœlis superioribus & inferioribus videantur quæ mox supra n: 10,150. 10,151, dicta sunt; & ex repræsentatione sacerdotii, quod sit opus salvationis Domini, de qua n: 9809. 10,017: inde patet, quod per sanctificare Aharonem & filios ejus ad fungendum sacerdotio Jehovæ, significetur repræsentativum Domini in cœlis utrisque quoad opus salvationis. Licet adhuc aliqua de opere salvationis Domini dicere; notum est in Ecclesia, quod Dominus sit Salvator & Redemptor generis humani, sed paucis notum est, quomodo id intelligendum est: qui in externis Ecclesiæ sunt, credunt quod Dominus mundum, hoc est, Genus humanum redemerit per sanguinem suum, per quem intelligunt passionem crucis; sed qui in internis Ecclesiæ sunt, sciunt quod per sanguinem Domini nemo salvetur, sed per vitam secundum præcepta fidei & charitatis ex Verbo Domini; qui in intimis Ecclesiæ sunt, per sanguinem Domini intelligunt Divinum Verum procedens ab Ipso, & per passionem crucis intelligunt ultimum tentationis Domini, per quod prorsus subjugavit inferna, & simul glorificavit Humanum suum, hoc est, id Divinum fecit; & quod per id redemerit & salvaverit omnes qui se regenerari per vitam secundum præcepta fidei & charitatis ex Verbo Ipsius patiuntur: per sanguinem Domini etiam in sensu interno, secundum quam angeli in cœlis percipiunt Verbum, intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, videatur n: 4735. 4978. 5476. 7317. 7326. 7850. 9127. 9397. 10,026. 10,033. Sed quomodo salvatus & redemptus est homo a Divino, per quod subjugaverit inferna, ac glorificaverit Humanum suum, nemo scire potest, nisi sciat quod apud unumquemque hominem sint angeli e cœlo, ac spiritus ab inferno, & quod nisi illi adsint apud hominem jugiter, homo non possit aliquid cogitare, & aliquid velle; & sic quod homo quoad interiora sua sit vel sub dominio spirituum qui ab inferno, vel sub dominio angelorum e cœlo: cum hoc primum notum est, tunc sciri potest, quod nisi Dominus prorsus subjugaverit inferna, & omnia tam ibi, quam in cœlis redegerit in ordinem, nemo salvari potuerit; pariter nisi Dominus Humanum suum Divinum fecerit, & per id Sibi acquisiverit Divinam potestatem super inferna & super cœlos in æternum; nam absque Divina potestate nec inferna nec cœli in ordine teneri possunt; potentia enim per quam existit aliquid, erit perpetua ut subsistat, nam subsistentia est perpetua existentia: Ipsum Divinum quod Pater vocatur,

absque

absque Divino Humano quod dicitur Filius, id non efficere potuit, quoniam Ipsum Divinum absque Divino Humano non pertingere potest ad hominem, ne quidem ad angelum, cum humanum genus se prorsus removit a Divino; ut factum est in fine temporum, cum amplius nulla fides & nulla charitas, quapropter tunc Dominus in mundum venit, ac restauravit omnia, & hoc ex Humano suo, ac ita salvavit & redemit hominem per fidem & amorem in Dominum a Domino; hos enim Dominus ab infernis & a damnatione æterna detinere potest, non autem illos qui rejiciunt fidem & amorem ab Ipso in Ipsum, nam hi rejiciunt salvationem & redemtionem. Quod Ipsum Divinum per Divinum Humanum id faciat, constat ex pluribus locis in Verbo, ut ab illis, ubi Divinum Humanum, quod est Filius Dei, vocatur dextra & brachium Jehovæ; & ubi dicitur quod Domino omnis potestas in cœlis & in terris; quod Dominus dicatur dextra & brachium Jehovæ, videatur n: 10,019; & quod Ipsi omnis potestas in cœlis & in terris, n: 10,089: quod Dominus ex Divino Humano subjugaverit inferna, ac redegerit omnia ibi & in cœlis in ordinem; & simul tunc glorificaverit Humanum suum, hoc est, Divinum id fecerit, citata n: 9528, & n: 9715. 9809. 9937. 10,019; & quod Ipsum Divinum, quod Pater vocatur, per Divinum Humanum id effecerit, patet apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; *omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est*; & *Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos*," i: 1. 2. 3. 14; quod ibi Dominus quoad Divinum Humanum sit qui vocatur Verbum, patet, nam dicitur Verbum Caro factum est: & porro, "*Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit*," Vers: 20: & alibi apud Eundem, "*Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis*," v: 37: & apud Eundem, "*Ego sum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem nisi per Me; abhinc cognovistis Patrem, & vidistis Ipsum; qui videt Me videt Patrem*," xiv: 6. 7. 9: & apud Matthæum, "*Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*," xi: 27. Ex his nunc constare potest, quid opus salvationis & redemptionis, & quod id sit ex Divino Humano Ipsius.

10,153. Et habitabo in medio filiorum Israelis, quod significet præsentiam Domini & influxum Ipsius per bonum in Cœlo & in Ecclesia, constat ex significatione habitare, cum de Domino, quod sit præsens esse & influere; quod sit per Divinum Bonum, est quia habitare prædicatur de bono, videatur n: 2268. 2451. 2712. 3613. 8269. 8309; ideo quoque in medio dicitur, quia per medium significatur intimum, & intimum est bonum; quod id per medium significetur, videatur n: 2940. 5897. 6084. 6103; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua n: 9340. Quod per habitare in medio, cum de Domino, significetur præsentia Ipsius & influxus per Divinum Bonum, est quia Dominus influit & præsens est apud hominem in ejus bono, quod recipit a Domino; bonum enim facit ipsum hominem; nam quisque talis est, quale ejus bonum; per bonum intelligitur amor, nam omne quod amatur, vocatur bonum: quod amor seu bonum ejus faciat

hominem

hominem, scit unusquisque qui alterum explorat; nam cum illum exploraverat, ducit illum per ejus amorem quocunque vult, usque adeo, ut cum in amore suo tenetur, non amplius sui juris sit, & tunc rationes, quæ contra amorem sunt, ad nihil valent, at quæ cum amore sunt, ad omnia valent. Quod ita sit, etiam patet manifeste in altera vita; ibi spiritus omnes noscuntur ex suis amoribus, & cum in illis tenentur, non possunt quicquam facere contra illos, nam facere contra illos, est facere contra semet; sunt ideo formæ suorum amorum; qui in cœlis sunt, sunt formæ charitatis & amoris cœlestis, tanta pulchritudine ut describi nequeant; qui autem in infernis sunt, sunt formæ suorum amorum, qui sunt sui & mundi, consequenter etiam formæ odii & vindictæ, ita talia monstra ut nec describi possint. Cum itaque totus homo est qualis ejus amor, patet, quod Dominus non possit præsens esse in amore malo, sed in amore bono apud hominem, ita in bono ejus: creditur quod Dominus in Vero quod vocatur fidei præsens sit; sed non præsens est in Vero absque bono, at uti bonum est, ibi præsens est in vero per bonum, & tantum in vero quantum ducit ad bonum, & quantum procedit a bono: verum absque bono non dici potest esse intus in homine, est solum in memoria ejus ut scientificum, quod non intrat hominem, & facit illum priusquam fit vitæ; & tunc fit vitæ cum amat illud, & ex amore vivit secundum illud; cum hoc fit, tunc Dominus habitat apud illum; hoc etiam Dominus docet apud Johannem, "Qui habet præcepta mea, *& facit illa, ille est qui amat Me*, & *Ego amabo illum*, & manifestabo illi Me Ipsum; & Pater meus amabit illum, & ad illum veniemus, *& mansionem apud illum faciemus*," xiv: 21. 23; manifestare Se Ipsum est illustrare in veris fidei ex Verbo; venire ad illum est præsens esse, & mansionem facere apud illum est habitare in ejus bono.

10,154. Et ero illis in Deum, quod significet præsentiam Domini, & influxum Ipsius in verum in Ecclesia, constat ex significatione esse in Deum, quod sit præsentia Domini ac influxus Ipsius in verum; quod in Verum, est quia Dominus in Verbo veteris Testamenti dicitur Deus ubi agitur de vero, at Jehovah ubi de bono; inde quoque est quod angeli dicantur dii ex receptione Divini Veri a Domino; inde etiam est quod in Lingua originali Deus dicatur Elohim in plurali, nam vera sunt plura, bonum autem est unum, Matth: xix: 16. 17: quod Dominus dicatur Deus ubi agitur de vero, & Jehovah ubi de bono, videatur n: 2586. 2769. 2807. 2822. 3921. 4287. 4402. 7010. 9167.: & quod angeli dicantur dii ex receptione Divini Veri a Domino, n: 4295. 4402. 7268, 7873. 8192. 8302. 8867. 8941, & quod Dominus sit Jehovah in Verbo, citata n: 9373; quod dicatur Pater ab æterno, & quoque Deus, manifeste apud Esaiam, "Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero Principatus, vocabitur nomen Ipsius *Deus*, Heros, *Pater æternitatis*, Princeps pacis," ix: 5: & apud Eundem, "Virgo concipiet, & pariet, & vocabitur Nomen Ipsius *Immanuel*, quod est, *Deus nobiscum*," vii: 14. Matth: i: 23. Quod hic per ero illis in Deum, significetur præsentia & influxus Domini in Verum, patet quoque ex eo, quod per habitabo in medio filiorum

filiorum Israelis significetur præsentia Domini & influxus Ipsius per bonum; in Verbo enim ubi agitur de bono, etiam agitur de vero, ob conjugium cœleste, quod est boni & veri, in singulis ibi, videantur citata n: 9263. 9314.

10,155. Et cognoscent quod Ego Jehovah Deus eorum, quod significet perceptivum quod a Domino omne bonum & omne verum, constat ex significatione cognoscere, quod sit intelligere, credere, & percipere, de qua sequitur; quod sit percipere quod a Domino omne bonum & omne verum, est quia dicitur Jehovah Deus, & Dominus Jehovah dicitur ex Bono, ac Deus ex Vero, videatur n; 2586. 2769. 2807. 2822. 3921. 4287. 4402. 7010. 9167. Quod cognoscere sit intelligere, credere, & percipere, est quia dicitur & de Intellectuali hominis, & de Voluntario ejus; cum solum de Intellectuali est intelligere, cum de Intellectuali & simul de voluntario est credere, & cum solum de voluntario est percipere; quapropter apud illos qui solum in scientia rei, & inde in cogitatione de ea sunt, cognoscere est intelligere; apud illos autem qui in fide, cognoscere est credere; at apud illos qui in amore sunt cognoscere est percipere: cum autem cognoscere conjungitur cum intelligere, videre, & credere, tunc cognoscere est percipere, quoniam intelligere, videre & credere se referunt ad intellectum, proinde ad verum, percipere autem ad voluntatem, proinde ad bonum; ut apud Johannem, "Petrus dixit, nos *credidimus* & *cognovimus*, quod Tu sis Christus Filius Dei viventis," VI: 69: apud Eundem, "Jesus dixit, operibus credite, ut *cognoscatis*, & *credatis*, quod Pater in Me, & Ego in Patre," X: 38: apud Eundem, "Jesus dixit, *si cognovistis Me, Patrem meum cognovistis*; & abhinc *cognovistis* Ipsum, & *vidistis* Ipsum," XIV: 7: apud Eundem, "Mittetur Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, *quoniam non videt Illum, nec cognoscit Illum*; *vos autem cognoscitis Illum*, quia apud vos manet, & in vobis erit," XIV: 16: apud Marcum, "Jesus loquutus est in parabolis, ut *videntes videant*, & *non cognoscant*," IV: 11. 12: apud Jeremiam, "Ut *cognoscas* & *videas* quod malum & amarum deserere Jehovam Deum tuum" ii: 19: apud Eundem, "De hoc glorietur qui gloriatur, *intelligere* & *cognoscere Me* quod Ego Jehovah," IX: 23: apud Hoscheam, "Desponsabo te Mihi in *fide*, & *cognosces Jehovam*," II: 20: in illis locis cognoscere est percipere, & percipere est ex bono; intelligere autem, & videre est ex vero; nam qui in bono seu in amore sunt, intus in se percipiunt quod ita sit; qui autem in vero seu in fide sunt, intus in se vident; quapropter illis qui in cœlesti Regno Domini sunt, est perceptio quod ita sit, at vero illis qui in Regno spirituali Domini sunt, est fides quod ita sit, videantur loca citata n: 9277: tum n: 9992. 9995. 10.105; & quid perceptio, n: 125. 371. 483. 495. 503. 521. 536. 597. 607. 1121. 1384. 1387. 1398. 1442. 1919. 2144. 2515. 2831. 3528. 5121. 5145. 5227. 7680. 7977. 8780. Quia cognoscere in proprio sensu significat percipere ex bono, ideo quoque dicitur *cognoscitur ex corde*," Deut: VIII: 5; ex corde enim est ex bono amoris, n: 3883 ad 3896. 7542. 9050. 9300. 9494; & ideo facere bonum dicitur *cognoscere Jehovam*," Jerem: XXII: 16. Inde patet,

quod per cognoscent quod Ego Jehovah Deus eorum significetur perceptivum quod a Domino omne bonum & verum.

10,156. Qui eduxi illos e terra Ægypti, quod significet salvationem ab inferno a Domino, constat ex significatione educi e terra Ægypti, quod sit liberari ab inferno, de qua n: 8866. 9197; ita salvari. Quod per terram Ægypti significetur infernum, est quia per illam in genuino sensu significatur naturale & ejus scientificum; ac educi e naturali homine, & ejus scientifico, ac elevari in spiritualem & in ejus intelligentiam & sapientiam, est quoque educi ex inferno; nam homo nascitur naturalis, sed fit spiritualis per regenerationem; & si non fit spiritualis, est in inferno; scientia enim naturalis hominis, hoc est, hominis non regenerati, est in luce mundi; at intelligentia spiritualis hominis, hoc est, hominis regenerati, est in luce cœli; & quamdiu homo solum est in luce mundi, est in inferno; at cum simul est in luce cœli, est in cœlo: qui etiam solum in scientia naturali sunt, & inde in non alia luce quam in luce mundi, nequaquam possunt credere illa, quæ cœli sunt; & quoque si volunt intrare in ea per lumen suum, quod vocatur lumen naturale, obvenit illis sicut caliginosum, quod occæcat, & facit ut cœleste nihil sit; quod enim in mente apparet ut caligo, hoc tale est: inde est, quod mere naturalis homo, utcunque se credit in lumine esse præ aliis, corde neget Divina & cœlestia; quæ etiam causa est, quod tot eruditi per scientias suas in talem insaniam se redigant, nam plures ex illis negant illa quæ fidei Ecclesiæ & Cœli sunt, præ simplicibus: aliter se habet apud illos, qui se elevari a Domino patiuntur in lucem cœli; hi enim primum elevantur supra scientifica quæ naturalis hominis sunt; & dein ex luce cœli vident illa quæ in naturali suo homine sunt, quæ scientifica vocantur, & bene discernunt illa, adoptando quæ capiunt & congrua sunt, & rejiciendo vel seponendo illa quæ non capiunt & incongrua sunt: verbo, cum his ita se habet; quamdiu homo mere naturalis est, tamdiu interiora ejus, quæ vident ex luce cœli, clausa sunt; ac exteriora, quæ vident ex luce mundi, aperta sunt, & tunc homo spectat deorsum, hoc est, in mundum & ad semet, vergunt enim illuc omnia quæ voluntatis & cogitationis ejus sunt; & quo spectat homo, eo etiam cor ejus se vertit, hoc est, ejus voluntas & ejus amor: at cum homo fit spiritualis, tunc interiora ejus, quæ vident ex luce cœli, aperiuntur, & tunc homo spectat sursum, quod fit per elevationem a Domino, ita spectat in cœlum & ad Dominum; illuc etiam elevantur omnia quæ voluntatis & quæ cogitationis ejus sunt, ita cor ejus, hoc est, amor ejus. Est enim homo ita creatus, ut quoad internum suum sit formatus ad imaginem cœli, & quoad externum suum ad imaginem mundi, n: 6057. 9279; ob finem ut cœlum & mundus apud hominem conjuncta sint, & ut sic Dominus per illum possit influere e cœlo in mundum, & hunc regere, in particulari apud unumquemvis, & in communi apud omnes, ac ita conjungere utrumque, & per id facere ut in mundo etiam sit instar cœli: sed cum homo solum curat mundum, clausum est cœlum apud illum; at cum elevari se patitur a Domino, tunc aperitur cœlum apud illum, & ei subjicitur mundus; & cum hoc

fit, infernum ab eo separatur & removetur: & tunc primum homo scit, quid bonum & quid malum, non autem prius: hoc est quod vocatur imago Dei apud hominem, Genes: i: 27. 28. Hæc dicta sunt, ut sciatur quid spiritualis & quid naturalis homo, & quod mere naturalis homo, nisi factus sit spiritualis a Domino, sit infernum; consequenter ut sciatur cur per Ægyptum significatur infernum, cum etiam naturale & ejus scientificum; quod per Ægyptum significetur scientificum, videantur citata n: 9340; & quod inde naturale, citata n: 9391; & quod infernum, n: 8866. 9197.

10,157. Ad habitandum Me in medio eorum, quod significet Divinum Domini quod omne in omnibus Cœli & Ecclesiæ, constat ex significatione habitare in medio filiorum Israelis, cum de Jehovah, quod sit præsentia Domini, & influxus Ipsius per bonum in Cœlo & in Ecclesia, de qua n: 10,153; & quia est præsentia Ipsius ibi, est quoque Divinum Ipsius omne in omnibus ibi, nam Dominus est præsens apud angelos cœli & apud homines Ecclesiæ non in illorum proprio, sed in Suo apud illos, ita in Divino, secundum illa quæ supra n: 10,151, ostensa sunt, & cum Dominus est præsens in Suo Divino in Cœlis & in Ecclesia, est quoque omne in omnibus ibi; inde est ipsum Cœlum; & quoque inde est quod totum cœlum referat Dominum quoad Divinum Humanum Ipsius; & quod Cœlum in complexu sit Homo, qui Maximus Homo vocatur, de quo ad finem plurium Capitum actum est, videantur citata n: 9276 fin: 10,030 fin: & inde quoque est, quod per hominem in Verbo significetur Ecclesia, & quoque Cœlum, n: 478. 768. 3636; & quod illi qui in Cœlo sunt, & vere in Ecclesia, dicantur in Domino esse, n: 3637. 3638, cum in bono amoris & in vero fidei in Ipsum ab Ipso.

10,158. Ego Jehovah Deus illorum, quod significet a quo omne bonum amoris & verum fidei; constat ex eo quod Jehovah sit Divinum Esse, & Divinum Esse est Divinus Amor, ita Divinum Bonum; & quod Deus sit Divinum Existere, & Divinum Existere est Divinum fidei, ita Divinum Verum; omne enim Verum existit ex Bono, est enim Verum forma boni: ex quibus patet, quod cum Dominus dicitur Jehovah Deus, intelligatur omne bonum amoris & verum fidei; & cum dicitur Jehovah Deus in medio filiorum Israelis, quod intelligatur perceptivum quod a Domino omne bonum quod amoris ac Verum quod fidei, ut supra n: 10,155.

Continuatio de Secunda Tellure in Cœlo Astrifero.

10,159. *Quoniam de Deo invisibili & visibili cum illis loquutus sum, memorare licet, quod pæne omnes in universo colant Deum sub forma visibili, & quidem in idea sua sub forma humana; & quod*

 hoc

hoc insitum sit: quod insitum sit, est ex influxu e cælo, nam, quod memorabile, Angeli qui elevantur usque in sphæram Tertii Cæli, in perceptionem manifestam de eo veniunt; causa est, quia omnes in eo cælo in amore Domini sunt, & inde quasi in Domino; & quia omnis perceptio, qualis est angelis ibi, est ex ordine & ex fluxu cæli; Cælum enim in toto suo complexu refert unum hominem, ut constare potest ex illis quæ de Cælo ut Maximo Homine ad finem plurium Capitum ostensa sunt, videantur loca citata n: 10,030 *fin: quod cælum in toto suo complexu referat unum hominem, est ex Divino Humano Domini; ex hoc enim influit Dominus in Cælum, facit illud, & format ad sui similitudinem. Sed hoc arcanum ægre capi potest ab illis, qui insitum hoc per propriam intelligentiam apud se exstirpaverunt.*

10,160. *Quærebatur, num in Tellure sua vivant sub imperiis Principum aut Regum, ad hæc respondebant, quod nesciant quid imperia, & quod vivant sub se, distincti in gentes, familias, & domos: porro quærebatur, num sic securi, dicebant quod securi, quoniam una familia alteri nihil invidet, & nihil derogare vult; indignati quod talia quærerentur, sicut insimulatum esset hostilitatis, & alicujus tutelæ contra prædones; quid magis opus est, ajebant, quam habere victum & amictum, & sic contenti & quieti sub se habitare. Perceptum est ab antiquissimis, qui fuerunt ex nostra Tellure, quod similiter suo tempore vixissent, & quod tunc nescivissent quid esset imperare aliis ex amore sui, & coacervare opes ultra necessitates ex amore mundi; & quod tunc illis pax interna & simul externa, & inde cælum apud hominem. Ea tempora ideo a vetustis Scriptoribus dicta fuerunt Sæcula aurea, & descripta per quod justum & æquum ex lege inscripta cordibus egerint. Status vitæ illorum temporum describitur in Verbo per habitare sub se secure & solitarie, absque valvis & vectibus: & quia habitacula eorum fuerunt Tentoria, ideo in memoriam exstructum fuit Tentorium, quod pro domo Dei fuit, & dein institutum est festum tentoriorum, in quo lætarentur ex corde: & quoniam illi qui ita vixerunt, erant absque vesano amore imperandi propter se, & lucrandi mundum propter mundum, ideo Cælum tunc demisit se ad illos, & Dominus in forma humana multis visus fuit.*

10,161. *Interrogati de Tellure sua, dicebant, quod illis prata sint, floreta, sylvæ plenæ arboribus fructiferis, & quoque lacus in quibus pisces; quodque aves coloris cærulei cum aureis pennis; & quod animalia majora & minora, & inter minora memorabant, quæ dorsum elevatum, instar camelorum in nostra Tellure, haberent; & tamen quod non vescantur carne illorum, sed solum carne piscium, & præterea fructibus ex*

arboribus, & leguminibus. Dicebant porro, quod non habitent in exstructis domibus, sed in lucis, in quibus inter frondes faciunt sibi tecta pro imbre & pro æstu solis.

10,162. *Interrogati de sole suo, quæ est stella coram oculis ex nostra Tellure, dicebant quod ille coloris ignei esset, ad apparentiam non major quam caput hominis. Ab angelis mihi dictum est, quod stella, quæ illis sol, inter minores esset, non procul distans ab Æquatore Cæli.*

10,163. *Visi sunt Spiritus, qui similes sibi cum homines in sua tellure fuerunt, erant facie non absimili faciei hominum nostræ telluris, præter quod oculi eorum parvi essent, & quoque nasus parvus: hoc quia apparebat mihi ut aliquantum deforme, dicebant, quod parvi oculi & parvus nasus illis pulchritudo sit. Fœmina visa est, induta toga, in qua rosæ varii coloris; quærebam unde sibi in tellure illa parant vestes, respondebant quod legant ex herbis talia quæ contexunt in fila, & quod fila dein stratim componant duplici ac triplici ordine, ac humectent aqua glutinosa, & sic consistentiam inducant; colorando illam telam postea ex succis herbaceis.*

10,164. *Ostensum quoque quomodo faciunt fila; sedent demisupinatæ in solio, & per digitos pedum convolvunt illa, & convoluta trahunt ad se, & subigant per manus.*

10,165. *Dicebant etiam quod in illa tellure maritus solum unam uxorem habeat, & non plures; & quod procreent ibi liberos ad numerum decem usque ad quindecim. Addebant, quod etiam inveniantur ibi scorta, sed quod illæ post vitam corporis cum fiunt spiritus, sint magæ, & conjiciantur in infernum.*

10,166. *De Tertia Tellure in Cælo Astrifero ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

EXODI

CAPUT TRIGESIMUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,167. PAuci sciunt e qua origine existit amor conjugialis; qui e mundo cogitant, credunt quod ex natura; qui autem e cœlo, credunt quod ex Divino ibi.

10,168. Amor vere conjugialis est unio duarum mentium, quæ est unio spiritualis; & omnis unio spiritualis descendit e cœlo; inde est, quod amor vere conjugialis ex Cœlo sit, & quod primum esse ejus sit ex conjugio boni & veri ibi: Conjugium boni & veri in cœlo est a Domino; quare Dominus in Verbo vocatur Sponsus & Maritus, ac Cœlum & Ecclesia vocatur Sponsa & Uxor; & ideo etiam Cœlum comparatur Conjugio.

10,169. Ex his patet, quod amor vere conjugialis sit unio duorum quoad interiora, quæ sunt cogitationis & voluntatis, ita quæ sunt veri & boni, nam verum est cogitationis, & bonum est voluntatis: qui enim in amore vere conjugiali est, amat quod cogitat alter, & quod vult alter; ita quoque amat cogitare sicut alter, & amat velle sicut alter; proinde uniri alteri, & fieri sicut unus homo; hoc est quod intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "*Et erunt duo in unam carnem, quare non amplius sunt duo, sed una caro,*" xix: 45. Gen: ii: 23. 24.

10,170. Jucundum amoris vere conjugialis est internum, quia mentium, & quoque est externum inde, quod est corporum: at jucundum amoris non vere conjugialis est modo jucundum externum absque interno, quod est corporum non mentium; sed hoc jucundum est terrestre quale pœne animalium, & ideo tempore perit; illud autem est cœleste, quale erit hominum, & ideo permanet.

10,171. Nemo scire potest, quid amor vere conjugialis, & quale ejus jucundum est, nisi qui in bono amoris & in veris fidei est a Domino; quoniam, ut dictum est, amor vere conjugialis est e cœlo, & ex conjugio boni & veri ibi.


10,172. Ex

10,172. Ex conjugio boni & veri in Cœlo & in Ecclesia, instrui possumus qualia erunt conjugia in terris, quod nempe erunt ibi inter binos, unum maritum & unam uxorem, & quod amor vere conjugialis nusquam detur, si plures uxores uni marito sint.

10,173. Quod ex amore vere conjugiali fit, hoc ex libero utrinque fit, nam omne liberum est ex amore, ac utrique liberum cum unus amat quod alter cogitat & quod alter vult. Inde est, quod velle imperare in conjugiis, destruat genuinum amorem, nam tollit liberum ejus, ita quoque jucundum ejus; jucundum imperandi, quod loco ejus subit, parit diffidia, & inimicat mentes, & irradicat mala secundum dominii quale ab una parte, & servitutis quale ab altera.

10,174. Ex his constare potest, quod conjugia sint sancta, & quod lædere illa sit lædere id quod sanctum est: consequenter quod adulteria sint profana; quippe cum jucundum amoris conjugialis e cœlo descendit, jucundum adulterii ex inferno ascendit.

10,175. Qui itaque jucundum in adulteriis capiunt, non amplius possunt aliquod bonum & verum e cœlo recipere: inde est, quod qui jucundum in adulteriis ceperunt, postea vilipendant & quoque corde negent illa quæ Ecclesiæ & Cœli sunt: causa quod ita sit, est quia amor adulterii est ex conjugio mali & falsi, quod est conjugium infernale.



CAPUT XXX.

1. ET facies Altare suffitionis suffimenti; lignis Schittim facies illud.

2. Cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus; quadratum erit; & duo cubiti altitudo ejus; ex illo cornua ejus.

3. Et obduces illud auro puro, tectum ejus & parietes ejus circumcirca & cornua ejus; & facies ei limbum auri circumcirca.

4. Et duos annulos auri facies ei de-sub limbo ejus, super duabus costis ejus, facies super duobus lateribus ejus, & erit ad receptacula vectibus, ad portandum illud in illis.

5. Et facies vectes lignis Schittim; & obduces illos auro.

6. Et dabis illud ante velum, quod super arca testimonii, ante Propitiatorium quod super Testimonio, quo conveniam te ibi.

7. Et

7. Et suffiet super illo Aharon suffimentum aromatum in mane in mane, in adornando lucernas suffiet illud.

8. Et in ascendere faciendo Aharon lucernas inter vesperas suffiet illud; suffimentum juge coram Jehovah in generationes vestras.

9. Non ascendere facietis super illo suffimentum alienum, & holocaustum, & mincham, & libamen non libabitis super eo.

10. Et expiabit Aharon super cornubus ejus semel in anno de sanguine peccati expiationum, semel in anno expiabit super illo in generationes vestras; sanctum sanctorum hoc Jehovæ.

11. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo.

12. Cum sustuleris summam filiorum Israelis quoad numeratos illorum, & dabunt quisque expiationem animæ suæ Jehovæ in numerando illos, & non sit in illis plaga in numerando illos.

13. Hoc dabunt omnis transiens super numeratos, dimidium sicli in siclo sanctitatis, viginti oboli siclus, dimidium sicli sublatio Jehovæ.

14. Omnis transiens super numeratos a filio viginti annorum & supra, dabit sublationem Jehovæ.

15. Dives non dabit plus, & pauper non dabit minus, ex dimidio sicli, ad dandum sublationem Jehovæ, ad expiandum super animabus vestris.

16. Et accipies argentum expiationum a cum filiis Israelis, & dabis illud ad opus Tentorii conventus; & erit filiis Israelis ad recordationem coram Jehovah, ad expiandum super animabus vestris.

17. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo.

18. Et facies Labrum æris, & basin ejus ære, ad lavandum, & dabis illud inter Tentorium conventus & inter Altare, & dabis ibi aquas.

19. Et lavabunt Aharon & filii ejus ex eo manus suas & pedes suos.

20. In intrando illos in Tentorium conventus, lavabunt aquis, ne moriantur, vel in accedendo illos ad Altare ad ministrandum, ad adolendum ignitum Jehovæ.

21. Et lavabunt manus suas, & pedes suos, ne moriantur; & erit illis statutum sæculi illi & semini illius, generationibus illorum.

22. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo.

23. Et tu accipe tibi aromata præcipua, myrrham optimam quingenta, & cinnamomum aromaticum dimidium ejus quinquaginta & ducenta, & calamum aromaticum quinquaginta & ducenta.

24. Et casiam quingenta, in siclo sanctitatis; & oleum olivæ hinem.

25. Et

25. Et facies illud oleum unctionis sanctitatis, unguentum unguenti opus unguentarii, oleum unctionis sanctitatis erit.

26. Et unges illo Tentorium conventus, & Arcam Testimonii.

27. Et Mensam, & omnia vasa ejus, & Candelabrum & vasa ejus, & Altare suffitus.

28. Et Altare holocausti, & omnia vasa ejus, & Labrum & basin ejus.

29. Et sanctificabis illa, & erunt sanctum sanctorum, omnis tangens illa sanctificabitur.

30. Et Aharonem & filios ejus unges, & sanctificabis eos ad fungendum sacerdotio Mihi.

31. Et ad filios Israelis loqueris, dicendo; oleum unctionis sanctitatis erit hoc Mihi in generationes vestras.

32. Super carnem hominis non fundetur; & in qualitate ejus non facietis sicut illud, sanctum hoc, sanctum erit vobis.

33. Vir qui fecerit unguentum sicut illud, & qui dederit ex illo super alienum, & exscindetur e populis suis.

34. Et dixit Jehovah ad Moschen; accipe tibi aromata fragrantia, stacten, & onychen, & galbanum, fragrantia, & thus purum, tantum in tanto erit.

35. Et facies illud suffimentum, unguentum opus unguentarii, salitum, purum, sanctum.

36. Et tundes ex illo minutim, & dabis de illo ante Testimonium in Tentorio conventus, quo conveniam te ibi, sanctum sanctorum erit vobis.

37. Et suffimentum quod facis in qualitate ejus, non facietis vobis, sanctum erit tibi Jehovæ.

38. Vir qui fecerit sicut illud ad faciendum odorem eo, & exscindetur e populis suis.

CONTENTA.

Agitur in hoc Capite de Altari suffitus; de Expiatione cujusvis per argentum; de Labro & lavatione inde; & de præparatione Olei unctionis, & Suffimenti. Per suffitionem in sensu interno significatur auditio & receptio omnium cultus, quæ ex amore & charitate, a Domino: per expiationem cujusvis per argentum, significatur addicatio omnium cultus Domino, & nihil sibi, ut nulli sit meritum: per labrum & lavationem significatur purificatio a malis primum in

omni cultu: per præparationem olei unctionis, significatur qualitas amoris in cultu; & per præparationem suffimenti qualitas cultus inde.



SENSUS INTERNUS.

10,176. VERS: 1 ad 10. *Et facies Altare suffitionis suffimenti, lignis Schittim facies illud. Cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus; quadratum erit; & duo cubiti altitudo ejus; ex illo cornua ejus. Et obduces illud auro puro, tectum ejus, parietes ejus circumcirca, & cornua ejus; & facies ei limbum auri circumcirca. Et duos annulos auri facies ei desub limbo ejus, super duabus costis ejus, facies super duobus lateribus ejus; & erit ad receptacula vectibus, ad portandum illud in illis. Et facies vectes lignis Schittim, & obduces illos auro. Et dabis illud ante velum, quod super arca Testimonii, ante Propitiatorium quod super Testimonio, quo conveniam te ibi. Et suffiet super illo Aharon suffimentum aromatum in mane in mane, in adornando lucernas suffiet illud. Et in ascendere faciendo Aharon lucernas inter vesperas suffiet illud, suffimentum juge coram Jehovah in generationes vestras. Non ascendere facietis super illo suffimentum alienum, & holocaustum & mincham, & libamen non libabitis super eo. Et expiabit Aharon super cornubus ejus semel in anno, de sanguine peccati expiationum, semel in anno expiabit super illo, in generationes vestras; sanctum sanctorum hoc Jehovæ.* Et facies altare suffitionis suffimenti, significat repræsentativum auditionis & receptionis gratæ omnium cultus, quæ ex amore & charitate, a Domino: lignis Schittim facies illud, significat ex amore Divino: cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, significat æquum ex bono & ex vero: quadratum erit, significat sic perfectum; & duo cubiti altitudo ejus, significat gradus boni & veri, & eorum conjunctionem: ex illo cornua ejus, significat veri potentias ex bono amoris & charitatis: & obduces illud auro puro, significat repræsentativum omnium cultus ex bono: tectum ejus, significat intimum: & parietes ejus, significat interiora: & cornua ejus, significat exteriora: & facies limbum auri circumcirca, significat terminationem ex bono ne adeantur & lædantur a malis: & duos annulos auri facies ei desub limbo, significat sphæram Divini boni, per quam conjunctio & conservatio: super duabus costis ejus, significat cum veris ab una parte: facies super duobus lateribus ejus, significat cum bono ab altera: & erit ad receptacula vectibus, significat potentiam veri ex bono ibi: ad portandum illud in illis, significat inde conservationem in statu: & facies vectes lignis Schittim, significat potentiam ex bono amoris Domini: & obduces illos auro, significat fundationem omnium super bono: & dabis illud ante velum, quod super arca testimonii, significat in cœlo interiori ubi id conjungitur

cœlo intimo: ante propitiatorium quod ſuper teſtimonio, ſignificat ubi auditio & receptio omnium cultus ex bono amoris a Domino: quo conveniam te ibi, ſignificat ſic præſentiam & influxum Domini: & ſuffiet ſuper illo Aharon, ſignificat elevationem cultus ex amore & charitate a Domino: ſuffimentum aromatum, ſignificat auditionem & receptionem gratam: in mane in mane, ſignificat cum ſtatus amoris in claro eſt: in adornando lucernas ſuffiet illud, ſignificat cum verum etiam venit in ſuam lucem: & in aſcendere faciendo Aharon lucernas inter veſperas ſuffiet illud, ſignificat elevationem etiam in ſtatu amoris obſcuro cum etiam verum eſt in ſua umbra: ſuffimentum juge coram Jehovah, ſignificat in omni cultu ex amore a Domino: in generationes veſtras, ſignificat in æternum illis qui in fide ex amore: non aſcendere facietis ſuper illo ſuffimentum alienum, ſignificat non cultum ex alio amore quam Domini: & holocauſtum & mincham, ſignificat non ibi repræſentativum regenerationis per vera & bona amoris cœleſtis: & libamen non libabitis ſuper eo, ſignificat non ibi repræſentativum regenerationis per vera & bona amoris ſpiritualis: & expiabit Aharon ſuper cornubus ejus, ſignificat purificationem a malis per vera fidei quæ ex bono amoris: ſemel in anno, ſignificat perpetuo: de ſanguine peccati expiationum, ſignificat per vera quæ ex bono innocentiæ: ſemel in anno expiabit ſuper illo, ſignificat remotionem malorum perpetuam: in generationes veſtras, ſignificat qui ab Eccleſia in veris & bonis fidei: ſanctum ſanctorum hoc Jehovæ, ſignificat quoniam ex Divino cœleſti.

10,177. Et facies altare ſuffitionis ſuffimenti, quod ſignificet repræſentativum auditionis & receptionis gratæ omnium cultus ex amore & charitate a Domino, conſtat ex ſignificatione altaris ſuffitionis ſuffimenti, quod ſit repræſentativum talium cultus quæ elevantur ad Dominum, quod ſint quæ ex amore & charitate, patebit in ſequentibus: per altare ſignificatur ſimile quod per ſuper eo, quoniam altare eſt continens, & id quod ſuper eo eſt contentum, ac continens & contentum unum rem faciunt, ſicut menſa ac panis qui ſuper ea, ſchyphus ac vinum quod in illo. Quod altare pro ſuffitu factum ſit, & non menſa, erat cauſa, quia altaria apud gentem Iſraeliticam principalia repræſentativa cultus ex amore erant, ignis enim erat ſuper illis, & per ignem ſignificatur amor & charitas, ex quibus cultus; quod altaria fuerint principalia repræſentativa cultus, videatur n: 4192. 4541. 8623. 8935. 8940. 9714. Quod altare ſuffitus repræſentaverit auditionem & receptionem omnium cultus quæ ex amore & charitate, erat quia per fumum & inde per fumigationem ſignificabatur id quod elevatur in altum, ac per odorem fumi id quod gratum eſt, proinde id quod auditur & recipitur a Domino; & id ſolummodo gratum eſt, & recipitur a Domino, quod ex amore & charitate eſt; inde quoque erat, quod Altare illud obductum fuerit auro, & dictum Altare aureum, nam aurum ſignificat bonum amoris & charitatis, videantur citata n: 9874; & n: 9881. 9874. Quod id ſolum gratum ſit, & ideo audiatur & recipiatur a Domino, quod ex amore & charitate eſt, eſt quia amor facit totum hominem, homo ejus talis eſt qualis ejus amor; inde eſt, quod

angeli in cœlis sint amores & charitates in forma; ipsa forma illis inde est forma humana, quoniam Dominus, qui est in illis, & format illos, quoad Divinum Humanum est Ipse Divinus amor; inde est quod ex faciebus illorum, ex loquela eorum, & ex gestibus illorum, & præcipue ex sphæris affectionum, quæ ex illis ad distantiam effluunt, percipiatur clare, quales sunt quoad amorem: & quia amor in Dominum & charitas erga proximum sunt a Domino, & quia amor est conjunctio spiritualis, ideo quicquid inde procedit, auditur & recipitur a Domino: sanctum autem & pium, quod non inde est, quidem auditur, sed non recipitur grate, est enim sanctum & pium hypocriticum, nam est solum externum absque interno; & sanctum externum absque interno non penetrat quam ad primum limen cœli, & ibi dissipatur; sanctum autem externum ex interno penetrat usque in cœlum, secundum interni quale, ita ad Dominum; nam sanctum externum absque interno est solum ex ore & ex gestibus, at sanctum externum ex interno est simul ex corde; de hoc & illo sancto, videantur quæ n: 8252 ad 8257, dicta & ostensa sunt. In Tentorio extra velum erat Mensa, super qua panes facierum, erat quoque Candelabrum cum lucernis, & erat altare suffitus; per panes facierum repræsentabatur amor in Dominum; per lucernas Candelabri repræsentabatur Charitas & Fides; & per suffitum super altare repræsentabatur cultus inde; quapropter suffiebatur quovis mane, & quavis vespera, cum adornabantur lucernæ; inde etiam patet, quod per suffitionem repræsentatus fuerit cultus Domini ex amore & charitate; per ipsum Tentorium, in quo illa, repræsentabatur cœlum, ubi omnis cultus talis est: quod Panes repræsentaverint bonum cœleste, quod est bonum amoris in Dominum, videatur n: 9545; quod Candelabrum repræsentaverit bonum spirituale, quod est bonum charitatis erga proximum & bonum fidei, n: 9548 ad 9561; & quod Tentorium repræsentaverit Cœlum, n: 9457. 9481. 9485. 9784. 9963. Cum dicitur cultus, intelligitur id sanctum, quod fit per preces, adorationes, confessiones, & per similia, quæ ex internis, quæ sunt amoris & charitatis, procedunt; illa cultus sunt, quæ intelliguntur per suffitionem, ut constare potest a sequentibus his locis; apud Davidem, "Acceptæ sunt preces meæ, *suffimentum coram Te*," Psalm: CXLI: 2: apud Johannem, "Quatuor animalia & viginti quatuor Seniores, ceciderunt ante Agnum, habentes quilibet citharas, *& phialas aureas plenas suffimentis, quæ sunt preces sanctorum*," Apoc: V: 8: apud Eundem, "Angelus habens *thuribulum aureum*, & *dati sunt ibi suffitus multi*, ut *daret precibus sanctorum omnium super altare aureum*, quod coram throno; *ascendit fumus suffituum e precibus sanctorum*," Apoc: VIII: 3. 4: quia per suffitum significabatur cultus & ejus elevatio, ita auditio & receptio a Domino, ideo mandabatur a Moscheh, *ut sumerent acerras cum thure*, & *suffirent coram Jehovah*, ut inde scirent, quem Jehovah eligeret, ita quem audiret," Num: XVI: 1 seq: & cum murmuravi populus, quod Aharon cucurrerit in medium congregationis *cum suffitu*, cum plaga incepit, & sic sedaverit illam," Num: XVII: 11. 12. 13. Apud Malachiam, "Ab ortu solis usque ad occasum magnum erit Nomen Jehovæ apud gentes, & *in*

omni loco suffitus allatus Nomini meo, & minchah munda," i : 11; additur minchah munda, quia per eam significatur bonum amoris, n : 10,137 : apud Moschen, "Filii Levi docebunt judicia Jacobum, & Legem tuam Israelem, *ponent suffitum in nasum tuum*, & holocaustum super altare tuum," Deut : XXXIII : 10, dicitur ponere suffitum in nasum, quia per nares significatur perceptio, n : 4624 ad 4634; additur hic holocaustum, quia per id etiam significatur quod ex bono amoris. Per suffire autem in opposito sensu significatur cultus ex amoribus contrariis, qui sunt amores sui & mundi, ut per *suffire diis aliis*," Jerem : i : 16. Cap : XLIV : 3 : 5 : *per suffire idolis*," Ezech : VIII : 11. Cap : XVI : 18 : & per *adolere suffimentum balibus*," Hosch : ii : 13. Quoniam suffitiones significabant talia quæ elevantur sursum, & quæ acceptantur a Divino, ideo etiam apud Gentiles inter eorum religiosa adhibitæ fuerunt; quod thura, thuribula, & acerræ apud gentem Romanam, & alibi, in usu fuerint, ex historicis notum est; religiosum tale derivatum est ex antiqua Ecclesia, quæ per plures regiones Asiæ, ut per Syriam, Arabiam, Babyloniam, Ægyptum, Canaanem, extensa fuit; illa Ecclesia fuerat Ecclesia Repræsentativa, ita consistens in externis, quæ repræsentabant interna, quæ sunt cœlestia & spiritualia; ab illa Ecclesia translata sunt plura Religiosa ad Gentes circumcirca, & inter illa quoque suffitiones; inde per Græciam in Italiam; similiter etiam ignes perpetui, quibus custodiendis præponebant castas virgines, quas Vestas vocabant. Suffitiones in Antiqua Ecclesia, & inde in Israelitica, parabantur ex fragrantibus, ut ex stacte, onyche, galbano, & thure, ex causa quia odor significabat perceptionem, & odor fragrans perceptionem gratam, videatur n : 925. 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4624 ad 4634. 4748. 10,054 : thus autem in specie significat verum fidei, ideo cum thus nominatur in Verbo, adjungitur etiam oleum, panis, minchah, vel aurum, per quæ significatur bonum amoris; ut apud Esaiam, "Omnes e Scheba venient, *aurum* & *thus portabunt*, & laudes Jehovæ annuntiabunt," LX : 6 : similiter illi qui ex oriente venerunt apud Matthæum, "Venerunt sapientes ex orientalibus, quærentes Dominum tunc natum, aperientes thesauros suos, & *obtulerunt aurum*, *thus*, & myrrham," ii : 1. 2. 11 : quod illi qui ex oriente, & filii orientis dicti fuerunt, in Verbo significent illos, qui in cognitionibus boni & veri erant, videatur n : 3249. 3762; similiter Scheba, n : 1171. 3240; quod aurum significet bonum amoris citata n : 9874. & n : 9881. Apud Jeremiam, "Adferent holocaustum & sacrificium, & *mincham*, & *thus*," XVII : 26; per mincham similiter significatur bonum amoris n : 9992. 10,137; inde patet, quod per thus in Verbo significetur Verum quod fidei, nam in Verbo ubi dicitur de bono, etiam dicitur de vero, ob conjugium cœleste, quod est boni & veri, in singulis ibi, videantur citata n : 9263. 9314; inde quoque erat, quod super minchah esset *oleum* & quoque *thus*," Levit : ii : 1. 2. 15, non autem super minchah quæ pro peccato," Levit : V : 11; & super minchah Zelotypiæ," Num : V : 15; quod non super his minchis erat, quia dabantur pro expiatione a malis, & quamdiu homo in expiatione est, non recipere potest bonum amoris & verum fidei,

mala

mala enim obstant; aliter post expiationem seu remotionem illorum. Quoniam bonum quod amoris non dabile est, nisi etiam simul verum quod fidei, bonum enim producit verum, ac in vero comparat sibi suum quale, & format se, inde erat quod super *omni minchah esset thus*; & quoque *super panibus facierum*, qui super mensa in Tentorio conventus," Levit: XXIV: 7; panes enim significabant bonum amoris, n: 3478, 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 8410. 9323. 9545. 10,040. 10,137.

10,178. Lignis Schittim facies illud, quod significet ex amore Divino, constat ex significatione ligni Schittim, quod sit bonum meriti & justitiæ quod solius Domini, de qua n: 9472. 9486. 9715: quod etiam sit amor, est quia Dominus cum in mundo fuit, ex Divino amore pugnavit contra omnia inferna, ac subjugavit illa, & sic salvavit genus humanum, & inde solus meruit, & Justitia factus est, videatur n: 9486. 9715. 9809. 10,019. 10,152; quapropter bonum meriti Domini est Divinus amor Ipsius. Quod lignum Schittim talis & tantæ significationis sit, est quia omnia quæ in triplici regno telluris sunt, nempe quæ in Regno animali, vegetabili, & minerali, significent spiritualia & cœlestia, ut & illis opposita, nam universa Natura est Theatrum repræsentativum Regni Domini, videantur citata n: 9280; & lignum in genere significat bonum amoris, & in specie bonum meriti, n: 2784. 2812. 3720. 4943. 8354. 8740; inde est, quod Lignum in supremo sensu significet Divinum Bonum, quoniam omnia quæ in sensu interno significant talia quæ Ecclesiæ & Cœli sunt, in sensu supremo significant Divina.

10,179. Cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, quod significet æquum ex bono & ex vero, constat ex significatione longitudinis, quod sit bonum; & latitudinis, quod sit verum, de qua n: 1613. 3433. 3434. 4482. 9487: æquum ex utroque significatur per quod cubitus illa & cubitus hæc, ita per quod æqualis mensura, quia per mensuras in Verbo determinatur res quoad suum quantum & quale, & determinatio fit per numeros; res quæ hic per mensuram, quæ est cubitus, determinatur, est bonum & verum, illud per longitudinem, & hoc per latitudinem: quod Longitudo sit bonum, quia illa censetur ab oriente ad occidentem, & per orientem & occidentem significatur bonum ab uno termino ad alterum; ac Latitudo a meridie ad septentrionem, & per meridiem & septentrionem significatur verum ab uno termino ad alterum; ita enim se habet in cœlo, ubi Dominus est Sol, & quoque Oriens, a quo omnes determinationes ibi; qui a facie ibi sunt, in perceptione boni sunt secundum distantiam, qui in perceptione boni clara sunt, in oriente sunt, n: 3708. 9668; qui in perceptione boni obscura, in occidente sunt, n: 3708. 9653; qui autem in luce veri clara sunt, in meridie sunt, n: 9642; qui autem in luce veri obscura sunt, in septentrione sunt, n: 3708: inde est, quod per quatuor illas plagas in Verbo talia significentur; & quod per longitudinem bonum, & per latitudinem verum.

10,180. Quadratum erit, quod significet sic perfectum, constat ex significatione quadrati, quod sit justum, & quoque perfectum, de qua n: 9717. 9861.

10,181. Et

10,181. Et duo cubiti altitudo ejus, quod ſignificet gradus boni & veri, ac eorum conjunctionem, conſtat ex ſignificatione duorum, quod ſint conjunctio, de qua n: 1686. 5194. 8423; & ex ſignificatione altitudinis, quod ſit gradus boni & inde veri, de qua n: 9489. 9773: per gradus altitudinis intelliguntur gradus ab interioribus ad exteriora, ſeu ab intimis ad extrema, qui gradus quales ſunt, videatur illuſtratum & oſtenſum n: 3405. 3691. 4145. 5114. 5146. 8603. 8945. 10,099. Sunt duplicis generis gradus, nempe gradus in longitudinem & latitudinem, & gradus quoad altitudinem & profunditatem; hi gradus ab illis valde differunt; gradus longitudinis & latitudinis ſunt qui ſuccedunt a medio ad peripherias; at gradus altitudinis procedunt ab interioribus ad exteriora; illi gradus, nempe longitudinis & latitudinis, ſunt gradus qui a medio decreſcunt continue ad peripherias, ſicut decreſcit lux a flamma uſque ad ſuum obſcurum, & ſicut viſus oculi ab objectis proximis ad objecta maxime diſſita; ac ſicut viſus intellectualis ab illis quæ in luce ſunt ad illa quæ in umbram intrant: at gradus altitudinis, qui procedunt ab intimis ad extrema ſeu a ſupremis ad infima, non ſunt continui, ſed diſcreti; ſe habent enim ſicut intima ſeminis ad ejus exteriora; & ſicut intima hominis ad ejus extrema; ac ſicut intimum cœli angelici ad ejus extremum; hi gradus diſcriminati ſunt, ita diſtincti ſicut producens & productum; quæ in interiori gradu ſunt, perfectiora ſunt illis quæ in gradu exteriori, & non alia intercedit ſimilitudo, quam per correſpondentias; inde eſt, quod qui in intimo cœlo ſunt, perfectiores ſint quam illi qui in medio, & hi perfectiores quam qui in ultimo; ſimiliter in homine in quo cœlum, intimum ejus in perfectiori ſtatu eſt, quam medium, & hoc in perfectiori quam ultimum; & conſociant ſe non aliter quam per correſpondentias; quæ quales ſunt, in explicationibus, quæ præcedunt, multis oſtenſum eſt. Qui non perceptionem horum graduum ſibi comparat, nequaquam poteſt ſcire diſcrimina cœlorum, & diſcrimina facultatum interiorum & exteriorum hominis, ita nec diſcrimen inter animam & corpus; etiam prorſus non capere poteſt quid ſenſus internus Verbi, & ejus diſcrimen a ſenſu externo; imo nec diſcrimen inter mundum ſpiritualem & mundum naturalem; ne quidem intelligere poteſt quid & unde Correſpondentiæ & Repræſentationes, & vix quid Influxus; ſenſuales homines hæc diſcrimina non capiunt, faciunt enim creſcentiam & decreſcentiam ſecundum hos gradus continuam, ita hos gradus ſimiles gradibus longitudinis & latitudinis, quapropter etiam foris ſtant, & e longinquo ab intelligentia: hi gradus ſunt gradus altitudinis, ideo per altum in Verbo intelligitur interius, n: 2146. 4210. 4599, & quia interius, etiam perfectius; inde eſt, quod Dominus in Verbo dicatur Altiſſimus, quia eſt Ipſa Perfectio, Ipſa Intelligentia, & Sapientia, & Ipſum Bonum & Verum; & inde eſt, quod Cœlum dicat eſſe in alto, quia in perfectione, intelligentia, ſapientia, bono & vero a Domino; ac ideo infernum dicitur eſſe in profundo, quia ibi nulla perfectio, intelligentia & ſapientia, ac nullum bonum & verum.

10,182. Ex

10,182. Ex illo cornua ejus, quod significet veri potentias ex bono amoris & charitatis, constat ex significatione cornuum, quod sint potentiæ veri, de qua n: 2832. 9719. 9720. 9721; quod ex bono amoris & charitatis, est quia omnis potentia veri inde est; quapropter etiam cornua continuabantur ipsi Altari, seu ex illo erant; Altare enim hoc erat repræsentativum auditionis & receptionis omnium cultus quæ ex amore & charitate a Domino, n: 10,177. Quod omnis potentia sit veri ex bono amoris, non capere possunt illi, qui de potentia solum materialem ideam habent, quapropter dicendum est, quomodo cum illa se habet; in Cœlis est omnis potentia ex Divino Vero procedente ex Divino Bono Domini; inde angelis est potentia, angeli enim sunt receptiones Divini Veri a Domino, n: 1752. 4295. 8192; per potentiam quæ inde, illi tutantur hominem, removendo inferna ab illo; nam unus angelus valet contra mille qui ex infernis: hæc potentia est, quæ intelligitur per *Claves* Petri, sed per Petrum, qui ibi vocatur Petra, intelligitur Dominus quoad Verum fidei ex bono amoris, videatur Præfat: ad Cap: XXII Genes: & n: 4738. 5150. 6000. 6073 fin: 6344 fin: 10,087; & quod Petra sit Dominus quoad Verum fidei, n: 8581. Divini Veri potentia etiam intelligitur per Vocem Jehovæ apud Davidem, "*Vox Jehovæ* super aquis; *Vox Jehovæ* in virtute; *vox Jehovæ* frangit cedros; *vox Jehovæ* incidit flammam ignis; *vox Jehovæ* tripidare facit desertum; *vox Jehovæ* denudat sylvas; Jehovah *robur* populo suo dat," Psalm: XXIX: quod vox Jehovæ sit Divinum Verum procedens a Divino Bono Ipsius, videatur n: 9926: potentia Divini Veri etiam intelligitur per Verbum apud Johannem, "*Omnia per Verbum facta sunt*, & sine Ipso factum est nihil quod factum est," I: 3; quod Verbum sit Divinum Verum procedens a Divino Bono, videatur n: 9987; ideo quoque Dominus, cum in mundo fuit, se primum fecit Divinum Verum, quod etiam intelligitur per *quod Verbum Caro factum sit*," ibid: Vers: 14; quod Dominus tunc se fecerit Divinum Verum, erat causa, ut pugnaret contra omnia inferna, & subjugaret illa, & sic redigeret omnia ibi, & simul in cœlis in ordinem, n: 9715, 9809. 10,019. 10,052. Quod veris ex bono sit omnis potentia, & vice versa, quod falsis ex malo sit nulla potentia, notissimum est in altera vita; inde est, quod malis, qui ex mundo illuc veniunt, auferatur fides persuasiva, ut & cognitio omnis veri, & sic relinquuntur falsis sui mali. Quod talis potentia veris ex bono sit, non capere possunt illi, qui ideam veri & ejus fidei habent sicut de solo cogitativo; cum tamen cogitativum hominis ex voluntario ejus facit omne robur corporis, quod si inspiraretur a Domino per Divinum suum Verum, foret homini robur Simsonis; sed beneplacet Domino, ut homini sit robur per fidem ex amore quoad illa quæ ejus spiritus sunt, & ad salutem æternam conducunt. Ex his constare potest, quid intelligitur per potentiam veri ex bono, quæ per cornua altarium tam holocausti quam suffitus significetur. Quod Cornua significent potentiam illam, constat ex locis in Verbo ubi cornua nominantur; ut apud Ezechielem, "In die illo *crescere faciam cornu* domui Israelis," XXIX: 21: apud Amos,

Nonne per fortitudinem nostram sumsimus nobis cornua," VI : 24 : In Libro primo Samuelis, " Jehovah *dabit robur* Regi nostro, & *exaltabit cornu uncti sui,*" ii : 10 : apud Davidem, " Jehovah *exaltavit cornu populi sui,*" Psalm : CXLVIII : 14 : apud Eundem, " *Omnia Cornua impiorum amputabo ; exaltentur cornua justi,*" Psalm : LXXV : 11 : apud Jeremiam, " Dominus *abscidit* in excandescentia iræ suæ *omne cornu Israelis ;* & *exaltavit cornu inimicorum tuorum,*" Thren : 3. 17 : apud Ezechielem, " Latere & humero impellitis, & *cornibus vestris* feritis omnes oves infirmas, donec dispersitis eas foras," XXXIV : 21 : apud Sachariam, " Vidi *quatuor cornua :* dixit Angelus, *hæc cornua* quæ disperserunt Jehudam, Israelem, & Hierosolymam : fabri venerunt *ad dejiciendum cornua gentium, attollentium cornu* contra terram Jehudæ," ii : 1. 2. 3. 4 : apud Moschen, " *Cornua Monocerotis cornua ejus,* his populos feriet una ad fines terræ," Deut : XXXIII : 17 ; quod in his locis per cornua significetur potentiá, patet, & quidem potentia in utroque sensu, nempe veri contra falsum, & falsi contra verum ; nam ubivis ibi in sensu interno agitur de statu Ecclesiæ : similiter apud Amos, " In die illo visitabo super Altaria Bethelis, & *exscindentur cornua altaris,* & cadent in terram," III : 14 ; per Altaria Bethelis, & per cornua ejus significantur mala & falsa destruentia bonum & verum Ecclesiæ, de quibus dicitur quod exscindentur. Ex his constare potest, quid intelligitur per Cornua, quorum tam frequens mentio fit apud Danielem & apud Johannem in Apocalypsi ; apud Danielem, " Quod bestiæ essent *decem cornua,* & quoque ei *cornu loquens,*" VII : 8. 11. 20 ; quod *cornu faceret bellum* cum sanctis, & *prævaleret,* usque dum venit Filius hominis," Vers : 11. 24 : & *de cornibus arietis,* & *de cornibus hirci caprarum ;* per quæ bellum inter se facerent," VIII : 3 ad 21 : & apud Johannem, " Quod *draconi essent decem cornua,*" Apoc : XII . 3 : similiter *bestiæ e mari ascendenti,*" XIII : 1 : tum *bestiæ coccineæ,*" XVII : 12 ; ubi etiam dicitur, quod *decem cornua sint decem Reges,*" Vers : 13. 14, similiter apud Danielem Cap : VII : 24 ; quod per reges in Verbo significentur vera, & in opposito sensu falsa, videatur n : 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148. Quia per cornu significatur Verum in sua potentia, & in opposito sensu falsum destruens Verum, ideo cornu tribuitur loquela, Apoc : IX : 13. Dan : VIII : 8. Psalm : XXII : 22. Quod Reges uncti fuerint oleo ex cornu, 1 Sam : XVI : 1. 13. 1 Reg : i : 39, repræsentabat verum ex bono in sua potentia, cornua enim sunt vera in sua potentia, oleum est bonum, & Reges illi qui in Veris ex bono ; quod oleum sit bonum, videatur n : 886. 9780 ; & quod reges sint illi qui in veris ex bono, ita abstracte vera ex bono, n : 6148 : inde quoque est, quod *cornu dicatur germinare,* Psalm : XXXII : 17 ; quoniam omnis germinatio spiritualis est veri ex bono ; quare etiam olim cornua germinantia fecerunt. Quod omnis potentia sit bono per verum, seu quod idem, sit veri ex bono, videantur citata n : 10,129.

10,183. Et obduces illud auro puro, quod significet repræsentativum omnium cultus ex bono, constat ex significatione auri, quod sit bonum amoris,

de qua n : 9874 ; & quod obducere auro, sit fundare super illo bono, n : 9490 ; at quod sit repræsentativum ejus, patet.

10,184. Tectum ejus, quod significet intimum, constat ex significatione tecti, quod sit intimum ; quod tectum sit intimum, est quia est supremum seu altissimum, & quod supremum seu altissimum est, hoc significat intimum, secundum illa quæ supra n : 10,181, ostensa sunt, & quia tectum simile significat ac caput apud hominem ; nam omnia repræsentativa in natura se referunt ad formam humanam, & secundum relationem ad illam significant, n : 9496 ; quod caput significet intimum, videatur n : 5328. 6436. 7859. 9656 9913. 9914 : intimum, quod hic per tectum altaris suffitus, significatur, est intimum cultus ; sunt enim in cultu similia quæ in ipso homine, a quo cultus, nempe internum, medium, & externum, intimum vocatur cœleste, medium spirituale, & externum naturale, n : 4938. 4939. 9992. 10,005. 10,017. 10,068 : hi gradus ex correspondentia significantur per caput, pectus, & pedes ; similiter per tectum, parietes, & cornua altaris suffitus. Quia per tectum significatur cœleste, quod est intimum, etiam significatur bonum, nam bonum ubivis est intimum, ac verum procedit ex eo, sicut comparative lux a flamma ; hoc intelligitur per tectum apud Matthæum, "Tunc *qui super tecto domus* ne descendat ad tollendum quid e domo sua," XXIV : 17. Marc : XIII : 15. Luc : XVII : 31 ; agitur ibi de ultimis temporibus Ecclesiæ, & per esse super tecto significatur status hominis qui est in bono ; & per descendere ad tollendum quid e domo, significatur reditio ad priorem statum, videatur n : 3652, & apud Jeremiam, "*Super omnibus tectis Moabi*, & in plateis ejus totus luctus," XLVIII : 38 ; per luctum super omnibus tectis, significatur vastatio omnium bonorum apud illos qui in sensu repræsentativo intelliguntur per Moabum, qui sunt qui in bono naturali sunt qui se facile seduci patiuntur n : 2468 ; & per luctum in plateis significatur vastatio omnium verorum, quod plateæ sint vera, videatur n : 2336. Quia tectum significabat bonum, ideo antiquis erant tecta super domibus ubi ambulabant, & quoque ubi adorabant, ut constare potest 1 Sam : IX : 25. 26. 2 Sam : XI : 2. Zephan : I : 5. Apud Moschen, "Cum ædificaveris domum novam, *facies ambitum tecto tuo*, ne ponas sanguines in domum tuam, si ceciderit cadens ex illa. Non conseres vineam tuam mixtim, ne sancta fiat collectio ex semine, quod seminaveris, & ex proventu vineæ. Non arabis bove & asino simul. Non indues vestem mixtam, lana & lino simul," Deut : XXII : 8. 9. 10. 11 ; ex his quoque patet, quod per tectum significetur bonum amoris ; nam singula illa præcepta involvunt similia, quæ non patefiunt nisi quam per sensum internum, qui est, quod qui in bono est, qui status est status hominis regenerati, non redibit in statum veri, qui est status prior ejus, nempe cum regenerabatur ; in hoc statu enim ducitur homo per verum ad bonum, ita partim a semet, in illo autem seu posteriori, nempe cum regeneratus est, ducitur homo a bono, hoc est, per bonum a Domino ; hoc arcanum est, quod in singulis illis interius latet ; ita simile quod in Domini

Verbis

Verbis apud Matthæum, "Tunc qui ſuper domo eſt, ne deſcendat ad tollendum quid e domo ſua: & qui in agro, ne revertatur retro ad tollendum veſtimenta ſua," XXIV: 17. 18: apud Marcam, "Qui ſuper tecto, ne deſcendat in domum, neque ingreditor ad auferendum aliquid e domo ſua: & qui in agro fuerit, non amplius convertito ſe retrorſum ad auferendum veſtimentum ſuum," XIII: 16: & apud Lucam, "In iſta die quicunque erit ſuper domo, & vaſa illius in domo, ne deſcendito ad tollendum illa: & quicunque in agro, ſimiliter ne revertatur in, quæ poſt illum; mementote uxoris Lothi," XVII: 31. 32; quis non videre poteſt, quod in his locis arcana cœli contineantur, nam quid alioquin foret, quod non e domo deſcenderent, & ex agro reverterentur retro & in, & quod meminiſſent uxoris Lothi; ſimiliter in illis quæ apud Moſchen, quod ambitum facerent circum tectum ne ſanguis ſi deciderint; & mox quod ager non confereretur mixtim, ſemine & proventu vineæ; non araretur bove & aſino ſimul; nec indueretur veſtis mixta lana & lino ſimul; per tectum enim ſignificatur bonum, & per eſſe ſuper domo ſeu ſuper tecto ſtatus cum homo in bono eſt; per cadere inde ſignificatur relapſus ad priorem ſtatum; & per ſanguines ſignificatur violentia tunc illata bono & vero, n: 375. 1005. 4735. 4978. 7317. 7326: per vineam ſignificatur Eccleſia apud hominem, per proventum vinea ſtatus veri, n: 9139; per ſemen tritici aut hordei ſtatus boni, n: 3941. 7605: per bovem etiam ſignificatur bonum, & per arare bove ſtatus ejus, n: 2781. 9135; ſimiliter per lanam, ac per induere veſtem ex lana, n: 9470: & per aſinum ſignificatur verum, n: 2781. 5741, & quoque per linum, n: 7601. 9959: ſed quomodo ulterius cum hoc arcano ſe habet, videatur explicatum in locis citatis, n: 9274.

10,185. Parietes ejus, quod ſignificet interiora, conſtat ex ſignificatione parietum ſeu laterum, quod ſint interiora; cum enim tectum ſignificat intimum, parietes, qui infra ſunt, ſignificant interiora: per interiora intelliguntur quæ infra intima & ſupra ultima ſunt, ita media. Quod parietes interiora ſignificent, eſt quia latera & pectus apud hominem ſignificant interiora; omnia enim repræſentativa in natura ſe referunt ad formam humanam, & ſecundum relationem ad illam ſignificant, n: 9496; ſicut domus, ſupremum ejus, quod vocatur textum, ſignificat ſimile quod caput; interiora quæ infra ſupremum ſunt, ſignificant ſimile quod pectus & latera; ac fundamentum ejus, ſimile quod pedes ac plantæ eorum: quod ita ſit, eſt quia univerſum cœlum refert unum hominem, & inde eſt influxus in univerſam naturam, nam mundus naturalis ex mundo ſpirituali exiſtit & ſubſiſtit; cum dicitur mundus ſpiritualis, intelligitur Divinum Domini quod ibi. Quod omnia in natura ſe referant ad formam humanam, conſtat etiam ex ſingulis in Regno vegetabili, veſtiuntur ibi omnia foliis, floreſcunt antequam pariunt fructus, & fructus ſunt ultimi fines, propter quos priora, & ad quos omnia ſpectant; folia enim ibi ſe referunt ad pulmones, & ſunt quaſi reſpirationis loco, nam illis mediis attrahitur ſuccus, quapropter arbor ſpoliata foliis non fert fructum; inde quoque eſt quod folia in Verbo ſignificent vera quæ fidei, n: 885, nam

similiter per ea subducitur vitale quo formatur bonum: florescentia ante fructum correspondet statui illius ætatis apud hominem quando conjugiale intrat animos, & lætificat illos, ita quando verum conjungitur bono; fructus autem correspondet ipsi bono, quod quantum maturescit sicut fructus, tantum se exserit in opera; inde est, quod fructus in Verbo significent opera charitatis; & quod florescentia ante fructum comparetur voci & gaudio sponsæ & sponsi; ita in reliquis: quapropter qui sapienter potest reflectere, animadvertet admodum clare, quod Paradisus cœlestis, repræsentetur in Paradiso terrestri, & inde quod omnia in natura se referant ad talia quæ in mundo spirituali sunt; & qui ulterius potest concludere, percipiet quod natura non ex se subsistat, sed per influxum ex cœlo, hoc est, ex Divino ibi; usque adeo, ut si communicatio auferretur, omnia telluris caderent in nihilum: quod ita sit, simplices capiunt, non ita sapientes mundi, causa est, quia simplices omnia illa tribuunt Divino, at sapientes mundi naturæ.

10,186. Et cornua ejus, quod significet exteriora, constat ex significatione cornuum, quod sint potentiæ veri ex bono, de qua supra n: 10,182; quod etiam sint exteriora, est quia in extremis seu ultimis est verum ex bono in sua potentia, n: 9836; & quia cornua altaris se etiam referunt ad brachia & manus apud hominem, per quæ etiam significatur verum in sua potentia in ultimis seu extremis, videantur citata n: 10,019, & n: 10,062. 10,076. 10,082.

10,187. Et facies limbum auri circumcirca, quod significet terminationem ex bono ne adeantur & lædantur a malis, constat ex significatione limbi, quod sit terminatio ne adeantur & lædantur a malis, de qua n: 9492; & ex significatione auri, quod sit bonum, de qua n: 9874. 9887. Quod limbus ex auro factus fuerit, erat quia repræsentabat clausuram ex bono; bonum enim non potest adiri a malis, nam mala non sustinent ullo modo sphæram boni; cum mala, hoc est, illi qui in malis sunt, seu qui ab inferno, in illam sphæram veniunt, quæ sphæra est sphæra cœli, dire anguntur, & quantum in illam sphæram intrant, tantum infernales cruciatus in se sentiunt, & fiunt inde sicut illi qui in agone mortis jacent, quapropter dejiciunt se actutum in infernum, & non audent amplius elevare caput: hæc causa est, quod qui in cœlo sunt, in tuto sint ab infestatione malorum quæ ab inferno: hoc intelligitur per Abrahami verba ad divitem in inferno, "*Inter nos & vos hiatus ingens firmatus est, ut qui volunt transcendere hinc ad vos, non possint, neque qui ibi ad nos transire,*" Luc: XVI: 26: & per hæc "*Dicent montibus & petris, ruite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super throno, & ab ira Agni,*" Apoc: VI: 16. Hosch: X: 8. Quod autem Verum attinet, hoc adiri potest a malis, ex causa quia mali pervertunt vera per sinistras interpretationes, & sic applicant ad favorem suarum cupiditatum: sed quantum boni in veris adest, tantum non adiri vera possunt. Inde constare potest, quam tutelam possunt habere in altera vita, qui solum in veris, quæ vocantur fidei, sunt, & non simul in bono: per bonum intelligitur charitatis erga proximum, & amor in Dominum, nam omnia bona inde sunt. Ex his

nunc

nunc patet, cur factus fuerit limbus circumcirca parietes altaris suffitus.

10,188. Et duos annulos auri facies ei de sub limbo, quod significet sphæram Divini Boni, per quam conjunctio & conservatio, constat ex significatione duorum, quod sint conjunctio, de qua n: 5194. 8423; ex significatione auri, quod sit bonum, de qua n: 9874. 9881; & ex significatione limbi, quod sit terminatio ne adeantur & lædantur a malis, de qua mox supra n: 10,187; ex his patet, quod per duos annulos auri desub limbo, significetur sphæra Divini Boni per quam conjunctio; quod etiam significetur conservatio, est quia per vectes annulis insertos portabatur, & per portare significatur conservatio, n: 9900. Quid sphæra Divini Boni hic paucis dicetur; sphæra Divini Boni implet universum cœlum, & quoque extendit se in infernum, nam se habet illa sicut sphæra caloris solis in mundo, qui in æstate penetrat etiam in loca tenebrosa, ubi non apparet Sol: sphæra illa Divina ab antiquis assimilata est circulis radiosis, in quorum medio Deus, & circumcirca angeli; qui itaque se duci patiuntur a Domino, ita qui recipiunt Divinum ab Ipso, tantum in sphæra Divini Boni sunt quantum recipiunt; qui autem non recipiunt, quidem in eadem sphæra sunt, sed tantum interiora apud illos occlusa sunt, ut non sentiant influxum; nam qui in inferno sunt, in externis sunt & non in internis; exhalant etiam ab externis eorum mala & inde falsa, quæ apparent circum illos sicut fumosum ex fornace, inde sphæra Divini Boni externa ibi hebetatur, remanente usque interna, quæ non recipitur, quia pro illa clausum est, sed usque Dominus per illam regit inferna. Quod sphæra Divini Boni sit, quæ procedit a Domino, est quia Sol cœli, qui est Dominus, est ipse Amor Divinus, nam hic ita apparet; calor inde procedens est bonum amoris, & lux inde procedens est verum fidei; inde in Verbo per Solem intelligitur Amor Divinus, per ignem & calorem bonum amoris, & per lucem verum fidei. Præterea ab unoquovis angelo procedit sphæra ex amore ejus, etiam ex quovis spiritu bono & malo secundum eorum amores; sed sphæræ ex illis procedentes non longe se extendunt; sphæra autem Divina in universum, nam ex intimo procedit, & intimum est omne in omnibus quæ inde succedunt; de sphæris illis videantur quæ prius partim etiam ab experientia ostensa sunt, n: 1048. 1053. 1316. 1504 ad 1512. 1695. 2401. 4464. 5179. 6206 fin: 7454. 8598 ad 8613. 8063. 8630. 8794. 8797. 9490. 9491. 9492. 9498. 9499. 9534. 9606. 9607.

10,189. Super duabus costis ejus, quod significet cum veris ab una parte, nempe conjunctio, & per illa conservatio, constat ex significatione costarum, cum per illas intelliguntur latera, quod sint vera; nam latera, quæ costæ vocantur, spectant meridiem & septentrionem, & per meridiem significetur verum in luce, n: 9462, & per septentrionem verum in umbra, n: 3708; at per latera, quæ proprie latera vocantur, significatur bonum, quoniam illa spectant orientem & occidentem, & per orientem significatur bonum in claro, & per occidentem bonum in obscuro, n: 3708. 9653; ideo hic dicitur, "Duos annulos auri facies ei desub limbo, *super duabus costis ejus facies, super duobus lateribus ejus.*" Quod latera, quæ proprie latera, spectent orientem

&

& occidentem, at latera, quæ costæ dicuntur, spectent meridiem & septentrionem, patet in Exodo Cap: XXVI: 13. 26. 27. 35: etiam per costas, quia sunt fulcimina pectoris, significantur vera sustentantia bonum. In cœlo autem ita se habet; ad dextram ibi sunt illi qui in luce veri sunt, ita qui in meridie; ad sinistrum autem illi qui in umbra veri, ita qui in septentrione; ante faciem sunt illi qui in clara perceptione boni, ita qui in oriente; ad tergum autem qui in obscura perceptione boni, ita qui in occidente; hi qui in bono sunt, constituunt Regnum cœleste Domini; illi autem qui in vero sunt, constituunt Regnum spirituale Domini: hæc apparentia est angelis ibi quocunque se vertunt, nam angeli ante faciem jugiter habent Dominum, Qui est Ipse Oriens; contrarium autem est illis qui in inferno sunt, nam hi ad tergum jugiter habent Dominum; nam in altera vita non sunt plagæ, sicut in mundo, determinatæ ad statas regiones, sed secundum status & regnantes amores; angelus enim & spiritus est suus amor, & ubi ille est, illuc se vertit: qui in amore in Dominum sunt, & in charitate erga proximum, & inde in fide, spectant ante se Dominum in omni versione sui corporis cum sua facie; Dominus enim illos ad se vertit, intrat enim per viam orientis in illos, & tenet illos jugiter in determinatione ad se; inde visus externus illorum determinatus a visu interno, qui est intellectus, & hic ab amore qui est voluntatis, spectat quo fert amor: similiter se habet cum hominibus in mundo quoad interiora eorum, quæ sunt spiritus eorum: ex versione cujusvis etiam internoscuntur omnes in altera vita. Quod spatia & loca in altera vita non aliter se habeant, & quod inde significent status, videatur n: 2625. 2837. 3256. 3387. 4321. 4882. 5604. 7381. 9440. 9967. 10,146.

10,190. Facies super duobus lateribus ejus, quod significet cum bono ab altera, nempe conjunctio, & per id conservatio, constat ex illis, quæ nunc supra n: 10,189, dicta & ostensa sunt. Ex illis etiam constare potest, quomodo se habet cum sphæra Divina circumcirca, quod nempe sphæra boni amoris sit a Domino ut sole ab oriente usque ad occidentem, & sphæra veri ex bono a meridie ad septentrionem; ita sphæra Divini Boni in medio est sicut axis, & sphæra Divini Veri inde procedentis utrinque a lateribus, a dextris & sinistris.

10,191. Et erit ad receptacula vectibus, quod significet potentiam veri ex bono ibi, constat ex significatione receptaculorum seu annulorum, nam hi erant receptacula, quod sint sphæra Divina, de qua mox supra n: 10,188; & ex significatione vectium, quod sint potentia veri ex bono, de qua n: 9496.

10,192. Ad portandum illud in illis, quod significet inde conservationem in statu constat ex significatione portare, quod sit continere in statu boni & veri, ita existere & subsistere, de qua n: 9500. 9737, ac conservare, n: 9900.

10,193. Et facies vectes lignis Schittim, quod significet potentiam ex bono amoris Domini, constat ex significatione vectium, quod sit potentia, de qua n: 9496; & ex significatione lignorum Schittim, quod sint bonum amoris Domini, de qua supra n: 178.

10,194. Et obduces illos auro, quod significet fundationem omnium super bono, constat ex significatione obducere auro, quod sit fundare super bono, de qua n: 9490. Quid sit fundari super bono, paucis dicetur; creditur a quibusdam, quod verum sit super quo omnia fundantur, sed vade falluntur; non enim datur apud hominem verum, nisi ille in bono sit; verum quod apud hominem est absque bono, est externum absque interno, ita sicut putamen absque nucleo, residet solum in memoria; hoc verum potest assimilari picturæ sive floris, sive arboris, sive animalis, intus in qua est modo lutum; at verum ex bono non modo residet in memoria, sed etiam irradicatum est vitæ, & assimilari potest ipsi flori, aut arbori, aut animali, quorum perfectio crescit versus interiora, nam quod a Divino creatum est, quo interius eo perfectius: hoc constare admodum manifeste potest ex repræsentativis in altera vita; repræsentativa ibi sistuntur secundum status interiorum apud spiritus, sunt enim correspondentiæ; circa spiritus, qui in veris sunt ex bono, apparent repræsentativa pulcherrima, nempe domus & palatia fulgurantia auro & lapidibus pretiosis, ut & horti ac paradisi ineffabili pulchritudine; hæc omnia ex correspondentia: at circum illos qui in veris sunt, & non ex bono, non apparent nisi quam petrosa, scopuli & stagna, & quandoque arboreta, sed inamæna ac sterilia; hæc quoque ex correspondentia: circum illos autem, qui in falsis sunt ex malo, apparet paludes, latrinæ, & plura monstrosa; causa quod ita sit, est quia omnia repræsentativa ibi sunt externa figurata secundum status interiorum, nam sic mundus spiritualis se sistet ibi visibilem. Inde constare potest, quid sit fundari super bono.

10,195. Et dabis illud ante velum, quod super arca Testimonii, quod significet in cœlo interiori ubi id conjungitur cœlo intimo, constat ex significatione veli, quod inter sanctum & sanctum sanctorum ante arcam, quod sit medium uniens Cœlum secundum & tertium, de qua n: 9670. 9671; & ex significatione arcæ testimonii, quod sit cœlum intimum, de qua n: 9485. Quod Tentorium cum loco intra velum, & extra velum, & cum atrio, repræsentaverit tres cœlos, videatur n: 9457. 9481. 9485. 9741.

10,196. Ante propitiatorium quod super testimonio, quod significet ubi auditio & receptio omnium cultus ex bono amoris a Domino, constat a significatione propitiatorii, quod sit auditio & receptio omnium cultus ex bono amoris a Domino, de qua n: 9506; & ex significatione Testimonii, quod sit Dominus quoad Verbum, de qua n: 8535. 9503, ita quoad Divinum Verum, nam Dominus quoad Divinum Verum est Verbum, n: 9987. Paucis hic dicetur de Divino Bono & Divino Vero; Dominus quoad Ipsum Divinum quod Pater vocatur, & quoad Divinum Humanum quod Filius, est Ipse Divinus Amor, ita Ipsum Divinum Bonum; at Dominus ut Cœlum, quod est infra Dominum ut Solem, est Divinum Verum; sed Divinum hoc Verum in se habet Divinum Bonum accommodatum receptioni angelorum & spirituum; hoc Divinum est quod vocatur Spiritus Jehovæ & Sanctum: quod hoc dicatur Divinum Verum, & non Divinum Bonum, est quia angeli & spiritus sunt creati, & inde sunt receptiones Divini Veri procedentis ex Divino Bono,

Bono, gaudent illi sicut homines binis facultatibus, nempe intellectu & voluntate, ac intellectus formatus est ad recipiendum Divinum Verum, ac voluntas ad recipiendum Divinum Bonum; intellectus illis inservit ad receptionem, & quoque ad perceptionem. Idea hujus rei a simplicibus capi potest ex comparatione cum sole mundi, & cum mundo inde existente; in sole mundi est ignis, sed quod procedit inde est calor & lux; quod non in ipso sole sit lux, cuivis notum esse potest, sed quod lux inde procedat; & quantum lux procedens a sole in se habet calorem, tantum vivunt & crescunt vegetabilia, & tantum hæc pariunt fructus & semina: hæc comparative dicta sunt, quoniam universa natura est theatrum repræsentativum Regni Domini; & est theatrum repræsentativum quoniam mundus naturalis per mundum spiritualem ex Divino exstitit, & perpetuo existit, hoc est, subsistit: inde est, quod in Verbo per Solem intelligatur Dominus quoad Divinum amorem; similiter per Ignem; & quod per Lucem intelligatur Dominus quoad Divinum Verum; ut Joh: i: 9. Cap: iii: 19. Cap: ix: 5. Cap: xii: 46.

10,197. Quo conveniam te ibi, quod significet sic præsentiam & influxum Domini, constat ex significatione convenire, cum de Jehovah, quod sit præsentia & influxus Domini, de qua n: 10,147. 10,148.

10,198. Et suffiet super illo Aharon, quod significet elevationem cultus ex amore & charitate a Domino, constat ex significatione suffire, quod sit elevatio omnium cultus ex amore & charitate, de qua supra n: 10,177; & ex repræsentatione Aharonis, ut summi Sacerdotis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, & quoad opus salvationis, de qua n: 9806. 9966. 10,168. Quod suffire significet elevationem cultus, est quia ignis significabat bonum amoris, inde omnia quæ ex igne prodibant, significabant talia quæ procedunt ex amore; ex qua causa non modo lux, sed etiam fumus, repræsentabant; quod per ignem significetur bonum amoris, videatur n: 4906. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 10,055; quod etiam fumus repræsentaverit, constat apud Esaiam, "Creabit Jehovah super omne habitaculum Zionis nubem interdiu, ac *fumum & splendorem ignis flammæ noctu*," iv: 6: & apud Johannem, "*Impletum est Templum fumo* ex gloria Dei, & virtute Ipsius," Apoc: xv: 8: quod fumus suffituum sit elevatio precum, ita in genere elevatio omnium cultus, patet apud Eundem, "*Ascendit fumus suffituum ex precibus sanctorum*," Apoc: viii: 4.

10,199. Suffimentum aromatum, quod significet auditionem & receptionem gratam, constat ex significatione suffimenti, quod sit auditio & receptio omnium cultus quæ ex amore & charitate a Domino, de qua n: 10,177; & ex significatione aromatum, quod sint grata: quod aromata sint grata, est ex odore, nam odor significat perceptivum, inde suavis odor perceptivum gratum, & teter odor perceptivum ingratum: omnia enim quæ per organa sensoria percipiuntur ab homine, significant spiritualia quæ se referunt ad bonum amoris & ad vera fidei, sicut odor, gustus, visus, auditus, & tactus; inde odor significat perceptivum veri interioris ex bono amoris; gustus perceptionem & affectionem sciendi & sapiendi; visus intellectum verorum fidei;

fidei; auditus perceptivum ex bono fidei, & ex obedientia; & tactus in genere communicationem, translationem, & receptionem; causa quod ita sit, est quia omnes sensationes externæ trahunt originem ex sensationibus internis, quæ sunt intellectus & voluntatis, ita in homine ex veris fidei & ex bono amoris; nam hæc intellectuale & voluntarium hominis constituunt; at internæ sensationes, quæ sunt propriæ intellectus & voluntatis apud hominem, non illum sensum habent quem externæ, verum vertuntur in talia cum influunt; omnia enim, quæ ab homine sentiuntur per organa sensoria externa, ab internis influunt, nam omnis influxus est ab internis in externa, non autem vicissim, quoniam non datur influxus physicus, hoc est, influxus e mundo naturali in spiritualem, sed e mundo spirituali in naturalem; interiora hominis, quæ propria sunt ejus intellectus & voluntatis, in mundo spirituali sunt, & externa ejus, quæ sunt propria sensuum corporis, in mundo naturali sunt: inde etiam constare potest, quid correspondentia, & qualis illa. Quod odor in genere correspondeat perceptioni secundum quale rei, videatur n: 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4624 ad 4634. 10,054: quod gustus perceptioni & affectioni sciendi & sapiendi, n: 3502. 4791 ad 4805: quod visus intellectui verorum fidei n: 3863. 4403 ad 4421. 4567. 5114. 5400. 6805: quod auditus perceptioni boni fidei & obedientiæ, n: 3869. 4652 ad 4660. 7216. 8361. 9311. 9926: & quod tactus sit communicatio, translatio, & receptio, n: 10,130. Ex his patet, quod aromata significent talia quæ grate percipiuntur, qualia sunt quæ ex amore & charitate, in specie vera interiora, quia hæc inde sunt, constat ex his locis in Verbo; apud Esaiam, "*Loco aromatis tabes erit*, & loco cinguli discissio; & loco operis implexi calvities," III: 24, ibi agitur de filiabus Zionis, per quas significatur Ecclesia cœlestis, quæ Ecclesia est in veris interioribus ex bono amoris in Dominum; aroma ibi est verum interius, tabes privatio ejus; cingulum est conjunctio, ac discissio est dissipatio nexus & ordinis; opus implexum est verum scientificum, quod est verum exterius seu verum externi hominis, & calvities est deprivatio ejus; quod cingulum sit conjunctio ac vinculum ut omnia teneantur in nexu, ut ad unum finem spectent, videatur n: 9828; quod opus implexum sit verum scientificum, n: 2831; & quod calvities sit deprivatio ejus, n: 9960. Apud Ezechielem, "Aquila magna alis venit in Libanum, & inde ramusculum cedri deduxit in terram Canaanem, *in urbe aromatariorum* posuit caput ejus," XVII: 3. 4; agitur ibi in sensu interno de inchoamentis Ecclesiæ spiritualis, & ejus crescentia, & dein de ejus perversione & fine; per aquilam magnam alis significatur verum interius illius Ecclesiæ, n: 3901. 8764; alæ sunt vera exteriora, n: 8764. 9514; Libanon est Ecclesia illa; cedrus ibi est verum Ecclesiæ spiritualis; urbs aromatariorum est ubi doctrina veri interioris; quod urbes in Verbo significent doctrinas, videatur n: 402. 2450. 3216. 4492. 4493, urbs aromatoriorum dicitur ex veris interioribus. Apud Eundem, "Negotiatores Schebæ & Raamæ *per primarium aromatis*, & per omnem lapidem pretiosum & aurum, dederunt negotiationes suas," XXVII: 22; agitur ibi de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones

boni & veri; negotiatores sunt qui habent illas & communicant illas; Schebah & Raamah sunt qui in cognitionibus cœlestium & spiritualium sunt; primarium aromatis est quod gratum est ex veris interioribus; lapis pretiosus sunt ipsa illa vera; & aurum est bonum illorum; quod Tyrus sit Ecclesia quoad cognitiones boni & veri interiores, & in sensu abstracto ipsæ illæ cognitiones, videatur n: 1201; quod negotiatores sint qui habent illas, & communicant illas, n: 2967. 4453; quod Schebah & Raamah sint qui in cognitionibus cœlestium & spiritualium, n: 1171. 3240; quod lapis pretiosus sit verum interius, n: 9863, 9865. 9873. 9874; & quod aurum sit bonum illius, citata n: 9874. 9881. Inde patet, quid repræsentabatur per quod Regina Schebæ venisset Hierosolymam ad Salomonem, *Camelis portantibus aromata* & aurum, & lapidem pretiosum," 1 Reg: x: 1. 2: & quod sapientes ex orientalibus ad Jesum natum obtulissent *aurum, thus,* & myrrham," Matth: ii: 11. Quia aromata significabant vera interiora, ita quæ grata sunt, ideo suffimentum factum est aromaticum, ut & oleum unctionis, de quibus in sequentibus hujus Capitis. Per vera interiora intelliguntur illa vera quæ facta sunt vitæ & affectionis hominis, ita quæ intus apud illum sunt; non autem vera quæ solum in memoria sunt, & non facta vitæ, hæc vera vocantur vera externa respective, nam non sunt inscripta vitæ, sed solum memoriæ, resident enim in externo homine, & non in interno: vera fidei quæ inscripta vitæ sunt, ea in voluntate sunt, & quæ in voluntate, in interno homine sunt, nam per vera fidei aperitur internus homo, & fit communicatio cum cœlis: inde patet, quod vera interiora apud hominem sint quæ ex bono amoris & charitatis sunt; sive dicas voluntatem, sive amorem, idem est, quod enim voluntatis hominis est, hoc amoris ejus est; quapropter vera inscripta vitæ, quæ vocantur vera interiora, sunt quæ inscripta sunt amori, ita quæ voluntati, ex qua postea, cum in loquelam & in actum, procedunt; cœlum enim, in quo internus homo, qui apertus est, non immediate influit in vera, sed mediate per bonum amoris; cœlum autem non intrare potest apud hominem, quando internus homo clausus est, quoniam non ibi est aliquod bonum amoris quod recipit; quapropter apud illos, apud quos non homo internus per vera ex bono amoris & charitatis apertus est, influit infernum cum falsis ex malo, utcunque vera fidei, etiam interiora, solum in externo homine resident, hoc est, in memoria. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per vera interiora, quæ grata, & significantur per aromata, quod nempe quæ ex bono amoris & charitatis sunt.

10,200. In mane in mane, quod significet cum status amoris in claro est, constat ex significatione mane, quod sit cum status amoris in claro est, de qua n: 10.134; inde in mane in mane, seu singulis matutinis, est cum ille status. Quod in cœlis succedant status amoris & lucis, hoc est, boni & veri, continue, sicut in terris mane, meridies, vespera & diluculum, & sicut ver, æstas, autumnus, & hyems; prius aliquoties ostensum est; tum quod inde tempora illa diei & anni originem ducant; nam quæ in mundo existunt, sunt imagines rerum quæ in cœlis, ex causa quia omne naturale existit a spirituali,

hoc

hoc eſt, a Divino in cœlis: inde patet, quales ſunt variationes ſtatuum in cœlis, nam noſcuntur ex comparatione cum ſtatibus caloris & lucis in mundo; calor enim in cœlis eſt bonum amoris a Domino, & lux ibi eſt verum fidei a Domino. Quod tales ibi ſucceſſiones ſtatuum ſint, eſt cauſa ut angeli ibi continue perficiantur; ſic enim pertranſeunt omnes varietates boni & veri, ac imbuunt illa: differentiæ varietatum boni amoris & veri fidei ibi etiam ſe habent ſicut differentiæ caloris & lucis in ſingulis regionibus ſeu climatibus telluris, nempe aliter propius ad æquatorem, & aliter remotius ab illo utrinque; ac aliter unoquovis die cujuſvis anni, & quoque aliter unoquovis anno; nam prorſus ſimile ſeu idem nuſquam redit; proviſum enim eſt, ut non detur prorſus idem, tam in mundo ſpirituali quam in mundo naturali; inde perfectio continue creſcit.

10,201. In adornando lucernas ſuffiet illud, quod ſignificet cum verum etiam venit in ſuam lucem, conſtat ex ſignificatione lucernarum, quod ſint Divinum Verum, & inde intelligentia & ſapientia, de qua n: 9548. 9783; quod adornare ſeu accendere illas, ſit cum illa in ſuam lucem veniunt, patet; & ex ſignificatione ſuffire, quod ſit auditio & receptio omnium cultus, de qua ſupra n: 10,177. 10.192; inde conſtat, quod per ſingulis matutinis, cum adornarentur lucernæ, ſuffiretur, ſignificetur, quod auditio & receptio omnium cultus præcipue ſit, cum in ſtatu amoris claro ſunt, & inde in intelligentia & ſapientia veri. Dicitur inde in intelligentia & ſapientia veri, quoniam lux veri apud hominem prorſus ſe habet ſecundum ſtatum amoris ejus, quantum accenditur amor, tantum lucet verum, nam bonum amoris eſt ipſe ignis vitalis, & verum fidei eſt ipſa lux intellectualis, quæ eſt intelligentia & ſapientia; procedunt illa bina pari gradu. Per intelligentiam & ſapientiam non intelligitur facultas cogitandi & ratiocinandi de quacunque re, nam hæc datur æque apud malos quam apud bonos, ſed intelligitur facultas videndi & percipiendi vera & bona quæ fidei & charitatis, & quæ amoris in Dominum; hæc facultas non datur quam apud illos qui in illuſtratione ſunt a Domino, & tantum in illuſtratione ſunt, quantum in amore in Ipſum & in charitate erga proximum; intrat enim Dominus per bonum, ita per amorem & charitatem, quæ apud hominem, & ducit in vera bono correſpondentia; at cum alieni amores, ut qui verſi a Domino & proximo ad ſemet & mundum, tunc ducunt illi amores eum, ſed a veris in falſa, manente uſque facultate cogitandi & ratiocinandi; cauſa eſt, quia non in illuſtratione ſunt a Domino, ſed a ſemet & mundo, quæ illuſtratio eſt mera caligo in ſpiritualibus, hoc eſt, in illis quæ ſunt Cœli & Eccleſiæ; clauſus enim apud illos eſt internus homo, qui videt a luce cœli; & apertus eſt externus, qui videt ex luce mundi; atque videre aliquid ex luce mundi abſque influxu lucis e cœlo, eſt videre in caligine illa quæ cœli ſunt; imo quantum tunc accenderat homo per amores ſui & mundi lumen naturale, tantum ruit in falſa, conſequenter tantum exſtinguit vera fidei: inde eſt, quod eruditi mundi, qui in amore ſui ſunt, quibus major copia confirmandi falſa eſt, plus cæcutiant quam ſimplices. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod fides cujuſvis ſit ſicut ejus amor; utque intel-

ligatur quid sit quod verum veniat in suam lucem, cum amor in suum clarum, quæ significantur per quod suffiretur singulis mane, cum adornabantur lucernæ.

10,202. Et in ascendere faciendo Aharon lucernas inter vesperas suffiet illud, quod significet elevationem etiam in statu amoris obscuro cum etiam Verum est in sua umbra, constat ex significatione ascendere facere seu accendere lucernas, quod sit illustrare Divino Vero, & inde intelligentia & sapientia, de qua nunc supra n: 10,195; ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, & quoad opus salvationis, de qua n: 9806 9966. 10,068; ex significatione inter vesperas, quod sit status amoris obscurus, & inde status veri in umbra, de qua n: 10,134. 10,135; & ex significatione suffire, quod sit elevatio cultus, de qua supra n: 10,198; inde patet, quod per in ascendere faciendo lucernas inter vesperas Aharon suffiret, significetur elevatio omnium cultus a Domino in statu amoris obscuro, cum etiam verum est in sua umbra. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quæ mox supra n: 10,200. 10,201, dicta sunt; quod nempe status amoris in cœlis varientur sicut tempora diei & anni in mundo, & quod verum in sua luce sit sicut bonum in suo calore, hoc est, in suo amore; quapropter cum amor non ita in suo calore est, etiam nec verum in sua luce est. Quia ita est, dicitur adornare lucernas mane, & ascendere facere lucernas vesperi, nam ascendere facere est elevare & augere lucem veri tunc quantum fieri potest.

10,203. Suffimentum juge coram Jehovah, quod significet in omni cultu ex amore a Domino, constat ex significatione suffimenti, quod sit cultus ex amore, de qua n: 9475; ex significatione jugis, quod sit omne in omni, de qua n: 10,133; & ex significatione coram Jehovah, quod sit a Domino, de qua n: 10,146. Dicitur cultus ex amore a Domino, quoniam a Domino est & amor & fides, quæ essentialia cultus sunt, & quoque a Domino est elevatio omnium cultus ad se: homo qui non arcana cœli novit, putat quod cultus sit ab ipso, quia is cogitat & adorat; ast cultus qui ab ipso homine non est cultus, sed qui est a Domino apud hominem; amor enim & fides faciunt cultum, & cum amor & fides sunt a Domino, etiam cultus est ab Ipso; nec homo potest elevare aliquid a se in cœlum, sed Dominus elevat id; in homine solum est facultas ut id possit fieri, qua donatur cum regeneratur, n: 6148, at omne activum & vivum facultatis illius a Domino: quod ipsa vita sit a Domino, & quod homo & angelus sint formæ recipientes, videatur n: 1954. 2021. 2536. 2706. 3001. 3318. 3484. 3741. 3742. 3743. 4151. 4249. 4318. 4319. 4320. 4417. 4523. 4524. 4882. 5847. 5986. 6325. 6467. 6468. 6470. 6472. 6479. 9338.

10,204. In generationes vestras, quod significet in æternum illis qui in fide ex amore, constat ex significatione generationum, quod sint illa quæ fidei & amoris, de qua n: 613. 2020. 2584. 6239. 9042. 9079. 9845; & quod in generationes sit in æternum, n: 9789.

10,205. Non

10,205. Non ascendere facietis super illo suffimentum alienum, quod significet non cultum ex alio amore quam Domini, constat ex significatione suffimenti, quod sit cultus ex amore, de qua n: 9479; & ex significatione alieni, quod sit qui intra Ecclesiam est, & non agnoscit Dominum, de qua n: 10,112; inde patet, quod per non ascendere facietis suffimentum alienum, significetur quod cultus ex alio amore quam Domini, non sit cultus. Cum his ita se habet; agnitio, fides, & amor in Dominum, sunt principalia omnium cultus intra Ecclesiam, nam agnitio, fides, & amor, conjungunt; agnitio & fides conjungit ibi intellectuale, & amor voluntarium; & hæc bina faciunt totum hominem: qui itaque Dominum intra Ecclesiam agnoscit, non ei est aliqua conjunctio cum Divino, nam omne Divinum est in Domino, & a Domino; & cum non aliqua conjunctio est cum Divino, non est aliqua salus: inde est quod cultus ex alia fide, & ex alio amore quam Domini, non sit cultus. Aliter apud illos qui extra Ecclesiam sunt; ab illis, quia in ignorantia sunt de Domino, acceptatur usque cultus a Domino, cum illi ex religioso suo in aliqua charitate mutua vivunt, & in aliqua fide & in aliquo amore in Deum, quam plerique eorum colunt sub humana forma; illi etiam in altera vita, cum ab angelis informantur de Domino, quod sit ipsum Divinum in Humana forma, agnoscunt Ipsum; & quantum in bono vitæ fuerant, tantum ex fide & amore Ipsum colunt, videatur n: 2589 ad 2604.

10,206. Et holocaustum & mincham, quod significet quod non ibi repræsentativum regenerationis per vera & bona amoris cœlestis, constat ex significatione holocausti, quod sit repræsentativum purificationis a malis, implantationis boni & veri, ac conjunctionis eorum, ita regenerationis, de qua n: 10,042. 10,053. 10,057; & ex significatione minchæ, quod sit bonum cœleste, in quod introducitur homo per regenerationem, de qua n: 4581. 9992. 10,079. 10,137; & quoque repræsentativum regenerationis, n: 9993. 9994; inde patet, quod per quod non ascendere facerent holocaustum & mincham super altari suffitus, significetur, quod ibi non repræsentativum esset regenerationis per vera & bona fidei & amoris, sed repræsentativum cultus Domini ex illis; aliud enim est regeneratio, & aliud cultus; nam primum est regeneratio, & juxta ejus quale apud hominem est cultus; quantum enim homo purificatus est a malis & inde falsis, & tunc quantum implantata sunt vera & bona fidei & amoris, tantum cultus acceptatur & placet; per cultum namque intelligitur omne quod procedit ex amore & fide apud hominem, & elevatur ad Dominum a Domino: hoc quia complementum est, ideo altare suffitus, per quod repræsentabatur cultus, ultimo describitur; sequuntur enim omnia ordine secundum seriem quæ describuntur; nam primum describitur Testimonium, per quod intelligitur Dominus, dein arca in qua Testimonium, per quam significatur intimum cœlum ubi Dominus; postea Mensa super qua panes, per quam significatur bonum amoris inde; tum candelabrum, cum lucernis, per quod significatur Divinum Verum ex Divino Bono Domini procedens; dein ipsum tentorium, per quod significatur Cœlum & Ecclesia quæ

ex

ex illis; demum altare holocausti, per quod significatur regeneratio per vera ex bono, & ultimo altare suffitus, per quod significatur cultus ex omnibus illis in Cœlo & in Ecclesia.

10,207. Et libamen non libabitis super eo, quod significet non ibi repræsentativum regenerationis per vera & bona amoris spiritualis, constat ex significatione libaminis, quod sit repræsentativum regenerationis per vera & bona fidei & charitatis, de qua n: 10,137, quæ sunt vera & bona amoris spiritualis; amor enim in Dominum dicitur amor cœlestis, charitas autem erga proximum dicitur amor spiritualis; ille amor regnat in intimo cœlo, hic autem in medio & ultimo, videantur citata n: 9277. 9596. 9684.

10,208. Et expiabit Aharon super cornubus ejus, quod significet purificationem a malis per vera fidei quæ ex bono amoris, constat ex significatione expiare, quod sit purificatio a malis, de qua n: 9506; ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, & quoad opus salvationis, de qua n: 9806. 9966. 10,017; & ex significatione cornuum, quod sint potentiæ, de qua n: 10,182, & quoque exteriora, n: 10,186. Quod sit purificatio per vera fidei quæ ex bono amoris, erat quia expiatio fiebat per sanguinem, & per sanguinem significatur verum fidei quod ex bono amoris, n: 4735. 7317. 7326. 7846. 7850. 7877. 9127. 9393. 10,026. 10,033. 10,047; & omnis purificatio a malis fit per vera fidei quæ ex bono amoris, n: 2799. 5954 fin: 7044. 7918. 7089. Quod expiationes factæ fuerint sanguine super cornubus altaris holocausti & altaris suffitus, constat in Levit: Cap: IV: 3. 7. 18. 25. 30. 34. Cap: XVI: 18. Quod altaria sic expiarentur, erat causa, quia sancta polluebantur per peccata populi, populus enim repræsentabat Ecclesiam, quapropter illa quæ Ecclesiæ erant, & vocabantur Sanctuaria ejus, ut Altare & Tentorium, una cum illis quæ inibi, conspurcabantur, quando ipse populus peccabat; nam sanctuaria illa erant Ecclesiæ: hoc quoque constare potest apud Moschen, "Separabitis filios Israelis ab immunditie eorum ut non moriantur in immunditie sua, *in polluendo Habitaculum meum*, quod in medio eorum," Levit: XV: 31: & alibi, "*Expiabit Aharon sanctum ab immunditie filiorum Israelis*; ita expiabit Sanctuarium sanctitatis, & Tentorium Conventus, & Altare," Levit: XVI: 16. 33. Cum his ita se habet; illa quæ Ecclesiæ sancta vocantur, non sunt sancta nisi sancte recipiantur; nam nisi sancte recipiantur, Divinum non influit in illa, & omnia sancta apud hominem, non sunt sancta quam ex influxu Divino: sicut ædes sacræ, altaria ibi, Panis & Vinum pro sancta cœna, sancta fiunt unice per præsentiam Domini; quapropter si Dominus non ibi præsens esse potest ob peccata populi, sanctum abest, quia Divinum; etiam sancta Ecclesiæ prophanantur per peccata, quoniam removent inde Divinum. Hæc nunc causa est, quod sanctuaria dicantur polluta per immunditiem populi, & quod ideo quotannis expiarentur quod super cornubus altarium, & non super ipsis altaribus factæ fuerint expiationes per sanguinem, erat causa quia cornua erant extrema illorum, & nihil hominis purificatum est, nisi extrema purificata sint; extrema enim sunt in quæ influunt interiora, & secundum statum illorum

illorum fit influxus; quare si extrema fuerint perversa, pervertuntur inibi interiora, nam cum influunt se accommodant formæ recipientes interiorum ad statum illorum: se habet hoc, sicut cum oculus se male habet, tunc visus qui ab interiori venit, non videt aliter quam secundum statum oculi; aut sicut cum brachia se male habent, tunc potentiæ quæ ab interiori veniunt, non exserunt se aliter quam secundum illa; quapropter si naturalis homo perversus est, tunc spirituali non copia est in illum nisi perverse agendi; inde est, quod tunc spiritualis seu internus homo claudatur: sed videantur quæ de his prius ostensa sunt, nempe quod, ut homo purificatus sit, esse debeat purificatus quoad naturalem seu externum hominem, citata n: 9325 fin: ex causa quia omnis influxus est ab interno in externum, & non vicissim, n: 5119. 6322: est enim naturale hominis planum in quo terminatur influxus e mundo spirituali, n: 5651: quod externa hominis formata sint ut inserviant internis, n: 5947. 9216. 9828: ita internus homo omnino subjectus erit interno, n: 5786. 6275. 6284. 6299: ex causa, quia internus homo in cœlo est, & externus in mundo, n: 3167. 10,156: & ex externus homo ex se seu sibi soli relictus oppositus est interno, n: 3913. 3928. Præterea quid Internus homo & quid Externus, videatur n: 9701 ad 9709.

10,209. Semel in anno, quod significet perpetuo, constat ex significatione semel in anno, quod sit pro toto anno, nam expiatio super cornubus altaris suffitus semel in anno involvebat expiationem pro toto anno; & annus sicut omnia quæ temporis sunt, significat statum & ejus durationem, & quoque perpetuitatem; hic statum purificationis a malis per vera fidei, nam hic status significatur per expiationem super cornubus altaris suffitus semel in anno; & omnis purificatio a malis, seu regeneratio persistit non solum perpetuo in mundo, sed etiam perpetuo in altera vita. Quod annus significet perpetuum & æternum, videatur n: 2906 fin: 7828; & quoque heri, hodie, cras, & similia quæ temporis sunt, n: 2838. 3998. 4304. 6165. 6984. 9939: & quod purificatio a malis seu regeneratio persistat in æternum, citata n: 9334, & 10,048.

10,210. De sanguine peccati expiationum, quod significet per vera quæ ex bono innocentiæ, constat ex significatione sanguinis, quod sit Divinum Verum, de qua n: 4735. 4978. 7317. 7326. 7846. 7850. 9127. 9393. 10,026. 10,033. 10,047; ex significatione peccati expiationum, seu sacrificii peccati per quod expiatio, quod sit purificatio a malis & inde falsis; quod per peccatum intelligatur sacrificium pro peccato, videatur n: 10,039; & quod expiatio sit purificatio a malis & inde falsis, n: 9506: quod purificatio illa fiat per vera quæ ex bono innocentiæ, est quia sanguis, quo fiebat expiatio, erat ex juvenco vel agno, & per juvencum significatur bonum innocentiæ in externo homine, n: 9391. 9990. 10,132; & per agnum bonum innocentiæ in interno homine, n: 10,132; & innocentia erit, ut recipiatur verum & bonum, n: 3111. 3994. 4797. 6013. 6765. 7836 fin: 7840. 9262. 10,134, tum citata n: 10,021; Bonum enim innocentiæ est agnoscere, quod omnia vera & bona sint a Domino, & nihil a proprio hominis; ita est velle duci a Domino

mino & non a ſemet: inde patet, quod quo plus homo ſibi fidet & credit, ita quo plus eſt in amore ſui, eo minus in bono innocentiæ ſit; inde eſt, quod homo a malis purificari nequeat, niſi ſit in bono innocentiæ; nam ſi non in illo bono eſt, non ducitur a Domino, ſed a ſemet; & qui ducitur a ſemet, ducitur ab inferno, proprium enim hominis non eſt niſi quam malum, & omne malum eſt inferni. Quod omnis expiatio facta fuerit per ſanguinem vel Juvenci, vel Agni, vel Turturum ſeu pullorum columbarum, conſtat apud Moſchen, Exod: XXIX: 36. Levit: IV: 1 ad 7. 13 ad 18. 27 ad fin: Cap: V: 1 ad 7. Cap: XV: 14. 24. 28 ad 31. Num: VI: 9. 10. 11; per turtures & per pullos columbarum etiam ſignificatur bonum innocentiæ.

10,211. Semel in anno expiabit ſuper illo, quod ſignificet remotionem malorum perpetuam, conſtat ex ſignificatione ſemel in anno, quod ſit perpetuum, de qua ſupra n: 10,203; & ex ſignificatione expiare, quod ſit purificatio a malis & inde falſis, de qua n: 9506; & purificatio a malis non eſt niſi quam detentio ab illis, ſeu remotio illorum, videantur citata n: 10,057 fin:

10,212. In generationes veſtras, quod ſignificet qui ab Eccleſia in veris & bonis fidei, conſtat ex ſignificatione generationum, quod ſint illa quæ fidei & charitatis, de qua in citatis n: 10,194; quod ſint illi qui ab Eccleſia; eſt quia genuina vera & bona fidei & amoris dantur ſolum apud illos, nam apud illos eſt Verbum; & per filios Iſraelis, quorum generationes hic intelliguntur, ſignificatur Eccleſia, citata n: 9340.

10,213. Sanctum ſanctorum hoc Jehovæ, quod ſignificet quoniam ex Divino cœleſti, conſtat ex ſignificatione ſancti ſanctorum, quod ſit Divinum cœleſte, de qua n: 10,129; quid Divinum cœleſte, & Divinum ſpirituale, & quæ differentia, videantur citata n: 9277. 9596.

10,214. Verſ: 11 ad 16. *Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, Cum ſuſtuleris ſummam filiorum Iſraelis quoad numeratos illorum, & dabunt quiſque expiationem animæ ſuæ Jehovæ in numerando illos, & non ſit in illis plaga in numerando illos. Hoc dabunt omnis tranſiens ſuper numeratos, dimidium ſicli in ſiclo ſanctitatis, viginti oboli ſiclus, dimidium ſicli ſublatio Jehovæ. Omnis tranſiens ſuper numeratos a filio viginti annorum & ſupra, dabit ſublationem Jehovæ. Dives non dabit plus, & pauper non dabit minus, ex dimidio ſicli ad dandum ſublationem Jehovæ, ad expiandum ſuper animabus veſtris. Et accipies argentum expiationum a cum filiis Iſraelis, & dabis illud ad opus Tentorii conventus, & erit filiis Iſraelis ad recordationem coram Jehovah, ad expiandum ſuper animabus veſtris.* Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen, dicendo, ſignificat illuſtrationem per Verbum a Domino: cum ſuſtuleris ſummam filiorum Iſraelis, ſignificat omnia Eccleſiæ: quoad numeratos illorum, ſignificat quoad ordinationem & diſpoſitionem: & dabunt quiſque expiationem animæ ſuæ in numerando illos, ſignificat purificationem ſeu liberationem a malo per agnitionem & fidem quod omnia bona & vera fidei & amoris, & eorum ordinatio & diſpoſitio ſint a Domino, & nihil ab homine: & non ſit in illis plaga in numerando illos, ſignificat ne ſit pœna mali in faciendo bona ſicut a ſemet:

semet: hoc dabit omnis transiens super numeratos, significat addicationem omnium quæ fidei & amoris Domino: dimidium sicli in siclo sanctitatis, significat omnia veri ex bono: viginti oboli siclus, significat omnia boni: dimidium sicli sublatio Jehovæ, significat quod omnia veri ex bono sint solius Domini: a filio viginti annorum & supra, significat statum intelligentiæ veri & boni: dabit sublationem Jehovæ, significat addicationem soli Domino: dives non dabit plus, & pauper non dabit minus ex dimidio sicli ad dandum Jehovæ, significat quod omnes ex quacunque facultate sint, omnia veri & boni addicaturi sint Domino: ad expiandum super animabus vestris, significat ut removeantur mala: & accipies argentum expiationum a cum filiis Israelis, significat vera ex bono purificantia, quæ Ecclesiæ: & dabis illud ad opus Tentorii conventus, significat conjunctionem cum cœlo per agnitionem quod omnia vera & bona sint a Domino: & erit filiis Israelis ad recordationem coram Jehovah, significat sic conservationem Ecclesiæ & omnium Ecclesiæ a Domino: ad expiandum super animabus vestris, significat quoniam sic mala remota.

10,215. Et loquutus Jehovah ad Moschen, dicendo, quod significet illustrationem per Verbum a Domino, constat ex significatione loqui, cum a Jehovah ad Moschen, quod sit illustratio a Domino per Verbum, nam Jehovah in Verbo est Dominus, & per Moschen repræsentatur Verbum; per loqui enim significatur influxus, perceptio, & instructio, n: 2951. 5481. 5743. 5797. 7226. 7241. 7270. 8127. 8128. 8221. 8262. 8660, proinde etiam illustratio, nam illustratio est influxus, perceptio, & instructio a Domino cum legitur Verbum; quod Jehovah in Verbo sit Dominus, videantur loci citati n: 9373; & quod Moscheh sit Verbum in sensu repræsentativo, n: 9372. Quod hæc per loquutus Jehovah ad Moschen, significentur, est quia illa verba non similiter percipiuntur in cœlo sicut in terra; in cœlo enim percipiuntur verba secundum sensum internum, in terra autem secundum sensum externum, nam in cœlo omnia spiritualiter intelliguntur, in terra autem naturaliter; intellectus ille momentaneus est, absque cognitione quid intelligitur in sensu externo seu literali ab homine; talis est consociatio angelorum cœli cum homine, ex causa, ut omne cogitationis ejus ex spirituali mundo influat, & sic ut cogitatio ejus in prima sua origine sit spiritualis, & fiat in externo homine per influxum naturalis.

10,216. Cum sustuleris summam filiorum Israelis, quod significet omnia Ecclesiæ, constat ex significatione summæ, quod sit omne; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua citata n: 9340. Quod sint omnia Ecclesiæ, quæ per summam filiorum Israelis significantur, est quia sensus internus Verbi est qualis sensus ejus in cœlis; illuc non transeunt nomina, ut nomina Israel, Moscheh, Aharon, & plura, ea enim sunt inter res materiales, quæ solum pro corporeo sensuali homine sunt, at loco illorum percipiuntur res spiritualiter quæ sunt Cœli & Ecclesiæ; nam angeli cœli sunt spirituales, & quæ obveniunt, ea secundum essentiam suam, hoc est, spiritualiter capiant. Quod ibi pro filiis Israelis intelligant Ecclesiam, est

quia in intimo cœlo, ubi Dominus præsentior est quam in cœlis infra, per nomina in Verbo, in sensu bono, intelligitur Ipse Dominus, ut per Abrahamum, Isacum, Jacobum, Moschen, Aharonem, Davidem, Josephum, Jehudam, Israelem; & quia per illa intelligitur Dominus ibi, inde Divina, quæ Cœli & Ecclesiæ, quæ a Domino, secundum rerum series in Verbo, per eadem percipiuntur; perceptio a Domino, qui est Verbum, influit, nam a Domino est omne intelligentiæ & sapientiæ, & absque Ipso nihil.

10,217. Quoad numeratos illorum, quod significet quoad ordinationem & dispositionem, constat ex significatione numerare, cum de omnibus Ecclesiæ, quæ sunt vera & bona fidei & amoris, quod sit ordinatio & dispositio eorum, inde numerati sunt quæ ordinata & disposita sunt: quod numerare id significet, est quia numerare involvit lustrationem, & quod a Domino lustratur, hoc etiam ordinatur & disponitur; etiam vox, qua exprimitur hic numerare, in Lingua originali significat lustrare, censere, animadvertere, & quoque visitare, mandare, præesse, ita ordinare & disponere; quod hæ significationes isti voci sint, est quia unum involvit alterum in sensu spirituali, & sensus spiritualis est vocum sensus interior, qui pluries inest vocibus linguarum, præcipue orientalium. Quod numerare in sensu spirituali, in quo agitur de veris & bonis fidei & amoris, sit ordinare & disponere, constat etiam ex locis in Verbo, ubi numerare dicitur, & quoque ubi numerus; ut apud Esaiam, "Vox tumultus regnorum gentium congregatarum, *Jehovah Zebaoth numerans* (ordinans) *exercitum belli*," XIII: 4: apud Eundem, "Tollite in altum oculos vestros, & videte quis creavit hæc, *qui eduxit in numerum exercitum eorum*; omnes nomine vocat; de multitudine potentium & fortium robore vir non deest," XL: 26: apud Davidem, "*Jehovah qui numerat exercitum stellarum*, omnes nominibus vocat," Psalm: CXLVIII: 4; quod per numerare in his locis significetur ordinare & disponere, patet, nam agitur de Jehovah, hoc est, Domino, qui non numerat aliquem exercitum, nec stellas, sed ordinat & disponit illa quæ per exercitum & per stellas significantur, quæ sunt vera & bona fidei & amoris; non enim agitur de bellis in mundo naturali, sed de bellis in mundo spirituali, quæ sunt bella seu pugnæ verorum ex bono contra falsa ex malo; quod bella in spirituali sensu sint tales pugnæ, videatur n: 1664. 2686. 8273. 8295; quod exercitus sit vera & bona Ecclesiæ & Cœli, n: 7988. 8019; & quod stellæ sint cognitiones veri & boni, n: 2495. 2849. 4697. Cum notum est, quid significatur per numerare, & quid per filios Israelis, constare potest, quare non Davidi licuit numerare populum, & quare, postquam numeravit, Gad propheta ad illum missus denuntiavit pænam, 2 Sam: XXIV: 1 ad 15, & quare hic dicitur, quod quisque daret expiationem animæ suæ, *ne sit in illis plaga in numerando illos*; per filios enim Israelis significantur vera & bona Ecclesiæ, & per numerare significatur ordinare & disponere; & quia solius Domini est ordinare & disponere vera & bona fidei & amoris apud unumquemvis in Ecclesia & in Cœlo, ideo cum id ab homine fit, ut factum a Davide per

Joabum,

Joabum, tunc ſignificabat ordinationem & diſpoſitionem talium ab homine & non a Domino, quod non eſt ordinare & diſponere, ſed deſtruere: ſi numeratio filiorum Iſraelis non talia involviſſet, non aliquid peccati aut reatus fuiſſet in numerando illos. Quod per filios Iſraelis ſignificentur vera & bona ſpiritualia, quæ ſunt vera & bona Eccleſiæ & Cœli, videatur n: 5414. 5801: 5803. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. 5879. 5981. 7956. 8234. 8805, ſimiliter per Tribus, in quas filii Iſraelis diſtincti fuerunt, n: 3858. 3926. 4060. 6335. 6397: quia per filios Iſraëlis & per Tribus talia ſignificantur, & illa ſunt innumerabilia, ideo in Verbo dicitur de illis, "*Quod numerus eorum eſſet ſicut arena maris, quæ non menſurabitur, nec numerabitur,*" Hoſch: i: 10: *Quis numerabit pulverem Jacobi, & numerum Iſraelis,*" Num: xxiii: 10. Jehovah ad Abrahamum, "*Ponam ſemen tuum ut pulverem terræ, ut ſi poſſit numerare pulverem terræ, etiam futurum ut ſemen tuum numeretur,*" Geneſ: xiii: 10. Cap: xvi: 10: & alibi, "*Suſpice verſus cælum, & numera ſtellas, num potes numerare has, ſic erit ſemen tuum,*" Geneſ: xv: 5; quod per filios Iſraelis & per ſemen Abrahami non intellecta fuerit poſteritas ejus, ſed vera & bona ſpiritualia, quæ innumerabilia, & quoque quoad plurimam partem ineffabilia, conſtare poteſt ex eo, quod non major multitudo illorum fuerit, quam aliarum gentium, quod etiam teſtatur Moſcheh, "*Non propter multitudinem veſtram præ omnibus populis deſideravit Jehovah vos, ut eligeret vos, ſiquidem vos eſtis pauciores omnibus populis,*" Deut: vii: 7. Etiam per numerare ſignificatur ordinare & diſponere, apud Jeremiam, "In urbibus Hieroſolymæ ad Jehudæ adhuc tranſibunt greges *juxta manus numerantis,*" xxxiii: 13; greges ſunt quoque bona & vera Eccleſiæ, n: 6048. 8937. 9135; juxta manus numerantis, eſt juxta diſpoſitionem Domini. Apud Davidem, "Quis ſcit vehementiam iræ tuæ, *ad numerandum dies noſtros,* rectum notifica, ut induamus cor ſapientiæ," Pſalm: xcii: 12; numerare dies pro ordinare & diſponere ſtatus vitæ; & dies dicuntur numerati cum ordinati & diſpoſiti, ita cum finiti, ut apud Eſaiam, "Per emiſſionem dierum meorum abiturus ſum ad portas inferni; *numeratus ſum,* reſiduum annorum meorum," xxxviii: 10: & apud Danielem, "Scriptura apparuit coram Rege Belſchazare, *numeratus,* appenſus, & diviſus," v: 25, cum enim numerare ſignificat ordinare & diſponere, tunc numeratum ſignificat abſolutum, ſicut cum linea numeris ſubducta eſt, finito calculo. Quod per numerare ſignificetur ordinare & diſponere, eſt quia per numerum ſignificatur quale rei & ſtatus, & quale determinatur per numerum adjunctum, inde numerare eſt qualificare, & qualificatio rei in ſpiritualibus fit per ordinationem & diſpoſitionem a Domino; hoc ſignificatur per numerum apud Johannem, "Facit ut omnibus daret characterem ſuper manum dextram, aut ſuper frontes; & ut nemo poſſit emere aut vendere, niſi qui haberet characterem, aut nomen beſtiæ, *aut numerum nominis ejus;* hæc ſapientia eſt; qui habet intelligentiam, *computato numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt,* nempe *numerus ſexcenta ſexaginta ſex,*" Apoc: xiii: 16. 17. 18; agitur in hoc Capite de beſtia ex mari, & de beſtia ex terræ; per beſtiam ex mari intelligitur Verum

Ecclesiæ falsificatum per scientifica quæ e mundo, & per bestiam ex terra intelligitur verum Ecclesiæ falsificatum per sensum literalem Verbi applicatum ad favendum malis amorum sui & mundi, nam Terra est Ecclesia quoad bonum & verum, citata n: 9325; & mare est scientificum in communi, n: 28. 2850. 3120; habere characterem ejus super manum & super frontem, est agnoscere omnia qualiacunque sunt; frons enim significat amorem, n: 9936; & nomen significat omne quale ejus de quo agitur, n: 3006. 3421. 6674. 8274. 9310; computare numerum bestiæ, est explorare & scire vera illa Ecclesiæ falsificata; numerus hominis significat rem & statum illius Ecclesiæ; sexcenta sexaginta sex significant quale ejus quoad omnia vera falsificata & falsa ex malo, & quoque prophanationem sancti, ut & finem; illa scire & explorare est sapientis & intelligentis, quapropter dicitur, hæc sapientia est, qui habet intelligentiam computato numerum ejus; numerus enim sex significat idem cum numero duodecim; quia est dimidium ejus, n: 3960 fin: 7973. 8148; & duodecim significant omnia vera & bona Ecclesiæ in complexu, n: 2129 fin: 2130 fin: 3272. 3858. 3913. 7973, inde quoque in opposito sensu omnia falsa & mala in complexu; triplicatio numeri senarii involvit etiam finem, & finis est quando verum prorsus est prophanatum: ex his manifeste patet, quod numeri in Verbo involvant res & status, & significent quale secundum numeros determinatos; ut quoque in his apud Johannem, "Angelus mensus est murum sanctæ Hierosolymæ *centum quadraginta quatuor cubitorum*, quæ est *mensura hominis*, hoc est, *angeli*," Apoc: xxi: 17; etiam per numerum ibi determinatum significantur omnia vera & bona in complexu, nam centum quadraginta quatuor idem significant cum duodecim, n: 7973, exsurgat enim ex duodecim in se multiplicatis; quapropter etiam hic dicitur, quod mensura ejus sit mensura hominis, quemadmodum supra quod numerus ille sit numerus hominis; sed quia hic vera ex bono significantur, additur quod illa mensura etiam sit mensura Angeli, Angelus enim in Verbo significat vera ex bono, quoniam est recipiens Divini Veri a Domino, n: 8192.

10,218. Et dabunt quisque expiationem animæ suæ in numerando illos, quod significet purificationem seu liberationem a malo per agnitionem & fidem, quod omnia vera & bona fidei & amoris, & eorum ordinatio ac dispositio sint a Domino, & nihil ab homine, constat ex significatione dare expiationem animæ suæ, quod sit purificari seu liberari a malo per verum fidei, quod hic est agnoscere quod omnia vera & bona sint a Domino; & ex significatione numerare Israelem, quod sit ordinatio & dispositio illorum a Solo Domino, & non ab homine; quod hæc significentur, constat ex omnibus illis quæ hic dicuntur de dimidio sicli quod daretur Jehovæ, & de expiatione per illud in numerando populum; per siclum enim sanctitatis significatur verum quod solius Domini, per expiationem per illum significatur purificatio seu liberatio a malo, n: 5506; & per numerare filios Israelis, significatur ordinare & disponere omnia vera & bona Ecclesiæ, n: 10,217. Cum his ita se habet, prohibitum fuit numerare filios Israelis, quoniam per

numerare

numerare significabatur ordinare & disponere, & per filios Israelis ac per Tribus in quas distincti erant, significabantur omnia vera & bona fidei & amoris in complexu; & quia horum ordinatio & dispositio erat solius Domini, & non hominis, ideo numerare illos erat prævaricatio, qualis est apud illos qui sibi vindicant vera quæ fidei & bona quæ amoris, ac ordinationem & dispositionem illorum; qui quales sunt, notum est in Ecclesia; sunt enim illi qui semetipsos justificant per id quod sibi pro merito reputent omnia fidei & amoris, & consequenter credant se ex fide & ex operibus a semet mereri cœlum; hoc malum involvebat numeratio populi a Davide, de qua ita in Libro 2 Samuelis, "Addidit ira Jehovæ exardescere in Israelem; ideo "incitabat Davidem contra eos, dicendo, abi numera Israelem & Jehudam; "dixit itaque ad Joabum, pervagare omnes Tribus Israelis, & numerate "populum, ut noverim numerum populi: dixit Joabus ad regem, addat "Jehovah Deus tuus ad populum totidem totidemque centenis vicibus; at "Dominus meus Rex, cur desiderat verbum hoc: sed prævaluit verbum "Regis contra Joabum & contra principes exercitus; quare exiverunt ad "numerandum populum Israelem. Post percussit cor Davidis illum; quare "dixit ad Jehovam, peccavi valde quod feci; verumtamen Jehovah, transire "fac quæso iniquitatem servi tui, quia stulte egi valde. Sed missus est "Gad propheta ad Davidem, ut eligeret unum malum ex tribus; ac elegit pestem, qua mortui sunt viri ad septuaginta millia," XXIV: 1 seq: ex his patet, quam grande peccatum fuit, numerare Israelem; non quod numeratio in se spectata fuerit peccatum, sed quia, ut dictum est, numeratio filiorum Israelis a Davide significabat ordinationem & dispositionem omnium fidei & amoris a semet & non a Domino, ipsa numeratio ordinationem & dispositionem, ac filii Israelis omnia vera & bona fidei & amoris: ut itaque liberarentur a peccato in numerando filios Israelis, dabatur dimidium sicli pro expiatione; nam dicitur "*Dabunt quisque expiationem animæ suæ Jehovæ in numerando illos, ne sit in illis plaga in numerando illos:*" inde patet, quod per hæc verba significetur purificatio seu liberatio a malo per agnitionem quod omnia vera & bona fidei & amoris, ac eorum ordinatio & dispositio sint a Domino, & nihil ab homine. Quod ita sit, nempe quod omnia bona & vera fidei & amoris sint a Divino, & nihil ab homine, etiam notum est in Ecclesia; & quoque quod malum sit tibi tribuere illa; & quod liberati sint ab illo malo, qui agnoscunt & credunt, quod illa a Domino sint, nam sic nihil quod Divinum est, & quod ex Divino sibi vindicant; sed videantur quæ de his prius ostensa sunt; quod nempe, qui credunt bona ex se facere, & non a Domino, credant mereri cœlum, n: 9974; quod bona ex se & non ex Domino, non sint bona, quoniam qui bona ex se faciunt, ex malo faciunt, n: 9975. 9980: quod illi contemnant proximum; & quod irascantur ipsi Deo, si non mercedem accipiunt, n: 9976: quod tales cœlum in se non recipere possint, n: 9977: quod nequaquam pugnare possint contra inferna; at qui agnoscunt & credunt quod a Domino omnia bona & vera, quod Dominus pro illis pugnet, n: 9978: quod Solus Dominus sit Meritum

&

& Justitia, n: 9486. 9715. 9809. 9979 ad 9984. 10,019. 10,152.

10,219. Et non sit in illis plaga in numerando illos, quod significet ne sit pœna mali in faciendo bona sicut a semet, constat ex significatione plagæ, quod sit pœna mali, de qua sequitur; & ex significatione numerare filios Israelis, quod sit ordinare & disponere vera & bona fidei & amoris, de qua supra n: 10,217, ita facere illa; dicitur sicut a semet, quoniam bona quæ facit homo, facit sicut a semet, non aliter percipit, antequam in fide est ex amore; influunt enim bona a Domino, & recipiuntur ab homine, & quæ recipiuntur primum non aliter sentiuntur quam in ipso & ab ipso, nec percipitur quod a Domino, priusquam in cognitionem venit, ac postea in agnitionem ex fide; prius enim non reflectere potest, quod aliquid a Divino influat, & prorsus non percipere, hoc est, sentire in se, priusquam incipit velle & amare quod ita sit: se habet hoc, sicut ipsa vita apud hominem, ac sicut binæ vitæ facultates interiores, quæ sunt Intellectus & Voluntas; quis non credit, priusquam instructus est, quod vita sit in ipso, & sic quod inde agit sit a se; similiter intellectus & voluntas; cum tamen & vita in communi, ac intellectus & voluntas influunt, vera intellectus & bona voluntatis e cœlo a Domino, at falsa intellectus & mala voluntatis ab inferno; nam nisi spiritus & angeli sint apud hominem, per quos fit influxus, homo ne quidem uno momento vivere potest, proinde nec cogitare, nec velle, ut constare potest a multiplici experientia, de qua ad finem plurium Capitum, ubi de Influxu actum est; videantur loci citati n: 9223. 9276 fin: 9682.: quamdiu autem homo credit, quod omnia a se faciat, tam bona quam mala, tamdiu bona non afficiunt illum, & mala adhærent illi; at vero ut primum agnoscit & credit quod bona a Domino influant, & non a semet, & quod mala ab inferno, tunc bona afficiunt illum, & mala non adhærent illi; & quoque quantum bona afficiunt illum, tantum removentur mala, ita purificatur & liberatur ab illis: sed quamdiu talis status est hominis, ut non percipere ac sentire possit influxum bonorum a Domino, tamdiu facit bona sicut a semet, sed usque debet agnoscere & credere quod a Domino; quod cum fit, etiam liberatur a malis; ast ut liberetur a malis, agnitio illa non erit confessio solius oris, sed confessio ipsius cordis. Quod plaga sit pœna mali, constat absque explicatione; sunt tres plagæ, seu tres pœnæ, quæ sequuntur illos qui sibimet tribuunt vera & bona fidei & amoris, seu qui credunt mereri cœlum ex suis operibus, nam qui sibi illa tribuunt, etiam cœlum ex semet mereri credunt; tres pœnæ illæ sunt, 1. Quod non aliquid boni amoris & veri fidei recipere possint: 2. Quod mala & falsa illos jugiter persequantur: 3. Et quod vera & bona recepta ab infantia pereant; hæ tres pœnæ significantur per tres plagas, quæ Davidi per Gadem prophetam propter numerationem populi, proponebantur, quæ erant 1. septem annorum fames; 2. trium mensium fuga coram hostibus; 3. ac trium dierum pestis," 2 Sam: XXIV: 13; per famem enim significatur defectus & penuria bonorum & verorum quæ fidei & amoris, nam hæc per panem, cibum, triticum, hordeum, oleum, & vinum, quæ cum perstat fames, deficiunt, significantur:

nificantur: per fugam autem coram hostibus in sensu interno intelligitur persequutio a malis & falsis; qui enim sibi tribuunt bona & vera, illi non pugnare possunt contra mala & falsa, quæ ab inferno, n: 9978, quæ sunt hostes in spirituali sensu, coram quibus fuga, & a quibus persequutio: per pestem autem significatur vastatio & consumtio bonorum & verorum, quæ ab infantia recepta sunt, n: 7505: quod David elegerit pestem, ac per illam mortui fuerint ad septuaginta millia virorum, significabat quod apud gentem Israeliticam & Judaicam periturum omne verum & bonum fidei & amoris; quod etiam factum est, nam non agnoscebant Dominum, a quo tamen omnia bona & vera; tres dies significabant ad plenum, & quoque septuaginta millia virorum, qui mortui.

10,220. Hoc dabit omnis transiens super numeratos, quod significet addicationem omnium quæ fidei & amoris Domino, constat ex significatione dare, nempe expiationem animæ, quæ erat dimidium sicli, quod sit liberatio a malis per agnitionem quod omne fidei & amoris sit a Domino, & nihil ab homine, de qua supra n: 10,218; inde omnis transiens super numeratos, significat quicquid veri & boni quod ordinatur & disponitur a Domino; nam omnis transiens est omnis ex filiis Israelis, & per filios Israelis significantur omnia bona & vera spiritualia, n: 5414. 5801. 5803. 5812. 5817. 5819. 5826. 5833. 5879. 5981. 7956. 8234. 8805; & per numeratos significantur quæ ordinantur & disponuntur a Domino, n: 10,218.

10,221. Dimidium sicli in siclo sanctitatis, quod significet omnia veri ex bono, constat ex significatione dimidii, quod sint omnia, & ex significatione sicli, quod sit verum ex bono: quod dimidium sint omnia, est quia dimidium sicli erant decem geræ seu obuli, & per decem significantur omnia, n: 4638, & quoque reliquiæ, n: 576. 1906. 1988. 2284, quæ sunt vera & bona apud hominem in interioribus ejus a Domino recondita, n: 5135. 5342. 5897. 5898. 7560. 7564: quod siclus sit verum ex bono, est quia siclus erat pondus argenti & quoque auri, & per argentum significatur verum, & per aurum bonum; quantum autem veri ex bono, ac boni per verum, determinatur per numerum gerarum seu obulorum sicli; ac siclus in se ut pondus spectatus est quantum; & cum dicitur siclus sanctitatis est quantum veri & boni, nam verum & bonum sunt quæ dicuntur sancta, quoniam sunt a Domino qui solus Sanctus: plura de siclo & de ejus significatione, videantur n: 2959.

10,222. Viginti oboli siclus, quod significet omnia boni, constat ex significatione viginti, quod etiam sint omnia, & quod sint reliquiæ boni, ut & sanctum; quod sint omnia & inde plenum, videatur n: 9641; quod sint reliquiæ boni, n: 2280; & quod sint sanctum, n: 4759. 7842. 7903; viginti enim, cum de Domino, significant Proprium Ipsius, quod est Ipsum Sanctum, n: 4176; inde patet, cur siclus fuerit viginti gerarum seu obolorum, & cur dicitur sit siclus sanctitatis, ut hic & alibi, ut Levit: XXVII: 3. Num: III: 47. 50. Cap: VII: 13. 19. 25. 31. 37. 48. 49. 55. 61. 67. 73.

Cap: XVIII: 16; quod ficlus effet & pondus & argenti & auri, Genef: XXIV: 22. Exod: XXVIII. 24. Ezech: IV: 10. XLV: 12.

10,223. Dimidium ficli fublatio Jehovæ, quod fignificet quod omnia veri ex bono fint folius Domini, conftat ex fignificatione dimidii ficli, quod fint omnia veri ex bono, de qua fupra n: 10,221; & ex fignificatione fublationis Jehovæ, quod fint quæ folius Domini, de qua n: 10,093.

10,224. Omnis tranfiens fuper numeratos, quod fignificet quod omnia vera & bona addicanda foli Domino, conftat ex illis quæ fupra n: 10,220, oftenfa funt.

10,225. A filio viginti annorum & fupra; quod fignificet ftatum intelligentiæ veri & boni, conftat ex fignificatione viginti, cum dicuntur de ætate hominis, quod fint ftatus intelligentiæ veri & boni: quod viginti fint ftatus intelligentiæ veri & boni, eft quia homo, cum ad viginti annos pervenit, incipit a fe cogitare; homo enim a prima infantia ad ultimam fenectam fubit plures ftatus quoad fua interiora, quæ funt intelligentiæ & fapientiæ; *Primus* ftatus eft a nativitate ad annum ætatis ejus quintum; is ftatus eft ftatus ignorantiæ, ac innocentiæ in ignorantia; & vocatur Infantia: *Alter* ftatus eft ab anno ætatis quinto ufque ad vigefimum; is ftatus eft ftatus inftructionis & fcientiæ, & vocatur pueritia: *Tertius* ftatus eft ab anno ætatis vigefimo ad fexagefimum, qui ftatus eft ftatus intelligentiæ, & vocatur adolefcentiæ, juventus, & virilitas: *Quartus* ftatus feu ultimus eft ab anno ætatis fexagefimo & fupra, qui ftatus eft ftatus fapientiæ, ac innocentiæ in fapientia: hi ftatus vitæ hominis fucceffivi per numeros annorum ætatis, "Quinque, Viginti, & Sexaginta, fignificantur apud Mofchen, "Quando quis fingulare fecerit votum, erit æftimatio maris *a filio viginti annorum ufque ad filium fexaginta annorum*, quinquaginta ficli argenti; fi fæmina erit æftimatio triginta ficli. *A filio autem quinque annorum ufque ad filium viginti annorum*, erit æftimatio, fi mafculus, viginti ficli, fi fæmina, decem ficli. *A filio autem menfis ufque ad filium quinque annorum* erit æftimatio mafculi quinque ficli, fæmelæ tres ficli: *a filio autem fexaginta annorum & fupra*, erit æftimatio quindecim ficli, fæminæ autem decem ficli," Levit: XXVII: 2 ad 7. Quod Primus ftatus fit ftatus ignorantiæ, & quoque innocentiæ in ignorantia patet; quando hic ftatus perfiftit, tunc interiora formantur ad ufum, proinde non patent, fed modo maxime externa, quæ funt fenfualis hominis; hæc fola cum patent, eft ignorantia; nam quicquid homo intelligit & percipit, eft ex interioribus; inde quoque conftare poteft, quod innocentia, quæ tunc eft, & vocatur innocentia infantiæ, fit innocentia maxima externa. Quod Secundus ftatus fit ftatus inftructionis & fcientiæ, etiam patet; is ftatus nondum eft ftatus intelligentiæ, quia puer tunc non concludit aliquid ex fe nec difcernit inter vera & vera, ne quidem inter vera & falfa, a fe, fed ex aliis; cogitat modo & loquitur res memoriæ, ita ex fola fcientia, nec videt & percipit num ita fit, nifi ex fide magiftri, proinde quia alius fic dixit. Tertius autem ftatus vocatur ftatus intelligentiæ, quoniam tunc homo cogitat a fe, ac difcernit & concludit;

2

concludit; & quod tunc concludit ejus est & non alterius; hoc tempore incipit fides, nam fides non est fides ipsius hominis, antequam is ex propriæ cogitationis ideis confirmavit quod credit, prius & fides non ejus, sed alterius in se, nam credidit personæ non rei; inde constare potest, quod status intelligentiæ tunc incipiat apud hominem, cum non ex magistro sed ex se cogitat; quod non prius fit, quam cum interiora versus cœlum aperiuntur: sciendum est, quod exteriora apud hominem sint in mundo, ac interiora in cœlo; & quod quantum lucis influit e cœlo in illa quæ sunt ex mundo, tantum homo intelligat & sapiat; hoc fit quantum & qualiter interiora aperta sunt; ac tantum aperiuntur, quantum homo vivit cœlo & non mundo. Ultimus autem status est status sapientiæ, ac innocentiæ in sapientia; qui est quando homo non amplius curat intelligere vera & bona, sed velle illa & vivere illa; hoc enim est sapere; ac tantum potest homo velle vera & bona ac vivere illa, quantum in innocentia est, hoc est, quantum credit quod nihil ex se sapiat, sed quicquid sapit, sit ex Domino; tum quantum amat quod ita sit; inde est quod hic status etiam sit status innocentiæ in sapientia. Ex successione horum statuum, homo qui sapit, etiam videre potest Providentiæ Divinæ mirabilia, quæ sunt, quod prior status sit planum sequentium continue, & quod procedat aperitio seu reclusio interiorum ab extremis usque ad intima successive; & tandem ita, ut quod primum fuit, sed in extremis, hoc etiam ultimum sit, sed in intimis, nempe ignorantia & innocentia; qui enim scit, quod ex se ignoret omnia, & quicquid scit, id a Domino sit, is in ignorantia sapientiæ est, & quoque in innocentia sapientiæ. Ex his nunc constare potest, quid sit status intelligentiæ, qui significatur per Viginti, cum is numerus prædicatur de ætate hominis. Simile etiam per illum numerum intelligitur alibi in Verbo; ut apud Moschen, "Tollite summam omnis congregationis *a filio viginti annorum & supra*, omnem exeuntem in exercitum in Israele," Num: i: 2. 3. 18 seq: agitur ibi de castrametatione & profectione filiorum Israelis secundum Tribus, & per illam etiam significatur ordinatio & dispositio verorum & bonorum fidei & amoris a Domino; per castrametationem ordinatio & dispositio, n: 4236. 8103 fin: 8130. 8131. 8155; & per Tribus bona & vera fidei & amoris in omni complexu, n: 3858. 3926. 3939. 4060. 6335. 6337. 6397; inde per filium viginti annorum & supra, intelliguntur qui in statu intelligentiæ sunt, nam apud illos ordinari & disponi vera & bona fidei & amoris a Domino possunt, influit enim Dominus in eorum intellectuale & voluntarium, ac ordinat & disponit; & quoque falsa & mala removet ac dejicit; ideo dicitur a filio viginti annorum & supra *omnis exiens in exercitum*, nam per exercitum significantur vera eo ordine disposita, ut non timeant falsa & mala, sed repellant illa si impugnant; quod talia per exercitum in sensu interno intelligantur, videatur n: 3448. 7236. 7988. 8019; apud illos autem, qui non in statu infantiæ & pueritiæ sunt, ita qui infra viginti annos, vera & bona non ita ordinata sunt, ut exire possint in exercitum ac in militiam, quoniam, ut supra dictum est, nondum aliquid ex se discernunt & concludunt, proinde nondum aliquid

falsi aut mali per rationale discutere possunt, & qui hoc non possunt, nec in pugnas mittuntur; quapropter homo non prius in tentationes, quæ sunt pugnæ spirituales contra falsa & mala, admittitur, quam cum in statu intelligentiæ est, hoc est, cum sui judicii est, n: 3928. 4248. 4249. 8963. Simile per ætatem viginti annorum & supra, significatur alibi apud Moschen, "Dixit Jehovah ad Moschen & Eleazarem; tollite summam totius concionis filiorum Israelis, *a filio viginti annorum & supra*, omnem exeuntem in militiam in Israele," Num: XXVI: 2. 3; per exire in militiam in spirituali sensu significatur exire in pugnas contra falsa & mala quæ ab inferno. Qui non scit, quod filius viginti annorum & supra, significet statum intelligentiæ, seu illos qui in eo statu sunt, nec scire potest, cur dictum, cum murmurarent contra Jehovam, *morerentur in deserto a filio viginti annorum & supra* "omnes qui ascenderunt ex Ægypto," Num: XIV: 29. Cap: XXXII: 10. 11; qui enim in eo statu intelligentiæ sunt, ut ex se discernere, concludere, & judicare possint, in culpa sui mali sunt, non autem qui nondum in eo statu sunt: inde etiam patet, quod per viginti annos, cum de ætate prædicantur, significetur status intelligentiæ, seu status judicii. At per numerum viginti aliud significatur, cum de re alia, videatur supra n: 10,222.

10,226. Dabit sublationem Jehovæ, quod significet addicationem soli Domino, constat ex significatione sublationis Jehovæ, quod sit quod solius Domini, de qua n: 10,093, quæ quod sint omnia vera & bona fidei & amoris, & eorum ordinatio ac dispositio, patet ab illis quæ præcedunt.

10,227. Dives non dabit plus, & pauper non dabit minus ex dimidio sicli, ad dandum Jehovæ, quod significet quod omnes ex quacunque facultate sint, æque omnia veri ex bono addicaturi sint Domino, constat ex significatione divitis, quod sit qui abundat veris & bonis, ac eorum cognitionibus, de qua sequitur; ex significatione pauperis, quod sit qui non abundat illis, de qua etiam sequitur; ex significatione non dare plus & non dare minus, quod sit æque omnes; ex significatione dimidii sicli, quod sint omnia veri ex bono, de qua n: 10,221; & ex significatione dare Jehovæ, quod sit addicare Domino, per Jehovam enim in Verbo intelligitur Dominus, videantur citata n: 9373; ex his patet, quod per dives non dabit plus, & pauper non dabit minus, ex dimidio sicli ad dandum Jehovæ, significetur quod omnes ex quacunque facultate sint, æque omnia veri ex bono addicaturi sint Domino. Cum his ita se habet; omnibus est facultas intelligendi & sapiendi, sed quod unus præ altero sapiat, est quia non similiter addicant Domino omnia intelligentiæ & sapientiæ, quæ sunt omnia veri & boni; qui addicant Domino omnia, illi sapiunt præ reliquis, quoniam omnia veri & boni, quæ faciunt sapientiam, influunt ex cœlo, hoc est, ex Domino ibi; addicatio omnium Domino aperit interiora hominis versus cœlum, agnoscitur enim sic quod nihil veri & boni a semet sit, & quantum id agnoscitur, tantum amor sui decedit, & cum amore sui caligo ex falsis & malis, tantum etiam homo in innocentiam venit, ac in amorem & in fidem in Dominum; inde conjunctio cum Divino, influxus inde ac illustratio; ex his patet, unde est, quod unus

plus

plus & alter minus sapiat, ac quoque cur dives non dabit plus ac pauper minus, ut nempe omnibus æque facultas sapiendi sit; non quidem est omnibus æqua facultas sapiendi, sed est æque, quoniam sapere potest unus & alter. Per facultatem sapiendi non intelligitur facultas ratiocinandi de veris & bonis ex scientiis, ita nec facultas confirmandi quicquid lubet; sed facultas perspiciendi quid verum & bonum, eligendi quod convenit, ac applicandi usibus vitæ; qui addicant omnia Domino, illi perspiciunt, eligunt, & applicant; qui autem non addicant Domino, sed sibi, illi sciunt solum ratiocinari de veris & bonis; nec vident quicquam nisi quæ aliorum sunt, non ex ratione sed ex activo memoriæ; quoniam introspicere in ipsa vera nequeunt, stant foris, & confirmant quicquid accipiunt, sive verum sit sive falsum; qui ex scientiis eruditius hoc facere possunt, præ aliis a mundo creduntur sapere; sed quo plus sibi tribuunt omnia, ita quo plus amant quæ ipsi ex se cogitant, eo magis insaniunt, confirmant enim falsa præ veris, & mala præ bonis; non enim aliunde lucem habent, quam a fallaciis & apparentiis quæ in mundo sunt, & inde a suo lumine, quod lumen naturale vocatur, separato a luce cœli, quod lumen cum separatum est, quoad vera & bona quæ cœli sunt, est mera caligo. Quod divitiæ & opes sint illa quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, proinde etiam cognitiones veri & boni, quæ etiam opes & divitiæ spirituales vocantur, constat a locis in Verbo ubi nominantur; ut apud Esaiam, "Visitabo super fructum superbiæ regis Aschuris, ideo quod dixit, in virtute manus meæ feci, & per sapientiam meam, quia intelligens sum; unde removebo terminos populorum, & *thesauros eorum depopulabor*; inveniet sicut nidum manus mea *opes populorum*," x: 12. 13. 14, agitur ibi in sensu interno de illis qui fidunt suæ propriæ intelligentiæ, nec credunt quod vera sapientia e cœlo veniat, sed ex semet; rex Aschuris est ratiocinatio, hic ex propria intelligentia, n: 1186; inde depopulari thesauros & opes populorum est destruere illa quæ vera intelligentiæ & sapientiæ sunt. Apud Eundem, "Propheticum de bestiis meridiei; *portant super humero asinorum opes suas, & super dorso camelorum thesauros suos, ad Ægyptum*," xxx: 6. 7; bestiæ meridiei sunt qui intra Ecclesiam sunt, ita in luce veri ex Verbo, sed usque Verbum non legunt nisi solum propter scientiam, & non propter usus vitæ; meridies enim est ubi lux veri, ita ubi Verbum, n: 3195. 3708. 5672. 9642; asinus est scientia, & quoque camelus, ut & Ægyptus, quod asinus, videatur n: 5492. 5741. 7024; quod camelus n: 3048. 3071. 3143. 3145. 4156; & quod Ægyptus, citata n: 9391: quod hæc prophetica in spirituali sensu intelligenda sint, constare potest ex eo, quod absque illo sensu nemo sciat, quid sunt bestiæ meridiei, quid portare super humero asinorum opes suas, & super dorso camelorum thesauros suos, & hoc ad Ægyptum. Apud Eundem, "*Dabo tibi thesauros tenebrarum, & occultas opes latebrarum*, ut cognoscas quod Ego Jehovah," xlv: 3, thesauri tenebrarum & occultæ opes latebrarum sunt talia quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ cœlestis, quæ a naturali homine abscondita sunt. Apud Jeremiam, "Peccatum Jehudæ est scriptum stylo ferri: mons mi in agro, *facultates tuas, & omnes*

thesauros tuos in prædam dabo" xvii : 3 ; Jehudah dicitur mons in agro, qui apud illum erat repræsentativum Ecclesiæ cœlestis ; mons enim est amor Ecclesiæ cœlestis, n : 6435 ; & ager est Ecclesia, n : 2971. 3766. 7502. 9139. 9295 ; facultates & thesauri, quæ darentur in prædam, sunt omnia vera & bona Ecclesiæ, quæ dissiparentur. Apud Eundem, " Propter confidentiam tuam in operibus tuis, & *in thesauris tuis*, etiam tu capieris," xlviii : 7 ; thesauri etiam hic pro Ecclesiæ doctrinalibus & cognitionibus. Apud Eundem, " Gladie contra equos ejus, & contra currus ejus, & contra promiscuam turbam quæ in medio ejus ; *gladie contra thesauros ejus ut diripiantur* ; siccitas super aquas ut exarescant," l : 36. 37 ; hæc contra Chaldæos, per quos intelliguntur qui in cultu externo sunt absque interno, sic qui ore profitentur vera Verbi, sed corde negant ; gladius est falsum pugnans contra vera, n : 2799. 4499. 6353. 7102. 8294 ; equi sunt intellectuale, n : 2760. 2761. 2762. 3217. 5321 ; currus sunt illa quæ doctrinæ, n : 5321. 8215 ; thesauri qui diriperentur, sunt vera & bona Ecclesiæ, quæ per applicationem ad mala amorum sui & mundi perverterentur & perirent ; siccitas super aquis est deprivatio & consumtio verorum fidei, quod aqua sit verum fidei, videatur n : 2702. 3058. 3424. 4976. 8568. 9323 : quis non videre potest, quod sensus literalis non sit genuinus sensus istorum verborum ; nam quid sancti, aut quid Ecclesiæ, aut quid cœli, aut quis sensus inest his, quod gladius esset contra equos, contra currus, contra promiscuam turbam, contra thesauros, & quod siccitas esset super aquas ut exarescant ; quare ex his & ex reliquis Verbi manifeste videri potest, quod sensus spiritualis, qui differt a naturali, insit singulis, & quod Verbum absque illo sensu non sanctum dici queat, & quod in perplurimis locis ne quidem possit capi. Apud Eundem, " Babel, quæ habitas super aquis multis, *magna thesauris*," li : 13 ; Babel sunt, qui possident Verbum, & inde omnia vera & bona Ecclesiæ, sed qui applicant illa ad amorem sui, & sic prophanant, n : 1326 ; quod etiam repræsentabatur per quod Rex Babelis sumserit *omnia vasa Templi, quæ erant ex auro & argento*, & quod biberit ex illis, atque tunc laudaverit deos auri & argenti," Dan : v : 2. 3. 4 seq : inde dicitur Babel habitans super aquis multis, magna thesauris ; aquæ sunt vera, & in opposito sensu falsa, n : 2702. 3058. 4976. 8568. 9323 : hoc describitur amplius in Apocalypsi, ubi divitiæ Babylonis, quæ ibi vocantur merces, recensentur, Cap : xviii. Apud Ezechielem, " Adducam contra Tyrum Nebuchadnezarem, per ungulas equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas ; *diripient opes tuas*, & *prædabuntur merces tuas*," xxvi : 7. 12 ; per Tyrum intelligitur Ecclesia quoad cognitiones boni & veri, n : 1201 ; per Nebuchadnezarem regem Babelis intelligitur prophanum quod vastat, n : 1327 fin : quod fit cum vera & bona verbi inserviunt pro mediis ad favendum malis amorum sui & mundi, per sinistram applicationem ; tunc enim illorum amorum mala intus in corde sunt, & sancta Ecclesiæ in ore ; ungulæ equorum sunt extrema naturalia, quæ sunt scientifica mere sensualia, n : 7729 ; & plateæ sunt vera fidei, n : 2336 ; opes & merces sunt cognitiones boni & veri : quia per Tyrum cognitiones boni &

veri significantur, n: 1201, ideo ubi de Tyro in Verbo agitur, etiam de varii generis mercibus & divitiis agitur; ut apud Eundem, "Tharschisch negotiatrix tua, *per multitudinem omnium opum* in *argento*, *ferro*, *stanno*, & *plumbo*. Damascus negotiatrix tua *præ multitudine omnium opum: per multitudinem opum tuarum*, & *mercatus tuos*, ditasti omnes reges terræ," XXVII: 1 ad fin: Apud Eundem, "In sapientia tua & in intelligentia tua *feceras tibi opes aurum* & *argentum in thesauris tuis:* per *multitudinem sapientiæ tuæ multiplicasti tibi opes*," XXVIII: etiam de Tyro; perquæ manifeste patet, quod per opes & divitias in Verbo intelligantur opes & divitiæ spirituales, quæ sunt cognitiones boni & veri, ita quæ sunt media sapientiæ: Etiam apud Sachariam, "*Tyrus colligit argentum sicut pulverem*, & *aurum* sicut cœnum platearum; ecce Dominus depauperabit eam, & *excutiet in mare opes ejus*," IX: 3. 4: & apud Davidem, "*Filia Tyri offeret tibi manus* Filia regis; facies tuas deprecabuntur *divites populi*," Psalm: XL: 13; describitur ibi Ecclesia quoad affectionem veri, & vocatur filia regis, nam filia est Ecclesia quoad affectionem, n: 3262. 3963. 6729. 9059 fin: & Rex est Verum, n: 1672. 2015. 2069. 3670. 4575. 4581. 4966. 6148; quapropter dicitur, quod filia Tyri offeret munus, & quod divites populi deprecabuntur facies, divites populi sunt qui abundant veris & bonis. Apud Hoscheam, "Dixit Ephraim, *profecto ditatus sum, inveni opes mihi*," XII: 9; per ditatus sum & inveni opes mihi, nec intelligitur, quod ditatus sit divitiis & opibus mundanis, sed cœlestibus; nam per Ephraim intelligitur Intellectuale Ecclesiæ, quod illustratur cum legitur Verbum, n: 5554. 6212. 6238. 6267. Apud Johannem, "Angelo Ecclesiæ Laodicensium; *quia dicis quod dives sim*, & *ditatus sim*, & *nullius opis indigeam*, cum non scias quod tu sis miser, & miserabilis, & egenus, & cæcus, & nudus: consulo tibi ut emas a Me *aurum igne purificatum ut ditescas*, & vestimenta alba ut induaris," Apoc: III: 17. 18; agitur ibi de Ecclesia, quæ omne Ecclesiæ ponit in nudis cognitionibus, ac inde se præ aliis effert, cum tamen cognitiones non sunt nisi quam media ad emendandam & perficiendam vitam; quare qui illas possidet absque vita secundum illas, est miser, miserabilis, egenus, cæcus & nudus; emere aurum igne purificatum est comparare sibi a Domino genuinum bonum; ac vestimenta alba est comparare sibi a Domino genuina vera ex illo bono; quod aurum sit bonum amoris, videantur citata n: 9874; & quod vestimenta sint vera fidei, n: 4545. 5248. 5319. 5954. 9212. 9216. 9814. 9952. Apud Jeremiam, "Ego Jehovah dans cuique juxta vias ejus, juxta fructus operum ejus; *sicut perdix colligit*, sed non parit, *facit divitias sed non cum judicio*; in medio dierum suorum deseret illas; in postremitate dierum fiet stultus," XVII: 11; agitur ibi de illis qui comparant sibi cognitiones absque fine alius usus, quam ut ditescant, hoc est, ut sciant, cum tamen vita est cui inservituræ; hoc intelligitur per colligere sicut perdix, & tamen non parere, & per facere divitias, sed non cum judicio. Apud Lucam, "Quisquis ex vobis *qui non abnegat omnes suas facultates*, non potest meus esse discipulus," XIV: 33; qui non scit, quod facultates in sensu interno sint divitiæ & opes spirituales,

quæ

quæ sunt cognitiones ex Verbo, nequaquam aliter scire potest, quam quod deprivaturus se sit omnibus opibus, ut salvari possit; cum tamen non ille sensus istorum verborum est; per facultates ibi intelliguntur omnia quæ ex propria intelligentia sunt; nemo enim potest sapere ex se, sed ex Domino; quapropter abnegare omnes facultates, est sibi nihil intelligentiæ & sapientiæ tribuere; & qui hoc non facit, non potest instrui a Domino, hoc est, discipulus Ipsius esse. Quia per facultates, divitias, opes, argentum & aurum, significantur illa quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, ideo quoque a Domino comparatur Regnum cœlorum *Thesauro abscondito in agro*," Matth: XIII: 44; & dicitur, quod *facerent sibi thesaurum non deficientem in cœlis*; *quoniam ubi thesaurus ibi cor*," Matth: VI: 19. Luc: XXXII: 33. 34; qui non sciunt, quod per divites intelligantur qui possident cognitiones veri & boni, ita qui habent Verbum; & quod per pauperes intelligantur qui non possident illas, sed usque qui desiderant illas, non aliter scire possunt, quam quod per divitem, qui induebatur purpura & bysso, & per pauperem, qui projectus ad vestibulum ejus, Luc: XVI, intelligatur dives & pauper in communi sensu; cum tamen per divitem ibi intelligitur gens Judaica, quæ habebat Verbum, per purpuram, qua indutus, genuinum bonum n: 9467; & per byssum genuinum Verum, n: 5319. 9469. 9596. 9744; & per pauperum projectum ad vestibulum intelliguntur qui extra Ecclesiam, & non habent Verbum, & tamen desiderant vera & bona Cœli & Ecclesiæ; inde etiam patet, quod per divites intelligantur qui habent Verbum, proinde Divina Vera; ut quoque in Prophetico Elisabethæ apud Lucam, "Deus esurientes implevit bonis, & *divites emisit inanes*," I: 53; esurientes ibi sunt qui alibi vocantur pauperes, ita qui non habent panem & aquam, & sic qui sunt in fame, & in siti; hoc est, qui non sciunt bonum & verum, & usque desiderant illa; per panem & aquam in Verbo significantur bonum & verum, n: 9323; ac per esurire & sitire, ita per famem & sitim significatur desiderium ad illa. Tales per pauperes etiam intelliguntur alibi, ut apud Lucam, "*Beati pauperes*, quia eorum est Regnum cœlorum; *beati esurientes*, quoniam saturabimini," VI: 20. 21. Apud Eundem, "Paterfamilias dixit servo, ut abiret in plateas & vicos urbis, & *introduceret pauperes*, mancos, claudos, & cæcos," XIV: 21. Apud Eundem, "*Pauperibus prædicabitur* evangelium," VII: 22. Apud Matthæum, "*Pauperes audiunt* evangelium," XI: 5. Apud Esaiam, "Tunc pascent *primogeniti pauperum*, & *egeni* confidenter cubabunt," XIV: 30: apud Eundem, "*Egeni hominum* in Sancto Israelis exultabunt," XXIX: 19. Apud Zephaniam, "Relinquam in medio tui *populum miserum* & *pauperem*, qui *sperabunt in Nomine Jehovæ*, hi *pascent* & requiescent, nec terrefaciens," III: 12. 13: & apud Esaiam, "*Pauperes & egeni quærentes aquam*, sed non; lingua eorum siti deficit, Ego Jehovah exaudiam eos, aperiam super clivis fluvios, & in medio vallium fontes ponam," XLI: 17. 18; pauperes & egeni quærentes aquam sunt qui desiderant cognitiones boni & veri; aqua est verum; desiderium describitur per quod lingua eorum siti deficiat; & abundantia quam habituri, per quod aperientur fluvii super clivis, & fontes in

medio

medio vallium: ex his porro patet, quod cœlestia, quæ sunt vera fidei & boni amoris, intelligantur per terrestria, quæ sunt aquæ, fluvii super clivis, fontes in vallibus, & quod hic sensus sit literalis Verbi, ille autem spiritualis, & quod Verbum per hunc sensum sit Divinum, & quod absque illo non sit. Quod opes & divitiæ significent talia quæ sunt intelligentiæ & sapientiæ, est quoque ex correspondentia; in Cœlo enim apud Angelos apparent omnia sicut fulgentia ex auro, argento & lapidibus pretiosis, & hoc quia in intelligentia veri & in sapientia boni sunt; interiora enim angelorum sistuntur ita spectabilia ex correspondentia: etiam apud spiritus qui infra cœlos sunt, sunt divitiæ in apparentia secundum statum receptionis veri & boni a Domino.

10,228. Ad expiandum super animabus vestris, quod significet ut removeantur mala, constat ex significatione expiari super animabus suis, quod sit purificari seu liberari a malis per verum fidei, de qua supra n: 10,218; & quia purificatio seu liberatio a malis non aliud est quam remotio eorum, ideo quoque hoc per eadem verba significatur: quod homo non liberetur a malis, & sic purificetur, sed quod detineatur ab illis, cum tenetur in bono a Domino, & sic quod mala removeantur, videantur citata n: 10,057 fin:

10,229. Et accipies argentum expiationum a cum filiis Israelis, quod significet vera ex bono purificantia quæ Ecclesiæ, constat ex significatione argenti, quod sit verum ex bono, de qua 1551. 2954. 5658. 6112. 6914. 6917. 8932; ex significatione expiationum, quod sint purificatio a malis, de qua supra n: 10,218; ita argentum expiationum est verum purificans; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua citata n: 9340. Verum purificans dicitur, quia omnis purificatio a malis fit per vera, videatur n: 2791. 5954. 7044. 7918. 9089. Cum his ita se habet; homo ex se non cogitat nisi quam malum, ex se enim non cogitat de Deo, nec de bono & justo erga proximum, nisi propter se; imo nec de cœlo, & de vita æterna, sed de mundo & de vita ibi; quamdiu homo in tali statu est, cogitat ex illis quæ infra se sunt, & non ex illis quæ supra se sunt, ita ex inferno, & non ex cœlo; ut itaque homo cogitet bonum, cogitare debet ex cœlo, proinde ejus mens illuc elevari debet; hoc fit unice per vera, qualia sunt in Ecclesia ex Verbo; illa enim docent quid Deus, quid proximus, quod sit cœlum, quod vita æterna, & in specie quid malum & quid bonum; cum hæc vera intrant, tunc elevantur interiora supra se, & sic abducuntur ab illis quæ infra se sunt, ita a malis: inde constare potest quod omnis purificatio seu remotio a malis fiat per vera, quæ inde dicuntur vera purificantia.

10,230. Et dabis illud ad opus Tentorii conventus, quod significet conjunctionem cum cœlo per agnitionem quod omnia vera & bona sint a Domino, constat ex significatione operis Tentorii conventus, quod sit quod operatur & facit cœlum; nam opus est quod operatur & facit, ac Tentorium conventus est cœlum ubi Dominus; quod Tentorium conventus sit cœlum ubi Dominus, videatur n: 9457. 9481. 9485. 9784. 9963; ita quoque

quod

quod conjungit hominem cum cœlo, nam quod operatur & facit cœlum apud hominem, hoc etiam conjungit illud cum cœlo: quod significetur conjunctio cum cœlo per agnitionem quod omnia vera & bona sint a Domino, est quia quod dabatur ad opus Tentorii Conventus, erat dimidium sicli, quod vocatur argentum expiationum propter numerationem populi, & per dare dimidium sicli significatur addicatio omnium quæ fidei & amoris Domino, n: 10,220. 10,221; & per numerationem significatur ordinatio & dispositio omnium a Domino, n: 10,218.

10,231. Et erit filiis Israelis ad recordationem coram Jehovah, quod significet sic conservationem Ecclesiæ & omnium Ecclesiæ a Domino, constat ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua citata n: 9340; ex significatione recordationis, cum a Jehovah, quod sit conservatio, de qua n: 9849; & ex significatione coram Jehovah, quod sit a Domino, de qua n: 10,146.

10,232. Ad expiandum super animabus vestris, quod significet quoniam sic mala remota, constat ex significatione expiare super animabus suis, quod sit removere mala per vera, de qua supra n: 10,228; quod hic per expiandum super animabus vestris significetur quoniam sic mala remota, & non ad removendum mala, est quia hæc ita sequuntur ab illis quæ præcedunt; sensus enim internus non spectat sensum verborum qualiter cohæret in litera, sed qualiter cohæret in suo sensu, qui est, quod conservatio Ecclesiæ & omnium Ecclesiæ a Domino sit, quoniam mala sunt remota; nam quod Ecclesia apud hominem conservatur, est quia mala non impediunt; influit enim Dominus jugiter & continue cum sua Misericordia, & providet ut vera & bona, quæ sunt Ecclesiæ, non modo conserventur apud hominem; sed etiam ut multiplicentur ut crescant; sed quamdiu mala regnant, vera & bona Ecclesiæ influentia a Domino, ab homine vel rejiciuntur, vel suffocantur, vel pervertuntur; ast remotis malis acceptantur & agnoscuntur.

10,233. Vers: 17 ad 21. *Et loquutus est Jehovah ad Moschen dicendo. Et facies labrum æris, & basin ejus ære ad lavandum; & dabis illud inter Tentorium Conventus & inter Altare; & dabis ibi aquas. Et lavabunt Aharon & filii ejus ex eo manus suas & pedes suos. In intrando illos in Tentorium conventus, lavabunt aquis, ne moriantur; vel in accedendo illos ad altare ad ministrandum, ad adolendum ignitum Jehovæ. Et lavabunt manus suas & pedes suos, ne moriantur: & erit illis statutum sæculi, illi, & semini illius, generationibus illorum.* Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, significat perceptivum ex illustratione per Verbum a Domino: & facies labrum æris, significat bonum naturalis hominis, in quo purificatio: & basin ejus ære, significat bonum ultimi naturalis, quod est sensualis: ad lavandum, significat purificationem a malis & falsis: & dabis illud inter Tentorium conventus & inter Altare, significat ut sit conjunctio veri & boni: & dabis ibi aquas, significat vera fidei, per quæ purificatio in naturali: & lavabunt Aharon & filii ejus ex eo, significat repræsentativum purificationis & regenerationis hominis a Domino: manus suas & pedes suos, significat interiora & exteriora hominis:

in intrando illos in Tentorium Conventus, significat cultum ex bono fidei: lavabunt aquis, significat purificationem per vera fidei: ne moriantur, significat ne pereat repræsentativum: vel in accedendo illos ad altare ad ministrandum, ad adolendum ignitum Jehovæ, significat cultum ex bono amoris: & lavabunt manus suas & pedes suos, significat purificationem exteriorum & interiorum hominis: ne moriantur, significat ne pereat repræsentativum: & erit illis statutum sæculi, significat legem ordinis æternam: illi, & semini illius, generationibus illorum, significat omnes qui recipiunt illa quæ procedunt a Domino, ita qui regenerantur ab Ipso.

10,234. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, quod significet perceptivum ex illustratione per Verbum a Domino, constat a significatione loqui Jehovah ad Moschen, quod sit illustratio per Verbum a Domino, de qua n: 10,215; & ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua n: 2862. 3509. 5743. 8660. Sciendum est, quod cum aliquod novum distinctum a priori exponendum est, dicatur, quod *loquutus Jehovah ad Moschen*, ut in hoc Capite Vers: 11. 17. 22. 34; & quoque alibi; nova res, quæ nunc exponitur est de purificatione a malis & falsis.

10,235. Et facies labrum æris, quod significet bonum naturalis hominis, in quo purificatio, constat ex significatione labri, in quo aqua pro lavatione, quod sit naturale hominis, de qua sequitur; & ex significatione æris, quod sit bonum ejus, de qua n: 425. 1551. Agitur in nunc sequentibus de Lavatione, & dicitur quod Aharon & filii ejus lavarent manus suas & pedes suos cum intrarent in Tentorium Conventus, aut accederent ad Altare ad ministrandum; & alibi dicitur, quod immundi facti lavarent se & vestes, & sic quod mundi essent; ex quibus constare potest, quod lavatio repræsentaverit purificationem a malis; ita lavatio corporis & vestium purificationem cordis & mentis: quisque, qui ex aliqua illustratione cogitat, videre potest, quod per lavationem non mala cordis & mentis absterса fuerint, sed modo sordes corporis & vestium, & quod postquam hæ absterſæ fuerunt, usque mala remanserint; & quod mala nequaquam ablui possent per aquas, sed per pænitentiam. Ex his iterum patet, quod illa quæ apud gentem Israeliticam instituta fuerunt, externa fuerint quæ repræsentaverunt interna, & quod interna essent ipsa sancta Ecclesiæ apud illos, & non externa absque illis: sed quod Gens illa, usque omne sanctum in externis & nihil in internis posuerit, constat a Domini verbis apud Matthæum, "Væ vobis Scribæ & Pharisæi, "hypocritæ, purgatis exterius poculi & patinæ, interiora vero plena sunt "rapina & intemperantia: Pharisæe cæce, purga prius internum poculi & "patinæ, & fiat etiam externum mundum. "Similes vos facitis sepulchris "dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni immunditie," XXIII: 25. 26. 27; tum Marc: VII: 2 ad 8, & Luc: XI: 39. Quod Labrum significet naturale, est quia per lavationem inibi significatur purificatio a malis, & purificatio a malis fit in naturali; & præterea per vasa in genere significantur illa quæ sunt naturalis hominis, n: 3068. 3079. 9394, quoniam naturale est recipiens spiritualium

quæ interni hominis. Per naturale intelligitur externum hominis, hoc est, id quod vocatur Externus homo. Videri potest sicut alienum, quod per Labrum significetur naturale hominis; sed sciendum, quod in sensu interno hic agatur de purificatione a malis, & homo est qui purificatur; inde sequitur, quod aliquid hominis significetur per id in quo fiebat lavatio, per quam significatur purificatio; quod id sit naturale, est quia inibi, ut dictum est, fit purificatio: præterea omnia, quæ cultus gratia, apud gentem Israeliticam & Judaicam, exstructa fuerunt, significabant illa quæ Cœli & Ecclesiæ, proinde talia quæ sunt apud hominem; nam nisi significavissent aliquid apud hominem, non aliquid repræsentavissent. Quoniam per labrum significatur naturale hominis, per aquas in labro vera quæ fidei, & per lavationem purificatio a malis, inde sciri potest quid significatum fuit per Mare Æneum juxta Templum, & quoque quid per duodecim Boves qui portabant illud: similiter quid per decem reliqua Labra etiam juxta Templum posita, & per insculptos ibi leones, boves, & cherubos, tum per rotas sicut currus sub illis; omnia hæc quid significabant, patent, quum notum est quid significatur per labrum, aquam, & lavationem, & quum notum est, quomodo se habet cum purificatione a malis apud hominem, nam omnia & singula erant repræsentativa cœlestium & spiritualium. Mare æneum a Salomone factum, & positum juxta Templum, ita describitur, "Fecit Mare fusile decem cubiti a "labro ad labrum, rotundum circumcirca; quinque cubiti altitudo; & linea "triginta cubitorum circumdabat illud circumcirca. Colochyntides in"fra labrum circumeuntes decem cubitorum circumdantes Mare circum"circa. Stans super duodecim bobus, tres spectantes septentrionem, & tres "spectantes occidentem, & tres spectantes meridiem, & tres spectantes orien"tem; Mare autem super illis superius, & omnia posteriora eorum intror"sum. Crassities ejus palma, labrum ejus juxta opus labri calicis, flos lilii. "Duo millia bathorum continebat; & positum fuit Mare ab humero domus "dextro versus orientem e regione meridiei," 1 Reg: VII: 23. 24. 25. 26. 39: hoc Vas seu hoc Labrum vocatur Mare, quia per mare significatur Scientificum in communi, & omne Scientificum est naturalis hominis; quod Mare sit scientificum in communi, videatur n: 28. 2850. 8184; & quod scientificum sit naturalis hominis, n: 1486. 3019. 3020. 3309. 3310. 5373. 6004. 6023. 6071. 6017. 9918: quod hoc Labrum esset juxta opus labri calicis, erat causa quia per calicem, schyphum seu poculum, etiam significatur scientificum quod naturalis seu sensualis hominis, n: 9557. 9996; per duodecim boves significabantur omnia bona naturalis & sensualis hominis in complexu, quoniam baseos loco erant, & per basin significatur id quod ultimum est, ac sustentat; quod duodecim sint omnia in complexu, videatur n: 3272. 3858. 3913; & quod bos sit bonum naturalis hominis, n: 2781. 9135: quod spectaverint ad omnes plagas mundi, erat quia bonum naturalis hominis est receptaculum omnium quæ ex mundo influunt, tam quæ se referunt ad bona quam quæ ad vera; diameter decem cubitorum significabat plenum, n: 3107; & circumferentia triginta cubitorum significabat complexum

plexum plenarium, n: 9082; duo millia bathorum significabant conjunctionem boni & veri, ita purificationem & regenerationem, nam regeneratio non aliud est quam conjunctio boni & veri; duo millia idem significant quod duo, nam numeri multiplicati simile significant cum simplicibus a quibus sunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod duo sint conjunctio, videatur n: 5194. 8423: quod Mare æneum positum esset ab humero dextro versus orientem e regione meridiei, significabat quod ad Dominum, nam Dominus est Oriens, n: 101, 9668; Domus seu Templum est Cœlum & Ecclesia ubi Dominus, n: 5720. Ex his nunc constare potest, quid per mare æneum significabatur, consequenter quid per labrum, quod nempe naturale hominis, in quo purificatio.

10,236. Et basin ære, quod significet bonum ultimi naturalis, quod est sensualis, constat ex significatione baseos labri in quo aqua pro lavatione, quod sit ultimum naturalis, quod vocatur sensuale; & ex significatione æris, quod sit bonum, de qua supra n: 10,235: quod basis sit ultimum naturalis, quod vocatur sensuale externum, est quia per labrum, quod supra est, significatur naturale in quo purificatio, inde per id quod infra est significatur quod in infimo loco, hoc est, in ultimo est, ita sensuale externum hominis; Naturale hominis est externum, est medium, & est internum; externum naturalis communicat cum mundo, & vocatur sensuale externum, naturale internum est quod communicat cum interno homine, qui est in cœlo, naturale medium est conjungens utrumque, nam ubi externum & internum, erit medium conjungens; quod homini sit naturale externum, medium, & internum, videatur n: 4009. 4570. 5118. 5120. 5649. 9216. Per sensuale quod ultimum naturalis, intelligitur proprie id quod Caro vocatur, & perit cum homo moritur, ita quod inservivit homini pro ejus functionibus in mundo, sicut sensuale visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quod id sensuale sit planum ultimum, in quo vita hominis terminatur, & super quo, ut super basi se reponit, constare potest, nam immediate exstat mundo, & per illud ut extremum intrat mundus & exit cœlum; sed hoc sensuale est homini commune cum brutis animalibus; at sensuale externum quod non ita homini commune est cum illis, & usque est sensuale externum, est quod homini in memoria est ex mundo, & constituitur ex solis rebus mundanis, corporeis, & terrestribus ibi; homo qui ex illis solum cogitat & ratiocinatur, & non ex interioribus, vocatur homo sensualis; hoc sensuale manet homini post mortem, sed quiescit; hoc sensuale externum est quod proprie significatur per basin: quale hoc sit, repræsentatum est per bases decem labrorum, quæ juxta Templum erant posita; Bases illæ, ita describuntur, " Salomo fecit
" bases decem ex ære, quatuor cubiti longitudo basis cujusvis, & quatuor
" cubiti latitudo; tres cubiti altitudo. Super clausuris, quæ inter scalas,
" leones, boves, & cherubi; ac super scalis similiter superius. Insuper qua-
" tuor rotæ basi cuique, & tabulæ æris; at quatuor angulis ejus humeri;
" subter labro humeri fusi: opus rotarum sicut opus rotæ currus; manus
" earum, & terga earum, & canthi earum, & radii earum omnia fusile:

" juxta hoc fecit decem bases; fusura una, mensura una, proportio una " omnibus illis. Inde fecit decem labra ex ære; quadraginta bathos continebat unumquodque labrum; quatuor cubiti labrum unumquodvis," 1 Reg: VII: 27 ad 39; quale Sensualis externi apud hominem hic per repræsentativa describitur, ac imprimis tutela Domini, ne homo ex suo sensuali, ita ex mundo, intret in illa quæ Cœli seu Ecclesiæ sunt; hoc enim est ordini Divino contrarium; nam mundus in cœlum intrare nequit, sed cœlum in mundum; quod fit cum Dominus per cœlum influit apud hominem, illustrat illum, docet illum, & ducit illum, per Verbum; quod e mundo intrare in illa quæ cœli sunt, fit contra Divinum ordinem, constare potest ex illis qui ex sensuali suo, ita qui ex scientificis quæ ex mundo intrant, quod prorsus nihil credant: tutela ne hoc fiat significatur per leones, boves & cherubos; per leones enim significatur tutela ne vera intrent, nam leones sunt vera in sua potentia, n: 6367. 6369; per boves significatur tutela ne bona intrent, boves enim sunt bona in sua potentia, n: 2781; quod per Cherubos significetur tutela Domini ne id fiat, videatur n: 308, 9509; quod humeri, quorum etiam mentio fit, sint potentia, ac resistentia, videatur n: 1085. 4931 ad 4937. 9836: per rotas sicut currus significatur facultas sapiendi cum intrant omnia e cœlo, sic enim omnia secundum ordinem progrediuntur, rotæ enim currus sunt facultas progrediendi ita discendi, n: 9212. 9216; & currus sunt quæ doctrinæ Cœli & Ecclesiæ, n: 5321. 8215. Quid Sensualis homo iterum paucis dicetur; homo sensualis dicitur, qui cogitat solum ex talibus quæ in memoria sunt ex mundo, & qui versus interiora elevari non potest; tales imprimis sunt qui nihil de cœlo & de Divino credunt, quia non vident illa, fidunt enim solum sensibus; & quæ non coram illis apparent, nihil esse credunt; accedunt tales prope ad genium brutorum animalium, quæ etiam solum ex sensibus externis ducuntur; sunt usque astuti & solertes in agendo & ratiocinando; sed non vident verum ex luce veri: dicti fuerunt tales olim serpentes arboris scientiæ; turba infernalis pleraque talis est. Sed quid Sensualis homo, & quid sensuale, videatur in locis citatis, n: 9331 fin: tum n: 9726. 9730. 9731. 9922 fin: 9996; & quid sit elevari supra sensualia, seu abduci ab illis, in locis citatis n: 9922 fin: Bonum sensualis, quod significatur per basin ex ære, est quod vocatur volupe & jucundum afficiens cogitationem imaginativam, quæ cogitatio est ex meris talibus, quæ sunt terrestria, corporea & mundana, & dignoscitur ab aliis jucundis per id, quod non spectet alios usus, quam qui sunt sui aut propter se; nam sensualis homo est in amore sui & mundi, & jucunda quæ ei, sunt illorum amorum: & quia amores sensualis hominis tales sunt, patet quod ille præ aliis solers in ratiocinando sit, & in agendo propter lucra & honores; corpus enim ejus flagrat ex igne illius amoris, ac ille ignis accendit lumen, quod vocatur lumen naturale; & cum hoc usque ad splendorem accensum est, tunc lux cœli, quæ interioris hominis est, prorsus obscuratur; inde quæ hujus lucis sunt, quia in caligine, dicuntur nihil esse: aliter apud illos, qui ex igne cœli agunt, & ex luce inde cogitant.

Ex

Ex his constare potest, quid intelligitur per bonum sensualis, quod significatur per basin labri.

10,237. Ad lavandum, quod significet purificationem a malis & falsis, constat ex significatione lavare, quod sit purificatio a malis & falsis, de qua n: 3147. 5954. Quoniam de purificatione a malis & falsis per vera fidei in nunc sequentibus in sensu interno agitur, ideo paucis dicetur, quomodo cum illa se habet; per lavationem enim significatur purificatio, per aquas significantur vera fidei, & per labrum in quo aqua, significatur naturale, nam omnis purificatio spiritualis fit in naturali: est homini externum & internum, externum vocatur naturale, & quoque naturalis homo, ac internum vocatur spirituale, & quoque spiritualis homo, ex causa quia internum hominis est in mundo spirituali, ubi spiritus & angeli, & externum ejus est in mundo naturali, ubi homines; utrumque tam internum quam externum purificatur, internum in coelo, & externum cum homo vivit in mundo, ita in naturali quod est in mundo; causa quod purificatio peragatur in naturali tunc, est quia vera fidei in naturali ad manifestam perceptionem veniunt; sunt enim ibi inter scientifica seu inter res memoriæ, quæ cum cogitantur, manifeste percipiuntur; non autem quæ cogitantur in interno homine, hæc ad manifestam perceptionem non veniunt dum homo in mundo est, quia ideæ ibi sunt spirituales: inde est, quod purificatio fiat in naturali: quod fiat per vera fidei, constare potest ex eo, quod qui purificantur, non modo scire debeant quid malum & falsum, sed etiam agnoscere illa, & dein aversari & fugere illa; cum hoc fit, tunc primum purificatur homo ab illis; & mala & falsa non sciri ita nec agnosci possunt nisi in naturali per vera fidei, nam hæc docent illa, ita manifestant illa: qui credit quod purificetur a malis & falsis, antequam videt & agnoscit illa apud se, valde fallitur, videatur n: 8388. 8390 seq: Dictum est, quod homo sciat sua mala & falsa per vera fidei in natnrali, hoc est, in externo homine, non autem in interno; causa est, quia ideæ cogitationis in interno homine spirituales sunt, & ideæ spirituales non comprehendi possunt in naturali, sunt enim ideæ intellectuales quæ sunt absque objectis qualia sunt in materiali mundo: sed usque ideæ illæ, nempe spirituales, quæ sunt propriæ interni hominis, influunt in ideas naturales, quæ sunt externi hominis, ac producit & facit illas, quod fit per correspondentias. Sed de ideis spiritualibus, quæ interni hominis, ex Divina Domini Misericordia, dicetur ubi de Coelo, ac de spiritibus & angelis, nam illi cogitant per ideas spirituales, & quoque loquuntur inter se per illas.

10,237. Et dabis illud inter Tentorium conventus & inter Altare, quod significet ut sit conjunctio veri & boni, constat ex significatione inter Tentorium conventus & altare, quod sit conjunctio veri & boni, de qua n: 10,001. 10,025. Quod Labrum positum fuerit inter Tentorium conventus & altare, & quod ibi laverint Aharon & filii ejus manus & pedes, erat causa ut repræsentaretur purificatio cordis & regeneratio, quæ in sua essentia est conjunctio veri & boni; nam conjunctio veri & boni est ipsum Coelum apud hominem;

quapropter

quapropter etiam cœlum comparatur in Verbo conjugio: hæc conjunctio fit per vera fidei, quoniam hæc docent quomodo vivendum; quare cum vivitur secundum vera fidei, fit conjunctio veri & boni, verum enim tunc fit bonum per vitam; veri vita est bonum: hoc etiam intelligitur per quod homo regeneretur per aquam & spiritum; aqua est verum fidei, & spiritus est vita ejus. Quod regeneratio sit conjunctio veri & boni videatur n: 2063. 3155. 3158. 3607, 4353. 5365. 5376. 8516. 8517. 8772. 10,067.

10,238. Et dabis ibi aquas, quod significet vera fidei per quæ purificatio in naturali, constat ex significatione aquarum, quod sint vera fidei, de qua n: 28. 739. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. 9323; & ex significatione labri, quod sit naturale, de qua supra n: 10,235. Qui non scit quod aquæ significent vera fidei, perplura in Verbo non capiet; sicut quid significatur per quod *nisi homo generetur ex aqua & spiritu, non possit intrare in Regnum Dei*, Joh: III: 5; qui per aquam ibi non aliud intelligunt quam aquam, credunt quod aqua baptismi sit per quam regeneratur homo, cum tamen aqua ad regenerationem nihil facit, sed verum fidei & bonum amoris, aqua enim solum abluit sordes corporis, & nequaquam mala cordis. Qui non scit, quod aquæ significent vera fidei, nec scire potest, *quid Baptismus* significat; credit enim quod externum illud salvet hominem; cum tamen externum nihil facit, sed internum quod significatur, quod est regeneratio per vera fidei; illi enim qui ab Ecclesia sunt, distinguuntur a reliquis in universo terrarum orbe per baptismum, quoniam illi possunt per vera fidei regenerari, non autem qui extra Ecclesiam sunt, est enim intra Ecclesiam Verbum, in quo vera fidei. Qui non scit quod aquæ significent vera fidei, nec scire potest quid intelligitur *per aquas supra expansum & per aquas infra expansum*," Genes: I: 6. 7. 8. 9. 10; cum tamen per aquas supra expansum significantur vera fidei in interno homine, & per aquas infra expansum vera fidei in externo; agitur enim in illo Capite de Nova Creatione hominis Ecclesiæ Antiquissimæ, ita de ejus Regeneratione. Qui non scit quod aquæ significent vera fidei, nec scire potest, quid per aquas significatur apud Johannem, "*Qui bibit ex aqua quam Ego dabo, non sitiet in æternum; sed aqua, quam Ego dabo, fiet in eo fons vitæ salientis in vitam æternam*," IV: 13. 14: & apud Esaiam, "*Pauperes & egeni quærentes aquam, sed non; lingua eorum siti deficit; aperiam supra clivis fluvios, & in medio vallium fontes ponam; desertum in stagnum aquarum; & terram siccam in scaturigines aquarum*," XLI: 17. 18: tum apud Eundem, "*Non sitient, aquas e petra effluere faciet illis; & findet petram ut effluant aquæ*," XLVIII: 20. 21; & perpluries alibi. Sed videantur quæ prius de his dicta & ostensa sunt; ut quod purificatio a malis & falsis fiat per vera fidei, n: 2799. 5954 fin: 7044. 7918. 9089. 10.229: quod etiam Regeneratio, citata n: 9959. Quod Baptismus significet regenerationem per vera fidei, n: 4255. 5120 fin: 9089. Quod purificatio fiat in naturali, n: 3147. 9572; & quoque regeneratio, citata n: 9325 fin:

10,239. Et lavabunt Aharon & filii ejus ex eo, quod significet repræsentativum purificationis & regenerationis hominis a Domino, constat ex significatione

catione lavare, quod ſit purificatio, de qua ſupra n: 10,237; ex repræſentatione Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum cœleſte, de qua n: 9806. 10,068; & ex repræſentatione filiorum Aharonis, quod ſit Dominus quoad Divinum Bonum ſpirituale, de qua n: 9807. 10,068; ex quibus patet, quod per lavabunt Aharon & filii ejus ex eo, ſignificetur repræſentativum purificationis hominis a Domino: quod etiam ſit repræſentativum regenerationis, eſt quia regeneratio etiam repræſentabatur per lavationem, ſed per lavationem totius corporis, quæ lavatio vocabatur Baptizatio; quod baptizatio ſeu baptiſmus ſignificet regenerationem, videatur n: 4255. 9089. Sed regeneratio a purificatione differt in eo, quod regeneratio præcedens ſit, & purificatio conſequens; nemo enim a malis & falſis purificari poteſt, niſi qui regeneratur, ac poſtquam regeneratus eſt; nam qui non regeneratus eſt, quidem abducitur a malis quantum patitur, ſed non purificatur ab illis, ſemper enim impurus eſt; aliter homo regeneratus, hic indies purificatur; quod intelligitur per Domini verba ad Petrum, "Qui lotus eſt, non opus habet, niſi ut quoad pedes lavetur, ſic mundus eſt totus," Joh: XIII: 10; qui lotus eſt, ſignificat qui regeneratus. Quod lavatio totalis dicta fuerit baptizatio, conſtat apud Marcum Cap: VII: 4; & quod lavatio totius corporis, apud Matthæum Cap: III: 13 ad 16. Marc: VI: 14. & quoque 2 Reg: V: 10. 14: Jordanes, in quo fiebant lavationes, quæ erant baptizationes, Matth: III: 6. 13. Marc: I: 3. 2 Reg: V: 10. 14, ſignificabat naturale, n: 1585. 4255: quod per lavationem baptiſmatis etiam ſignificetur Tentatio, Matth: X: 21. 22, eſt quia omnis Regeneratio fit per Tentationes, n: 5036. 5773. 8351. 8958. 8959 ſeq: Paucis etiam hic dicetur, cur Dominus cum in mundo fuit, Ipſe quoque voluerit baptizari, cum tamen per baptizationem, ſignificatur regeneratio hominis a Domino; cauſa fuit, quia Baptizatio Ipſius Domini ſignificabat glorificationem Humani Ipſius; quod enim in Verbo ſignificat regenerationem hominis, hoc etiam ſignificat glorificationem Humani in Domino, nam regeratio hominis eſt imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688: ideo cum Dominus permiſit Johanni ut baptizaret Ipſum, dixit, *ſic conveniens eſt nobis implere omnem juſtitiam Dei,"* Matth: III: 15; implere omnem juſtitiam Dei, eſt ſubjugare inferna, ac redigere illa & cœlos in ordinem, ex propria potentia; & ſimul glorificare Humanum ſuum; quæ facta ſunt per tentationes in ſe admiſſas, ita per continuas pugnas cum infernis uſque ad ultimam in cruce; quod hoc ſit Juſtitia quam implevit Dominus, videatur n: 9486. 9715. 9809. 10,019. 10,152: ſimilia etiam ſignificantur per quod implerentur omnia quæ de Domino ſcripta ſunt in Lege & Prophetis," Luc: XVIII: 31. Cap: XXII: 37. Cap: XXIV: 44; & quod Dominus venerit ad implendum omnia Legis," Matth: V: 17. 18: qui non ſcit arcana Verbi, credit, quod Dominus Juſtitia factus ſit, per quod impleverit omnia legis, & quod per impletionem illam liberaverit humanum genus a jugo legis, ita a damnatione; at is ſenſus illorum Verborum non eſt, ſed quod Juſtitia factus ſit per ſubjugationem infernorum, reductionem cœlorum in ordinem, & per glorificationem Humani Ipſius; nam per hanc in poteſtatem ſe immiſit, ut

ex

ex Divino Humano suo in æternum subjugare inferna, ac tenere cœlos in ordine posset, & sic regenerare hominem, hoc est, liberare illum ab infernis, ac salvare illum.

10,240. Quoniam per lavationem etiam significatur Regeneratio, dicetur adhuc aliquid de illa: qui non scit, quod Dominus tam apud Prophetas quam apud Evangelistas per correspondentias loquutus sit, proinde quod in Verbo sensus internus sit, nequaquam scire potest quid intelligitur per Domini verba apud Johannem, "*Amen, amen, dico tibi, nisi quis generatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei. Quod natum est e carne, caro est; sed quod generatum est e spiritu, spiritus est. Spiritus, ubi vult spirat, & vocem ejus audis; atqui non scis, unde venit & quo abit: sic est omnis qui generatus est e spiritu,*" III: 5. 6. 8: Si evolvantur hæc per correspondentias, patet quis sensus horum verborum est, sunt enim arcana cœli: ex correspondentia est aqua verum fidei, quod in naturali homine ad manifestam perceptionem venit: Spiritus est Divinum Verum quod a Domino influit per internum hominis in externum ejus seu naturale, unde homini, qui regeneratur, vita fidei: caro est proprium hominis, quod non est nisi quam malum: quod spiritus spiret ubi vult, significat quod Dominus per Divinum Verum ex Misericordia det vitam novam: quod vocem ejus audias, significat quod illa ad perceptionem veniant in externo seu naturali homine; vox est annuntiatum ex Verbo: quod non scias unde venit & quo abit, significat quod homo non sciat quomodo regeneratio fit, fit enim per arcana innumerabilia & ineffabilia a Domino. Quod ex Correspondentia aquæ sint vera fidei, videatur n: 28. 739. 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8568. 9323. 10,238: quod spiritus sit Divinum Verum, ex quo Vita fidei, n: 9228. 9818: quod caro sit proprium hominis, quod non est nisi quam malum, n: 8409: quod spirare sit status vitæ fidei, n: 9281: quod vox sit annuntiatum ex Verbo, ita Verum inde, n: 9926: quod audire sit perceptio, n: 9311. 9926: quod venire & abire, seu intrare & exire, sit status rei a principio ad finem, n: 9927: quod arcana regenerationis sint innumerabilia & ineffablia, n: 3197. 3573. 5398, 9334 fin: 9336: & quod non percipiatur quid in interno homine peragitur, cum homo in mundo est, sed quid in externo seu naturali, supra n: 10,236.

10,241. Manus suas & pedes suos, quod significet interiora & exteriora hominis, constat ex significatione manuum, quod sint interiora hominis, de qua sequitur; & ex significatione pedum, quod sint exteriora hominis, ita naturalia ejus, nam hæc sunt exteriora; quod pedes sint naturalia, ita quæ exterioris hominis, videatur n: 2162. 3761. 3986. 4280. 4938 ad 4952. 9406. Quod autem manus sint interiora, est quia superiora corporis se exporrigunt in manus, & ibi terminantur; inde per manus significatur quicquid est apud hominem, & quoque potentia ejus, videantur loca citata, n: 10,019: cum autem nominantur & manus & pedes, tunc significatur quicquid est in interno & quoque in externo homine, seu spiritualia & naturalia; inde est, quod per extollere manum significetur potentia in spirituali, &

extollere pedem, potentia in naturali, n: 5327. 5328: præterea per extrema hominis significantur omnia ejus, n: 10,044, & extrema sunt manus & pedes. Ex his constare potest, unde est quod Aharon & filii ejus lavarent manus & pedes, cum intrarent in Tentorium conventus, aut accederent ad altare ad ministrandum.

10,242. In intrando illos in Tentorium conventus, quod significet cultum ex bono fidei, constat ex significatione intrare in Tentorium conventus, cum de Aharone & filiis ejus, quod sit repræsentare omnia cultus ex bono fidei; quod hæc repræsentata fuerint per intrare in Tentorium conventus, est quia per accedere ad altare repræsentata fuerunt omnia cultus ex bono amoris: sunt duo essentialia cultus Divini, bonum fidei & bonum amoris; cultus Divinus sive erit ex illo bono, sive ex hoc: bonum fidei est bonum charitatis erga proximum; & bonum amoris est bonum amoris in Dominum; differunt hæc bona inter se, sicut spirituale & cœleste, quorum differentia qualis sit, videatur in locis citatis n: 9277: cultus ex bono fidei seu ex bono charitatis erga proximum, repræsentatum est per ministrationem Aharonis & filiorum ejus in Tentorio conventus, in quo quotidie fiebat ministratio, quoniam per Tentorium illud repræsentabatur cœlum ubi bonum spirituale regnat; at cultus ex bono cœlesti, quod est bonum amoris in Dominum, repræsentatus est per ministrationem Aharonis & filiorum ejus ad altare, videatur n: 9963. 9964. 10,001. 10,025.

10,243. Lavabunt aquis, quod significet purificationem per vera fidei, constat ex significatione lavare, quod sit purificatio a malis & falsis, de qua supra n: 10,237; & ex significatione aquarum, quod sint vera fidei, de qua etiam supra n: 10,238. Qui non scit, quid lavare significat, & quid pedes & manus, nequaquam scire potest, quid involvunt hæc apud Johannem, "*Jesus mittit aquam in pelvim, & incipit lavare pedes discipulorum, & abstergere linteo, quo erat succinctus: & venit ad Simonem Petrum, qui dicit Ipsi, Tune meos lavas pedes: respondit Jesus, quod Ego facio, tu non scis adhuc, cognosces vero posthac: dicit Ipsi Petrus, non lavabis pedes meos in æternum: respondet illi Jesus, si non lavero te, non habes partem Mecum: dicit Ipsi Petrus, Domine, non pedes meos tantum, sed & manus & caput: dicit illi Jesus, qui lotus est, non opus habet nisi quoad pedes lavetur, sed mundus est totus: jam vos mundi estis,*" XIII: 5 ad 10: quis scire potest quid involvit quod Dominus dixit, "Quod Ego facio, tu non scis adhuc, cognosces vero posthac." Tum "Si non lavero te, non habes partem Mecum." Ut &, "Qui lotus est, non opus habet, nisi quoad pedes lavetur, & mundus est totus:" quod de purificatione a malis & falsis hic agatur, non sciri potest nisi ex sensu interno, ex quo patet, quod per lavationem intelligatur purificatio a malis & falsis; per aquam in pelvi verum fidei in naturali: per linteum, quo succinctus Dominus, & quo abstersit, Divinum Verum ab Ipso procedens; per pedes naturale hominis; per lavare caput, manus, & pedes, regeneratio, similiter per qui lotus est: ita per lavare pedes intelligitur purificare naturale hominis, nam nisi hoc apud hominem, cum in mundo vivit, purificetur &

mundetur, postea in æternum non purificari potest; quale enim naturale hominis est cum moritur, tale manet, non enim postea emendatur, est enim id planum, in quod interiora, quæ sunt spiritualia, influunt, est receptaculum eorum; quapropter cum id perversum est, interiora, cum influunt, ad instar ejus, pervertuntur: se habent illa, sicut cum oculus est læsus, aut aliud quoddam organum sensus, aut membrum corporis, tunc interiora non aliter sentiunt & agunt per illa, quam secundum receptionem ibi; quod itaque homo non purificari possit in æternum, si non purificetur quoad naturale suum in mundo, intelligitur per Domini verba, *quod Ego facio, tu non scis adhuc, cognosces vero posthac*; quod qui regeneratus est, non purificandus sit nisi quoad naturale, intelligitur per hæc, *qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, & mundus est totus*: & quod omnis purificatio fiat a solo Domino, per hæc, *si non lavero te, non habes partem Mecum*; & quod id fiat per Divinum Verum quod a Domino procedit, significatur per *quod linteo, quo succinctus, absterserit*; quod linteum sit verum a Divino, videatur n: 7601, ita linteum, quo Dominus succinctus, est Divinum Verum ab Ipso; quod aqua sit verum fidei, n: 10,238; quod pelvis seu labrum in quo aqua, sit naturale, n: 10,235; quod lavatio capitis, manuum & pedum, seu totius corporis, sit regeneratio, n: 10,239; & quod pedes sint naturale hominis, n: 10,241. Ex his iterum constare potest, quod Dominus per correspondentias loquutus fuerit, ita ex sensu interno, quoniam e cœlo, in quo ille sensus est; quapropter nisi Verbum Domini quoad illum sensum intelligitur, quod parum intelligatur.

10,244. Ne moriantur, quod significet ne pereat repræsentativum, constat ex significatione mori, cum de ministratione Aharonis & filiorum ejus, quod sit cessatio repræsentativorum, & inde conjunctionis cum cœlo, de qua n: 9928. Cum his ita se habet; conjunctio cum cœlo, & per cœlum cum Domino, in Ecclesia apud illam gentem, erat unice per repræsentativa, hoc est, per externa quæ repræsentabant interna; quapropter ut primum non ministrabant secundum præscripta ritualia, periit repræsentativum, & cum illo conjunctio cum cœlo; & cum periit conjunctio cum cœlo, non aliqua illis tutela contra infernum fuit; inde mors filiorum Aharonis, Nadabi & Abihu, dederunt enim suffimentum super ignem alienum, Levit: x: 1. 2, per quod repræsentabatur cultus ex alio amore quam Domini, inde separatio illorum a cœlo & exstinctio: similiter contigisset, si Aharon aut filii ejus illoti accessissent ad ministrandum; nam sic repræsentavissent cultum non e cœlo, sed prophanum qui ab inferno: ex quibus patet, quod per mori, cum de ministratione Aharonis & filiorum ejus, significetur exstinctio repræsentativorum, & inde conjunctionis cum cœlis.

10,245. Vel in accedendo ad altare ad ministrandum, ad adolendum ignitum Jehovæ, quod significet cultum ex bono amoris, constat ex significatione accedere ad altare ad ministrandum, quod sit repræsentare Dominum quoad bonum amoris, de qua n: 9164; & ex significatione adolere ignitum Jehovæ, quod sit cultus ex amore Domini; per adolere enim seu sacrificare significatur

cultus,

cultus, n: 6905. 8936, & per ignitum Jehovæ significatur quod ex Divino amore Domini, n: 10,055. Præterea quomodo cum his se habet, videatur mox supra n: 10,241.

10,246. Et lavabunt manus suas & pedes suos, quod significet purificationem interiorum & exteriorum hominis, constat ex illis quæ supra n: 10,239. 10,240, ostensa sunt, ubi similia verba.

10,247. Ne moriantur, quod significet ne pereat repræsentativum, ut supra n: 10,243.

10,248. Et erit illis statutum sæculi, quod significet legem ordinis æternam, constat ex significatione statuti, quod sit lex ordinis, de qua n: 7884. 7995. 8357; & ex significatione sæculi, quod sit æternum; quod sæculum sit æternum, est quia per sæculum intelligitur duratio usque ad finem; & per illam durationem in sensu interno significatur æternum; etiam vox illa, qua exprimitur sæculum, in Lingua originali significat æternitatem. Quod sæculum sit æternum, est quia sæculum in Verbo significat, cum dicitur de Ecclesia, durationem ejus usque ad finem; inde cum dicitur de cœlo, ubi non finis, & cum de Domino, significat æternum: prædicatur in genere de omni Ecclesia, in specie autem de Ecclesia cœlesti: porro etiam sæculum significat mundum, ac vitam ibi; ut & vitam post illam in æternum. Quod PRIMUM attinet, *quod* nempe *sæculum, cum dicitur de Ecclesia, significet durationem ejus usque ad finem*, constat ex sequentibus his locis; apud Matthæum, "Discipuli dixerunt ad Jesum, dic nobis quodnam signum tui adventus, & *consummationis sæculi*," XXIV: 3; per consummationem sæculi significatur ultimum tempus Ecclesiæ, ita finis ejus, cum amplius nulla fides quia nulla charitas; quod hoc sit consummatio sæculi, proinde quod sæculum sit duratio Ecclesiæ usque ad finem, constare potest ex omnibus illis, quæ a Domino in illo Capite dicta sunt, quæ videantur explicata ante Capita Geneseos a Cap: XXVI ad Cap: XL: simile per sæculum & ejus consummationem significatur alibi apud Eundem, "Messis est *consummatio sæculi*," XIII: 39. 40. 49: tum "Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus *usque ad Consummationem sæculi*," XXVIII: 20; per sæculum etiam ibi intelligitur duratio Ecclesiæ a principio ad finem. Apud Ezechielem, "Habitabunt super terra, illi & filii eorum, & filii filiorum illorum *usque in sæculum:* David princeps illis *in sæculum.* Erit sanctuarium meum in medio eorum *in sæculum,*" XXVII: 25. 28; dicuntur hæc de Israele, per quem in sensu interno intelligitur Ecclesia spiritualis; per terram, super qua habitabunt, etiam significatur Ecclesia; per sanctuarium omne Ecclesiæ; & per Davidem Dominus; inde patet, quod per in sæculum significetur usque ad finem: quod Israel in Verbo sit Ecclesia spiritualis, videatur in locis citatis n: 9340: quod Terra sit Ecclesia, in locis citatis n: 9325: quod sanctuarium sit omne Ecclesiæ, & quod prædicetur de bono & vero Ecclesiæ spiritualis, n: 8330. 9479: & quod David sit Dominus, n: 1888. 9954. Apud Davidem, "Antequam montes nati sunt, & formata est terra, & orbis, *a sæculo usque in sæculum,* Tu Deus," Psalm: IX: 2; per montes natos, & per terram formatam, ac

per orbem, non intelligitur creatio mundi, sed instauratio Ecclesiæ; nam montes in Verbo significant amorem cœlestem, ita Ecclesiam in qua ille amor; terra quoque & orbis significant Ecclesiam, inde a sæculo ad sæculum significat ab Ecclesiarum instauratione ad fines earum; succedunt enim Ecclesiæ, una post alteram, nam finita seu vastata una, instauratur altera; quod mons sit amor cœlestis, proinde Ecclesia quæ in illo amore, videatur n: 795. 796. 4210. 6435. 8758; & quod terra sit Ecclesia in specie, orbis autem in genere, in locis citatis n: 9325. SECUNDO, *Quod sæculum, cum dicitur de cœlo, ubi non finis, & de Domino, significet æternum,* constat ex his locis; apud Davidem, "*Jehovah Rex in sæculum,* & *in perpetuum,*" Psalm: x: 16: tum Exod: xv: 18: apud Eundem, "Regnum tuum *Regnum omnium sæculorum*; & Dominium tuum in omnem generationem & generationem," Psalm: cxlv: 13: apud Jeremiam, "*Deus vivus Rex sæculi,*" x: 10: apud Danielem, "Dominium Ipsius, *dominium sæculi* quod non transibit: postea accipient Regnum sancti altissimorum, & confirmabunt Regnum *usque in sæculum,* & usque *in sæcula sæculorum,*" vii: 14. 18. 27: apud Matthæum, "Tuum est Regnum, Potentia & Gloria *in sæcula,*" vi: 13: apud Lucam, "Dabit Ipsi Deus thronum Davidis, ut regnet super domum Jacobi *in sæcula,*" i: 32. 33: in Apocalypsi, "Jesu Christo sit gloria & robur *in sæcula sæculorum,*" i: 6: alibi "Ecce *vivo in sæcula sæculorum,*" i: 18: & alibi "Agno benedictio, & honor, & gloria, & robur, *in sæcula sæculorum.* Viginti quatuor seniores adorarunt *viventem in sæcula sæculorum,*" v: 13. 14. Cap: x: 6. Cap: xi: 15: apud Esaiam, "Salus mea *in sæculum* erit, & justitia mea in generationem generationum," li: 6. 8: apud Eundem, "Angelus facierum portavit eos *omnibus diebus sæculi,*" lxiii: 9. Apud Danielem, "Multi ex dormientibus evigilabunt in *vitam sæculi,*" xii: 2: apud Johannem, "Si quis comederit ex hoc pane, *vivet in sæculum,*" vi: 51. 58: apud Eundem, "Ego vitam æternam do illis, & *non peribunt in sæculum,*" x: 28: apud Davidem, "Duc me *in via sæculi,*" Psalm: cxxxix: 24: apud Eundem, "Statuit ea in perpetuum, & *in sæculum*; statutum dedit, quod non transibit," Psalm: cxlviii: 6; in his locis sæculum significat æternum, quoniam dicitur de Domino, ac de Ipsius Regno, deque cœlo, & de vita ibi, quorum non finis: sæcula sæculorum non sunt æternitates æternitatum, sed sunt æternum; verum ita dicetur respective ad Ecclesias in terris, quarum una succedit alteri; ex Verbo patet, quod Ecclesia in hac Tellure quater instaurata fuerit, quarum prima fuit antiquissima quæ ante diluvium, altera antiqua quæ post diluvium, tertia Israelitica & Judaica, & demum Christiana; cujusvis periodus a principio ad finem est sæculum; post hanc etiam inchoabit nova; hæ successiones Ecclesiarum intelliguntur per sæcula sæculorum; quod sæculum sit duratio Ecclesiæ usque ad finem, supra ostensum est. TERTIO; *Quod sæculum prædicetur in genere de omni Ecclesia, at in specie de Ecclesia cœlesti,* constat ex his locis; apud Amos, "Erigam Tentorium Davidis collapsum, & ædificabo *juxta dies sæculi,*" ix: 11; per dies sæculi intelligitur tempus cum Ecclesia antiquissima fuit,

quæ fuit cœlestis: apud Micham, "Bethlechem Euphrataea, ex te Mihi exibit, qui sit Dominator in Israele, & cujus exitus ab antiquo, *a diebus sæculi*," v: 1, similiter: apud Moschen, "Memento *dierum sæculi*, intelligite annos generationis & generationis," Deut: xxxii: 7; dies sæculi pro tempore Ecclesiæ antiquissimæ, quæ fuit Ecclesia cœlestis; ac anni generationis & generationis pro tempore Ecclesiæ antiquæ, quæ fuit Ecclesia spiritualis: apud Esaiam, "Expergiscere, expergiscere, indue robur brachium Jehovæ; expergiscere juxta dies antiquitatis, *generationis sæculorum*," li: 8. 9; juxta generationis sæculorum est juxta status amoris & fidei in Ecclesiis antiquis derivatis ab antiquissima: apud Davidem, "Cogitavi dies ab antiquo, *annos sæculorum*," Psalm: lxxvii: 6, similiter: apud Esaiam, "Recordamini prioris *a sæculo*," xlvi: 9: apud Malachiam, "Tunc suavis erit Jehovæ Minchah Jehudæ & Hierosolymæ, *juxta dies sæculi*, & juxta annos antiquos," iii: 4: apud Joelem, "*Jehudah in sæculum sedebit*, & Hierosolyma in generationem & generationem," iv: 20; per Jehudam ibi significatur Ecclesia cœlestis, de qua ideo dicitur juxta dies sæculi, & in sæculum; & per Hierosolymam significatur Ecclesia spiritualis, de qua dicitur juxta dies antiquos & in generationem & generationem; quod Jehudah sit Ecclesia cœlestis, videatur n: 3654. 3881. 6363. 8770; & Hierosolyma Ecclesia spiritualis, n: 402. 3654. Quarto, *quod sæculum significet mundum, & vitam ibi*, constat apud Matthæum, "Qui inter spinas seminatus est, hic est qui Verbum audit, sed *cura sæculi hujus*, & fraus divitiarum suffocat verbum," xiii: 22: apud Lucam, "*Filii hujus sæculi* prudentiores sunt filiis lucis," xvi: 8: apud Eundem, "*Filii sæculi hujus* nuptias faciunt, & nuptui dantur," xx: 34: & apud Davidem, "Impii & *securi sæculi* multiplicant opes," Psalm: lxxxiii: 12. Quinto, *quod sæculum significet vitam post mortem in æternum*, apud Lucam, "Recipiet centupla nunc in tempore hoc, & *in sæculo venturo vitam æternam*," x: 30: apud Ezechielem, "Cum fecero descendere te cum descentibus ad foveam, *ad populum sæculi*," xxvi: 20, & alibi, ut Luc: xviii: 9. 30. Cap: xx: 35. Esai: xxxiv: 10. 17. Apoc: xiv: 11. Cap: xx: 10. Cap: xxii: 5.

10,249. Illi, & semini illius, generationibus illorum, quod significet omnes qui recipiunt illa quæ procedunt a Domino, ita qui regenerantur ab Ipso, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum, de qua n: 9806. 9966; ex significatione seminis, quod sint qui nascuntur a Domino, ita qui regenerantur, nam qui regenerantur, dicuntur nati a Deo, & quoque filii; in sensu autem abstracto a personis per semen Aharonis significantur illa quæ procedunt a Domino, ita ex quibus regeneratur homo, quæ sunt bona amoris & vera fidei; & ex significatione generationum, quod sint bona & vera, quæ procedunt ex illis ut a suis parentibus, ac eorum derivationes; nam per generationes in Verbo in sensu interno intelliguntur generationes spirituales, quæ sunt amoris & fidei, videantur citata n: 10,197. Quoniam Dominus intelligitur per Aharonem in sensu repræsentativo, ideo per semen Aharonis in specie intelliguntur qui in Regno

cœlesti Domini sunt, ac per generationes qui in Regno spirituali Ipsius; nascuntur enim & procedunt ita bona & vera amoris & fidei in Cœlis a Domino. Quod per semen, natos, & generationes, intelligantur illi qui in amore & fide in Dominum sunt, ac in sensu abstracto bona amoris & vera fidei, constat a pluribus locis in Verbo, quorum hæc solum licet afferre; apud Esaiam, "Ab oriente *adducam semen tuum*, & ab occidente colligam te," XLIII: 5, dicuntur hæc de Jacobo & Israele, per quos in sensu interno intelligitur Ecclesia externa & interna, cujus semen est verum fidei & bonum charitatis. Apud Eundem, "Effundam spiritum meum *super semen tuum*, & benedictionem meam super natos tuos," XLIV: 3; super semen & super natos est super illos qui ab Ecclesia, ita super illa quæ sunt Ecclesiæ, quæ sunt bona & vera, seu charitas & fides, nam hæc faciunt Ecclesiam apud hominem. Apud Eundem, "In Jehovah gloriabuntur *omne semen Israelis*," XLV: 25; similiter. Apud Eundem, "Si posuerit reatum animam suam, *videbit semen*," LIII: 10; ibi de Domino; cujus semen dicuntur qui nati ab Ipso, ita qui regenerati. Apud Eundem, "Ad dextram & ad sinistram erumpes, & *semen tuum gentes hæreditabit*," LIV: 3, similiter. Apud Jeremiam, "Ecce dies venientes, quibus seminabo domum Israelis & domum Jehudæ *semine hominis, & semine bestiæ*," XXXI: 27; hæc non intelligentur, nisi sciatur quid significat domus Israelis, & domus Jehudæ, tum quid semen hominis & semen bestiæ; qui non ultra sensum literæ cogitant, credituri sunt, quod sensus sit quod multiplicarentur in Israele & in Jehudah homo & bestia, sed hic sensus nihil sancti Ecclesiæ involvit: verum per Domum Israelis intelligitur ibi Ecclesia spiritualis, & per domum Jehudæ Ecclesia cœlestis, semen hominis, est bonum internum illarum Ecclesiarum, & semen bestiæ est bonum externum illarum; quod bestia sit affectio boni, videatur in locis citatis n: 9280; & quod cum dicitur homo & bestia, sit internum & externum, n: 7523. Apud Jeremiam, "Sicut non numerabitur exercitus cœlorum, & non mensuratur arena maris, ita *multiplicabo semen Davidis*," XXXIII: 22: & apud Davidem, "Pepigi fædus electo meo, juravi Davidi, *in sæculum firmabo semen tuum*, & ædificabo in generationem & generationem thronum tuum," Psalm: LXXXIX: 4. 5; per semen Davidis non intelligitur posteritas ex Davide ut patre, nam hæc non tantum multiplicata fuit, nec tanti ut multiplicaretur, sicut exercitus cœlorum & sicut arena maris, sed per Davidem ibi, ut & alibi, intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ita per semen Ipsius illi qui a Domino, regenerati seu nati sunt, & in sensu abstracto illa quæ a Domino apud illos sunt, quæ sunt vera fidei & bona charitatis: quod David sit Dominus, videatur n: 1888. 9954. Apud Davidem, "*Semen, quod serviet Jehovæ, numerabitur Domino*, in generationem," Psalm: XXII: 31. Apud Esaiam, "*Notum fiet in gentibus semen eorum*, & nati eorum in medio populorum," LXI: 9, semen pro illis qui regenerati, ita pro illis qui ab Ecclesia in quibus Ecclesia, ita in sensu abstracto a personis illa quæ faciunt regeneratum, aut quæ faciunt Ecclesiam apud hominem, quæ sunt fides & charitas a Domino. Et apud Johannem, 'Iratus Draco contra

mulierem,

mulierem, & abivit ut faceret bellum *cum reliquis seminis ejus*, qui tenebant mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi," Apoc: XII: 17; per draconem intelliguntur qui conaturi destruere Ecclesiam Domini posthac instaurandam; per mulierem intelligitur Ecclesia illa; & per illos qui seminis ejus sunt, intelliguntur qui in amore & fide in Dominum a Domino sunt. Semen autem in opposito sensu significat illos qui contra illa quæ Ecclesiæ sunt, ita qui in malo & inde falsis, inque sensu abstracto mala & falsa; ut apud Esaiam, "Væ genti peccatrici, *semini malorum*," I: 4: apud Eundem, "Filii præstigiatricis, *semen adulteri*, nonne vos nati prævaricationis, *semen mendacii*," LVII: 3. 4. Et apud Eundem, "Non nominabitur in æternum *semen maleficorum*," XIV: 20.

10,250. Vers: 22 ad 33. *Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo. Et tu accipe tibi aromata præcipua, myrrham optimam quingenta, & cinnamomum aromaticum dimidium ejus quinquaginta & ducenta, & calamum aromaticum quinquaginta & ducenta, & casiam quingenta, in siclo sanctitatis; & oleum olivæ hinem. Et facies illud oleum unctionis sanctitatis, unguentum unguenti, opus unguentarii, oleum unctionis sanctitatis erit. Et unges illo Tentorium conventus, & Arcam Testimonii. Et Mensam & omnia vasa ejus, & Candelabrum & vasa ejus, & Altare suffitus. Et Altare holocausti, & omnia vasa ejus; & Labrum, & basin ejus. Et sanctificabis illa, & erunt sanctum sanctorum; omnis tangens illa sanctificabitur. Et Aharonem & filios ejus unges, & sanctificabis eos ad fungendum sacerdotio Mihi. Et ad filios Israelis loqueris, dicendo, oleum unctionis sanctitatis erit hoc Mihi in generationes vestras. Super carnem hominis non fundetur; & in qualitate ejus non facietis sicut illud, sanctum hoc, sanctum erit vobis. Vir qui fecerit unguentum sicut illud, & qui dederit ex illo super alienum, & exscindetur e populis suis.* Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, significat aliud perceptivum ex illustratione per Verbum a Domino: & tu accipe tibi aromata præcipua, significat ex Verbo vera cum bonis, quæ grate percipiuntur: myrrham optimam, significat perceptionem veri sensualis: quingenta, significat plenum: & cinnamomum aromaticum, significat perceptionem & affectionem veri naturalis: dimidium ejus quinquaginta & ducenta, significat quantum correspondens: & calamum aromaticum, significat perceptionem & affectionem veri interioris: quinquaginta & ducenta, significat quantum & quale correspondens: & casiam, significat verum adhuc interius ex bono: quingenta, significat plenum: in siclo sanctitatis, significat æstimationem veri & boni: & oleum olivæ, significat Divinum Bonum cœleste Domini: hinem, significat conjunctionis quantum: & facies illud oleum unctionis, significat repræsentativum Divini Boni Divini amoris Domini: unguentum unguenti, significat in omnibus & singulis Humani Ipsius; opus unguentarii, significat ex influxu & operatione Ipsius Divini quod in Domino a conceptione: oleum unctionis sanctitatis erit, significat repræsentativum Domini quoad Divinum Humanum: & unges illo Tentorium conventus, significat ad repræsentandum Divinum Domini in cœlis: & Arcam Testimonii, significat in bono cœlesti quod intimi

intimi cœli: & mensam & omnia vasa ejus, significat in bono spirituali ex cœlesti, quod secundi cœli, & in bonis & veris ministrantibus: & Candelabrum & vasa ejus, significat in vero spirituali, quod secundi cœli, ac in veris ministrantibus: & Altare suffitus, significat in omnibus cultus ex illis bonis & veris: & altare holocausti, significat ad repræsentandum Divinum Humanum Domini, ac Ipsius cultum in genere: & omnia vasa ejus, significat Divina Bona ac Divina Vera: & labrum, & basin ejus, significat omnia quæ sunt purificationis a malis & falsis, ac regenerationis a Domino: & sanctificabis ea, & erunt sancta sanctorum, significat sic influxum & præsentiam Domini in cultu Ecclesiæ repræsentativæ: omnis tangens illa sanctificabitur, significat communicativum cum omnibus qui recipiunt amore & fide: & Aharonem & filios ejus unges, significat inaugurationem ad repræsentandum Dominum in utroque Regno: & sanctificabis eos ad fungendum sacerdotio Mihi, significat ad repræsentandum Dominum quoad omne opus salvationis: & ad filios Israelis loqueris, dicendo, significat instructionem illis qui ab Ecclesia: oleum unctionis sanctitatis erit hoc Mihi, significat repræsentativum Domini quoad Divinum Humanum: in generationes vestras, significat in omnibus Ecclesiæ: super carnem hominis non fundetur, significat non communicativum cum proprio hominis: & in qualitate ejus non facietis sicut illud, significat non imitationem ex studio hominis: sanctum hoc, sanctum erit vobis, significat quia Divinum Domini: vir qui fecerit unguentum sicut illud, significat imitationem Divinorum ex arte; & qui dederit ex illo super alienum, significat conjunctionem cum illis qui non agnoscunt Dominum, ita qui in malis sunt & falsis mali: & exscindetur e populis suis, significat separationem & mortem spiritualem.

10,250. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, quod significet aliud perceptivum ex illustratione per Verbum a Domino, constat ex illis, quæ supra n: 10,215, explicata sunt, ubi similia verba: quod sit aliud perceptivum, est quia, cum aliquid e novo revelatur & mandatur, ita dicitur, videatur n: 10,234.

10,251. Et tu accipe tibi aromata præcipua, quod significet ex Verbo vera cum bonis, quæ grate percipiuntur, constat ex significatione aromatum, quod sint vera conjuncta bonis, quæ grata, de qua n: 10,199; quod sit quæ grate percipiuntur, est quia odor significat perceptivum, & inde odor aromaticus perceptivum gratum; quod odor significet perceptivum, videatur n: 3577. 4624 ad 4634. 4748. 10,054; quod sint vera conjuncta bonis ex Verbo, est quia hoc dicitur ad Moschen, dicitur enim, *tu* accipe *tibi*, aromata, & per Moschen repræsentatur Dominus quoad Verbum, n: 9372; præterea Verbum est, ex quo omnia Vera Ecclesiæ sunt, nam Verbum est ipsum Divinum Verum demissum e cœlo a Domino.

10,252. Myrrham optimam, quod significet perceptionem veri sensualis, constat ex significatione myrrhæ odoriferæ, quod sit perceptio veri sensualis; odor enim ejus est perceptivum, ut mox supra, & myrrha est verum sensuale. Agitur in nunc sequentibus de Oleo unctionis, per quod significatur Bonum cœleste, quod est Divinum Bonum Divini Amoris Domini in Cœlo intimo,

ejus

ejus quale describitur per odorata, ex quibus conficiebatur, quæ fuerunt Myrrha optima, Cinnamomum aromaticum, Calamus aromaticus, Casia, & Oleum olivæ, per quæ significantur vera & bona cœlestia in suo ordine, nempe ab ultimis ad prima, seu ab extremis ad intima; ultima seu extrema significantur per Myrrham; causa quod ita describatur Bonum cœleste, seu Bonum intimi Cœli, est quia Bonum illud existit per illa vera, quæ significantur, & quoque subsistit per illa. Sed quia hoc altioris indaginis est, licet ulterius exponere, quomodo cum hoc se habet; ut Bonum cœleste, quod est Bonum intimum, nascatur apud hominem, quod fit per regenerationem a Domino, acquirentur Vera ex Verbo, seu ex Doctrina Ecclesiæ quæ ex Verbo; hæc vera primum suam sedem nascuntur in Memoria Naturalis seu Externi hominis; inde evocantur illa in internum hominem a Domino, quod fit cum homo vivit secundum illa; & quantum homo afficitur illis, seu amat illa, tantum elevantur adhuc superius, seu interius a Domino, ac fiunt ibi Bonum cœleste: Bonum cœleste est bonum amoris faciendi vera ex Verbo propter bonum, ita propter Dominum, nam Dominus est a quo bonum, ita Bonum; hæc est generatio boni illius; ex qua patet, quod id bonum existat per vera ex Verbo, primum in maxime Externo seu sensuali homine, dein per elevationem eorum in Internum, & demum in ipsum Intimum, ubi illa fiunt bonum cœleste; & quia sic bonum illud per vera in suo ordine existit, ita postea illud in simili ordine per eadem vera subsistit, nam subsistentia est perpetua existentia: & cum ita subsistit, sicut existerat, completum est, nam tunc superiora subsistunt, requiescunt, & se reponunt ordine super inferioribus ut super suis planis, & super extremis seu ultimis, quæ sunt vera scientifica sensualia, ut super suo fundamento. Describuntur hæc vera apud Johannem in Apocalypsi per Lapides pretiosos, ex quibus fundamentum muri Sanctæ Hierosolymæ descendentis e Cœlo, Cap: XXI: 19. 20; per Lapides pretiosos, significantur Vera Divina recepta in bono, videatnr n: 9476. 9863. 9873. 9905. Quod Myrrha odorifera sit verum sensuale, constat etiam apud Davidem, "Amasti justitiam, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ sociis tuis; *Myrrha*, Aloe, & Kesia omnes vestes tuas," Psalm XLV: 8. 9; dicuntur hæc de Domino, Qui solus est Unctus Jehovæ, quoniam Divinum Bonum Divini Amoris, quod significatur per Oleum Unctionis, fuit in Ipso, n: 9954; per Vestes Ipsius, quæ unctæ dicuntur Myrrha, Aloe, & Kesia, significantur Divina Vera ex Divino Bono Ipsius, in Naturali, n: 5954. 9212. 9216. 9814, ita per Myrrham Divinum Verum in sensuali, quia primo loco nominatur. Apud Matthæum, "Sapientes ex Oriente aperientes thesauros suos, obtuleunt Domino nato dona, *Aurum*, *Thus*, & *Myrrham*," II: 11; Aurum ibi est bonum, Thus est verum internum, & Myrrha est Verum externum, utrumque ex bono; quod primo loco ibi nominetur Aurum, est quia Aurum significat bonum, quod est intimum, secundo loco Thus, quia significat Verum internum ex bono; & quod tertio seu ultimo loco nominetur Myrrha, est quia significat verum externum ex bono; quod Aurum sit bonum, videatur in locis citatis n: 9874. 9881; & quod Thus sit verum internum ex bono, vide-

bitur in ſequentibus ad Verſ. 34 hujus Capitis. Quod Sapientes ex Oriente illa obtulerint Domino tunc nato, erat ut ſignificarent Divinum Ipſius in Humano; ſciverunt enim illi quid Aurum ſignificabat, quid Thus, & quid Myrrha, nam in ſcientia correſpondentiarum & repræſentationum erant; illa ſcientia fuit præcipua illis temporibus apud Arabes, Æthiopes, & apud alios in Oriente, quapropter etiam in Verbo per Arabiam, Æthiopiam, & per filios Orientis, in ſenſu interno intelliguntur illi qui in cognitionibus cœleſtium ſunt, n: 1171. 3240. 3242. 3762: ſed ſcientia illa tempore periit, quoniam, cum deſiit bonum vitæ, verſa fuit in magiam; ac primum obliterata apud gentem Iſraeliticam, & poſtea apud reliquas: & hodie uſque adeo, ut ne quidem ſciatur quod ſit; in Chriſtiano orbe in tantum, ut ſi dicatur, quod omnia & ſingula Verbi in ſenſu literæ ex correſpondentia ſignificent cœleſtia, & quod inde ſenſus ejus internus, neſciatur quidnam hoc. Quia Myrrha ſignificabat Verum maxime externum, quod eſt verum ſenſuale, & ejus perceptionem, ideo corpora mortuorum ungebantur olim *Myrrha* & *Aloe*, per quam unctionem ſignificabatur conſervatio verorum & bonorum omnium apud hominem; & quoque reſurrectio; quapropter etiam adhibebatur tale, quod ſignificabat ultimum vitæ apud hominem, quod ultimum vocatur vita ſenſualis: quod talibus unctum fuerit, & una cum linteo circumdatum Corpus Domini, & quod ille mos fuerit apud Judæos, videatur apud Johannem, Cap: XIX: 39. 40: tum apud Lucam Cap: XXIII. 55. 56: ſed ſciendum, quod, quæ de Ipſo Domino in Verbo dicuntur, in ſupereminenti ſenſu intelligenda ſint, quare illa ibi ſignificant Vitam Ipſius Divinam in Senſuali, quæ eſt vita propria Corporis, & quoque Hujus reſurrectionem: quod Dominus reſurrexerit toto corpore, quod in mundo habuit, ſecus ac alii homines, notum eſt, nam nihil in ſepulchro reliquit; quapropter etiam dixit ad diſcipulos, putantes ſe videre ſpiritum, cum Dominum, "Quid perturbati eſtis, videte manus meas, & pedes meos, palpate Me, videte," *nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut videtis Me habere.*

10,253. Quingenta, quod ſignificet plenum, conſtat ex ſignificatione numeri quingenta, quod ſint plenum: quod quingenta ſint plenum, eſt quia is numerus componitur ex quinque & decem in ſe bis multiplicatis, ſeu ex quinquies centum; & per quinque ſignificatur multum, ſimiliter per decem, & per centum, inde per quingenta ſignificatur plenum; quod quinque ſint multum, videatur n: 5708. 5956. 9102; pariter decem, n: 3107. 4638; tum quoque centum, n: 4400. 6582. 6594; quod omnes numeri in Verbo ſignificent res, videatur in locis citatis n: 9488; & quod numeri compoſiti ſignificent ſimile cum ſimplicibus, ex quibus per multiplicationem exiſtunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973. Quod numeri ſignificent res, conſtat manifeſte apud Ezechielem, ubi Domus Dei, cum omnibus ibi intus & extra, & quoque Nova Terra, menſurantur, & deſcribuntur per numeros menſuræ, a Cap: XL: ad XLVIII; & per novam Terram ibi intelligitur Eccleſia, ac per Domum Dei ſanctum ejus: ſimiliter apud Johannem in Apocalypſi, ubi etiam nova Hieroſolyma deſcribitur per numeros menſuræ, per quam etiam intelli-

gitur

gitur nova Ecclesia: nisi numeri significavissent res, omnes illæ mensurationes fuissent inanes. Quod quingenta significent totum ab uno fine ad alterum, ita plenum, constat ibi apud Ezechielem, "Mensus est extra Domum, seu Templum, ad plagam Orientis *Quingentos Calamos circumcirca*; ad plagam septentrionis *Quingentos Calamos circumcirca*; ad plagam meridiei *Quingentos Calamos*; & ad plagam maris *Quingentos Calamos:* Murus ejus circumcirca, longitudo *Quingenti Calami*, & latitudo *Quingenti Calami*, ad distinguendum inter sanctum & prophanum," XLII: 15 ad 20; ex quibus patet, quod quingenta sint totum in complexu, seu omne sanctum ab uno fine ad alterum, ita plenum, nam dicitur, quod murus qui erat illa longitudine & latitudine in quadrato, distingueret inter sanctum & prophanum. Quod quingenta significent multum, & decima ejus pars, seu quinquaginta respective aliquid, constat ex Domini Verbis ad Simonem apud Lucam, "Jesus dixit, duo Debitores erant cuidam Creditori, *unus debebat denarios quingentos*, alter vero *quinquaginta*; cum illi non haberent ut redderent, ambobus condonavit: uter eorum magis illum diligit: respondit Simon, is cui plus condonavit: dixit Jesus, sic remissa sunt mulieri *peccata multa*, quia amavit *multum*; cui vero *parum* remittitur, *parum* amat," VII: 41 ad fin: quod Dominus illos numeros adhibuerit, erat quia significabant multum & aliquid; loquutus enim est ex Divino, ita per significativa secundum correspondentias; similiter ubivis alibi, ut cum de Virginibns, quas dixit *decem*, & quod earum *quinque* essent prudentes, & *quinque* stultæ: decem dixit, quia per illum numerum significantur omnes, nempe qui ab Ecclesia; & quinque, quia per hanc numerum significatur aliqua pars, videatur n: 4637. 4638.

10,254. Et Cinnamomum aromaticum, quod significet perceptionem & affectionem veri naturalis, constat ex significatione Cinnamomi aromatici, quod sit perceptio & affectio veri naturalis, quod verum est verum Externi hominis interius: apud hominem enim est vita sensualis, & vita naturalis, utraque externi hominis; sed vita sensualis est exterior ducens sua vera ab objectis quæ in tellure sunt, & in corpore, & vita naturalis est interior ducens sua vera a causis illorum objectorum; vita Interni hominis similiter est exterior & interior, exterior ducit sua vera ab illis quæ in ultimis cœli sunt, interior autem ab illis quæ in interioribus cœli; hæc vera significantur per odorata quæ sequuntur. Quod per Cinnamomum aromaticum significetur perceptio & affectio veri, est quia per aromaticum significatur perceptio grata; perceptio grata est ex affectione quæ amoris, nam aliunde non est gratum in perceptione: quod omnes odores significent perceptionem, videatur n: 3577. 4626. 4748; & quod odores grati perceptionem veri ex bono, n: 1514. 1517. 1518. 1519. 4628. 10,054; ita ex affectione quæ amoris; & quod sphæræ perceptionum vertantur in odores apud Spiritus & Angelos, n: 4626. Præterea sciendum est, quod omnia illa aromatica, ex quibus Oleum unctionis parabatur, pertineant ad classem cælestem, hoc est, ad illa quæ sunt Regni cœlestis; at Aromatica, ex quibus suffimentum conficiebatur, pertineant ad classem spiritualem, hoc est, ad illa quæ sunt Regni spiritualis; quapropter etiam in Lingua origi-

 nali

nali Aromata, ex quibus oleum unctionis, ex ali voce & derivatione sunt, quam Aromata, ex quibus suffimentum; sunt enim in Verbo peculiares voces, per quas exprimuntur illa quæ Regni cœlestis sunt, & peculiares voces per quas illa quæ Regni spiritualis; & aliæ, quæ communes utrique sunt: sed ut sciatur quænam illæ sunt, notum erit, quod Cœlum in duo Regna divisum sit, similiter Ecclesia; & quod in Regno cœlesti essentiale sit bonum amoris in Dominum, at in Regno spirituali bonum charitatis erga proximum; quæ qualis differentia sit, videatur in numeris citatis n: 9277. Quod Aroma, quod hic nominatur, significet perceptionem & affectionem veri cœlestis, constat apud Esaiam, "*Loco aromatis tabes erit*, & loco cinguli discessio, & loco operis implexi calvities," III: 24; agitur ibi de filiabus Zionis, per quas significatur Ecclesia cœlestis, ibi perversa; quare dicitur aroma eadem voce, qua in hoc Versu; & per loco aromatis tabes significatur quod loco perceptionis & affectionis veri ex bono, ac vita inde, erit perceptio & affectio falsi ex malo, in qua nihil vitæ. Apud Ezechielem, "Negotiatores Schebæ & Raamæ, negotiatores *per primariam omnis aromatis*, & per lapidem pretiosum, & aurum," XXVII: 22; hæc de Tyro dicta sunt, per quam significantur cognitiones boni & veri in Ecclesia; & per Schebam & Raamam significantur qui in cognitionibus cœlestium sunt. Similiter ubi agitur de Regina Schebæ in Libro Primo Regum, "Regina Schebæ dedit Schelomoni centum & viginti talenta auri, & *aromata multa valde*, & lapidem pretiosum: non venit *sicut aroma hoc* amplius quoad multitudinem," X: 10; quod Scheba sint præcipue illi qui in cognitionibus cœlestium sunt, videatur n: 1171. 3240: ex quibus patet, quod hæc aromata, ex quibus parabatur Oleum unctionis, significent perceptionem & affectionem veri, qualis est illis qui in Regno cœlesti Domini sunt. Quod aromatica, per quæ parabatur oleum unctionis, quæ erunt myrrha nobilis, cinnamomum aromaticum, calamus aromaticus, & casia, pertineant ad classem cœlestem, hoc est, ad illa quæ Regni cœlestis Domini sunt, est causa quia Oleum unctionis significabat Divinum Bonum Divini amoris in Domino, quod in Cœlo est Divinum cœleste Ipsius: quod Oleum unctionis id significet, videatur n: 9954. 10,019.

10,255. Dimidium ejus quinquaginta & ducenta, quod significet quantum correspondens, constat ex significatione numeri dimidii prioris, quod sit aliquid, & quantum satis, seu quantum ad usus, ita quoque quantum correspondens, inde est, quod quinquaginta & ducenta, quia sunt dimidium prioris, nempe dimidium numeri quingenta, sint quantum correspondens. Quomodo cum hoc se habet, constare potest ab exemplis; sit numerus decem pro exemplo; cum hic numerus significat omnes, tunc dimidium ejus seu quinque significant aliquos; cum decem significant plenum, tunc quinque significant quantum satis; cum autem decem significant multum, quinque significant aliquid; & sic porro, similiter se habet cum reliquis numeris, cum dimidiantur; quod quinque significent aliquos, tum aliquid, ut & quantum satis, & quantum ad usus, videatur n: 4638. 5708. 5956. 9102. 9689, ita cum varietate respective ad numerum decem, cum hic significat

omnes,

omnes, plenum aut multum: similia significant quinquaginta respective ad centum, & similia quinquaginta ducenta respective ad quingenta; sive numerus major sit, sive minor, nihil interest, quoniam numeri majores simile significant cum minoribus, a quibus sunt, videatur n: 5335. 5708. 7973; & quod numeri in Verbo significent res, in locis citatis n: 9488. 10,127. Ex his constare potest, quod hic numerus, qui est dimidius prioris, non significet dimidium perceptionis veri interioris respective ad perceptionem veri exterioris, sed quantum correspondens: nam res in cœlis non mensurantur & numerantur sicut res in terris, quoniam in cœlis non sunt spatia, nec tempora, sed loco illorum status, qui percipiuntur quoad quale & quantum, absque respectu ad aliquam numerationem; numeratio enim & mensuratio involvunt talia quæ spatii & quæ temporis sunt, ita quæ propria naturæ in ultimis.

10,256. Et Calamum aromaticum, quod significet perceptionem & affectionem veri interioris, constat ex significatione calami aromatici, quod sit perceptio & affectio veri interioris, est enim calamus ille verum, & aromaticum perceptio & affectio ejus; quod calamus sit verum, videbitur infra; & quod aromaticum sit perceptio & affectio ejus, videatur mox supra n: 10,254. Per verum interius hic intelligitur verum Interni hominis, quod exterius ibi, secundum illa, quæ supra n; 10,254, dicta sunt, quod nempe in Externo homine sit exterius & interius, similiter in Interno; inde est, quod quatuor aromatica ad parandum oleum unctionis adhibita fuerint, nempe myrrha nobilis, cinnamomum aromaticum, calamus aromaticus, & casia; & per myrrham nobilem significatur perceptio veri exterioris in Externo homine, quod est verum sensuale; per cinnamomum aromaticum verum interius ibi, quod est verum naturale; per calamum aromaticum verum exterius in Interno homine, & per casiam verum interius ibi, & per oleum olivæ ipsum bonum ex quo affectiones & perceptiones verorum illorum. Quod Calamus sit verum interius, constare potest ex locis in Verbo, ubi memoratur; at ibi non dicitur Calamus aromaticus, sed modo Calamus, & Calamus bonus; ut apud Esaiam, "Non Me vocasti, Jacob; & fatigatus es pro Me Israel; *non emisti Mihi argento Calamum*, & adipe sacrificiorum tuorum non implevisti Me," XLIII: 22. 24. Apud Ezechielem, "Dan & Javan netum in negotiationibus tuis dederunt; ferrum tersum, casia; *& Calamus* in negotiatione tua fuit," XXVII: 19. Et apud Jeremiam, "Quid Mihi thus ex Scheba venit, & *Calamus bonus* e terra longinqua," VI: 20: quod in his locis per calamum intelligatur aliquid Ecclesiæ, & cultus ibi, patet; nam quid alioquin foret, quod emerent Jehovæ argento calamum; & quod Ipsi calamus bonus e terra longinqua veniret; & quia aliquid Ecclesiæ & ejus cultus significatur, sequitur quod sit verum aut bonum, quoniam omnia Ecclesiæ & ejus cultus ad illa se referunt: quodnam autem verum aut bonum significatur, Cœleste vel Spirituale, Externi seu Interni hominis, constat ex sensu interno ibi in sua serie lustrato; quod sit verum interius patet.

10,257. Quinquaginta & ducenta, quod significet quantum & quale correspondens,

respondens, constat ex illis quæ mox supra, n: 10,255, ostensa sunt.

10,258. Et Casium, quod significet verum interius ex bono, constat ex significatione casiæ, quod sit verum interius Interni hominis; quod casia id sit, patet ex illis quæ supra dicta & ostensa sunt; nam cœlestia eo ordine sequuntur ab extremo ad intimum; quare est intimum verum, quod per casiam significatur, est enim quartum in ordine. Quod Casia sit verum ex bono, est quia intimum Verum procedit immediate ex bono, & conjunctim agit cum bono in inferioribus; quod sit cum intellectuale prorsus unum agit cum voluntate, sic ut non internoscatur num sit ex hoc vel num ex illo; cœlestia etiam, quo interiora sunt eo perfectiora sunt, nam crescit omnis perfectio versus interiora, & omnis perfectio est ex bono, hoc est, per bonum a Domino. Memoratur Casia inter illa quæ significant cœlestia, apud Ezechielem, "Dan & Javan netum in negotiationibus tuis dederunt, ferrum tersum, *Casia*, & *Calamus* in negotiatione tua fuit," XXVI: 19, ibi agitur de Tyro, per quam significantur cognitiones veri & boni in Ecclesia, videatur n: 1201; & per Dan & Javan illi qui in cognitionibus cœlestium sunt; ferrum tersum est Verum ultimum cœleste, & Casia est Verum intimum. Casia alibi non memoratur in Verbo, sed Kesia apud Davidem, quæ etiam est species Casiæ, "Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, *Myrrha*, *Aloe*, *Kesia* omnes vestes tuas," Psalm: XLV: 8. 9; agitur in toto illo Psalmo de Domino, & quidem de glorificatione Humani Ipsius: qui non scit sensum internum Verbi, nequaquam scire potest, quid significatur per ungere Myrrha, Aloe, & Kesia omnes vestes, ubi agitur de Domino; quod non intelligantur vestes, patet, nec myrrha, aloe, & kesia, quibus unctæ, sed quod Divina Vera ex Divino Bono, quæ Dominus induit quoad Humanum suum; unctio enim non aliud erat quam repræsentativum Divini Boni in Divino Humano Domini, inde per Myrrham, Aloen, & Kesiam, significantur Divina Vera in suo ordine procedentia ex Divino Bono quod in Ipso; inde per Vestes significatur Divinum Humanum Ipsius; nam sive dicas Divinum Humanum Domini, sive Divinum Verum, idem est, quoniam Dominus, cum in mundo erat, fuit Ipsum Divinum Verum, & cum exivit e Mundo, se fecit Divinum Bonum, ex quo Divinum Verum, videatur in numeris citatis n: 9199 fin: 9315 fin: id etiam in Verbo vocatur Vestis, quod investit aliud, quodcunque id sit: simile per Vestes Domini significatur apud Esaiam Cap: LXIII: 2. 3, & quoque alibi; quod Vestes significent vera investientia bonum, videatur n: 2576. 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 9093. 9212. 9216. 9952. Inde nunc patet, quod per Kesiam ibi, quæ est species casiæ, significetur Divinum Verum, quod immediate procedit ex Divino Bono, quod Verum est intimum verum.

10,259. Quingenta, quod significet plenum, constat ex illis quæ supra n: 10,253 ostensa sunt. Quod quingenta in siclo sanctitatis desumta sint ex myrrha, ac quingenta ex Casia, at modo quinquaginta & ducenta ex cinnamomo aromatico, & ex calamo aromatico, erat causa, quia myrrha significabat verum sensuale, quod est verum ultimum in ordine, & casia verum

quod

quod immediate procedit ex bono, quod est verum intimum; at cinnamomum aromaticum & calamus aromaticus significabant vera interiora, quæ sunt media; & ex ultimo & intimo erit plenum, ex mediis autem quantum correspondens; media enim se habebunt ad primum & ultimum correspondenter.

10,260. In siclo sanctitatis, quod significet æstimationem veri & boni, constat ex significatione sicli sanctitatis, quod sit pretium & æstimatio veri & boni quoad suum quale & quantum, de qua n: 2959. 10,221.

10,261. Et Oleum olivæ, quod significet Divinum Bonum cœleste Domini, constat ex significatione olei, quod sit bonum tam cœleste quam spirituale, de qua n: 886. 4582. 9780; & ex significatione olivæ, quod sit amor cœlestis, de qua sequitur; inde per oleum olivæ significatur bonum cœlestis amoris, seu quod idem, Bonum cœleste: dicitur Divinum Bonum cœleste Domini, quia omne bonum, quod essentialiter bonum in cœlis, est ex Divino Domini. Sed sciendum est, quod Divinum Bonum Domini in se sit unicum, est enim infinitum, ac infinita in se continet, quod infinitum est, hoc unicum est, quoniam infinita, quæ continet, unum faciunt: quod autem distinguatur in Cœleste & Spirituale, est a receptione ejus ab angelis in cœlis & ab hominibas in terris; receptum ab angelis & hominibus, qui e Regno cœlesti Domini sunt, vocatur Divinum Bonum cœleste, at receptum ab angelis & hominibus qui e Regno spirituali Domini sunt, vocatur Divinum Bonum spirituale; omnes enim angeli & homines varie seu dissimiliter recipiunt unicum Domini Bonum: se habet hoc comparative sicut calor & lux a sole mundi, quæ tametsi in se spectata sunt unica, usque variantur secundum anni tempora, & secundum diei tempora, & quoque dissimiliter in unaquavis regione telluris; quæ variatio caloris & lucis non fit a sole, sed a telluris versione varia, secundum varietates circuitionis & volutionis ejus, ita quoque a receptione: etiam eadem lux variatur in singulis objectis secundum receptionem, unde colores. Ex his constare potest, unde est, quod Divinum Bonum Domini, quod est unicum, quia infinitum, dicatur cœleste & spirituale. Quod Oleum sit bonum tam cœleste quam spirituale, constat in locis supra citatis; at quod oliva sit amor cœlestis, ac olea perceptio & affectio illius amoris, constat ex locis in Verbo, ubi Olea & Oliva nominantur, ut ex sequentibus; apud Sachariam, "Propheta vidit Candelabrum auri totum, septem lucernæ ejus super eo, *duæ Oleæ juxta id*, una a dextra lechyti, & una juxta sinistram ejus: dixit ad angelum, *quid duæ Oleæ istæ*, & *quid duæ baccæ olivarum*, quæ in manu duorum tuborum auri; dixit, *hi duo filii olivarum stantes juxta Dominum totius terræ*," IV: 2. 3. 11. 12. 14; quid hæc prophetica involvunt, nemo scire potest, nisi qui ex sensu interno scit, quid significat Candelabrum, & quid Olea; quod Candelabrum significet cœlum spirituale, ac lucernæ ejus sancta vera ibi, videatur n: 9548. 9551. 9555. 9558. 9561. 9684; inde constat, quod Olea significet Regnum cœleste ex perceptione & affectione boni, & baccæ olivarum sancta bona ibi, vera illorum significantur per filios olivarum; duo significant Internum & Ex-

ternum

ternum illius Regni, & conjunctionem. Similia per Oleum & Candelabrum significantur apud Johannem, "Dabo duabus Testibus meis, ut prophetent dies mille ducentos & sexaginta, induti saccis; *hi sunt duæ Oleæ*, & *duo Candelabra coram Deo terræ stantia*," Apoc: XI: 4. Apud Esaiam, "Dabo in deserto cedrum Schittim, & myrtum, & *lignum olei*," XLI: 19; nominatur cedrus & lignum olei, quia cedrus significat bonum spirituale, ac lignum olei bonum cœleste; bonum spirituale est charitas erga proximum, & bonum cœleste est amor in Dominum; dare illa in deserto est in terris extra Ecclesiam, ita inter gentes. Apud Hoscheam, "Ibunt rami ejus; & *erit sicut olivæ honor ejus*, & odor illi sicut Libanus," XIV: 6; per olivam hic quoque significatur bonum cœleste, & per Libanum bonum spirituale, ita per Libanum simile quod per cedrum, quoniam Libanus erat sylva ex cedris. Apud Esaiam, "Sic erit in medio terræ, in medio populorum, sicut *strictura oleæ*, sicut racemationes quando consummata est vindemia," XXIV: 13: tum Cap: XVII: 6; strictura oleæ dicitur, & racemationes consummatæ, vindemiæ, quoniam olea significat Ecclesiam quæ in bono cœlesti, ac Vitis Ecclesiam quæ in bono spirituali; in Verbo enim ubi agitur de bono, etiam agitur de vero, ob conjugium eorum; pariter ubi agitur de cœlesti, etiam de spirituali; cœleste etiam prædicatur de bono, ac spirituale de vero, videatur in locis citatis n: 9263. 9314, ideo de vite & de olea; quod Vitis sit Ecclesia spiritualis, ac bonum & verum ejus, n: 1069. 5113. 6376. 9277: ideo etiam alibi vitis & olea una nominantur, ut apud Davidem, "Uxor sicut *Vitis fructifera* in lateribus domus tuæ; filii tui sicut *plantæ olivarum* circumcirca mensæ tuæ," Psalm: CXXVIII: 3. 4: apud Habakuk, "Ficus non florebit, neque *proventus in vitibus*, *mentietur opus oliva*," III: 17: apnd Amos, "Plurimos hortos vestros, & *Vineas vestras*, & ficus vestras, & *Oleas vestras*, comedit eruca," IV: 9; memoratur etiam ficus, quia ficus significat bonum externæ Ecclesiæ, n: 5113; vitis autem bonum internæ Ecclesiæ spiritualis; & olea bonum internæ Ecclesiæ cœlestis: similiter alibi. Quoniam lignum olei significabat bonum amoris cœlestis, ideo duo Cherubi, qui in adyto Templi, facti erant *ex lignis olei*, pariter fores, superliminare, & postes," 1 Reg: VI: 23. 31. 32; per adytum enim Templi repræsentabatur intimum cœlum, ubi bonum cœleste, ideo omnia quæ inibi significabant cœlestia; quod arca quæ ibi, & propter quam adytum, significaverit intimum cœlum ubi Dominus, videatur n: 9485. Simile etiam per Montem Olivarum, qui e regione Templi, significabatur quod per oleam, sicut simile per Libanum quod per cedrum; ideo ut repræsentarentur in cœlis omnia, quæ Dominus egit, cum fuit in Mundo, ac imprimis Divina Cœlestia, Dominus, cum in Hierosolyma fuit, in Monte Olivarum sæpissime fuit, ut constat apud Lucam, "Jesus erat diebus in Templo docens, *noctibus autem egrediens pernoctavit in Monte, qui dicitur Olivarum*," XXI: 31: & alibi, "*Jesus egressus abiit juxta consuetudinem in montem Olivarum*," XXII: 39: quod ille Mons e regione Templi fuerit, videatur Marc: XIII: 3. Matth: XXIV: 3. Quod Mons Olivarum significaverit Divinum Bonum cœleste, constat apud Sachariam,

riam, ubi dicitur, "*Quod pedes Jehovæ stabunt super monte olivarum*, qui ante facies Hierosolymæ, & ibi pugnabit contra gentes; & *quod diffindetur ille mons*, pars versus ortum, & versus mare, valle magna; & recedet pars ejus versus septentrionem, & pars versus meridiem," XIV: 4; describitur hic status cœli & Ecclesiæ, cum Dominus in mundo fuit, ac pugnavit contra inferna, ac illa devicit, & simul cœlos in ordinem redegit; gentes ibi, contra quas pugnavit, sunt mala ab infernis; mons olivarum, in quo pedes Ipsius stabant, est Divinum Bonum Divini Amoris, ex hoc enim pugnavit ac devicit: discissio montis versus ortum & versus mare, valle magna, significat separationem cœli & inferni; similiter recessio ejus versus septentrionem & meridiem; nam in meridie dicuntur esse qui in luce veri, in ortu qui in amore boni; ad mare autem qui in malis, & ad septentrionem qui in falsis.

10,262. Hinem, quod significet conjunctionis quantum, constat ex significatione hinis, quæ erat mensura liquidorum, hic olei, quod sit conjunctionis quantum; per oleum enim significatur Divinum Bonum cœleste Domini, quod est ipsum conjunctivum omnium in cœlis, inde per mensuram ejus, significatur conjunctionis quantum, & conjunctionis omne. Quod Divinum Bonum cœleste Domini sit ipsum conjunctivum omnium, est quia id est ipsum esse vitæ omnium; vivificat enim omnia per Divinum Verum procedens ex Divino illo Bono, & vivificat secundum receptionis quale; angeli sunt receptiones, & quoque homines; vera & bona apud illos dant quale, secundum id enim fit receptio, ita conjunctio. Binæ mensuræ, quæ in usu sancto, memorantur in Verbo, una pro liquidis, quæ vocabatur Hin, altera pro siccis, quæ vocabatur Ephah; per Hinem mensurabatur oleum & vinum, & per Epham farina & simila; mensura Hin, quæ pro oleo & vino, dividebatur in quatuor, at mensura Ephah dividebatur in decem; quod mensura Hin divisa fuerit in quatuor, erat causa, ut significaret conjunctivum, nam quatuor sunt conjunctio; quod autem mensura ephah divisa fuerit in decem, erat causa ut significaret receptivum, cujus quale designabatur per numeros, nam decem significant multum, omne & plenum; quod quatuor sint conjunctio, videatur, n: 8877. 9601. 9674. 10,136. 10,137; & quod decem sint multum, omne, & plenum, æque ac centum, n: 1988. 3107. 4400. 4638. 8468. 8540. 9745. 10,253. Quod Mensura Hin fuerit pro oleo & vino in sacrificiis, & quod divisa fuerit in quatuor, mensura autem ephah pro farina & simila, quæ pro minchah in sacrificiis, & quod divisa fuerit in decem, constare potest in Exodo Cap: XXIX: 40: in Levit: Cap: V: 11. Cap: XXIII: 13: in Num: XV: 3 ad 10. Cap: XXVIII: 5. 7. 14. Ex his patet, quod per hinem significetur quantum conjunctionis, & per epham quantum receptionis; oleum etiam conjungebat similam, & hæc recepit, nam in minchah erat oleum & simila. Erant præterea aliæ mensuræ, quæ in communi usu, tam pro siccis quam pro liquidis; mensuræ pro siccis vocabantur Chomer & Omer, & mensuræ pro liquidis Korus & Bathus; Chomer continebat decem ephas, & ephah decem omeres; Korus autem continebat decem bathos, & bathus decem minores partes, de quibus videatur Exod: XVI: 36: Ezech:

XLV : 11, 13. 24 : at apud Ezechielem, ubi de novo Templo, exstat alia divisio Ephæ & Bathi, ibi ephah & bathus non dividuntur in decem, sed in sex; & hin ibi correspondet ephæ, ut patet apud illum Prophetam Cap : XLV : 13. 14. 24. Cap : XLVI : 5. 7. 11. 14; causa est; quia ibi non agitur de Bono cœlesti, & ejus conjunctione, sed de Bono spirituali & hujus conjunctione, & in Regno spirituali correspondent numeri duodecim, sex & tria, quoniam per illos significantur omnia, & cum prædicantur de veris & bonis, omnia veri & boni in complexu; quod illa significentur per duodecim, videatur, n : 3272. 3858. 3913. 7973 : quod etiam per sex, n : 3960 fin : 7973. 8148. 10,217; similiter per tria, per quæ significatur a principio ad finem, ita plenum, & quoad res, omne, n : 2788. 4495. 5159. 7715. 9825. 10,127; quod hi numeri similia involvant, est quia numeri majores simile significant cum simplicibus, a quibus per multiplicationem existunt, n : 5291. 5335. 5708. 7973. Quoniam per Hinem significatur quantum conjunctionis etiam cum vero spirituali, ideo quoque ad Mincham in sacrificiis ex ariete sumebatar tertia pars hinis olei, & ad libamen tertia pars vini, Num : XV : 6. 7; per arietem enim significatur bonum spirituale, n : 2830. 9991. Ex his nunc iterum manifeste patet, quod per numeros in Verbo significentur res; ad quid alioquin fuisset designatio quantitatis & mensuræ per numeros toties apud Moschen, & apud Ezechielem; & alibi.

10.263. Et facies illud oleum unctionis, quod significet repræsentativum Divini Boni Divini amoris Domini, constat ex illis, quæ de Oleo unctionis prius n : 9954. 10,011. 10,019, ostensa sunt.

10,264. Unguentum unguenti, quod significet in omnibus & singulis Humani Ipsius, constat ex significatione unguenti, cum de oleo unctionis, per quod significatur repræsentativum Divini Boni Divini Humani Domini, quod sit Divinum in omnibus & singulis Humani Ipsius : quod hoc per unguentum unguenti significetur, est quia omnia aromatica, quæ supra memorata sunt, quæ fuerunt myrrha optima, cinnamomum aromaticum, calamus aromaticus, & casia, per unguentum unguenti intelliguntur; etiam in Lingua originali Aromaticum in genere per vocem illam significatur; sed interpretes dicunt unguentum ex unctione. Quod aromaticum aromatici significet in omnibus & singulis Humani Domini, est quia vera totius Humani cum eorum perceptionibus & affectionibus significantur, nempe verum ultimum, quod sensualis, cum ejus perceptione per myrrham, n : 10,252; verum interius naturalis seu externi hominis, cum ejus perceptione & affectione, per cinnamomum aromaticum, n : 10,254; verum adhuc interius, quod est interni hominis, cum ejus perceptione & affectione, per calamum aromaticum, n : 10,256; & verum intimum cum ejus perceptione & affectione per casiam, n : 10,258; ita per illa totum humanum, nam omnia & singula apud hominem se referunt ad vera & eorum perceptiones & affectiones, faciunt enim vitam ejus : notum enim esse potest, quod homo absque perceptione & affectione veri & boni, non sit homo, nam omnia & singula quæ cogitat, se referunt ad vera & eorum perceptiones, & ad bona & eorum affectiones; cogitationes & affectiones

fectiones hominis non aliud sunt; est enim homini intellectuale, & est voluntarium, intellectuale constituitur ex perceptione veri, & voluntarium ex affectione boni: quod totus homo a capite ad calcem, interius & exterius, non sit nisi quam suum verum aut falsum, ac suum bonum aut malum, & quod corpus sit eorum forma externa, est arcanum, quod nondum in orbe notum est. Ex his nunc constare potest, quod per aromaticum aromatici, seu unguentum unguenti, per quod intelliguntur omnia vera ab ultimo ad intimum, ita vera in toto complexu, significentur omnia & singula apud hominem, seu ex quibus homo: proinde cum aromaticum illud dicitur de Domino, quod significet omnia & singula Humani Ipsius. Dicitur, facies illud oleum unctionis, aromaticum aromatici, opus aromatarii, quoniam oleum unctionis significat ipsum Divinum Bonum Divini Amoris, quod fuit in Domino ex conceptione, n: 9954. 10,011. 10,019; aromaticum aromatici significat id in omnibus & singulis Humani Ipsius, & opus aromatarii seu unguentarii significat ex influxu & operatione Ipsius Divini; solus enim Dominus quoad Humanum suum fuit Unctus Jehovæ, videatur n: 9954.

10,265. Opus unguentarii, quod significet ex influxu & operatione Ipsius Divini quod in Domino ex conceptione, constat ex significatione unguentarii seu aromatarii, quod sit qui operatur illud, quapropter cum id de Domino dicitur, significatur Ipsum Divinum, & per opus ejus operatio: quicquid in Verbo dicitur, respective ad illud, de quo dicitur, intelligendum est, quapropter cum de Divino dicitur, de Divino, ac de Ipsius operatione, influxu, & attributis intelligendum est, qualitercunque in sensu literæ sonat: in intimo cœlo applicantur omnia Verbi ad Divinum Humanum Domini, nam Angeli cogitant ibi immediate ex Domino, & Verbum percipiunt in sensu ejus intimo, qui est sensus cœlestis; quapropter ibi per unguentum unguenti opus unguentarii non aliud percipiunt quam, quod Ipsius Divini, quod in Domino fuit ex conceptione, ac influxum & operationem in omnia & singula Humani Ipsius; Humanum enim Domini est Ipsum Divinum apud illos; sciunt, quod Divinum Bonum Divini Amoris, quod Pater vocatur, sit in Divino Humano Domini, quod Filius, reciproce, secundum Domini verba, *quod Pater in Ipso & Ipse in Patre*," Joh: XIV: 10. 11; & *quod unum sint*," Joh: X: 30. Ne miremini, quod per Unguentarium seu Aromatarium significetur Ipsum Divinum, cum Jehovah passim in Verbo se appellet Formatorem, Opificem, imo etiam Figulum, ut apud Esaiam, "Jehovah Pater noster Tu nos lutum & *Tu Figulus noster*, & opus manuum tuarum omnes nos," LXIV: 7, & quoque alibi apud Eundem, & apud Jeremiam, Cap: XVIII: 2. 3. 4. 6.

10,266. Descriptum est in nunc præcedentibus per præparationem Olei unctionis, Divinum Bonum Divini Amoris Domini in Divino Humano Ipsius, & in sensu respectivo bonum amoris apud hominem a Domino; nam quod in Verbo in supremo sensu dicitur de Domino, in respectivo etiam dicitur de homine, quoniam regeneratio hominis est imago glorificationis Humani Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688: inde patet, quod

 præpa-

præparatio olei unctionis involvat etiam generationem & formationem boni amoris apud hominem a Domino: consequenter quod bonum amoris formetur per vera Ecclesiæ quæ ex Verbo, primum externa, dein interiora magis & magis; secundum descriptionem in nunc præcedentibus, & quod sic primum externus homo, dein interior successive illis imbuatur. Sciendum est, quod quo ordine bonum illud formatum est per vera a Domino, seu quo ordine exstiterat, eo etiam conservetur a Domino, & subsistat, conservatio enim est perpetua formatio, sicut subsistentia est perpetua existentia: inde sequitur, quod quali perceptione & affectione, & quo ordine, homo imbuit vera, tale ei bonum amoris sit; si affectio fuerit veri propter verum & propter bonum, absque affectione propter se & mundum, & si ordo fuerit ab extremis ad interiora per gradus, tunc bonum amoris est genuinum; si aliter, est spurium, aut non bonum: non refert, si in principio, cum incipit formari homo, affectio veri sit etiam propter se & mundum, sed id exuendum est sicut crescit bonum per vera; & quoque homo deinceps purificatur ab illis jugiter, sicut alvus ab inutilibus. Qui credit, quod homo donari possit bono amoris, absque veris fidei, & absque vita secundum illa, valde fallitur.

10,267. Oleum unctionis sanctitatis erit, quod significet repræsentativum Domini quoad Divinum Humanum, constat ex significatione olei unctionis, quod sit repræsentativum Divini Boni Divini Amoris Domini, de qua n: 9954. 10,011. 10,019; hoc dicitur hic Oleum Unctionis sanctitatis, ut intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, nam Hoc est ipsum sanctum in Cœlis; Angeli enim in Cœlis non aliud Divinum sciunt & agnoscunt quam Divinum Humanum Domini, nam de Hoc possunt cogitare, & Hoc possunt amare; de Divino autem, quod Pater vocatur, non cogitare possunt, ita nec Illud amare, quoniam est incomprehensibile, secundum Domini verba, "*Non vocem Ipsius audiverunt usquam, nec speciem Ipsius viderunt,*" Joh: v: 37; quod non videri potest, & non audiri, nec intrare potest in aliquam cogitationis ideam, nec in aliquam amoris affectionem; objectivum accommodatum erit, quod fide & amore comprehendendum. Quod Divinum incomprehensibile, quod Pater vocatur; colatur una quum Dominus quoad Divinum Humanum colitur, constat etiam ex Ipsius Domini Verbis, "*Quod Ipse sit via, & quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum,*" Joh: xiv: 6: & *quod Patrem nemo cognoscat nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare,*" Matth: xi: 27: & *quod nemo viderit Patrem unquam, nisi Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, & Ille exponat,*" Joh: i: 18; quapropter dicit Dominus, "*Venite ad Me omnes, & Ego vos refacillabo,*" Matth: xi: 28. Quod Divinum Humanum Domini sit omne in omnibus Cœli, & quod sit ipsum Sanctum ibi, videatur n: 9933. 9972. 10,067. 10,159; quod Dominus Solus Sanctus, & quod omne Sanctum sit ab Ipso, n: 9229. 9479. 9680. 9818. 9820. 9956.

10,268. Et unges illo Tentorium conventus, quod significet ad repræsentandum Divinum Domini in Cœlis, constat ex significatione ungere Oleo sanctitatis, quod sit inducere repræsentationem Divini Boni Divini Amoris Domini quoad Divinum Humanum; ungere enim significat inducere re-

præ-

præsentationem, nam quæ uncta erant, sancta dicebantur, non ex oleo, sed ex repræsentatione Divini quod per Oleum significatur, Oleum enim significat Divinum Bonum Divini Amoris, & Sanctitas Divinum Humanum, quoniam Hoc Solum est Sanctum, ut constare potest ex illis, quæ supra n: 9954. 10,011. 10,019. 10,264. 10,265. 10,266. 10,267, ostensa sunt: & ex significatione Tentorii conventus, quod sit Cœlum in toto complexu, intimum seu tertium ubi Arca Testimonii, medium seu secundum ubi Mensa super qua panes facierum, Candelabrum, & Altare suffitus, ac ultimum seu primum ubi Atrium, de quibus videatur n: 9457. 9481. 9485. 9784. 9963. 10,230. 10,242. 10,245: inde patet, quod per ungere Tentorium conventus, significetur inducere repræsentationem Divini Boni Divini amoris Domini quoad Divinum Humanum Ipsius; & quia hoc significatur per ungere Tentorium conventus, etiam significatur ad repræsentandum Divinum Domini in Cœlis; Cœlum enim non est Cœlum ex Angelis in suo proprio spectatis, sed ex Divino Domini apud illos, videatur n: 9408. 10,125. 10,151. 10,157. 10,159.

10,269. Et arcam Testimonii, quod significet in bono cælesti quod intimi Cœli, constat a significatione ungere arcam Testimonii, quod sit inducere repræsentationem Divini in bono cœlesti quod intimi cœli; per ungere enim significatur inducere repræsentationem Divini Domini; ut mox supra n: 10,268; & per arcam Testimonii significatur bonum intimi Cœli; quod Arca sit intimum Cœlum, & quod Testimonium sit Dominus ibi, videatur n: 9485; & quia bonum, quod in Cœlo illo regnat, est bonum amoris in Dominum, quod bonum vocatur bonum Cœleste, ideo per ungere Arcam Testimonii significatur inducere repræsentationem Divini Domini in bono cœlesti, quod intimi Cœli. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis, quæ prius passim ostensa sunt; quod nempe unctio representaverit Dominum quoad Divinum Humanum; nam Dominus quoad Divinum suum Humanum solus fuit Unctus Jehovæ, in Ipso enim fuit Divinum Patris a conceptione, & inde in Humano Ipsius: quod humanum corpus sit procedens ex esse patris, quod vocatur anima ejus, notum esse potest; nam similitudo patris quoad affectiones varias quæ sunt amoris, exstat apud liberos, etiam in faciebus illorum; inde unaquævis familia peculiare suum trahit, per quod dignoscitur ab altera; quid tunc apud Dominum, in quo Ipsum Divinum fuit Esse Ipsius, quod vocatur anima: inde est quod Dominus dicat, "*qui vidit me, vidit Patrem; credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me,*" Joh: XIV: 9. 11.

10,270. Et mensam, & omnia vasa ejus, quod significet in bono spirituali quod ex cœlesti, quod secundi Cœli, ac in bonis & veris ministrantibus, constat ex significatione Tentorii conventus extra velum, ubi mensa illa, quod sit cœlum secundum, de qua n: 9457. 9481. 9485; ex significatione mensæ, super qua panes facierum, quod sit bonum spirituale ex cœlesti; panes enim significant bonum cœleste, n: 9545, & mensa super qua illi bonum spirituale, n: 9684. 9685; & ex significatione vasorum ejus, quod sint cogni-

tione s

tiones boni & veri cœlestis, de qua n: 9544, ita bona & vera ministrantia, nam cognitiones ministrant. Quod sit bonum spirituale ex cœlesti, quod significatur per mensam, super qua panes facierum, est quia per Tentorium conventus extra velum repræsentatum est Cœlum secundum, in quo bonum charitatis erga proximum regnat, quod bonum vocatur bonum spirituale, & hoc bonum tantum est bonum, quantum in eo est bonum cœleste, quod est bonum amoris in Dominum: sunt enim tria genera bonorum, quæ faciunt tres cœlos; est Bonum amoris in Dominum, quod vocatur bonum cœleste, hoc facit intimum cœlum; est Bonum charitatis erga proximum, quod vocatur bonum spirituale, & facit secundum Cœlum; & est Bonum fidei, quod vocatur bonum naturale spirituale, hoc facit ultimum cœlum; in bonum cœleste, quod est intimi cœli, influit Dominus ex Divino Humano immediate; in bonum spirituale, quod est secundi Cœli, influit Dominus ex Divino Humano, etiam mediate per bonum cœleste; & in bonum naturale, spirituale, quod est ultimi cœli, influit Dominus ex Divino Humano, etiam iterum mediate; dicitur *etiam mediate*, quoniam Dominus in bona horum cœlorum non modo influit mediate, sed etiam immediate, ut constare potest ex illis quæ de influxu Divino immediato & mediato in numeris citatis n: 9682, ostensa sunt.

10,271. Et Candelabrum & vasa ejus, quod significet in vero spirituali, quod secundi Cœli, ac in veris ministrantibus, constat ex significatione Candelabri, quod sit repræsentativum Domini quoad verum spirituale, quod secundi Cœli, de qua n: 9548. 9551. 9555. 9558. 9561. 9684; & ex significatione vasorum ejus, quod sint vera scientifica, quæ ministrantia, de qua n: 3068. 3079. 9572. 9724.

10,272. Et altare suffitus, quod significet in omnibus cultus ex illis bonis & veris, constat ex significatione altaris suffitus, quod sit repræsentativum omnium cultus, quæ ex amore & charitate a Domino, de qua n: 10,177. 10,198: dicitur repræsentativum Domini in bonis ac veris, inque ministrantibus, ac in omnibus cultus, ex causa, quia bona & vera, quæ repræsentantur, in tantum bona & vera sunt, in quantum in illis est Divinum Domini; sunt enim omnia bona & vera, quæ apud hominem & angelum, a Domino; absque vita a Domino in illis, sunt res mortuæ, imo etiam mala, nam si non a Domino sed ab homine sunt, spectant hominem & mundum, & quæ pro fine habent hominem & mundum, in se mala sunt, finis enim est intimum hominis, nam est anima omnium quæ in illo: ex his constare potest, quomodo intelligendum est repræsentativum Domini in bonis & veris, ac eorum ministrantibus. Per bona & vera ministrantia intelliguntur bona & vera quæ in naturali seu externo homine sunt, quæ vocantur cognitiones & scientifica; nam hæc sunt, in quæ internus homo intuetur, & ex quibus eligit confirmantia, quæ conveniunt vitæ affectionum seu amori ejus; & quia illa ita subordinata sunt, ideo vocantur ministrantia: sunt etiam bona & vera his iterum ministrantia, quæ vocantur scientifica sensualia: se habent enim bona & vera apud hominem, sicut familiæ aut sicut domus, ubi est paterfamilias,

familias, & ſunt filii, filiæ, generi & nurus, ac famuli & ancillæ; in infimo loco ibi ſunt, quæ intelliguntur per ſcientifica ſenſualia, tametſi hodie apud pleroſque in ſupremo loco ſunt.

10,273. Et altare holocauſti, quod ſignificet ad repræſentandum Divinum Humanum Domini, ac Ipſius cultum in genere, conſtat ex repræſentatione Altaris holocauſti, quod ſit principale repræſentativum Divini Humani Domini, ac Ipſius cultus, de qua n: 2777. 2811. 8935. 8940. 9388. 9389. 9714. 9964. 10,123, 10,151.

10,274. Et omnia vaſa ejus, quod ſignificet Divina Bona & Divina Vera, conſtat ex ſignificatione vaſorum, quod ſint cognitiones & ſcientifica, de qua n: 3068. 3079. 9394. 9544. 9724; at cum dicuntur de Divino Humano Domini, ſunt Divina Bona ac Divina Vera miniſtrantia.

10,275. Et labrum & baſin ejus, quod ſignificet omnia quæ ſunt purificationis a malis & falſis, ac regenerationis a Domino, conſtat ex ſignificatione labri, in quo lavatio, quod ſit purificatorium a malis & falſis, & quoque regeneratorium, de qua n: 10,235; & ex ſignificatione baſeos ejus, quod ſit ſenſuale ſuſtentans & miniſtrans, de qua n: 10,236.

10,276. Et ſanctificabis ea, & erunt ſancta ſanctorum, quod ſignificet ſic influxum & præſentiam Domini in cultu Eccleſiæ repræſentativæ, conſtat ex ſignificatione ſanctificari, quod ſit repræſentare Dominum quoad Divinum Humanum, ac receptionem Divini Boni ac Divini Veri ab Ipſo; ſolus enim Dominus eſt Sanctus, & inde id modo ſanctum quod procedit ab Ipſo; inde patet, quod per ſanctificari etiam ſignificetur influxus & præſentia Domini in cultu Eccleſiæ repræſentativæ: quod ſanctificari ſit repræſentare Dominum quoad Divinum Humanum, videatur n: 9956. 9988. 10,069; & quoque receptionem Divini Boni & Divini Veri ab Ipſo, n: 8806. 9820. 10,128: quod Solus Dominus ſanctus, & id modo ſanctum quod procedit ab Ipſo, n: 9229. 9479. 9680. 9818: ita quod ſancta apud gentem Iſraeliticam & Judaicam fuerint repræſentative ſancta, n: 10,149: & ex ſignificatione ſancti ſanctorum, quod ſit Divinum Bonum cœleſte, de qua n: 10,129: inde patet, quod illa omnia, quæ uncta fuerunt, dicta ſint ſancta ſanctorum ex influxu & præſentia Divini Humani Domini; & omnis influxus & præſentia Domini fit immediate, & quoque in inferioribus cœlis mediate per bonum cœleſte, quod eſt bonum intimi cœli, ideo quantum bona inferiorum cœlorum in ſe continent ac recondunt bonum cœleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, tantum bona ſunt: inde eſt, quod quæ uncta fuerunt, dicta fuerint ſancta ſanctorum; de influxu immediato & mediato Domini, videatur in locis citatis n: 9682: & n: 9683. Sed ut ſciatur, quomodo cum his ſe habet, ſciendum eſt, quid repræſentatio, & quid Eccleſia repræſentativa; quid illæ ſunt, in locis citatis n: 9229. 9280. 10,330, multis oſtenſum eſt: ſed quia hodie pauci ſciunt, quid ſunt, licet adhuc rem illam aliquibus illuſtrare: in intimis cœlis apud angelos ſunt affectiones boni & veri a Domino, quæ faciunt vitam eorum, & felicitatem eorum; hæc in ultimo cœlo ſiſtuntur in formis externis, quæ ſunt innumerabiles, cum infinita

nita varietate; quicquid ibi vident oculis suis, inde est: hæc sunt repræsentativa interiorum, quæ sunt affectiones boni & veri, ac vocantur cœlestia & spiritualia: spiritus boni, qui in illis ut subjectis percipiunt sancta cœli, afficiuntur interius: ut pro exemplo, vident Paradisos cum arboribus & fructibus innumerabilium specierum, similiter roseta, vireta, agros cum sementibus, domos & palatia, & perplura alia; quæ omnia correspondent affectionibus boni & veri, quæ a Domino in cœlis superioribus: sunt quoque in his cœlis repræsentativa, sed quæ immensum excedunt perfectione, jucunditate & felicitate illa quæ in cœlo ultimo; hæc repræsentativa sunt, de quibus dicitur, quod talia nusquam aliquis oculus vidit; si etiam aliquid de illis diceretur, excederet fidem humanam. Ex his constare potest, quid repræsentativa; omnia quæ apud gentem Israeliticam instituta fuerunt, erant similia illis quæ in cœlo ultimo, sed in minore perfectione, quia in natura mundi; sicut Tentorium cum arca, cum mensa super qua panes facierum, cum Candelabro & ejus lucernis, cum Altari suffitus; vestes Aharonis & filiorum ejus, ac postea Templum, cum adyto ibi, ubi arca super qua Propiatorium & Cherubi; Mare æneum, Labra, & similia; at innumerabilia plura apparent in cœlo ultimo, sed in excellentia & perfectione majore: ex illo cœlo ostensa fuerunt illa, quæ apud gentem Israeliticam instituerentur, Moschi a Domino in monte Sinai, ut patet in Exod: Cap: XXV: 40. Cap: XXVI: 30. Cap: XXVII: 8; at Moschi ibi non visa sunt oculis corporis ejus, sed oculis spiritus ejus. Qualia sunt repræsentativa, ulterius constare potest ex illis quæ visa sunt Prophetis, ut Danieli, Johanni in Apocalypsi, & reliquis; quæ omnia in se recondunt Divina spiritualia & cœlestia; quod hæc non intelligibilia sint absque interpretatione ex sensu interno, cuivis constare potest: ex his nunc iterum patet, quid Ecclesia repræsentativa. Hæc Ecclesia instituta fuit in Terra Canaane imprimis propter Verbum, ut hoc per repræsentativa & significativa conscriberetur; ita per talia, quæ apud illam gentem erant, in Ecclesia eorum, & in terra eorum; omnia enim loca in Canaane terra, omnes ibi montes & fluvii, ab antiquissimis temporibus repræsentabant talia quæ in cœlis, n: 3686. 4240. 4447. 4454. 5136. 6516; & postea hæreditates, Tribus, & reliqua: sensus literalis Verbi Veteris Testamenti ex talibus erat, ut esset aliquod ultimum, in quod desinerent interiora, & super quo starent, sicut ædes super suo fundamento, videatur n: 9360. 9824. 10,044. Qui intelligens est, ex his scire potest, quod Verbum sit sanctissimum, & quod sensus literalis ejus sanctus sit ex sensu ejus interno; at quod separatus ab illo non sit sanctus; sensus enim separatus ab interno, est sicut externum hominis separatum ab interno ejus quod est simulachrum nullius vitæ; & est sicut putamen arboris, floris, fructus, aut seminis absque eorum interioribus; & sicut fundamen absque domo; quapropter qui solum sensum literæ Verbi premunt, nec doctrinam habent, aut sibi comparant ex Verbo convenientem sensui ejus interno, trahi possunt in quascunque hæreses; inde est, quod Verbum a talibus dicatur Liber Hæresium; ipsa Doctrina ex Verbo omnino prælucebit & ducet: ipsam illam doctrinam docet sensus internus,

internus, & qui illam doctrinam novit, sensum internum Verbi habet. Gens Judaica, quia non agnoscebat aliquod sanctum in Verbo, quam in solo sensu literæ ejus, quem separavit prorsus a sensu interno; ideo in tales tenebras lapsa est, ut non cognoverint Dominum, cum venit in mundum; talis etiam est gens illa hodie; quapropter licet inter Christianos vivit, usque tamen adhuc Dominum ex Verbo non agnoscit: quod gens illa fuerit in externis absque internis a primo tempore, videantur quæ in locis citatis n: 9320 fin: 9380, ostensa sunt: quapropter nisi Dominus in mundum venisset, ac interiora Verbi aperuisset, communicatio cum cœlis per Verbum, rupta fuisset; qua rupta periisset genus humanum in hac Tellure; homo enim nihil veri cogitare potest, & nihil boni facere, nisi e cœlo, hoc est, per cœlum a Domino; Verbum est quod aperit cœlum.

10,277. Omnis tangens illa sanctificabitur, quod significet communicativum cum omnibus qui recipiunt amore & fide, constat ex significatione tangere, quod sit communicatio, de qua n: 10,130; & ex significatione sanctificari, quod sit influxus & præsentia Domini, de qua mox supra n: 10,273; & quia influxus & præsentia Domini est in amore & fide, ita apud illos qui Ipsum amore & fide recipiunt, inde illi sunt qui dicuntur hic sanctificati; sed est Divinum apud illos, quod solum sanctum est, & prorsus non proprium illorum.

10,278. Et Aharonem & filios ejus unges, quod significet inaugurationem ad repræsentandum Dominum in utroque Regno, constat ex significatione ungere, quod sit inducere repræsentationem, ut supra; ex repræsentatione Aharonis, quod sit Dominus quoad Divinum Bonum cœleste, ita in Regno cœlesti; & ex repræsentatione filiorum Aharonis, quod sit Dominus quoad bonum spirituale, ita in Regno spirituali, de qua n: 9807. 10,017. 10,068.

10,279. Et sanctificabis eos ad fungendum sacerdotio Mihi, quod significet ad repræsentandum Dominum quoad omne opus salvationis, constat ex significatione sanctificare, quod sit repræsentare Dominum quoad Divinum Humanum, de qua supra n: 10,273; & ex repræsentatione sacerdotii Aharonis & filiorum ejus, quod sit opus salvationis Domini in ordine successivo, de qua n: 9809. 10,017.

10,280. Et ad filios Israelis loqueris, dicendo, quod significet instructionem illis qui ab Ecclesia, constat ex significatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua in locis citatis n: 9340; & ex significatione loqui & dicere, cum a Jehovah, quod sit instructio, de qua n: 6879. 6881. 6889. 6891. 7186. 7226. 7241. 7267. 7304. 7380. 7517. 8127.

10,281. Oleum unctionis sanctitatis erit hoc Mihi, quod significet repræsentativum Domini quoad Divinum Humanum, constat ex illis quæ supra n: 10,256, ostensa sunt.

10,282. In generationes vestras, quod significet in omnibus Ecclesiæ, constat ex significatione generationum, cum de filiis Israelis, per quos significatur Ecclesia, quod sint qui ab Ecclesia, de qua n: 10,212; ita abstracte a personis, quæ sunt Ecclesiæ. Abstracte a personis dicitur, quia Divina, quæ

procedunt a Domino, faciunt Ecclesiam, & prorsus nihil hominis; apud hominem quidem influunt, sed usque non fiunt hominis, sed sunt Domini apud hominem: quoniam ita est, Angeli, cum inter se loquuntur, abstracte a personis loquuntur: ideo nec nomen alicujus personæ, de qua memoratur in Verbo, intrat cœlum, sed res quæ per personam ibi significatur: quod omnia nomina personarum & locorum in Verbo significent res, videatur n: 1888. 4442. 5905. 5225: & quod nomina non intrent cœlum, n: 1876. 6516. 10,216.

10,283. Super carnem hominis non fundetur, quod significet non communicativum cum proprio hominis, constat ex significatione carnis hominis, quod sit proprium ejus, de qua sequitur; & ex significatione fundere, quod sit communicare; simile enim significatur per fundere, quod per tangere, sed fundere prædicatur de liquidis, ut de oleo, vino, & aqua, & effundere de Divinis, cœlestibus & spiritualibus; at tangere de siccis & corporeis; quod tangere sit communicare, videatur n: 10,130; inde sequitur quod per quod oleum unctionis super carnem hominis non fundetur, significetur quod Divinum Bonum Divini amoris Domini non communicativum sit cum proprio hominis, causa est, quia proprium hominis non est nisi quam malum, & Divinum Bonum Domini non cum malo communicari potest: quod proprium hominis non sit nisi quam malum, videatur n: 210. 215. 731. 874. 875. 876. 987. 1023. 1024. 1047. 5660. 5786. 8480. Est apud hominem proprium voluntarium, & proprium intellectuale; proprium ejus voluntarium est malum, & proprium intellectuale est falsum inde; illud, nempe proprium voluntarium significatur per carnem hominis, est proprium intellectuale per sanguinem illius carnis: quod ita sit, constat ex sequentibus his locis; apud Matthæum, "Jesus dixit, beatus es Simon, *quia caro & sanguis non revelavit tibi*; sed Pater meus Qui est in cœlis," XVI: 17; quod Caro ibi sit proprium hominis, & quoque sanguis, manifeste patet. Apud Johannem, "Quotquot receperunt, dedit illis potestatem, ut filii Dei essent; *qui non ex Sanguinibus, neque ex voluntate carnis*, sed ex Deo nati sunt," I: 12. 13; per sanguines ibi significantur falsa quæ ex proprio intellectuali hominis progrediuntur, & per voluntatem carnis mala quæ ex proprio voluntario; quod sanguis sit falsum ex malo, ita proprium intellectuale ex proprio voluntario, videatur n: 4735. 9127. Apud Esaiam, "Cibabo oppressores tuos *carne illorum*, & sicut musto *sanguine eorum* inebriabuntur," XLIX: 26, cibare illos carne eorum, & inebriare sanguine eorum, pro opplere malo & falso mali, ita proprio, utrumque enim tam malum quam falsum ex proprio est. Apud Jeremiam, "Maledictus homo qui confidet in homine, & *ponit carnem brachium suum*," XVII: 5; confidere in homine, & ponere carne brachium suum, est sibi & suo proprio fidere. Apud Esaiam, "Factus est populus sicut cibus ignis; si deciderit ad dextram esuriet, & si comederit ad sinistram non saturabuntur: *vir carnem brachii sui comedent*; Menascheh Ephraimum, & Ephraimus Menaschen," IX: 19. 20; per cibum ignis significatur appropriatio malorum seu cupiditatum amoris sui & mundi; per esurire & non

saturari significatur non recipere bonum & verum fidei; per carnem brachii significatur proprium utrumque hominis; per Menaschen malum voluntatis; per Ephraimum falsum intellectus: & per comedere appropriare: quod ignes sint mala seu cupiditates amoris sui & mundi, videatur n: 5071. 5215. 6314. 6832. 7324. 7575. 9041; quod esurire & non saturari sit non recipere bonum & verum fidei, est quia per famem & sitim significatur desolatio boni & veri, n: 5360. 5376. 6110. 7102, 8568 fin: quod dextrum sit bonum ex quo verum, & sinistrum verum per quod bonum, n: 10,061; inde si deciderit ad dextram esurire, & comedere ad sinistram non saturari, significat quod utcunque instruuntur de bono & vero, non usque recepturos esse: quod Menascheh sit bonum voluntatis, n: 5351. 5353. 5343 fin: 6222. 6234. 6238. 6267; & quod Ephraimus sit verum intellectus, n: 3969. 5354. 6222. 6234. 6238. 6267; inde in opposito sensu est Menascheh malum voluntatis, & Ephraim falsum intellectus, nam pæne omnia in Verbo etiam oppositum sensum habent: quod comedere sit appropriare, n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; inde patet quid sit comedere carnem brachii sui, quod nempe sit appropriare sibi malum & falsum ex suo proprio: caro brachii dicitur, quia per brachium similiter ac per manum significatur id quod est apud hominem, & cui fidet, videatur in locis citatis n: 10,019. Apud Sachariam, "Dixi, non pascam vos, moriens moriatur, reliquæ *comedent quælibet carnem alterius*," XI: 9; non pascere pro non instruere & reformare; mori pro perire quoad vitam spiritualem; comedere carnem alterius pro appropriare sibi mala quæ ex proprio alterius. Apud Ezechielem, "Scortata est Hierosolyma cum filiis Ægypti vicinis, *magnis carne*," XVI: 26; Hierosolyma pro Ecclesia perversa; scortari cum filiis Ægypti magnis carne pro falsificare vera Ecclesiæ per scientifica quæ ex solo naturali homine, ita per scientifica sensualia; quod Hierosolyma sit Ecclesia, videatur n: 402. 2117. 3654, hic Ecclesia perversa; quod scortari sit falsificare vera, n: 2466. 2729. 8904: quod filii sint vera, & quoque falsa, n: 1147. 3373. 4257. 9807: quod Ægyptus sit scientificum in utroque sensu, in locis citati, n: 9340, & quod sit naturale; in locis citatis n: 9391; inde magni carne dicuntur, qui ex sensualibus ratiocinantur & concludunt de veris Ecclesiæ; qui hoc faciunt, ii falsa arripiunt pro veris, nam ex sensualibus ratiocinari & concludere est ex fallaciis sensuum corporis; quapropter sunt sensuales homines qui intelliguntur per magnos carne, quoniam ex proprio corporeo cogitant. Apud Esaiam, "Ægyptus homo, non deus; & *equi ejus caro non spiritus*," XXXI: 3; Ægyptus etiam hic pro scientifico, equi ejus pro intellectuali inde, hoc dicitur caro non spiritus, cum ex proprio & non ex Divino concludunt: quod equi sint intellectuale, videatur n: 2761. 2762. 3217. 5321. 6534; & quod equi Ægypti sint scientifica ex intellectuali perverso, n: 6125. 8146. 8148. Quod per carnem significetur proprium hominis, seu quod idem, malum ejus voluntarium, constat apud Moschen, ubi agitur de cupidine populi Israelitici edendi carnem, de qua ita "Colluvies quæ in medio populi, *concupiverunt concupiscentiam*, & dixerunt, *quis cibabit nos carne:* dixit Jehovah,

hovah, in craſtinum *comedetis carnem*; non die uno comedetis, neque duobus diebus, neque quinque diebus, neque decem diebus, neque viginti diebus, ad menſam uſque dierum. Et ventus profectus eſt a Jehovah, & abripuit *coturnices e mari*, & dimiſit ſuper caſtra, inſtar duarum ulnarum ſuper faciebus terræ: ſurrexit populus tota die & tota nocte, totoque die craſtino, ac collegerunt & expanderunt circum caſtra: caro adhuc inter dentes eorum antequam deglutiretur, & ira Jehovæ exarſit in populum, & percuſſit in populo plagam magnam valde: unde vocavit nomen loci *ſepulchra concupiſcentiæ*," Numer: XI: 4. 18. 19. 20. 31. 32. 33; quod caro ſignificaverit proprium illius gentis, ex ſingulis ibi conſtare poteſt; nam niſi hoc, quid malum in deſiderare carnem, cum etiam illis promiſſa fuit caro prius, Exod: XVI: 12; ſed quia ſignificabat proprium, ita malum voluntarium, in quo gens illa præ aliis gentibus erat, ideo dicitur, cum deſiderarent carnem, quod concupiverint concupiſcentiam; & ideo percuſſi ſunt plaga magna; & ideo nomen loci, ubi ſepulti, vocatum eſt Sepulchra concupiſcentiarum; ſive dicas malum voluntarium, ſive concupiſcentiam, idem eſt, nam malum voluntarium eſt concupiſcentia, quoniam proprium hominis non cupit niſi quam ſuum, & non aliquid proximi, aut aliquid Dei, niſi propter ſe: quia gens illa talis fuit, ideo dicitur, quod comederent carnem non uno die, non duobus, non quinque, nec decem, nec viginti, ſed menſem dierum, per quæ ſignificatur quod gens illa talis ſit in perpetuum, nam menſis dierum eſt in perpetuum, & ideo dicitur, quod caro adhuc inter dentes antequam deglutiretur, percuſſi fuerint plaga magna, per dentes enim ſignificatur proprium corporeum, quod eſt infimum hominis, n: 442. 4424, 5565 ad 5568. 9062: quod gens illa talis fuerit, videatur in locis citatis n: 9380; & in Cantico Moſchis, Deut: XXXII: 20. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 32. 33. 34. In Verbo opponitur ſpiritus carni, quoniam per ſpiritum ſignificatur vita a Domino, & per carnem vita ab homine; ut apud Johannem, "*Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*; verba quæ Ego loquor vobis, *ſpiritus ſunt*, & *vita ſunt*," VI: 63; inde conſtat, quod ſpiritus ſit vita a Domino, quæ eſt vita amoris & fidei in Ipſum ab Ipſo, & quod Caro ſit vita ab homine, ita proprium ejus; inde dicitur, Caro non prodeſt quicquam. Similiter alibi apud Johannem, "*Quod natum eſt a carne Caro eſt*, ſed quod *generatum eſt a ſpiritu, ſpiritus eſt*," III: 6. Apud Davidem, "Deus recordatus *quod Caro illi*; *ſpiritus qui abiret, non reverteretur*," Pſalm: LXXVIII: 39. Quoniam per Carnem, cum de homine, ſignificatur proprium, quod eſt malum amoris ſui & mundi, patet, quid per Carnem ſignificatur, cum de Domino, quod nempe Proprium Ipſius, quod eſt Divinum Bonum Divini amoris; hoc ſignificatur per Carnem Domini apud Johannem, "Panis, quem Ego dabo, *Caro mea eſt*; *niſi comederitis Carnem Filii hominis*, & *biberitis Ipſius Sanguinem*, non habebitis vitam in vobis: *qui manducat meam Carnem*, & *bibit meum Sanguinem*, habet vitam æternam; nam *Caro mea eſt vere cibus*, & *Sanguis meus eſt vere potus*," VI: 51. 53. 54. 55; quod per Carnem Domini ſignificetur Divinum Bonum Divini amoris Ipſius, & per Sanguinem Divinum Verum ex Divino

illo

illo Bono procedens, ita similia quæ per Panem & Vinum in Sancta Cœna; & quod illa sint Propria in Divino Humano Ipsius, videatur n: 1001. 3813. 4735. 4978. 7317. 7326. 7850. 9127. 9393. 10,026. 10,032. 10,152: & quod sacrificia repræsentaverint bona quæ a Domino, & quod ideo Carnes illorum significaverint bona, n: 10,040. 10,079. Præterea in Verbo passim dicitur omnis Caro, & per id intelligitur omnis homo, ut Genes: VI: 12. 13. 17. 19. Esai: XL: 5. 6. Cap: XLIX: 26. Cap: LXVI: 16. 23. 24. Jerem: XXV: 31. Cap: XXXII: 27. Cap: XLV: 5. Ezech: XX: 48. Cap: XXI: 4. 5: & alibi.

10,284. Et in qualitate ejus non facietis sicut illud, quod significet non imitationem ex studio hominis, constat ex significatione in qualitate facere sicut illud, seu facere simile oleum per similia aromata, quod sit ad imitationem parare ex studio hominis: quod hæc per illa verba significentur, consequitur ex serie rerum in sensu interno; nam dicitur primum quod non fundetur super carnem hominis, per quod significatur quod non communicativum sit cum proprio hominis; & dein, quod id sanctum erit vobis; at quod ex homine fit, & ex ejus studio, id ex ejus proprio fit, & non est sanctum, quia studium ex proprio hominis non est nisi quam falsum ex malo, spectat enim se & mundum pro fine, & non proximum & Deum; ideo quoque dicitur imitatio. Cum hoc ita se habet; omne id est bonum & verum, quod est a Domino; at bonum & verum ad imitamen ejus ab homine, non est bonum & verum; causa est, quia omne bonum & verum vitam in se habet ex fine; finis ab homine non est nisi propter se; at bonum & verum a Domino est propter ipsum bonum & verum ut fines, ita propter Dominum, quoniam a Domino omne bonum & verum: finis apud hominem est ipse homo, nam est voluntas ejus, & est amor ejus; quod enim homo amat & quod vult, hoc pro fine habet; omnis amor apud hominem ab homine est amor sui, & amor mundi propter se; at amor apud hominem a Domino est amor erga proximum & amor in Deum; inter amores illos tanta est differentia, quanta est inter infernum & cœlum; & quoque amor sui & amor mundi propter se, regnant in inferno, & sunt infernum; at amor erga proximum, & amor in Dominum, regnant in cœlo, & sunt cœlum; homo etiam talis est, & talis manet in æternum, qualis est ejus amor; nam amor est omne voluntatis hominis, & inde intellectus ejus, quoniam amor, qui facit voluntatem, jugiter influit in intellectum, & accendit illum, & illustrat illum; inde est, quod qui amant malum, cogitent falsum a malo amoris conforme, cum cogitant secum; tametsi aliter loquuntur coram hominibus, ex hypocrisi; & quidam ex fide persuasiva, quæ qualis sit, videatur n: 9360. 9369. Sciendum est, quod homo imitari possit ex studio ipsa Divina, & se sistere lucis angelum coram hominibus; at coram Domino, & coram angelis non apparet forma externa, sed interna, quæ cum ex proprio est, fæda est; intus apud tales est mere naturale, & nihil spirituale; ex luce naturali solum vident, & nihil ex luce cœli; imo nec sciunt quid lux cœli, & quid spirituale; omnia enim interiora eorum vertuntur extrorsum, pœne sicut interiora animalium, nec patiuntur elevari sursum a Domino;

cum

cum tamen homo quæ bestiis id peculiare habet, quod elevari possit ad cœlum & ad Dominum a Domino, & sic duci; omnes illi ita elevantur, qui amant bonum & verum propter bonum & verum, quod idem est, ac amare proximum & Deum; nam proximus in communi sensu est bonum & verum, ac in inferiori est justum & rectum; & quoque Deus est bonum & verum, ac justum & rectum, quoniam a Deo sunt. Ex his constare potest, quid sit imitari Divina ex studio hominis: quales illi sunt, in Verbo passim describitur per Ægyptum & Pharaonem, nam per Ægyptum & Pharaonem significantur scientifica quæ naturalis hominis; & quoque per Aschurem, per quem significatur ratiocinatio ex scientificis; de Ægypto videatur in locis citatis n: 9340. 9391; & de Aschure, n: 1186. Inter spiritus sunt perplures, qui imitantur Divina studio & arte; mentiuntur enim sincera, proba, pia, usque adeo ut boni spiritus seducerentur, nisi Dominus illustraret illos, & faceret videre eorum interiora, quæ cum apparent, horrent boni, & aufugiunt; sed tales exuuntur externis, ac immittuntur in sua interiora, quæ diabolica, & sic a seipsis delabuntur in infernum. Plura de his videantur in articulo sequenti n: 10,286.

10,285. Sanctum erit vobis, quod significet quia Divinum Domini, constat ex significatione sancti, cum de oleo unctionis, quod sit Divinum Domini; oleum enim unctionis erat repræsentativum Divini Boni Divini amoris in Divino Humano Domini, ita repræsentativum Divini Humani Ipsius; nam sive dicas Divinum Bonum Divini amoris, sive Divinum Humanum, idem est: quia id significabatur per oleum unctionis & repræsentabatur per unctionem, & id solum sanctum est, & inde quod procedit ab Ipso est, sanctum quia Ipsius, ideo toties dicitur, quod illud sanctum sit, videatur etiam supra n: 10,266.

10,286. Vir qui fecerit unguentum sicut illud, quod significet imitationem Divinorum ex arte, constat ex significatione facere sicut illud, quod sit imitatio; & ex significatione unguenti, quod sint Divina vera quæ solius Domini, & a solo Domino, de qua supra n: 10,264: quod imitatio ex arte significetur, est quia omnis imitatio Divinorum ex homine fit ex arte. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis, quæ supra n: 10,284, dicta & ostensa sunt: sed hæc ulterius illustrari possunt ab iis quæ apud spiritus existunt; qui eorum omnia tribuunt fortunæ, ac propriæ prudentiæ, & nihil Divino, sicut fecerunt in mundo, sciunt variis modis imitari Divina; sistunt enim palatia pœne qualia in cœlis, sistunt lucos & campestria ad conspectum pœne similia qualia a Domino apud bonos spiritus; ornant se vestibus splendidis, imo etiam Sirenes inducunt sibi pulchritudinem pœne angelicam; sed hæc omnia ex arte per phantasias; verum illa omnia utcunque in externa forma apparent similia, usque in interna sunt fœda; quod etiam illico manifestatur bonis spiritibus a Domino, nam nisi manifestaretur, seducerentur; aufertur enim externum, quo oblato diabolicum, quod intus, exstat: aufertur per immissam lucem e cœlo, ex qua lumen fatuum, quod est phantasiarum, per quod operantur talia, discutitur: inde constare potest, qualis est imitatio Divinorum ex arte:

at

at quæ ex Domino sunt, intus sunt cœlestia, & quo interius, eo cœlestiora, nam Divina crescunt perfectione versus interiora, usque ut tandem sint perfectionis & pulchritudinis ineffabilis. Similiter se habet cum imitatione boni & veri apud illos qui vivunt male: qui eorum sciunt mentiri affectiones bonas, ac quoddam charitatis erga proximum, & amoris in Deum, & simul cum illis affectionibus loquuntur & prædicant vera fidei sicut ex corde, illi in simili fatuo & phantastico lumine sunt; quapropter quum illis aufertur externum, quod mentitum est internum, apparet infernale, quod intus latuit, quod merum est malum, ac mali falsum; & tunc pariter sistitur videndum, quod malum illud sit amor illorum, & falsum mali illius fides illorum. Ex his iterum patet, quid sit imitatio Divinorum ex studio hominis; de qua supra n: 10,281.

10,287. Et qui dederit ex illo super alienum, quod significet conjunctionem cum illis qui non agnoscunt Dominum, ita qui in malis sunt & in falsis mali, constat ex significatione dare super aliquem, cum de Divinis veris, quæ per unguentum aromaticum significatur, quod sit conjungere; & ex significatione alieni, quod sit qui non ab Ecclesia, ita qui non agnoscit Dominum, & inde qui in malis & falsis est; qui enim non agnoscit Dominum, is non ab Ecclesia est; & qui negat Dominum, in malis & falsis est, nam bonum & verum non aliunde quam ab Ipso venit; quod alieni significent, tales constabit ex locis in Verbo, quæ sequentur; sed prius aliquid dicetur de conjunctione Divini Veri cum illis qui non agnoscunt Dominum; conjunctio illa est prophanatio: prophanatio enim est conjunctio Divini Veri cum falsis ex malo; & apud illos & non apud alios datur conjunctio illa quæ prophanatio, quam qui prius agnoverunt illa quæ Ecclesiæ sunt, ac imprimis Dominum, ac postea eadem negant; per agnitionem enim verorum Ecclesiæ ac Domini fit communicatio cum Cœlis, & inde aperitio interiorum hominis versus cœlum; & per negationem postea conjunctio eorundem cum falsis ex malo; omnia enim quæ homo agnoscit, manent implantata, nam nihil perit apud hominem quod intravit per agnitionem. Status hominis, apud quem prophanatio, est, quod communicationem habeat cum cœlis, & simul cum infernis, per vera cum cœlis, & per falsa mali cum infernis; inde in altera vita fit dilaceratio eorum, ex qua perit omne vitæ interioris; apparent illi post dilacerationem vix sicut homines amplius, sed sicut ossa adusta, in quibus parum vitæ: videantur quæ de prophanatione prius dicta & ostensa sunt, quod nempe illi prophanent, qui prius agnoverunt vera Divina, & postea negant, n: 1001. 1010. 1059. 2051. 3398. 4289. 4601. 6348. 6960. 6963. 6971. 8394: quod qui negaverunt illa ab infantia, ut Judæi & alii, non prophanent, n: 593. 1001. 1010. 1059, 3398. 3489. 6963: & quod a Domino maximopere caveatur, ne apud hominem fiat prophanatio n: 301. 302. 303. 1327. 1328. 2426. 3398. 3402. 3489. 6595. Sed sciendum est, quod prophanationum perplura sint genera, & horum perplures species; sunt enim qui prophanant bona Ecclesiæ; & sunt qui prophanant vera ejus; sunt qui prophanant multum, & sunt qui prophanant parum; sunt qui prophanant interius, & sunt qui prophanant exterius magis

gis magis; sunt qui prophanant per fidem contra vera & bona Ecclesiæ, sunt qui prophanant per vitam, & sunt qui prophanant per cultum: inde dantur prophanatorum inferna plura, quæ secundum diversitates prophanationum inter se distincta sunt: inferna prophanationum boni a tergo sunt; inferna autem prophanationum veri sub pedibus & ad latera; profundiora sunt infernis reliquorum malorum, ac raro apperiuntur. Quod alieni sint illi qui non agnoscunt Dominum, ac nolunt agnoscere, sive extra Ecclesiam, sive intra illam sint, ita qui in malis sunt & in falsis mali; ac in sensu a personis abstracto, mala & falsa mali, constat a pluribus locis in Verbo: dicitur qui non agnoscunt Dominum, ita qui in malis ac falsis mali sunt, quoniam qui non agnoscunt Dominum, non possunt aliter quam in malis & falsis mali esse, nam a Domino est omne bonum & verum boni; quapropter qui negant Dominum in malis & falsis mali sunt, secundum Domini verba apud Johannem, "*Nisi credideritis quod Ego sim, moriemini in peccatis vestris,*" VIII: 24. Quod alieni illi sint, constat ab his locis apud Esaiam, "Terra vestra solitudo, urbes vestræ exustæ igne; *humum vestrum coram vobis alieni comedent*; & erit solitudo *sicut eversio alienorum,*" I: 7; per tertam hic non intelligitur terra, nec per urbes & per humum urbes & humus; sed per terram intelligitur Ecclesia, similiter per humum, & per urbes vera Ecclesiæ, quæ doctrinalia vocantur, quæ exusta igne dicuntur cum ex malis amorum sui & mundi consumta sunt; inde patet, quid significatur per quod alieni comedent humum, quod nempe mala & falsa mali Ecclesiam; & per quod terra erit solitudo; quod terra sit Ecclesia, videatur in locis citatis n: 9325; & quod similiter humus, n: 566. 1068; quod urbes sint doctrinalia Ecclesiæ, ita vera ejus, n: 2268. 2450. 2712. 2943. 3216. 4492. 4493: & quod ignis sit malum amorum sui & mundi, n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7575, 9041. Apud Jeremiam "Obtexit ignominia facies nostras, *cum venerunt Alieni contra sanctuaria domus Jehovæ,*" LI: 51; alieni contra sanctuaria domus Jehovæ sunt mala & falsa mali contra vera & bona Ecclesiæ; alieni dicebantur illi ex gentibus, qui in Ecclesia Judaica serviebant, & per gentes illius terræ significantur etiam mala & falsa, n: 9320. Apud Eundem, "Dicis, desperatum est, non; *sed amabo alienos, & post hos ibo,*" II: 25; amare alienos & ire post illos est amare mala & falsa mali, & colere illa. Apud Ezechielem, "Gladium adducam super vos, & *dabo vos in manum alienorum,*" XI: 8, gladium adducere est falsa ex malo pugnantia contra vera ex bono; dare in manum alienorum, est ut credant & serviant falsis illis: quod gladius sit verum pugnans contra falsa, & in opposito sensu falsum pugnans contra vera, videatur n: 2799. 6353. 7102. 8294. Apud Eundem, "Mortibus præputiatorum morieris, *in manu alienorum,*" XXVIII: 10; præputiati sunt qui in spurcis amoribus & eorum cupiditatibus quoad vitam, utcunque in doctrinalibus, n: 2049. 3412. 3413. 4462. 7045. 7225, quorum mors est mors spiritualis; in manu alienorum est in ipsis malis & falsis mali. Apud Eundem, "Hierosolyma mulier adultera sub viro suo, *accipit alienos,*" XVI: 32; Hierosolyma mulier adultera pro Ecclesia in qua adulteratum

ratum est bonum; accipere alienos pro agnoscere vita & doctrina mala & falsa mali. Apud Joelem, "Hierosolyma erit sanctitas, *nec alieni transibunt per eam amplius*," IV: 17; Hierosolyma etiam hic pro Ecclesia, sed in qua agnoscitur Dominus, vivitur bono & creditur veris quæ a Domino; alieni non transibunt per eam amplius sunt mala & falsa mali quæ ab inferno, quod non intratura. Apud Davidem, "*Alieni surrexerunt contra me*, & violenti quæsiverunt animam meam," Psalm: LIV: 5; alieni etiam hic pro malis & falsis mali, violenti pro iisdem violentiam inferentibus bonis & veris: qui solum sensum literæ Verbi intuentur, per alienos non aliud intelligunt, quam illos qui extra Ecclesiam sunt, & quod illi surrecturi contra Davidem; sed in cœlos non intrat aliquid personæ, verum res quæ significantur, n: 8343. 8985. 9007; ita non alieni, sed pro illis aliena, quæ sunt quæ abalienata ab Ecclesia, ita mala & falsa mali, quæ Ecclesiam destruunt; per Davidem etiam, contra quem surrecturi, etiam percipitur Dominus, n: 1888. 9954. Apud Moschen, "Deseruit Deum qui fecit eum, & vilipendit petram salutis suæ: *ad Zelum provocarunt Ipsum per alienos*;" Deut: XXXII: 15. 16; deserere Deum, & vilipendere petram salutis, pro negare Dominum; provocare per alienos pro per mala & falsa mali; quod Petra sit Dominus quoad vera fidei, videatur n: 8581. Præter etiam alibi alieni pro malis & falsis, ut Esai: XXV: 2. 4. 5. Jerem: XXX: 8. Ezech: XXXI: 11. 12. Quoniam alieni significabant illos qui in malis & falsis mali sunt, & inde in sensu abstracto mala & falsa mali, ideo vetitum fuit *ne alienus comederet sancta*," Levit: XXII: 10: quod *alienus non appropinquaret ad functionem sacerdotii*, aut ad *custodiam sanctuarii*; & si accederet, quod occideretur," Num: I: 51. Cap: III: 10. 38. XVIII: 7. *Etiam quod non suffiretur ex igne alieno*, ex quo quia suffiverunt Nadab & Abihu filii Aharonis, igne e cœlo consumti sunt," Levit: X: 1. 2; per ignem enim sanctum, qui ex altari, significabatur amor Divinus, per ignem autem alienum amor infernalis, & inde quoque mala & eorum cupiditates, videatur n: 1297. 1861. 2446. 5071. 5215. 6314. 6832. 7575. 9041. Nominantur etiam alienigenæ, alia voce quam alieni, in lingua originali, & per illos significantur ipsa falsa; ut in Threnis, "Jehovah respice ad ignominiam nostram; hæreditas nostra *aversa est ad alienos*, & domus nostræ *ad alienigenas*," V: 1. 2: apud Obadiam, "Captivum duxerunt *alieni* robur ejus, & *alienigenæ* intraverunt portas ejus, & super Hierosolymam jacient sortem," vers: 11; jacere sortem super Hierosolymam, pro destruere Ecclesiam, & dissipare vera ejus: apud Zephaniam, "Visitabo super principes & super filios regis, & *super omnes indutos indumento alienigenæ*," I: 8; induti indumento alienigenæ pro illis qui in falsis sunt; nam principes & filii regis, super quos visitatio, sunt primaria vera, & in opposito sensu, primaria falsa, quod principes illa significent, videatur n: 1482. 2089. 5044: quod reges sint ipsa vera, & in opposito sensu ipsa falsa, n: 2015. 2069. 3009. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148; inde filii regis sunt quæ inde: apud Davidem, "Libera me, & eripe *e manu filiorum alienigenæ*; quorum os loquitur vanitatem; & dextra eorum dextra mendacii," Psalm: CXLIV: 7. 8. 11; quod

filii alienigenæ sint qui in falsis, ita falsa, patet manifeste, nam dicitur, quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum dextra mendacii; vanitas enim est falsitas doctrinæ, & mendacium falsum vitæ, n: 9248.

10,288. Et exscindetur e populis suis, quod significet separationem & mortem spiritualem, constat ex significatione exscindi & occidi, quod sit separari ab illis qui in bono & inde veris sunt, & perire quoad vitam spiritualem, de qua n: 6767. 8902; & ex significatione populorum, quod sint qui ab Ecclesia in veris & bonis fidei, de qua n: 3581. 4619. 6451. 6464. 7207; ita exscindi e populis est separari ab illis, & perire. Qui ab Ecclesia sunt, vocantur in Verbo nunc populus, nunc gens, ut populus Israeliticus, & gens Judaica; per populum ibi significantur illi qui ab Ecclesia spirituali, & per gentem qui ab Ecclesia cœlesti; inde est, quod populi significent vera & bona fidei, gentes autem bona amoris, videatur in locis nunc citatis.

10,289. Vers: 34. 35. 36. 37. 38. *Et dixit Jehovah ad Moschen; accipe tibi aromata fragrantia, stacten, & onychen, & galbanum, fragrantia; & thus purum; tantum in tanto erit. Et facies illud suffimentum, unguentum, opus unguentarii, salitum, purum, sanctum. Et tundes ex illo minutim; & dabis de illo ante Testimonium in Tentorio conventus, quo conveniam te ibi; sanctum sanctorum erit vobis. Et suffimentum, quod facis in qualitate ejus, non facietis vobis; sanctum erit tibi Jehovæ. Vir qui fecerit sicut illud ad faciendum odorem eo, & exscindetur e populis suis.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat illustrationem & perceptionem iterum per Verbum a Domino: accipe tibi aromata fragrantia, significat affectiones veri ex bono, quæ erunt in cultu Divino: stacten, significat affectionem veri sensualis: & onychen, significat affectionem veri interioris naturalis: & galbanum, significat affectionem veri adhuc interioris: fragrantia, significat affectiones ex bono spirituali: & thus purum, significat verum intimum, quod est bonum spirituale: tantum in tanto erit, significat correspondentiam omnimodam: & facies illud suffimentum, significat ex illis cultum: unguentum, opus unguentarii, significat ex influxu & operatione Divini Domini in omnia & singula: salitum significat desiderium veri ad bonum: purum significat absque malo: sanctum, significat absque falso mali: & tundes ex illo minutim, significat dispositionem verorum in suas series: & dabis de illo ante Testimonium in Tentorio conventus, significat cultum Domini in Cœlo & in Ecclesia: quo conveniam te ibi, significat ab influxu Domini: sanctum sanctorum erit vobis, significat quoniam ex Domino: & suffimentum quod facis in qualitate ejus non facietis vobis, significat non applicandum esse cultum ex sanctis Ecclesiæ veris ad amores hominis: sanctum erit tibi Jehovæ, significat applicandum esse cultum ad amorem Divinum: vir qui fecerit sicut illud ad faciendum odorem eo, significat imitationem cultus Divini per affectiones veri & boni ex proprio: & exscindetur e populis suis, significat separationem e cœlo & ecclesia, ac mortem spiritualem.

10,290. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet illustrationem & percep-

perceptionem iterum per Verbum a Domino, constat ex significatione dicere, cum de Jehovah, quod sit illustratio & perceptio; quod sit illustratio, videatur n: 7019. 10,215. 10,234; & quod sit perceptio, n: 1791. 1815. 1819. 1822. 1898. 1919. 2080. 2862. 3509. 5877; & ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua n: 6752. 7014. 7089; & quod Jehovah in Verbo sit Dominus, in locis citatis n: 9373; inde patet, quod per dixit Jehovah ad Moschen, significetur illustratio & perceptio per Verbum a Domino. Quod hæc significentur, est quia Dominus cum homine Ecclesiæ non aliter loquitur quam per Verbum, illustrat enim tunc ut homo videat verum, & quoque dat perceptionem ut percipiat quod ita sit; sed hoc fit secundum quale desiderii veri apud hominem, & desiderium veri apud illum est secundum amorem ejus; qui amant verum propter verum, illi in illustratione sunt; & qui amant verum propter bonum, illi in perceptione sunt: quid perceptio, videatur n: 483. 495. 521. 536. 597. 607. 784. 1121. 1387. 1919. 2144. 2145. 2171. 2515. 2831. 5227. 5920. 7680. 7977. 8780. At Dominus cum Mosche & Prophetis loquutus est viva voce, ob causam ut Verbum promulgaretur, quod esset tale, ut omnia & singula sensum internum haberent; inde etiam hæc verba, *dixit Jehovah ad Moschen:* Angeli, qui in sensu interno sunt, non sciunt quid Moscheh, quoniam nomina personarum non intrant cœlum, n: 10,282, sed pro Moscheh percipiunt Verbum, & vox dicere vertitur apud illos in tale quod congruit, ita hic in illustrari & percipere; etiam dicere & loqui, cum a Domino per Verbum, nec aliud sunt in idea angelica.

10,291. Accipe tibi aromata fragrantia, quod significet affectiones veri ex bono, quæ erunt in cultu Divino, constat ex significatione aromatum, quod sint perceptiones & affectiones veri & boni, de qua n: 10,254: quod sit quæ erunt in cultu Divino, est quia per suffimentum, quod ex illis conficiebatur, significatur cultus Divinus, de quo in sequentibus. Aromata, quæ nunc memorantur, prorsus alius generis sunt, quam aromata ex quibus oleum unctionis parabatur, de quibus supra in Vers: 23. 24; vocantur etiam illa aromata, sed in Lingua originali exprimuntur alia voce: illa aromata, ex quibus oleum unctionis parabatur, significant similiter perceptiones & affectiones veri & boni, sicut hæc aromata, sed cum differentia, quod illa vera pertineant ad classem cœlestem, hæc autem ad classem spiritualem; quod illa vera ad classem cœlestem pertineant, videatur n: 10,254; quod hæc vera ad classem spiritualem, videbitur in sequentibus. Quid sit pertinere ad classem cœlestem, & ad classem spiritualem, adhuc paucis dicetur: sæpius dictum est, quod Cœlum distinctum sit in Regnum cœleste & in Regnum spirituale; in utroque Regno differunt vera sicut bona; bonum Regni cœlestis est bonum amoris in Dominum; & bonum Regni spiritualis est bonum charitatis erga proximum; omne bonum habet sua vera, bonum cœleste sua, & bonum spirituale sua, quæ prorsus inter se differunt; differentia qualis est, constare potest ex illis quæ de Utroque Regno in locis citatis n: 9277, ostensa sunt. Quod omne bonum habeat sua vera, est quia bonum formatur per vera, videatur n: 10,252, 10,266; & quoque se manifestat per vera: se habent illa sicut

 apud

apud hominem voluntarium & intellectuale; voluntarium ejus formatur per intellectuale, & quoque se manifestat per illud: quod voluntatis est, vocatur bonum, & quod intellectus vocatur verum.

10,292. Stacten, quod significet affectionem veri sensualis, constat ex significatione stactes, quod sit verum sensuale; quod sit affectio istius veri est ex fragrantia; nam odor significat perceptivum, odor fragrans perceptivum gratum, & odor tetre olens perceptivum ingratum; & omne gratum & ingratum perceptionis est ex affectione quæ amoris, & secundum illam, videatur n: 925. 1514. 1517. 1518. 1519. 3577. 4624 ad 4634. 4748. 5621. 10,054. In genere sciendum est, quod omnia, quæcunque sunt, in Regno vegetabili, tam quæ ferunt sylvæ, quam quæ ferunt horti, agri, campi, sicut arbores, sementes, flores, gramina, & legumina, in genere & in specie, significent spiritualia & cœlestia; causa quod ita sit, est, quia universa Natura est Theatrum repræsentativum Regni Domini, videatur in locis citatis n: 9280. Quod Stacte sit affectio veri sensualis, est quia primo loco nominatur; sunt enim quatuor aromata, ex quibus suffimentum conficiebatur, sicut etiam quatuor aromata ex quibus oleum unctionis parabatur; & quod primo loco nominatur, hoc maxime externum est; sicut id quod primo loco ad præparationem olei unctionis nominatum est, quod erat myrrha optima, quod id sit perceptio veri sensualis, videatur supra, n: 10,252. Quod quatuor aromata ad præparationem utriusque tam olei quam suffimenti, sumta fuerint, erat causa quia significabant vera in suo ordine, ab externo ad intimum; & apud hominem ita quoque succedunt; est enim homini externum, quod externus homo vocatur, & internum quod internus homo; & in utroque est exterius & interius; maxime externum vocatur sensuale; hoc itaque est quod per stacten significatur. Quid sensuale, & quale, videatur n: 9996. 10,236. Quod stacte sit affectio veri sensualis, ex aliis locis in Verbo non confirmari potest, quia non alibi mentionatur; sed stacte alius generis, quod etiam alia voce in Lingua originali exprimitur, memoratur inter illa aromata, quæ delata sunt in Ægyptum, Genes: Cap: XXXVII: 25. Cap: XLIII: 11, & quæ ad Ægyptum delata sunt, involvunt talia quæ in externo seu naturali homine sunt, quoniam per Ægyptum significatur scientificum, quod est naturalis hominis, videatur in locis citatis n: 9391.

10,293. Et Onychen, quod significet affectionem veri interioris naturalis, constat ex significatione Onyches fragrantis, quod sit affectio veri naturalis; per Onychen significatur id verum, & per fragrans perceptivum grati, quod est ex affectione veri, ita ipsa affectio: quod dicatur Onyche fragrans, est quia dicitur supra & post enumerationem horum aromatum, his verbis, accipe tibi *aromata fragrantia*, stacten, & onychen, & galbanum, *fragrantia*. Quod sit affectio veri in naturali, quæ per Onychen significatur, est quia secundo loco nominatur; nominantur enim Aromata in ordine secundum vera apud hominem a maxime externis ad intima; inde est, quod per stacten significetur affectio veri sensualis, quod est verum maxime externum, per Onychen affectio veri naturalis, quod est verum interius in naturali homine; per

galbanum:

galbanum affectio veri adhuc interioris, quod verum est verum interius in spirituali seu interno homine; & per thus verum intimum in interno homine, quod est bonum spirituale: similiter ac significatum est per aromata, ex quibus oleum unctionis, quæ erant myrrha optima, cinnamomum aromaticum, calamus aromaticus, & casia, quod illa significent vera in tali ordine, videatur n: 10,252. 10,254. 10,256. 10,258; sed quod differentia sit, quod ea vera, quæ significantur per aromata olei unctionis, pertineant ad classem cœlestem, hæc autem vera, quæ significantur per aromata suffimenti, pertineant ad classem spiritualem, de qua re re supra n: 10,254. 10,290.

10,294. Et galbanum, quod significet affectionem veri adhuc interioris, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,293, dicta sunt. Quod onyche & galbanum sint vera interiora successive, non aliter confirmari potest quam ex ordine, quoniam in Verbo non alibi occurrunt.

10,295. Fragrantia, quod significet affectiones ex bono spirituali, constat ex significatione aromatum fragrantium, quod sint affectiones veri ex bono, de qua supra n: 10,291; quod ex bono spirituali, videatur n: 10,254. 10,290. 10,293 fin. Quod suffimentum confectum fuerit ex aromatibus, quæ significant vera ex bono spirituali, seu quod idem, quod vera, quæ per aromata illa significantur, pertineant ad classem spiritualem, est causa, quia per suffimentum significatur cultus Divinus qui fit per vera ex illo bono, sunt enim confessiones, adorationes, preces, & similia, quæ in specie per suffimentum significantur, videatur n: 9475; talia exeunt ex corde per cogitationes, & per loquelam; quod hic cultus fiat per vera spiritualia, constare potest ex ideis, in quibus homo est cum in illo cultu; ideæ enim, in quibus homo tunc sunt ex memoria ejus, & inde ex intellectuali, & quæ inde procedunt, spiritualia vocantur. Quod autem cultum Divinum ex bono cœlesti, qualis est apud illos qui in Regno cœlesti Domini sunt, attinet, ille non fit per confessiones, adorationes & preces, qualiter apud illos qui in Regno spirituali sunt, ita non per vera ex memoria, sed per vera ex corde, quæ unum agunt cum ipso amore in quo sunt; sunt enim vera apud illos inscripta amori illorum, quapropter cum ex amore faciunt præcepta, simul ex veris faciunt, absque cogitatione de illis ex doctrinali, ita absque evocatione illorum ex memoria. Quod talis status illorum sit, qui in Regno cœlesti Domini sunt, constare potest, ex illis quæ de illo Regno & de Regno spirituali in locis citatis n: 9277, ostensa sunt. Quod suffimentum significet confessiones, adorationes & preces, quæ per os procedunt ex cogitatione, videatur n: 9475. 10,177. 10,198.

10,296. Thus purum, quod significet verum intimum, quod est bonum spirituale, constat ex significatione thuris, quod sit quod a falso mali defæcatum est; quod verum intimum, quod per thus significatur, sit bonum spirituale, est quia bonum apud illos qui in spirituali Regno Domini sunt, non est nisi quam verum; quod bonum appellatur, cum homo ex conscientia & ex affectione vult & facit illud; apud spirituales enim omne voluntarium est deperditum, sed intellectuale conservatur integrum.

tegrum a Domino, & in illo implantatur novum voluntarium per regenerationem a Domino, hoc voluntarium est conscientia apud illos, quæ est conscientia veri; quicquid enim intellectuali implantatur, & ex intellectuali procedit, verum est; nam intellectuale hominis dicatum est recipiendis veris quæ fidei, voluntarium autem dicatum est recipiendis bonis quæ amoris: inde patet, quod bonum spirituale sit in sua essentia verum: quod novum voluntarium apud spirituales implantetur in parte illorum intellectuali, & quod inde bonum apud illos in sua essentia sit verum, videatur in locis citatis n: 9277. 9596. 9684. Dicitur verum intimum quod id sit bonum, ex causa quia quo interiora eo perfectiora, ac quia intimum hominis est ejus voluntarium, & quod voluntarii est, hoc bonum vocatur. Quod Thus sit verum intimum, ita bona spirituale, constare potest ex locis e Verbo allatis supra n: 10,177. Quia Thus est bonum spirituale, ac bonum est quod regnat in omnibus veris, disponit illa, conjungit illa, & dat affectionem illis, ideo thus ultimo loco memoratur, & ideo ex illo vasa suffitus dicebantur thuribula; denominatio enim fit ab essentiali, quod est bonum; similiter ac denominatum est oleum unctionis ex oleo olivæ, & non ex aromatibus, ex quibus una parabatur, ex simili causa, nempe quia oleum significabat bonum, & aromata vera. Thus purum dicitur, quia purum significat defæcatum a falsis mali; & in Lingua originali per vocem illam significatur purum interius, per aliam autem vocem purum exterius seu mundum: quod purum interius per illam vocem significetur, constat apud Esaiam, "*Lavate vos, puros reddite vos*, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis," I: 16: apud Davidem, "*Frustra purum reddidi cor meum*, & lavi in innocentia manus meas," Psalm: LXXIII: 13; purum reddere cor est purificari interius, & lavare in innocentia manus est exterius: & apud Esaiam, "*Purus sis in judicando tuo*," LI: 6. Quod per alteram vocem significetur purum exterius seu mundum, videatur Levit: XI: 32. Cap: XII: 7. 8. Cap: XIII: 6. 13. 17. 23. 28. 34. 37. 58. Cap: XIV: 6. 8. 9. 20. 48. 53. Cap: XV: 13. 28. Cap: XIX: 19. Cap: XXII: 7. Jerem: XIII: 27. Ezech: XXIV: 13. Cap: XXXIX: 12: & alibi.

10,297. Tantum in tanto erit, quod significet correspondentiam omnimodam; per tantum in tanto intelligitur æque tantum ab uno ac ab altero, seu tantum a thure quantum ab aromatibus, & per quantum tam mensuræ quam ponderis significatur correspondentia, hic correspondentia omnimoda.

10,298. Et facies illud suffimentum, quod significet ex illis cultum, constat ex significatione suffimenti, quod sint confessiones, adorationes, preces, & talia cultus, quæ ex corde exeunt in cogitationem & loquelam, de qua n: 9475; perfumum suffitionis enim significatur elevatio, n: 10,177. 10,198; & per odorem fragrantem perceptio & receptio grata, in locis citatis n: 10,292. Quoniam cultus Divinus, qui significatur per suffimentum aromatum, hic describitur, & per aromata, ex quibus suffimentum illud conficiebatur, significantur vera in suo ordine, dicetur hic paucis, quomodo cum cultu illo se habet: sed hoc arcanum est, quod non revelari potest, nisi sciatur qualis homo est:

homo non est homo ex facie, ne quidem ex loquela, sed ex intellectu & voluntate; qualis est ejus intellectus & ejus voluntas, talis est homo: quod ei nihil intellectus sit cum nascitur, & quoque nihil voluntatis, notum est; tum quod intellectus ejus & voluntas ejus formetur per gradus ab infantia; inde homo fit homo, & talis homo, quale utrumque illud formatum est apud illum; intellectus formatur per vera, ac voluntas per bona, usque adeo ut ejus intellectus non sit aliud quam compositio talium quæ referuntur ad vera; & voluntas non aliud quam affectio talium quæ vocantur bona; inde sequitur, quod homo non sit nisi quam verum & bonum, ex quibus utraque ejus facultas formata est. Omnia & singula corporis ejus correspondent illis; quod constare potest ex eo, quod corpus in instanti agat, quod intellectus cogitat, & voluntas vult; loquitur enim os secundum cogitata, facies se mutat secundum affectiones, & corpus gestus agit secundum nutus utriusque; inde patet, quod homo totus quantus sit, quale ejus intellectuale & ejus voluntarium, ita qualis est quoad vera & quoad bona; nam ut dictum est, vera constituunt intellectuale ejus, & bona voluntarium ejus; seu quod idem, homo est suum verum & suum bonum. Quod ita sit, manifeste apparet apud spiritus; hi non aliud sunt quam sua vera & sua bona, quæ induerunt cum vixerunt homines in mundo; & usque sunt formæ humanæ: inde ex facie illorum elucet qualia illis vera & bona sunt, & quoque ex sonitu & affectu sermonis illorum, exque gestibus; imprimis ex vocibus loquelæ illorum; sunt enim voces loquelæ illorum non quales apud homines in mundo, sed sunt prorsus consonæ veris & bonis quæ apud illos, adeo ut ex illis naturaliter procedant; in hac loquela sunt spiritus & angeli cum inter se loquuntur: in simili est homo quoad spirituum suum, quando in mundo vivit, tametsi hoc tunc nescit: cogitat enim ex similibus ideis; quod etiam observatum est a quibusdam Eruditis, qui appellaverunt illas ideas immateriales & intellectuales; illæ ideæ fiunt voces post mortem cum homo fit spiritus: ex his iterum patet, quod homo non sit nisi quam suum verum & suum bonum: inde est, quod homo post mortem maneat sicut factus est verum & bonum. Dicitur sicut factus est verum & bonum, & per id etiam intelligitur sicut factus est falsum ac malum; nam mali homines vocant falsum verum, & malum bonum. Hoc arcanum est, quod omnino sciendum est, ut sciatur quomodo cum cultu Divino se habet: at præter hoc est adhuc unum, nempe quod in omni idea cogitationis procedentis ex voluntate hominis, sit totus homo; hoc etiam sequitur a priori, nam homo cogitat ex suo vero & vult ex suo bono, quæ sunt ipse; quod ita sit, ex hac experientia constare potest; angeli cum percipiunt unam ideam hominis, aut unam ideam spiritus, illico sciunt qualis homo aut qualis spiritus est. Hæc dicta sunt, ut sciatur quomodo se habet cum Cultu Divino, qui per suffimentum aromatum significatur, quod nempe totus homo sit in omnibus & singulis cultus ejus, quoniam verum & bonum, quæ ipse: hæc causa est, quod quatuor aromata memorentur, per quæ significantur omnia vera in complexu. Ex his etiam sequitur, quod idem sit, sive dicas, cultum Divinum constare ex his veris & bonis, sive dicas hominem constare ex

illis,

illis, quoniam totus homo est in singulis ideis cogitationis, quæ cultus, ut dictum est.

10,299. Unguentum, opus unguentarii, quod significet ex influxu & operatione Divini Domini in omnia & singula, constat ex significatione unguenti seu aromatici, quod sint vera in omnibus & singulis cultus, de qua n: 10,264; & ex significatione operis unguentarii seu aromatarii, quod sit influxus & operatio Ipsius Divini, de qua n: 10,265. Quomodo intelligendum, quod influxus & operatio erit in omnia & singula cultus, etiam paucis dicetur: creditur ab illis, qui non sciunt arcana cœli, quod cultus sit ab homine, quia procedit ex cogitatione & ex affectione, quæ sunt apud illum; sed cultus qui ab homine, non est cultus, consequenter confessiones, adorationes, & preces, quæ sunt ab homine, non sunt confessiones, adorationes, & preces, quæ audiuntur & recipiuntur a Domino; sed erunt ab Ipso Domino apud hominem: quod ita sit, Ecclesia novit, docet enim quod ab homine non aliquid bonum procedat, sed quod omne bonum sit e cœlo, hoc est, a Divino ibi; inde quoque omne bonum in cultu, & cultus absque bono non est cultus; Ecclesia inde orat, cum in sancto est, ut Deus præsens sit, & ducat cogitata & sermonem: cum his ita se habet, cum homo est in cultu genuino, tunc influit Dominus in bona & vera quæ apud hominem; & elevat illa ad se, & cum illis hominem, quantum & qualiter in illis est: hæc elevatio non apparet homini, si non in genuina affectione veri & boni sit, ac in cognitione, agnitione, & fide, quod omne bonum veniat desuper a Domino. Quod ita sit, etiam illi qui e mundo sapiunt, capere possunt, illi enim ex sua eruditione sciunt, quod non detur influxus naturalis, qui illis vocatur influxus physicus, sed influxus spiritualis; hoc est, quod e naturali mundo in cœlum nihil influere possit, sed vice versa. Ex his constare potest, quomodo intelligendum, quod influxus & operatio Divini Domini sit in omnia & singula cultus. Quod ita sit, etiam sæpe experiri datum est, nam datum est percipere ipsum influxum, evocationem verorum quæ apud me, applicationem ad objecta orationis, affectionem boni adjunctam, & ipsam elevationem. Sed tametsi ita est, usque homo non remittere manus debet, & exspectare influxum, nam hoc foret agere simulachrum absque vita; debet usque cogitare, velle, & agere sicut a se, & tamen omne cogitationis veri & conatus boni addicare Domino; per id illi implantatur facultas a Domino recipiendi Ipsum, & influxum ab Ipso. Homo enim non aliter creatus est, quam ut sit receptaculum Divini, ac facultas recipiendi Divinum non aliter formatur: formata facultate dein nec aliter vult quam ut ita sit; amat enim influxum a Domino ac aversatur operationem a semet; quoniam influxus a Domino est influxus boni, at operatio a semet est operatio mali. In tali statu sunt omnes Angeli in cœlo; quapropter per illos in Verbo significantur vera & bona quæ a Domino, quoniam sunt receptiones eorum, videatur n: 1925. 3039. 4085. 4295. 8192.

10,300. Salitum, quod significet desiderium veri ad bonum, constat ex significatione salis, quod sit desiderium, quod amoris veri ad bonum, de qua

sequitur,

ſequitur, inde ſalitum eſt in quo deſiderium illud. Cauſa quod deſiderium veri ad bonum eſſe debeat, eſt quia deſiderium illud eſt conjunctivum utriuſque; quantum enim verum deſiderat bonum, tantum ei conjungitur: conjunctio veri & boni eſt quod vocatur conjugium cœleſte, quod eſt ipſum cœlum apud hominem; quapropter cum in Cultu Divino, ac in omnibus & ſingulis ejus, eſt deſiderium conjunctionis illius, eſt cœlum in omnibus & ſingulis ibi, ita Dominus: hoc ſignificatur per quod ſuffimentum eſſet ſalitum: quod ſal id ſignificet, eſt a natura conjunctiva ejus; conjungit enim omnia, & inde dat illis ſaporem; imo conjungit aquam & oleum, quæ alioquin non conjunguntur. Quum notum eſt, quod per ſalem ſignificetur deſiderium conjunctionis veri & boni, ſciri poteſt quid ſignificatur per Domini verba apud Marcum, "*Omnis igne ſalietur*; & omne ſacrificium *ſale ſalietur: bonum eſt ſal*, ſi *autem ſal inſulſum fit*, quonam id condietis: *habete in vobis ſalem*," IX: 49. 50; omnis igne ſalietur eſt quod quiſque ex genuino amore deſiderabit; omne ſacrificium ſale ſalietur, eſt quod deſiderium ex genuino amore erit in omni cultu; ſal inſulſum ſignificat deſiderium ex alio amore quam genuino; habere in ſe ſalem eſt deſiderium veri ad bonum: quod ignis ſit amor, videatur n: 4906. 5071 fin: 5215. 6314. 6832. 10,055; & quod ſacrificium ſit cultus in genere, n: 922. 6905. 8680. 8936: quis ſcire poteſt quid ſit igne ſaliri, & cur ſacrificium ſaliretur, & quid quod in ſe haberent ſalem, niſi ſciatur quid ignis, quid ſal & ſaliri. Similiter apud Lucam, "Omnis ex vobis, qui non abnegat omnes facultates ſuas, non poteſt meus eſſe diſcipulus: *bonum eſt ſal*; *ſi vero ſal infatuatum fuerit*, per quid condietur; neque in terram, neque in ſterquilineum commodum eſt, foras projicient id," XIV: 34. 35; abnegare omnes facultates ſuas, eſt amare Dominum ſuper omnia, facultates ſunt quæ ſunt propria homini; ſal infatuatum eſt deſiderium ex proprio, ita ex amore ſui & mundi; tale deſiderium eſt ſal infatuatum, non commodum ad quicquam: ut quoque apud Matthæum, "*Vos eſtis ſal terræ*; quod ſi ſal infatuetur, *per quid ſalietur*; ad nihil conducit amplius, niſi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus," V: 13. 14. Quod in omni cultu erit deſiderium veri ad bonum, etiam ſignificatur per quod *omne munus minchæ ſaliretur*; & *quod ſuper omni munere eſſet ſal fœderis Jehovæ*," Levit: II: 13; per mincham & munus, quod eſt ſacrificium, ſignificatur cultus, ut ſupra; & ſal ibi vocatur ſal fœderis Jehovæ, quoniam per fœdus ſignificatur conjunctio, videatur n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396. 9416: deſiderium etiam eſt ipſe ardor amoris, ita continuum ejus, & amor eſt conjunctio ſpiritualis. Sicut deſiderium veri ad bonum conjungit, ita deſiderium falſi ad malum disjungit, & quod disjungit hoc etiam deſtruit, inde per ſalem in oppoſito ſenſu ſignificatur deſtructio & devaſtatio veri & boni; ut apud Jeremiam, "Maledictus vir qui ponit carnem brachium ſuum; non videbit cum veniet bonum, ſed *habitabit in locis æſtuoſis, in terra ſalſuginoſa*, quæ non habitatur," XVII: 5. 6; ponere carnem brachium ſuum, eſt fidere ſibi,

suo proprio, & non Divino, n: 10,283, & quia proprium est amare se præ Deo & proximo, est amor sui qui ita describitur, inde dicitur quod non visurus cum veniet bonum, & quod habitabit in locis æstuosis & in terra salsuginosa, hoc est, in spurcis amoribus & illorum desideriis, quæ destruxerunt bonum & verum Ecclesiæ. Apud Zephaniam, "Erit sicut Gomorrha, *locus derelictus urticæ*, & *fovea salis*, & vastitas in æternum," II: 9; locus derelictus urticæ pro ardore & ustione vitæ hominis ex amoris sui; fovea salis pro falsi desiderio; quod quia destruit verum & bonum, dicitur vastitas in æternum; dicitur quod erit sicut Gomorrha, quoniam per illam & Sodomam significatur amor sui, n: 2220. Quod Uxor Lothi versa fuerit *in statuam salis*, quia vertit facies ad illas urbes, Genes: XIX: 26, significabat vastationem veri & boni, nam vertere facies ad aliquid est in sensu interno amare n: 10,189: inde est, quod Dominus dicat, "Ne revertatur in quæ post illum, *mementote uxoris Lothi*," Luc: XVII: 31. 32: & apud Moschen, "*Sulphur & sal & combustio tota terra* ejus, juxta eversionem Sodomæ & Gomorrhæ," Deut: XXIX: 22; per terram ibi, ut quoque alibi in Verbo, intelligitur Ecclesia, videatur in locis citatis n: 9325. Inde nunc erat, quod urbes, quæ non habitarentur amplius, post destructionem earum *consererentur sale*," Judic: IX: 45. Ex his patet, quod per salem in genuino sensu significetur desiderium veri ad bonum, ita conjunctivum, & in opposito desiderium falsi ad malum, ita destructivum. Qui itaque scit, quod sal sit desiderium veri ad bonum, & conjunctivum eorum, etiam scire potest quid significat, *quod aquæ Jerichuntis sanatæ fuerint ab Elisæo per injectionem salis in exitum earum*," 2 Reg: II: 19. 20. 21. 22; per Elisæum enim, sicut per Eliam, repræsentabatur Dominus quoad Verbum, n: 2762. 8029; & per aquas significantur vera verbi, per aquas Jerichuntis vera Verbi in sensu literæ, similiter per exitum aquarum; ac per salem significatur desiderium veri ad bonum, & conjunctio utriusque, inde sanitas.

10,301. Purum, quod significet absque malo, constat ex significatione puri quod sit absque malo: quoniam omne malum est impurum, & omne bonum est purum, ideo dicitur purificari a peccatis & ab iniquitatibus, & prædicatur de corde, hoc est, de voluntate, nam cor in Verbo significat voluntatem, n: 2930. 7542. 8910. 9300. 9494; quia amorem, n: 3883 ad 3896, 9050.

10,302. Sanctum, quod significet absque falso mali, constat ex significatione sancti, quod sit Divinum Verum procedens a Domino, de qua n: 6788. 7499. 8302. 8330. 9229. 9818. 9820; inde sanctum dicitur quod est absque falso mali. Falsum mali dicitur, quoniam datur falsum absque malo, ut apud quosdam probos inter gentes extra Ecclesiam, & quoque apud quosdam inter Christianos intra Ecclesiam; falsum autem inquinatum ex malo, est malum in se, est enim inde; at falsum apud illos qui in bono sunt, non inquinatum est ex malo, sed purificatum ab eo; unde etiam tale falsum acceptatur a Domino pœne sicut verum, & quoque vertitur facile in verum;

nam qui in bono ſunt, proclives ſunt ad recipiendum verum. De utroque falſo, quod ex malo, & non ex malo, videatur in locis citatis n: 9304. 10,109.

10,303. Et tundes ex illo minutim, quod ſignificet diſpoſitionem verorum in ſuas ſeries, conſtat ex ſignificatione tundere, cum de thure & de aromatibus, per quæ ſignificantur vera, quod ſit diſpoſitio verorum in ſuas ſeries; ſimile enim per tundere ſignificatur, quod per molere, ſed molere prædicatur de tritico, hordeo, zea, at tundere de oleo, thure, & aromatibus. Quid per tundere & molere in ſpecie ſignificatur, non ſciri poteſt niſi ſciatur quomodo ſe habet apud hominem cum bonis & veris, quæ ſignificantur per triticum, hordeum, farinam, ſimilam, oleum, thus & aromata, quando diſpoſita ſunt ad uſus; nam molere & tundere eſt diſponere ut ſint uſui: cum molere prædicatur de bonis, quæ ſignificantur per triticum aut hordeum, tunc per molere ſignificatur diſpoſitio & productio boni in vera, & ſic applicatio ad uſus: bonum etiam nuſquam ſe exſerit in uſus niſi per vera, diſponitur in illa & ſic qualificatur; nam bonum niſi in vera diſpoſitum fuerit, non habet aliquid quale, & cum diſponitur in vera, tunc diſponitur in ſeries applicate ad res ſecundum uſus, in quas res bonum intrat ut affectio amoris, unde gratum, amænum, jucundum. Simile per tundere minutim hic ſignificatur, nam thus purum eſt bonum ſpirituale, n: 10,296; & vera, quæ diſponuntur a bono illo, ſunt aromata, ſtacte, onyche, & galbanum, n: 10,292. 10,293. 10,294. Quid ſit diſpoſitio in ſeries, etiam paucis dicetur; vera dicuntur diſpoſita in ſeries, quando diſpoſita ſunt ſecundum formam cœli, in qua ſunt ſocietates angelicæ: qualis illa forma ſit, conſtat ex correſpondentia omnium membrorum, viſcerum, & organorum hominis cum Maximo Homine, qui eſt Cœlum, de qua Correſpondentia videatur in locis citatis n: 10,030 fin: in membris illis, viſceribus & organis omnia & ſingula diſpoſita ſunt in ſeries & ſerierum ſeries; fibræ & vaſa formant illas: ut notum eſt illis qui ſciunt texturas & contexturas interiorum corporis ex anatomia: in ſimiles ſeries diſpoſita ſunt vera ex bono apud hominem. Inde eſt quod homo regeneratus ſit cœlum in minima forma correſpondens Maximo; & quod homo totus quantus ſit ſuum verum & bonum: quod homo regeneratus ſit cœlum in minima forma, videatur in locis citatis n: 9279; & quod homo ſit ſuum verum & bonum, ſupra n: 10,298; & quod vera apud hominem diſpoſita ſint in ſeries ſecundum ſocietates angelicas apud regeneratos, n: 5339. 5343. 5530. Series in quas diſpoſita ſunt vera apud bonos, ac ſeries in quas diſpoſita ſunt falſa apud malos, ſignificantur in Verbo per manipulos & faſciculos, ut Levit: XXIII: 9 ad 15. Pſalm: CXXVI: 6. Pſalm: CXXIX: 7. Amos II: 13. Mich: IV: 12. Jerem: IX: 21. Sach: XII: 6. Matth: XIII: 13. Cum itaque patet, quid ſignificatur per tundere & molere, ſciri poteſt quid in ſenſu interno ſignificatur, *per quod filii Iſraelis mannam moluerint molis, aut contunderint*

in mortario, & coxerint in placentas," Num : xi : 8, per mannam enim significabatur bonum cœleste & spirituale, n : 8464 ; & per molere & contundere dispositio ut serviret usui ; nam quicquid dicitur in Verbo est significativum talium quæ in Cœlo & in Ecclesia ; singula enim sensum internum habent : tum quid significatur per *quod non acciperent in pignus molam aut molarem*, "quoniam is animam accipit in pignus," Deut : xxiv : 26 ; per molam enim & molarem significatur id quod præparat bonum, ut applicari possit usibus ; per hordeum etiam & per triticum significatur bonum, & per farinam & similam vera, & bonum per vera sua applicatur usui, ut supra dictum est. Inde constare potest, quid significatur per molam, molarem, & per sedere ad molas, in his locis ; apud Matthæum, "*Tunc duo erunt molentes*, una assumetur, altera relinquetur," xxiv : 41 : apud Eundem, "Qui scandalizaverit unum parvorum horum credentium in Me, expedit ei ut suspendatur *mola asinaria* in collum ejus, & demergatur in profundum maris," xviii : 6. Marc : ix : 42. In Apocalypsi, "Sustulit Angelus robustus *lapidem sicut molarem magnum*, & conjecit in mare, dicens, sic impetu dejicietur Babylon : *omnis vox molæ non audietur in ea amplius*," xviii : 21. 22. Apud Jeremiam, "Abrogabo ex iis vocem gaudii, *vocem molarum*, & lucem lucernæ," xxv : 10 : & apud Esaiam, "Filia Babelis, sede in terra, non thronus filia Chaldæorum ; *sume molam & mole farinam*," xlvii : 1. 2 ; sicut mola & molere in bono sensu significat applicationem ad usus bonos, ita in opposito significat applicationem ad usus malos ; inde cum de Babele & Chaldæa, significat applicationem ad favorem suorum amorum, qui sunt amores sui & mundi ; nam per hordeum & triticum apud illos significatur bonum adulteratum, & per farinam inde verum falsificatum. Prophanatio boni & veri per applicationem ad illos amores etiam significatur per qnod Moscheh *comminuerit vitulum aureum minutim*, & sparserit super aquas descendentes e monte Sinai, & bibere fecerit filios Israelis," Exod : xxxii : 20. Deut : ix : 21.

10,304. Et dabis de iilo ante Testimonium in Tentorio conventus, quod significet cultum Domini in Cœlo & Ecclesia, constat ex significatione suffimenti, quod daretur ante Testimonium, quod sit Cultus, de qua supra n : 10,298 ; ex significatione Testimonii, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n : 9503 ; & ex repræsentatione Tentorii conventus, quod sit Cœlum, de qua n : 9457. 9481. 9485 ; & quia est Cœlum, etiam est Ecclesia, nam Ecclesia est Cœlum in terra.

10,305. Quo conveniam te ibi, quod significet ab influxu Domini, constat ex significatione convenire, cum de Domino, quod sit præsentia & influxus Ipsius, de qua n : 10,147. 10,148. 10,197 ; hic ex influxu Domini, quoniam agitur de cultu, qui significatur per suffimentum ; nam omne cultus, quod vere cultus, influit a Domino, ut constare potest ex illis, quæ supra n : 10,299, ostensa sunt.

10,306. Sanctum sanctorum erit vobis, quod significet quoniam ex Domino,

mino, constat ex significatione sancti, quod sit omne id & solum id quod procedit ex Domino, de qua n: 6788. 7499. 8302. 8330. 9229. 9818. 9820.

10,307. Et suffimentum, quod facis in qualitate ejus, non facietis vobis, quod significet non applicandum esse cultum ex sanctis Ecclesiæ veris ad amores hominis, constat ex significatione suffimenti, quod sit cultus de qua supra n: 10,298; ex significatione facere in qualitate ejus, quod sit ex sanctis Ecclesiæ veris, nam facere in qualitate ejus, est ex iisdem aromatibus, & per aromata, quæ fuerunt stacte, onyche, & galbanum, significantur sancta Ecclesiæ vera in suo ordine, n: 10,292. 10,293. 10,294; & ex significatione non facere vobis, quod sit applicare ad usus proprios, ita ad amores ejus, nam quod homo facit propter se, facit propter amores suos; applicatio hic intelligitur, quia dicitur facere sibi. Quomodo cum hoc se habet, etiam dicetur; omnia vera Ecclesia spectant binos amores, nempe amorem in Deum, & amorem erga proximum; quod totum Verbum, quod est Ipsum Divinum Verum, ex quo omnia vera Ecclesiæ, pendeat a duobus illis amoribus, constat apud Matthæum Cap: XXII: 37. apud Marcum Cap: XII: 30. 31; & apud Lucam Cap: X: 27; dicitur ibi quod omnis Lex & Propheta ab illis pendeat, & per Legem & Prophetam significatur totum Verbum: Contrarium autem est applicare Divinum Verum, seu vera Ecclesiæ, ad amores hominis; inde homo se vertit a Domino ad semet, quod est a cœlo ad infernum, & fit sicut unus illorum ibi; nam in inferno Dominum a tergo habent, & amores suos a facie; imo cum inspiciuntur ab Angelis, apparent inversi, capite deorsum & pedibus sursum. Cum Vera Divina applicantur ad amores hominis, non sunt amplius vera, quoniam malum per applicationes intrat illa, quod pervertit illa, ac inducit faciem falsi: si tunc illis dicitur, quod non ita intelligenda sint, sed aliter, non volunt capere, & quidam non capiunt; nam dicere contra principia per amores suos confirmata, est contra ipsum hominem, quia contra intellectuale ejus a voluntario ejus. De illis qui per applicationem ad amores suos falsificant vera, & adulterunt bona, multis in Verbo agitur, ubi de Babele, imprimis in Apocalypsi.

10,308. Sanctum erit tibi Jehovæ, quod significet applicandum esse cultum ad amorem Divinum, constat ex significatione sancti, quod sit omne quod procedit a Domino, ut supra n: 10,306; ex significatione suffimenti, de quo dicitur quod sanctum erit tibi Jehovæ, quod sit cultus, de qua etiam supra n: 10,298: quod sit, quod ille applicandus sit ad amorem Divinum, sequitur ex mox præcedentibus, ubi dicitur quod non facerent tale suffimentum sibi, per quod significatur quod non applicandus sit cultus ex sanctis Ecclesiæ veris ad amores hominis, n: 10,307. Per amorem Divinum intelligitur amor in Dominum, & amor erga proximum; quod hic amor etiam sit Divinus, est quia is quoque procedit a Domino; nemo enim amare potest proximum ex se, qui ex se, is amat proximum & ei benefacit propter se, quod

est amare semet. Quod totum Verbum, quod est ipsum Divinum Verum, ex quo omnia vera Ecclesiæ, spectet binos illos amores ut fines, videatur mox supra n: 10,307; inde quoque cultus Divinus eosdem spectabit, quoniam omnis cultus, qui vere cultus est ex veris, ut constare potest ex illis quæ de aromatibus suffimenti, per quæ significantur vera cultus, supra ostensa sunt; & tunc applicantur vera cultus ad Divinum amorem, cum ille a Domino apud hominem fit, secundum illa quæ supra in articulo n: 10,299; dicta sunt.

10,309. Vir qui fecerit sicut illud ad faciendum odorem eo, quod significet imitationem cultus Divini per affectiones veri & boni ex proprio, constat ex significatione facere sicut illud, quod sit imitatio cultus Divini, per facere enim significatur imitari, & per suffimentum, de quo id dicitur, significatur cultus Divinus, ut supra; & ex significatione facere odorem, quod sit ad placendum, quod quia fit per affectiones veri & boni, sunt hæ quæ per placentiam significantur, odor enim est perceptivum grati, ita quod placet, n: 10,292: quod sit ex proprio, patet, nam dicitur, qui id fecerit, exscindetur e populis suis; ex proprio enim est, quod non est ex affectione veri & boni propter verum & bonum, sed propter semet, & facere propter semet est propter lucrum, honores, & famam, ut fines, & non propter salutem proximi & gloriam Domini; inde est ex malo & non ex bono, seu quod idem, ex inferno & non ex Domino; hoc itaque est quod intelligitur per imitationem cultus Divini per affectiones veri & boni ex proprio, quæ significantur per facere suffimentum sicut illud ad faciendum odorem eo: qui itaque faciunt, sunt qui amant mundum præ cœlo, ac semet præ Deo; illi quoque cum intus seu secum cogitant, nec credunt aliquid de cœlo & de Domino, sed cum cogitant extra se, quod fit cum loquuntur coram hominibus, tunc de cœlo & de Domino ex affectione & fide præ aliis loquuntur, ac tantum præ aliis, quantum lucra, honores & fama incendunt. Status eorum tunc est, quod interius nigri sint, exterius candidi, hoc est, sunt diaboli in forma angelorum lucis; clausa enim sunt interiora, quæ paterent ad cœlum, & aperta sunt exteriora quæ patent ad mundum; & si elevant tunc ex affectione quasi amoris, oculos & manus ad cœlum, sunt tamen sicut simulachra ita ex arte facta; sicut talia quoque apparent coram angelis: & si credere velitis, sunt tales in inferno plures, qui apud homines similes, imprimis apud prædicatores qui imitantur cultum Divinum per affectiones veri & boni ex proprio, adsunt, & inspirant; quod etiam a Domino permittitur, quoniam sic etiam usum præstant; boni enim homines usque recipiunt verbum ex illis bene; quoniam verbum, e cujuscunque ore exeat, recipitur, ab homine secundum quale ejus boni. Sed externa talia, quia sunt figmenta, exuuntur illis in altera vita; & tunc apparet spiritus eorum niger qualis fuerat in corpore.

10,310. Et exscindetur e populis suis, quod significet separationem e Cœlo & Ecclesia, ac mortem spiritualem, constat ex significatione exscindi e populis,

populis, quod sit separatio & mors spiritualis, de qua n: 10,289; quod sit separatio e Cœlo, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,309, dicta sunt; quod etiam ex Ecclesia, est quia illi solum ab Ecclesia sunt, in quibus Ecclesia, & in illis est Ecclesia, qui in affectione veri propter verum ac in affectione boni propter bonum sunt, ita qui in amore erga proximum, & in amore in Deum sunt; proximus enim est bonum & verum, & quoque est Deus, quoniam bonum & verum sunt Dei, ita sunt Deus apud illos. Qui tales non sunt, nec ab Ecclesia sunt, utcunque in Ecclesia.



De Tertia Tellure in Cœlo Astrifero.

10,311. *APparebant Spiritus e longinquo, qui non appropinquare volebant; causa erat, quia non simul potuerunt esse cum spiritibus nostræ Telluris, qui circum me tunc erant; inde percepi quod ex alia Tellure essent; & postea mihi dictum est, quod ex Tellure quadam in universo; sed ubi illa Tellus, non mihi indicatum est.*

10,312. *Nolebant prorsus cogitare de suo corpore, ne quidem de aliqua re corporea & materiali, secus ac Spiritus e nostra Tellure; inde erat quod non appropinquare vellent; nam spiritus secundum affectiones & inde cogitationes consociantur & dissociantur: sed usque post remotionem plurium spirituum e nostra Tellure, propius accedebant, & mecum loquebantur: verum tunc sentita est anxietas, oriunda ex collisione sphærarum: sphæræ enim spirituales circumdant omnes spiritus & spirituum societates, quæ emanant ex vita affectionum & inde cogitationum eorum; quare si contrariæ affectiones sunt, fit collisio, unde anxietas.*

10,313. *Narrabant nostræ telluris spiritus, quod non ausint ad illos approximare, quoniam cum approximant, non modo anxietate corripiuntur, sed etiam apparent sibi ex phantasia sicut ligati quoad manus & pedes serpentibus, e quibus non solvi possent priusquam recedunt; talis phantasia est ex correspondentia; sensuale enim corporeum hominis repræsentatur in altera vita per serpentes; quapropter per serpentes in Verbo etiam significatur sensuale, quod est ultimum vitæ hominis.*

10,314. *Quia Spiritus illius Telluris tales sunt, ideo non apparent sicut alii in perspicua humana forma, sed sicut nubes; meliores eorum sicut nubes nigricans, cui candidum humanum inspersum est; dicebant quod*

quod intus candidi sint; & quod cum angeli fiunt, nigricans illud vertatur in pulchrum cæruleum; quod etiam mihi ostendebatur.

10,315. *Interrogabam illos, num in tali idea de corpore suo etiam fuerint cum vixerunt homines in mundo; dicebant, quod homines telluris suæ nihili faciant corpus suum, sed modo spiritum in corpore, quia sciunt hunc victurum in æternum, & corpus periturum. Sed faciem non vocant corpus, ex causa quia affectiones spiritus eorum ex facie apparent, ac cogitationes quæ ex affectionibus, ex oculis. Dicebant etiam, quod plures eorum in tellure sua credant spiritus corporum eorum ab æterno fuisse, infusos corpori dum concepti: sed addebant, quod nunc sciant non ita esse, & quod peniteat illos in tali falsa opinione fuisse.*

10,316. *Cum quærerem, num vellent videre aliquid in nostra tellure; & quod id posset fieri per meos oculos; sed respondebant primum quod non possent, dein quod non vellent, quoniam non alia forent quæ visuri, quam terrestria & materialia, a quibus cogitationes suas, quantum possunt, removent.*

10,317. *Continuatio de Tertia hac Tellure in universo, ad finem Capitis sequentis.*



EXODI

E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,318. HOMO abſque Revelatione ex Divino non ſcire aliquid poteſt de Vita æterna, ne quidem aliquid de Deo, & adhuc minus de amore & fide in Ipſum: nam homo naſcitur in meram ignorantiam, & dein ex mundanis diſcet omnia, ex quibus formabit intellectum ſuum; naſcitur etiam ex hæreditario in omne malum, quod eſt amoris ſui & mundi; jucunda inde regnant jugiter, & ſuggerunt talia quæ e diametro ſunt contra Divinum: inde nunc eſt, quod homo ex ſe nihil de vita æterna ſciat; ideo neceſſario erit Revelatio, ex qua ſciat.

10,319. Quod mala amoris ſui & mundi inducant talem ignorantiam de illis quæ ſunt vitæ æternæ, patet manifeſte ab illis intra Eccleſiam, qui tametſi ſciunt ex Revelatione quod Deus ſit, quod Cœlum & Infernum ſint, quod Vita æterna ſit, & quod illa vita acquirenda ſit per bonum amoris & fidei, uſque labuntur in negationem de illis, tam eruditi quam non eruditi. Inde iterum patet, quanta ignorantia eſſet, ſi nulla foret Revelatio.

10,320. Cum itaque homo poſt mortem vivit, & tunc in æternum, & illum manet vita ſecundum ejus amorem & fidem, ſequitur quod Divinum ex Amore erga Genus humanum revelaverit talia, quæ ducent ad illam vitam, ac conducent ſaluti ejus. Quod Divinum revelavit, eſt apud nos Verbum.

10,321. Verbum, quia eſt Revelatio a Divino, eſt Divinum in omnibus & ſingulis; nam quod a Divino eſt, non poteſt aliter eſſe.

10,322. Quod a Divino eſt, id deſcendit per Cœlos uſque ad hominem; quapropter in Cœlis accommodatum eſt ſapientiæ Angelorum qui ibi, & in Terris accommodatum eſt captui hominum qui ibi: quare in Verbo eſt ſenſus internus, qui ſpiritualis, pro Angelis, & ſenſus externus, qui naturalis, pro hominibus: inde eſt, quod conjunctio cœli cum homine ſit per Verbum.

10,323. Genuinum sensum Verbi non capiunt alii, quam qui illustrati sunt; ac illustrantur illi solum qui in amore & fide sunt in Dominum; illorum enim interiora elevantur a Domino usque in lucem cœli.

10,324. Verbum in litera non potest capi nisi per Doctrinam ex Verbo ab illustrato factam; sensus enim literæ ejus accommodatus est captui hominum etiam simplicium; quare Doctrina e Verbo erit illis pro lucerna.

10,325. Libri Verbi sunt omnes illi qui sensum internum habent; qui autem non habent, non sunt Verbum. Libri Verbi in Veteri Testamento sunt quinque Libri Mosis, Liber Josuæ, Liber Judicum, bini Libri Samuelis, bini Libri Regum, Psalmi Davidis; Prophetæ, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michah, Nahum, Habakuk, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias: & in Novo Testamento, quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; & Apocalypsis.



CAPUT XXXI.

1. ET loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo.

2. Vide vocavi nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi tribui Jehudæ.

3. Et implevi illum spiritu Dei in sapientia, & in intelligentia, & in scientia, & in omni opere.

4. Ad excogitandum excogitationes ad faciendum in auro, & in argento, & in ære.

5. Et in sculptura lapidis ad implendum, & in sculptura ligni, ad faciendum in omni opere.

6. Et Ego, ecce, dedi, cum illo Aholiabum filium Achisamachi tribui Dan: & in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam; & facient omnia quæ præcepi tibi.

7. Tentorium Conventus, & Arcam Testimonio, & Propitiatorium quod super illa, & omnia vasa Tentorii.

8. Et Mensam & vasa ejus; & Candelabrum purum & omnia vasa ejus, & Altare suffimenti.

9. Et Altare holocausti, & omnia vasa ejus, & Labrum & basin ejus.

10. Et

10. Et Veſtes miniſterii, & Veſtes ſanctitatis Aharoni ſacerdoti, & Veſtes filiorum ejus ad fungendum ſacerdotio.

11. Et Oleum unctionis, & Suffimentum aromatum pro ſancto; juxta omnia quæ præcepi tibi facient.

12. Et dixit Jehovah ad Moſchen, dicendo.

13. Et tu loquere ad filios Iſraelis, dicendo; verumtamen Sabbatha mea cuſtodietis, quia ſignum id inter Me & inter vos generationibus veſtris, ad ſciendum quod Ego Jehovah ſanctificans vos.

14. Et cuſtodietis Sabbathum, quia ſanctum hoc vobis; prophanans illud, moriendo morietur; quia omnis faciens in illo opus, & exſcindetur anima illa e medio populorum ſuorum.

15. Sex diebus fiet opus, & in die ſeptimo ſabbathum ſabbathi, ſanctum Jehovæ; omnis faciens opus in die ſabbathi moriendo morietur.

16. Et cuſtodient filii Iſraelis Sabbathum, ad faciendum Sabbathum generationibus illorum, fœdus ſæculi.

17. Inter Me & inter filios Iſraelis ſignum hoc in ſæculum; quia ſex diebus fecit Jehovah cœlum & terram, & in die ſeptimo quievit & reſpiravit.

18. Et dedit ad Moſchen in abſolvendo Ipſo ad loquendum cum illo in monte Sinai duas tabulas Teſtimonii, tabulas lapidis, ſcriptas digito Dei.

CONTENTA.

10,326. Agitur hic in ſenſu interno *Primum* de inſtauranda Eccleſia Repræſentativa apud illos qui in bono amoris & in bono fidei in Dominum ſunt; hoc ſignificatur per illa quæ in ſumma recenſentur facienda a Bezaleele e Tribu Jehudæ & Aholiabo e Tribu Danis. *Dein* agitur de Conjunctione Domini cum illa Eccleſia per Repræſentativa; quod ſignificatur per Sabbathum, quod ſancte cuſtodiendum.



SENSUS INTERNUS.

10,327. VERS: 1 ad 11. *Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen dicendo. Vide vocavi nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi tribui Jehudæ. Et implevi illum ſpiritu Dei, in ſapientia, & in intelligentia, &*

in scientia, & in omni opere: Ad excogitandum excogitationes, ad faciendum in auro, & in argento, & in ære: Et in sculptura lapidis ad implendum, & in sculptura ligni ad faciendum in omni opere. Et Ego ecce dedi cum illo Aholiabum filium Achisamachi Tribui Dan: & in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam; & facient omnia quæ præcepi tibi. Tentorium conventus & Arcam Testimonio; & Propitiatorium quod super illa, & omnia vasa Tentorii. Et Mensam & vasa ejus; & Candelabrum purum & omnia vasa ejus; & Altare suffimenti: Et Altare holocausti & omnia vasa ejus; & Labrum & basin ejus. Et Vestes ministerii, & Vestes sanctitatis Aharoni Sacerdoti; & Vestes filiorum ejus, ad fungendum sacerdotio. Et Oleum unctionis; & Suffimentum aromatum, pro sancto: juxta omnia quæ præcepi tibi, facient. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, dicendo, significat illustrationem & perceptionem per Verbum a Domino: Vide vocavi nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi, tribui Jehudæ, significat illos qui in bono amoris sunt, apud quos Ecclesia instauranda: & implevi illum spiritu Dei, significat influxum ac illustrationem ex Divino Vero quod ex Divino Bono: in sapientia, & in intelligentia, & in scientia, & in omni opere, significat quoad illa quæ sunt voluntatis & quæ intellectus in interno & in externo homine: ad excogitandum excogitationes, ad faciendum in auro, & in argento, & in ære, significat ad repræsentandum bona & vera interiora & exteriora quæ intellectus ex voluntate, ita quæ fidei ex amore: & in sculptura lapidis ad implendum, significat ad repræsentandum omnia fidei inservientia bono amoris: & in sculptura ligni ad faciendum in omni opere, significat ad repræsentandum bonum quodcunque: & Ego ecce cum illo dedi Aholiabum filium Achisamachi tribui Dan, significat illos qui in bono & vero fidei apud quos Ecclesia instauranda: & in corde omnis sapientis corde, dedi sapientiam, significat omnes qui volunt & faciunt bonum & verum propter bonum & verum: & facient omnia quæ præcepi tibi, significat Divina Vera quæ ex Verbo, quæ in externis repræsentanda: Tentorium conventus & Arcam Testimonio, significat repræsentativum cœli in genere ubi Dominus: & Propitiatorium quod super illa, significat representativum auditionis & receptionis omnium quæ ex bono amoris: & omnia vasa Tentorii, significat repræsentativum bonorum & verorum ministrantium: & Mensam & vasa ejus, significat repræsentativum boni spiritualis ex cœlesti: & Candelabrum purum & omnia vasa ejus, significat repræsentativum veri ex bono illo: & Altare suffimenti, significat repræsentativum cultus ex illis: & Altare holocausti & omnia vasa ejus, significat repræsentativum cultus ex bono amoris & ejus veris: & Labrum & basin ejus, significat repræsentativum purificationis & regenerationis, & naturale: & vestes ministerii & vestes sanctitatis Aharoni sacerdoti, significat repræsentativum Regni spiritualis Domini adjuncti Regno cœlesti Ipsius: & vestes filiorum ejus, significat repræsentativum spiritualium inferiorum; ad fungendum sacerdotio, significat repræsentativum salvationis Domini: & Oleum unctionis, significat repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum Divini amoris in Divino Humano Ipsius: & suffimentum aromatum, significat repræsentativum cultus ex veris: pro sancto, significat pro Ecclesia repræsentativa:

ſentativa: juxta omnia quæ præcepi tibi facient, ſignificat ſecundum Divina vera quæ ex Verbo, quæ in externis repræſentanda.

10,328. Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen dicendo, quod ſignificet illuſtrationem & perceptionem per Verbum a Domino, conſtat ex illis quæ n: 10,290, oſtenſa ſunt.

10,329. Vide vocavi nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi, tribui Jehudæ, quod ſignificet illos qui in bono amoris ſunt, apud quos Eccleſia inſtauranda, conſtat ex ſignificatione vocare nomine quod ſit eligere tales, nempe qui idonei, de qua ſequitur; ex repræſentatione Bezaleelis, quod ſint illi qui in bono amoris; quod illi per Bezaleelem hic repræſententur, eſt quia e Tribu Jehudæ erat, & per illam Tribum ſignificantur qui in bono cœleſti, quod eſt bonum amoris in Dominum, & in ſenſu abſtracto a perſonis bonum amoris cœleſtis; quod per Jehudam & Tribum ejus hoc ſignificetur videatur n: 3654. 3881. 6363. 6364. 8770. Quid autem per Urum patrem Bezaleelis, & per Churum avum ejus, repræſentatur, conſtat a generatione boni cœleſtis, generatur id a Doctrina veri & boni cœleſtis, inde per illos ſignificantur illæ doctrinæ; quod per Churum repræſentetur Doctrina veri, videatur n: 9424. Qui ſolum in ſenſu literæ Verbi animum tenent, quod ſit in Hiſtoricis intentius quam in Propheticis, illi mirari poſſunt, quod dicatur, quod per nomina illorum virorum talia ſignificentur; ſed qui ſciunt quale Verbum eſt, non miraturi ſunt; eſt enim ſpirituale in omnibus & ſingulis; in ipſis nominibus perſonarum & locorum, quæ in Verbo, eſt nihil ſpirituale, niſi ſignificent res Eccleſiæ ac Cœli, hæ enim ſunt ſpirituales; inde ſequitur, quod per hæc nomina etiam res ſignificentur: quod nomina in Verbo ſignificent res, videatur n: 1224. 1264. 1888. 4442. 5905. 5225. 6516: & quod nomina non intrent Cœlum, ſed res quæ ſignificantur, n: 1876. 10,216. 10,282. Quod vocare nomine in ſenſu ſpirituali ſit eligere tales qui idonei, eſt quia per nomen abſque perſona ſignificatur quale, ut conſtare poteſt ex locis in Verbo ubi nomen dicitur; quod per nomen ſignificetur quale, videatur n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3004 ad 3011. 3421. 6674. 6887. 8274. 8882. 9310; & quod per vocare abſque nomine ſimiliter, n: 3421. 3659; & quod vocare nomine ſit eligere, n: 8773. Sunt duo qui hic nominantur, qui vocati a Jehovah ad faciendum opera, quæ mandata ſunt Moſchi in monte Sinai, nempe Bezaleel e tribu Jehudæ, & Aholiabus e tribu Danis; per Bezaleelem ſignificantur qui in bono amoris cœleſtis ſunt, & per Aholiabum qui in bono & vero fidei; qui in bono amoris cœleſtis ſunt, in intimo cœli & eccleſiæ ſunt; qui autem in bono & vero fidei, in ultimo ejus ſunt, ita per hos binos ſignificantur omnes in complexu, apud quos inſtaurari Eccleſia poſſit, nam per Primum & Ultimum, ſeu per intimum & extremum ſignificantur omnes ſeu omnia; agitur enim in nunc ſequentibus de Eccleſia inſtauranda, ideo nominantur illi duo, per quos ſignificantur omnes apud quos Eccleſia inſtaurari poſſet; quod per primum & ultimum ſignificentur omnes & omnia, videatur n: 10,044; & quod per Aholiabum e tribu Danis, ſignificentur qui in bono fidei ſunt, videbitur in ſequentibus. Ex

his

his nunc patet, quod per vocavi nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi tribui Jehudæ, significentur illi qui in bono amoris sunt, apud quos Ecclesia instauranda.

10,330. Et implevi illum spiritu Dei, quod significet influxum ac illustrationem ex Divino Vero quod ex Divino Bono Domini, constat ex significatione implere spiritu Dei, quod sit influxus & illustratio ex Divino Vero; implere enim, cum de Jehovah, est influxus, & apud hominem illustratio; ac spiritus Dei est Divinum Verum quod ex Divino Bono Domini. Quod implere, cum de Jehovah seu Domino, sit influxus, & apud hominem illustratio, est quia influxus prædicatur de omni bono & de omni vero, quod e cœlo a Domino; & quia influxus ille illustrat hominem, prædicatur illustratio de homine: quod Divinum illud Verum procedens a Divino Bono Domini sit Spiritus Dei, videatur n: 9818. Quoniam pauci sciunt, quomodo se habet cum influxu Divini Veri, & cum illustratione inde apud hominem, licet hic aliqua de illis dicere: quod omne bonum amoris & verum fidei non sit ab homine, sed e cœlo a Divino ibi apud illum, notum est in Ecclesia; etiam quod in illustratione sint qui recipiunt illud: sed influxus & illustratio fit hoc modo: homo talis est, ut quoad interiora sua, quæ sunt cogitationis & voluntatis possit deorsum spectare, ac possit sursum; deorsum spectare est extrorsum in mundum & ad semet, & sursum spectare est introrsum ad Cœlum & ad Deum; homo extrorsum spectat a semet, quod dicitur deorsum, quoniam cum a semet, spectat ad infernum; at homo introrsum spectat non a semet, sed a Domino, hoc dicitur sursum, quia elevatur tunc quoad interiora sua, quæ sunt voluntatis & intellectus a Domino ad Cœlum, ita ad Dominum: etiam interiora actualiter elevantur, & tunc actualiter abducuntur a corpore & a mundo; hoc cum fit, interiora hominis actualiter in cœlum, ac in lucem & calorem ejus, veniunt; inde ei influxus & illustratio; Lux cœli illuminat intellectum, nam Lux illa est Divinum Verum quod a Domino ut Sole procedit, & Calor cœli accendit voluntatem, nam calor ille est bonum amoris quod simul a Domino ut Sole procedit: homo quia tunc est inter angelos, communicatur ei ab illis, hoc est, per illos a Domino intelligentia veri & affectio boni; communicatio illa est quæ vocatur Influxus & Illustratio: sed sciendum, quod influxus & illustratio fiant secundum receptionis facultatem apud hominem, & receptionis facultas secundum amorem veri & boni; quapropter qui in amore veri & boni sunt propter verum & bonum ut fines, illi elevantur; at qui in amore veri & boni sunt non propter verum & bonum, sed propter semet & mundum, illi quia spectant jugiter & gravitant deorsum, non possunt elevari, ita non possunt recipere influxum Divinum e cœlo, ac illustrari: intelligentia quæ apud hos apparet sicut intelligentia veri, est ex lumine fatuo, quod coram oculis eorum splendet ex confirmativis & inde persuasivis; sed sive falsum sit sive verum, similiter splendet; at splendor ille fit mera caligo, cum influit lux e cœlo: quod ita sit, ad vivum mihi ostensum est. Ex his constare potest, unde est, quod in mundo tot hæreses existant, quod nempe quia antesignani & duces spectaverunt ad semet,

&

& gloriam suam pro fine habuerunt, ac tunc illa quæ Domini ac cœli sunt, pro mediis ad finem.

10,331. In sapientia, & in intelligentia, & in scientia, & in omni opere, quod significet quoad illa quæ sunt voluntatis & quæ intellectus in interno & in externo homine, constat ex significatione sapientiæ, quod sint illa quæ sunt voluntatis in interno homine; ex significatione intelligentiæ, quod sint quæ intellectus etiam in interno homine; ex significatione scientiæ, quod sint quæ intellectus & inde loquelæ in externo homine; & ex significatione operis, quod sint quæ voluntatis & inde effectus in externo homine; inde per illa significantur omnia hominis qui in bono amoris cœlestis, tam interiora quam exteriora ejus, quæ recipiunt influxum Divini Veri a Domino, & inde in illustratione sunt, de quibus mox supra. Sed quid Sapientia, Intelligentia, Scientia, & Opus, paucis dicetur: qui non sciunt quid Internus homo & quid Externus, tum quid Intellectus & Voluntas, non possunt capere quomodo inter se distinctæ sunt Sapientia, Intelligentia, Scientia, & Opus, causa est, quia non possunt distinctam ideam habere de una & de altera; quapropter illi qui non ea sciunt, vocant sapientem qui modo intelligens est, imo qui modo sciens; sed sapiens est, qui ex amore facit vera, intelligens qui ex fide facit illa, sciens qui scienter facit, & opus est quod ex illis fit, ita opus est effectus earum, in quo se conjungunt: quapropter nemo dici potest sapiens, nec intelligens, nec sciens in genuino sensu, qui non facit; sunt enim tam sapientia, quam intelligentia, & scientia, vitæ, & non doctrinæ absque vita; vita enim est finis propter quem; qualis itaque est finis, talis est sapientia, intelligentia & scientia; si finis est genuinum bonum, quod est bonum amoris in Dominum, & Charitatis erga proximum, tunc est sapientia, intelligentia, & scientia, in suo proprio sensu; nam tunc apud hominem a Domino sunt: si autem finis est propter bonum amoris sui & mundi, non sunt sapientia, intelligentia, & scientia; quoniam tunc apud hominem a semet sunt, nam bonum amoris sui & mundi ut finis est malum, & de malo ut fine nullatenus prædicari potest aliquid sapientiæ & intelligentiæ, ne quidem scientiæ, nam quid scientia nisi in illa sit intelligentia veri & sapientia boni, cogitatur enim ex illa quod malum sit bonum, & falsum sit verum. Apud illos qui in bono amoris in Dominum sunt, consequuntur sapientia, intelligentia, scientia, & opus, ordine ab intimo ad ultimum; sapientia ibi est intimum, est enim velle bene ex amore; intelligentia est alterum, est enim intelligere bene ex velle bene; hæc duo sunt Interni hominis; scientia est scire bene, & opus est facere bene, utrumque ex velle bene; hæc duo sunt Externi hominis; inde patet, quod sapientia erit in intelligentia, hæc in scientia, & hæc in opere; sic opus includit & concludit interiora omnia, est enim ultimum in quod desinunt. Ex his constare potest, quid per opera & facta, quæ toties in Verbo dicuntur, intelligitur; ut in sequentibus his locis; apud Matthæum, "Filius hominis *reddet unicuique secundum facta ejus*," XVI: 27. Apud Jeremiam, "Retribuam illis *juxta opus illorum, & juxta factum manuum eorum*," XXV: 14. Apud Eundem, "Je-

"Jehovah, cujus oculi aperti sunt super omnes vias hominis, ad dandum cuique secundum vias ejus, & *secundum fructum operum ejus*," xxxii : 19. Apud Eundem, "Revertimini quisque a via sua mala, & *bona reddite opera vestra*," xxxv : 15. Apud Hoscheam, "Visitabo super vias ejus, & *opera ejus retribuam illi*," iv : 9. Apud Sachariam, "Jehovah juxta vias nostras, & *juxta opera nostra*, facit nobiscum," i : 6. Apud Johannem, "*Ego dabo vobis unicuique secundum opera sua*," Apoc : ii : 23. Apud Eundem, "*Judicati sunt quilibet secundum opera illorum*;" Apoc : xx : 13. 15. Apud Eundem, "Ecce venio, & merces mea Mecum, *ut dem unicuique secundum opera ejus*," Apoc : xxii : 12; per opera ibi intelliguntur omnia quæ apud hominem, quoniam omnia hominis, quæ in ejus Velle & Intelligere, in operibus sunt, ex illis enim homo facit ea; inde Opera vitam suam habent; nam opera absque illis sunt sicut crusta absque nucleo, aut sicut corpus absque anima; quod procedit ab homine procedit ab ejus interioribus, inde Opera sunt manifestationes eorum, & sunt effectus per quos apparent. Lex communis est, quod qualis homo, tale omne ejus opus; inde est, quod per opera, secundum quæ erit merces & retributio, intelligatur quale hominis quoad amorem, & quoad fidem; opera enim sunt amoris & fidei quæ apud hominem; quod homo non sit nisi quam suus amor & sua fides, seu quod idem est, suum bonum & suum verum, videatur n : 10,076. 10,177. 10,264. 10,284. 10,298. Præterea ipsum velle hominis non est nisi quam opus, quoniam quod quis vult, hoc facit, si non tale obstat quod removeri non potest; inde per judicari secundum facta, est secundum velle ejus: qui faciunt bonum ex velle bonum, illi in Verbo dicuntur justi, ut patet apud Matthæum Cap : xxv : 37. 46; de illis dicitur, quod fulgebunt sicut sol in cœlo," Matth : xiii : 42; & apud Danielem, "Intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, & justificantes multos sicut stellæ," xii : 3; justificantes sunt qui ex velle bene faciunt bonum.

10,332. Ad excogitandum excogitationes ad faciendum in auro, & in argento, & in ære, quod significet ad repræsentandum bona & vera interiora & exteriora quæ intellectus ex voluntate, ita quæ fidei ex amore, constat ex significatione excogitare excogitationes seu invenire inventiones, quod sit quod procedit ex intellectu, de qua n : 9598. 9688; ex significatione facere, quod sit quod procedit ex voluntate, de qua n : 9282, nam quod facit homo, hoc ex velle ejus procedit, hic ex velle per intellectum, nam dicitur ad excogitandum excogitationes ad faciendum; ex significatione auri, quod sit bonum, & argenti quod sit verum, de qua n : 1551. 1552. 5658. 6914. 6917, 8932. 9490. 9881. 9974; & ex significatione æris, quod sit bonum naturalis seu externi hominis, de qua n : 425. 1551; inde per aurum, argentum, & æs, significantur bona & vera interiora & exteriora; per aurum bonum interius, per argentum verum interius & exterius, & per æs bonum externum: quod sit repræsentativum horum bonorum & verorum, quod significatur, est quia agitur de Ecclesia repræsentativa, & omnia quæ Bezaleel facturus erat, repræsentativa erant. Ex his patet, quod per ad excogitandum excogitationes ad

ad faciendum in auro, in argento, & in ære, ſignificetur ad repræſentandum bona & vera interiora & exteriora quæ intellectus ex voluntate: quod etiam ſint quæ fidei ex amore, eſt quia vera ſunt fidei ac vera ſe referunt ad intellectum, & bona ſunt amoris, ac bona ſe referunt ad voluntatem. Dicitur intellectus ex voluntate, & fides ex amore, quia intellectus non eſt quicquam niſi ſit ex voluntate, nam quod intelligit homo & non vult, non eſt intellectus hominis, ſed eſt intellectus alterius in ſe, quapropter is intellectus perit; aliter intellectus ex voluntate, ille eſt ipſius hominis, quoniam voluntas eſt ipſe homo: ſimiliter ſe habet cum fide & amore, nam, ut dictum eſt, vera fidei ſe referunt ad intellectum, & bona amoris ad voluntatem.

10,333. Et in ſculptura lapidis ad implendum, quod ſignificet ad repræſentandum omnia fidei inſervientia bono amoris, conſtat ex ſignificatione ſculpturæ lapidis, quod ſit repræſentativum omnium fidei ex amore; per ſculpturam lapidis enim intelligitur ſculptura lapidum in Pectorali, qui erant Urim & Thumim; quod per illos lapides repræſentata ſint omnia fidei & amoris, videatur n: 3858. 6335. 6640. 9823. 9863. 9865. 9868. 9873. 9905; & ex ſignificatione implere, quod ſit inſervire bono amoris, a quo; impletiones enim fiebant in auro ibi, & per aurum ſignificatur bonum amoris, n: 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 8932. 9490. 9881. 9874.

10,334. Et in ſculptura ligni ad faciendum in omni opere, quod ſignificet ad repræſentandum bonum quodcunque, conſtat ex ſignificatione ſculpturæ ligni, quod ſit repræſentativum boni; quod lignum, ſit bonum, videatur n: 643. 2784. 2812. 3720. 8354. 9474; & ex ſignificatione omnis operis, quod ſit quodcunque. Bonum quodcunque dicitur, quia bonorum ſunt plura genera & ſpecies; eſt bonum cœleſte, & bonum ſpirituale; eſt bonum interius & exterius, exterius eſt naturale & ſenſuale, eſt bonum innocentiæ, bonum amoris, bonum fidei, bonum erit in omni vero ut ſit verum; & quoque bonum apud hominem formatur per vera, inde bonum variatur, & fit multiplex, ac ita multiplex, ut nullus angelus, nullus ſpiritus, & nullus homo, ſit in ſimili bono, in quo alter; univerſum cœlum in varietate quoad bonum conſiſtit, per varietatem illam diſtinguitur unus ab altero; nam ſi idem bonum eſſet pluribus, nulla diſtinctio foret; ſed varia illa bona ordinantur ita a Domino, ut ſimul unum Bonum commune conſtituant: ſciendum eſt, quod Divinum Bonum ſit unum, quia infinitum, n: 10,261; ſed variatur apud angelos, ſpiritus, & homines, quoad quale & quantum ex receptione in veris, nam vera qualificant bonum, hoc eſt, dant bono ſuum quale, ac vera ſunt multiplicia.

10,335. Et Ego ecce dedi cum illo Aholiabum filium Achiſamachi tribui Dan, quod ſignificet illos qui in bono & vero fidei apud quos Eccleſia inſtauranda, conſtat ex repræſentatione Aholiabi, quod ſint illi qui in bono & vero fidei; quod illi per Aholiabum repræſententur, eſt quia e Tribu Danis erat, & per illam Tribum ſignificantur illi qui in bono & vero fidei ſunt, videatur n: 3923. 6396. Quod hi duo, nempe Bezaleel e tribu Jehudæ, & Aholiabus e tribu Danis, electi ſint ad faciendum opera, per quæ repræſen-

rarentur Divina cœlestia & spiritualia, erat quia per Bezaleelem intelliguntur omnes qui in bono amoris sunt, & per Aholiabum omnes qui in bono & vero fidei, ita per Bezaleelem illi qui in intimis cœli & ecclesiæ, & per Aholiabum illi qui in ultimis eorum sunt; & cum intimi & ultimi nominantur, intelliguntur omnes qui in universo Cœlo & in universa Ecclesia; de qua re videatur supra, n: 10,329; & quod cum primum & ultimum dicuntur, intelligantur omnia, n: 10,044. Tribus Jehudæ etiam actualiter erat prima tribuum, & tribus Dan ultima earum; quod tribus Jehudæ actualiter esset prima tribuum, constat ex Benedictione filiorum ab Israele patre Genes: XLIX, ibi Reuben, Schimeon & Levi, qui primogeniti, maledicuntur, ac Jehudah benedicitur; videatur de Reubene ibi Vers: 3. 4: de Schimeone & Levi, Vers: 5. 6. 7: & de Jehudah, Vers: 8. 9. 10. 11. 12; & quod Dan sit ultima tribuum, videatur n: 1710. 3922. 6396: in intimo cœlo etiam sunt qui in bono amoris in Dominum, & in ultimo qui in vero fidei ex bono. In vero fidei ex bono dicitur, quoniam verum fidei non est verum fidei apud aliquem, nisi sit ex bono, nascitur enim verum ex bono; quapropter nisi bonum in vero sit, non est anima in illo, ita non vita: qui in veris fidei sunt ex bono, sunt in ultimis cœli, non autem qui in veris fidei absque bono sunt, hi non in cœlo sunt. Quoniam verum fidei ministrat bono amoris, sicut ultimum primo, ideo dicitur de Aholiabo, quod Jehovah dederit illum cum Bezaleele, quod est ad serviendum illi; ac de Bezaleele dicitur, quod Jehovah impleverit illum spiritu Dei in sapientia, & in intelligentia, & in scientia, & in omni opere, Vers: 3.

10,336. Et in corde omnis sapientis corde dedi sapientiam, quod significet omnes qui volunt & faciunt bonum & verum propter bonum & verum, constat ex significatione cordis, quod sit intimum hominis, quod vocatur ejus voluntas; & quia id est voluntatis hominis quod est ejus amoris, ideo per cor etiam significatur amor; quod cor sit amor, videatur n: 3635. 3883 ad 3896. 9050: & quod sit voluntas, n: 2930. 3888. 7542. 8910. 9113. 9300. 9494; ex significatione sapientis corde, quod sit qui vult & amat bonum & verum propter bonum & verum, nam sapientis est & sapientia ex amore facere vera, n: 10,331; & sapientis corde ac sapientia cordis est ex amore facere bonum; & ex significatione dare sapientiam in corde, quod sit ex Domino facere illa, ita ex bono amoris, nam bonum amoris est a Domino; illi enim omnes volunt & faciunt bonum & verum propter bonum & verum, quoniam bonum & verum boni, sunt Dominus apud illos; quæ enim sunt ab Ipso, ita quæ sunt Ipsius, sunt quoque Ipse; inde est, quod dicatur, quod Dominus sit Ipsum Bonum, & Ipsum Verum; quod Dominus sit Ipsum Bonum, constat a Domini verbis, "*Quid Me dicis Bonum, nemo est Bonus nisi unus Deus,*" Matth: XIX: 16. 17. Luc: XVIII: 18. 19; & ubi recensentur bona amoris & charitatis, "*Quantum fecistis uni ex his fratribus meis minimis Mihi fecistis,*" Matth: XXV: 40; quod fratres dicantur qui in bono, ita bona, videatur n: 2360. 3803. 3815. 4121. 5409; ita fratres Domini, qui in bono sunt ab Ipso, n: 4191. 5686. 5692. 6756: & quod

Dominus sit Ipsum Verum, " *Jesus dicit, Ego sum Via, Veritas & Vita,*" Joh : XIV : 6 : & alibi, *Quando venerit spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem, non loquetur a semet, ex Meo accipiet & annunciabit vobis,*" Joh : XVI : 13. 14. 15; inde patet, quid sit dare sapientiam in corde: simile etiam intelligitur per legem scribere super cor, apud Jeremiam, " Dabo legem meam in medio eorum, & *super cor eorum scribam eam:* neque docebunt amplius vir socium suum, aut vir fratrem suum, dicendo, cognoscite Jehovam, omnes enim cognoscent Me," XXXI: 34; scribere legem super cor, est indere Divinum Verum voluntati, ita amori; quod cum fit, Divinum Verum non amplius ex memoria depromitur, sed ex ipso bono amoris percipitur; quapropter dicitur, non docebunt amplius vir socium suum, aut vir fratrem suum, dicendo, cognoscite Jehovam, omnes enim cognoscent Me: quod tales sint Angeli cælestes, qui in intimo cœlo, videatur in locis citatis n: 9277. Quid sit velle & facere bonum & verum propter bonum & verum, quæ significantur per in corde omnis sapientis corde dare sapientiam, paucis dicetur: omnes qui amant Dominum super omnia, & proximum sicut semet, illi faciunt bonum & verum propter bonum & verum; bonum enim & verum sunt Ipse Dominus, ut supra dictum est, quapropter cum amant bonum & verum, hoc est, cum volunt & faciunt illa ex amore, amant Dominum; etiam qui amant proximum sicut semet, quoniam proximus in universali sensu est bonum & verum; proximus enim est concivis, est societas, est patria, est Ecclesia, & est Regnum Domini; & amare proximum, est velle illis bene, seu velle illorum bonum; quapropter est eorum bonum quod amandum; & cum hoc amatur, amatur Dominus, quia ab Ipso est hoc bonum: inde patet, quod amor erga proximum, qui vocatur charitas, in se habeat amorem in Dominum: si non hic amor in illo sit, tunc amatur concivis, societas, patria, ecclesia, & Regnum Domini, propter se, & sic non amatur ex bono sed ex malo; nam quicquid est ab homine propter se ut finis, est ex malo; amare proximum propter se, est propter lucrum & honorem ut fines; finis est qui determinat num ex bono sit vel ex malo, nam finis est amor, quod enim homo amat, hoc pro fine habet; finis etiam est voluntas, nam quod homo vult, hoc amat, inde finis propter quem, seu intentio, est ipse homo; nam talis est homo qualis ejus voluntas, & qualis ejus amor.

10,337. Et facient omnia quæ præcepi tibi, quod significet Divina Vera quæ ex Verbo, quæ in externis repræsentanda, constat ex significatione facere omnia quæ præcepi, cum de Domino, quod sit secundum Divina Vera, nam Divina Vera vocantur præcepta Domini, n: 9417; & ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua n: 9372: quod sit quæ in externis repræsentanda, erat, quia quæ facturi, erant repræsentativa, & repræsentativa sunt externa, in quibus ut in typis interna sistuntur: repræsentativa, quæ facturi, recensentur in Versibus 7. 8. 9. 10. 11, qui sequuntur. Quid Repræsentativa, videatur in locis citatis n: 9280. tum n: 9457. 9481. 9576. 9577. 10,149. 10,252. 10,276.

10,338. Tentorium conventus, & Arcam Testimonio, quod significet re-

 præ-

præsentativum cœli in genere, ubi Dominus, constat ex significatione Tentorii conventus & Arcæ, quod sit repræsentativum cœli, de qua n: 9457. 9481. 9485. 9784; quod sit repræsentativum cœli in genere, est quia per Tentorium conventus intra velum, ubi arca, repræsentabatur intimum seu tertium cœlum, n: 9485; per Tentorium conventus extra velum, cœlum medium seu secundum; & per atrium cœlum ultimum, n: 9741, & ex significatione Testimonii, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 8535. 9503.

10,339. Et Propitiatorium quod super illa, quod significet repræsentativum auditionis & receptionis omnium cultus ex bono amoris, constat ex significatione, Propitiatorii quod super arca, quod sit repræsentativum omnium cultus quæ ex bono amoris, de qua n: 9506.

10,340. Et omnia vasa Tentorii, quod significet repræsentativum omnium bonorum & verorum ministrantium, constat ex significatione vasorum Tentorii conventus, quod sint bona & vera quæ inserviunt cœlis, ita quæ ministrant; bona & vera ministrantia, sunt cognitiones & scientifica, quod hæc per vasa in genere significentur, videatur n: 3068. 3079. 9724.

10,341. Et mensam & vasa ejus, quod significet repræsentativum boni spiritualis ex cœlesti, constat ex significatione mensæ super qua panes facierum, quod sit repræsentativum boni cœlestis & spiritualis, de qua n: 9527. 9545. 9684. 9685; & ex significatione vasorum ejus, quod sint ministrantia, quæ quod sint cognitiones boni & veri videatur n: 9544.

10,342. Et candelabrum purum, & omnia vasa ejus, quod significet repræsentativum veri ex bono illo, ac ministrantia, constat ex significatione Candelabri cum lucernis & calamis, quod sit repræsentativum cœli spiritualis, ac ibi fidei & intelligentiæ a Domino, ita veri ex bono, de qua n: 9548. 9551. 9555. 9558. 9561; & ex significatione vasorum candelabri, quod sint purificatoria & emunctoria, de qua n: 9572, ita ministrantia.

10,343. Et Altare suffimenti, quod significet repræsentativum cultus ex illis, constat ex significatione altaris suffimenti, quod sit repræsentativum omnium cultus quæ ex bono amoris & fidei, de qua n: 10,177.

10,344. Et altare holocausti, & omnia vasa ejus, quod significet repræsentativum cultus ex bono amoris & ejus veris, constat ex significatione altaris holocausti, quod sit repræsentativum Domini ac Ipsius cultus ex bono amoris, de qua n: 9714. 9964. 10,123. 10,151. 10,242. 10,245; & ex significatione vasorum ejus, quod sint vera inservientia bono, de qua n: 9723. 9724.

10,345. Et labrum, & basin ejus, quod significet repræsentativum purificationis & regenerationis, ac naturale, constat ex significatione lavationis, quæ per aquam in labro fiebat, quod sit repræsentativum purificationis & regenerationis, de qua n: 10,237. 10,239; & ex significatione labri, quod sit naturale hominis; de qua n: 10,235; & ex significatione baseos ejus, quod sit sensuale, quod est ultimum naturalis, de qua n: 10,236.

10,346. Et vestes ministerii, & vestes sanctitatis Aharoni sacerdoti, quod significet repræsentativum Regni spiritualis Domini adjuncti Regno cœlesti

Ipsius, constat ex significatione vestium Aharonis, quod sint repræsentativum Regni spiritualis Domini adjuncti Regno cœlesti Ipsius, de qua n: 9814.

10,347. Et vestes filiorum ejus, quod significet repræsentativum spiritualium inferiorum, constat ex repræsentatione filiorum Aharonis ac vestium illorum, quod sint repræsentativum spiritualium inferiorum, de qua n: 10,068.

10,348. Ad fungendum sacerdotio, quod significet repræsentativum operis salvationis Domini, constat ex significatione sacerdotii Aharonis & filiorum ejus, quod sit repræsentativum operis salvationis Domini, de qua n: 9809. 10,017.

10,349. Et oleum unctionis, quod significet repræsentativum Domini quoad Divinum Bonum Divini Amoris in Divino Humano Ipsius, constat ex illis quæ de Unctione & de Oleo unctionis n: 9954. 10,011. 10,019. 10,261, ostensa sunt.

10,350. Et suffimentum aromatum, quod significet repræsentativum cultus ex veris, constat ex significatione suffimenti, quod sit repræsentativum cultus, de qua n: 9475. 10,198. 10,298: & ex significatione aromatum ejus, quod sint vera, & eorum affectiones, de qua n: 10,291. 10,295.

10,351. Pro sancto, quod significet pro Ecclesia repræsentativa, constat ex significatione sancti in Ecclesia illa, quod sit repræsentativum Domini ac Divinorum quæ ab Ipso, de qua n: 9229. 9956. 10,069. 10,149; ita quæ in cultu Domini in Ecclesia repræsentativa, nam dicitur de suffimento, per quod significatur cultus, ut supra n: 10,350.

10,352. Juxta omnia quæ præcepi tibi facient, quod significet secundum Divina Vera quæ ex Verbo, quæ in externis repræsentanda, ut supra n: 10,337. Hæc omnia, quæ ex mandato facienda erant a Bezaleele & Aholiabo, sunt talia quæ, quid significant, prius ostensa sunt, ideo quia hic solum recensentur, plenius non explicantur.

10,353. Vers. 12 ad 18. *Et dixit Jehovah ad Moschen, dicendo. Et tu loquere ad filios Israelis, dicendo, verumtamen sabbatha mea custodietis, quia signum id inter Me & inter vos generationibus vestris, ad sciendum quod Ego Jehovah sanctificans vos. Et custodietis sabbathum, quia sanctum hoc vobis, prophanans illud moriendo morietur; quia omnis faciens in illo opus, & exscindetur anima illa e medio populorum suorum. Sex diebus fiet opus, & in die septimo sabbathum sabbathi, sanctum Jehovæ: omnis faciens opus in die sabbathi, moriendo morietur. Et custodient filii Israelis sabbathum ad faciendum sabbathum generationibus illorum; fœdus sæculi. Inter Me, & inter filios Israelis signum hoc in sæculum; quia sex diebus fecit Jehovah cœlum & terram, & in die septimo quievit & respiravit. Et dedit ad Moschen in absolvendo Ipso ad loquendum cum illo in monte Sinai, duas tabulas Testimonii, tabulas lapidis scriptas digito Dei.* Et dixit Jehovah ad Moschen dicendo, significat illustrationem & perceptionem per Verbum a Domino: & tu loquere ad filios Israelis, dicendo, significat informationem eorum qui ab Ecclesia per Verbum: verumtamen sabbatha

mea

mea custodietis, significat sanctam cogitationem jugiter de unione Divini cum Humano Domini: quia signum id inter Me & inter vos, significat quod id principale per quod noscantur in Cœlo illi qui ab Ecclesia: & custodietis sabbathum, significat quod Divinum Humanum Domini colendum: quia sanctum hoc vobis, significat inde omne bonum & verum quæ faciunt Ecclesiam: prophanans illud, significat duci a semet & suis amoribus, & non a Domino: moriendo morietur, significat separationem a cœlo & mortem spiritualem: omnis faciens in illo die opus, significat qui ad amores corporeos & mundanos ab amoribus cœlestibus se convertit: & exscindetur anima illa e medio populorum suorum, significat quod cœlum & ecclesia non sit apud illum sed infernum: sex diebus fiet opus, significat statum qui præcedit & præparat ad conjugium cœleste: & in die septimo sabbathum sabbathi, significat statum boni qui finis propter quem, ita cum homo fit ecclesia ac intrat cœlum: sanctum Jehovæ, significat Divinum: omnis faciens opus in die sabbathi moriendo morietur, significat duci a semet & a suis amoribus, & non a Domino: & custodient filii Israelis sabbathum ad faciendum sabbathum generationibus illorum, significat quod ipsum essentiale Ecclesiæ sit agnitio unionis Ipsius Divini in Humano Domini, & quod hæc erit in omnibus & singulis cultus: fœdus sæculi, significat conjunctionem cum Domino in æternum: inter Me & inter filios Israelis signum hoc in sæculum, significat quod per id distinguantur illi qui ex Ecclesia, ab illis qui non ex Ecclesia sunt: quia sex diebus fecit Jehovah cœlum & terram, significat statum pugnæ & laboris cum instauratur Ecclesia: & in die septimo quievit & respiravit, significat statum boni cum Ecclesia instaurata est, aut cum homo regeneratus: & dedit ad Moschen in absolvendo Ipso ad loquendum cum illo e monte Sinai, duas tabulas Testimonii, significat conjunctionem Domini per Verbum cum homine: tabulas lapidis scriptas digito Dei, significat Divinum Verum ibi ab Ipso Domino.

10,354. Et dixit Jehovah ad Moschen, dicendo, quod significet illustrationem & perceptionem per Verbum a Domino, constat ex illis, quæ supra, n: 10,234. 10,290, ostensa sunt.

10,355. Et tu loquere ad filios Israelis, dicendo, quod significet informationem eorum qui ab Ecclesia per Verbum, constat ex repræsentatione Moschis, ad quem dicitur quod loqueretur ad filios Israelis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis, n: 9372; ex significatione loqui & dicere, quod sit instructio seu informatio, de qua in locis citatis n: 10,277; & ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua in locis citatis n: 9340; inde patet quod per tu loquere ad filios Israelis dicendo, significetur informatio eorum qui ab Ecclesia per Verbum. De informatione per Verbum hic aliquid dicetur; antiquissimis temporibus informabantur homines de rebus cœlestibus seu de illis quæ sunt vitæ æternæ, per immediatum commercium cum angelis cœli, nam cœlum tunc unum agebat cum homine Ecclesiæ, influebat enim per Internum hominem in Externum eorum, inde illis non solum illustratio & perceptio, sed etiam loquela cum angelis: hoc tempus

vocabatur

vocabatur sæculum aureum, ex eo quod tunc essent in bono amoris in Dominum, aurum enim significat id bonum; describuntur etiam illa per Paradisum in Verbo. Postea informatio de rebus cœlestibus, & de illis quæ sunt vitæ æternæ, fiebat per talia quæ vocantur Correspondentiæ & Repræsentationes, quarum scientiam traxerunt ab antiquissimis, qui immediatum commercium habebant cum angelis cœli; in illas tunc influebat cœlum apud illos, ac illustrabat; correspondentiæ enim & repræsentationes sunt formæ externæ cœlestium; & quantum tunc homines in bono amoris & charitatis erant, tantum illustrabantur; omnis enim influxus Divinus e cœlo fit in bonum apud hominem, & per bonum in vera; & quia homo Ecclesiæ tunc in bono spirituali erat, quod bonum est in sua essentia verum, ideo tempora illa vocabantur sæculum argenteum, nam argentum significat tale bonum. Sed cum scientia correspondentiarum & repræsentationum versa est in magiam, periit illa Ecclesia, & successit Tertia, in qua quidem omnis cultus fiebat pœne per similia, sed usque ignorabatur quid significabant: hæc Ecclesia instituta fuit apud Gentem Israeliticam & Judaicam: sed quia informatio de rebus cœlestibus seu de illis quæ sunt vitæ æternæ, apud illos non potuit fieri per influxum in interiora eorum, & sic per illustrationem, ideo angeli e cœlo loquebantur viva voce cum quibusdam eorum, & instruebant de externis, ac parum de internis, quia interna non capere potuerunt: illi qui in bono naturali erant, recipiebant illa sancte, inde tempora illa vocabantur ærea, æs enim significat tale bonum. Ast cum nec bonum naturale apud hominem Ecclesiæ residuum esset, venit Dominus in mundum, ac redegit omnia in cœlis & in infernis in ordinem, ob finem ut homo possit recipere influxum ab Ipso e cœlo, ac illustrari, nec inferna possent inhibere, ac immittere caliginem, tunc incepit Quarta Ecclesia, quæ vocatur Christiana: in hac informatio de rebus cœlestibus seu de illis quæ sunt vitæ æternæ, unice fit per Verbum; per illud fit influxus & illustratio homini, nam Verbum conscriptum est & per meras correspondentias & per mera repræsentativa, quæ significant cœlestia; in quæ angeli cœli veniunt, cum homo Ecclesiæ legit Verbum; inde per Verbum fit conjunctio Cœli cum Ecclesia, seu angelorum Cœli cum hominibus Ecclesiæ, sed cum illis solum ibi, qui in bono amoris & charitatis sunt: verum quia homo hujus Ecclesiæ etiam exstinxit hoc bonum, ideo nec informari potest per aliquem influxum & per illustrationem inde, solum de aliquibus veris, quæ tamen cum bono non cohærent: inde hæc tempora sunt quæ vocantur ferrea, ferrum enim est verum in ultimo ordinis; sed cum verum tale est, tunc est quale describitur apud Danielem, "Quod vidisti ferrum mixtum cum argilla luti, commiscebunt se per semen hominis, sed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiscetur cum argilla," ii : 43. Ex his constare potest, quomodo Revelationes successerunt ab antiquissimis ævis ad hodiernum; & quod hodie detur revelatio solum per Verbum, sed genuina revelatio apud illos, qui in amore veri sunt propter verum; & non apud illos qui in amore veri sunt propter honores & lucra, ut fines: nam si credere velitis, est Dominus Ipsum

ſum Verbum, quoniam Verbum eſt Divinum Verum, & Divinum Verum eſt Dominus in Cœlo, quia a Domino; quapropter qui amant Divinum Verum propter Divinum Verum, amant Dominum; & apud illos qui amant Dominum, influit Cœlum ac illuſtrat; at illi, qui amant Divinum Verum propter honores & lucra ut fines, avertunt ſe a Domino ad ſemet & ad mundum, quare apud illos non dari poteſt influxus & illuſtratio; hi quoque quia in ſenſu literæ tenent animum fixum in ſe, & in ſua fama & gloria, applicant illum ſenſum ad talia quæ amoribus ſuis favent.

10,356. Verumtamen ſabbatha mea cuſtodietis, quod ſignificet ſanctam cogitationem jugiter de unione Ipſius Divini cum Humano Domini, conſtat ex ſignificatione ſabbathorum, quod in ſupremo ſenſu ſint Unio Ipſius Divini cum Divino Humano in Domino; ac in ſenſu reſpectivo conjunctio Domini quoad Divinum Humanum cum Cœlo; tum conjunctio Cœli cum Eccleſia; & in genere apud illos qui ſunt Eccleſia, ſeu apud quos Eccleſia, conjunctio boni & veri: quod illa unio, & hæ conjunctiones per ſabbatha ſignificentur, videatur n: 8495. 8510. 8890. 8893. 9274; & ex ſignificatione verumtamen ſeu omnino cuſtodire, quod ſit ſancte & jugiter in cogitatione habere; nam cum cuſtodire dicitur de illis quæ repræſentabantur in illa Eccleſia, ſignificatur in cogitatione & mente habere illa quæ repræſentabantur, & ſancte colere illa; nam repræſentativa erant externa in quibus interna; & quæ ſic dabant anſam cogitandi de internis; inde per cuſtodire ſabbatha Jehovæ ſignificatur ſancte & jugiter cogitare de Domino, Ipſius Divini unione cum Divino Humano Ipſius, de conjunctione Domini quoad Divinum Humanum cum Cœlo, deque conjunctione Cœli cum Eccleſia, ac de conjunctione boni & veri in homine Eccleſiæ. Hæc quia ſunt ipſa eſſentialia Eccleſiæ, nam ſine agnitione & fide horum Eccleſia non eſt Eccleſia, ideo de Sabbatho, per quod illa ſignificantur, ultimo dicitur, & quoque iterum & iterum uſque ad finem Capitis.

10,357. Quia ſignum id inter Me & inter vos, quod ſignificet quod id principale per quod noſcantur in cœlo illi qui ab Eccleſia, conſtat ex ſignificatione ſigni inter Jehovam & inter filios Iſraelis, quod ſit id quod indicat & teſtatur quod ſint ab Eccleſia, ita per quod noſcantur in cœlo, & quoque per quod conjunguntur Domino; nam qui ab Eccleſia ſunt in quibus Eccleſia, agnoſcent Dominum ac Divinum in Illo, & agnoſcent conjunctionem Domini cum cœlo, & quoque conjunctionem cœli cum homine Eccleſiæ, & in genere conjunctionem boni & veri apud illum, quoniam hæc conjunctio facit Eccleſiam apud illum. Sive dicas Eccleſiam apud hominem, ſive dicas cœlum apud illum, ſive dicas Regnum Dei apud illum, ſive dicas Dominum apud illum, idem eſt; nam Eccleſia eſt cœlum Domini in terris; & Regnum Dei eſt Cœlum & Eccleſia ſimul, & Dominus eſt a Quo illa; imo Qui illa.

10,358. Generationibus veſtris, quod ſignificet in omnibus & ſingulis Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione generationum, cum de filiis Iſraelis, quod ſint omnia & ſingula Eccleſiæ, de qua n: 10,282.

10,359. At

10,359. Ad sciendum quod Ego Jehovah sanctificans vos, quod significet Dominum quoad Divinum Humanum, quod spectant omnia Cœli & Ecclesiæ ut unicum a Quo, constat a significatione sancti, quod sit Divinum in Cœlo & in Ecclesia, nam hoc solum sanctum est; ac Divinum in Cœlo & Ecclesia procedit ex Divino Humano Domini, ita est Divinum Humanum Domini quod solum sanctum, proinde quod sanctificat: inde patet, quod id sit quod spectant omnia Cœli & Ecclesiæ ut unicum a Quo: Cœlum enim est Cœlum non a proprio angelorum, sed a Divino Domini apud illos; similiter Ecclesia apud homines: dicitur Ego Jehovah sanctificans vos, & per Jehovam intelligitur Dominus. Sed quia de illis sæpius actum est prius, videantur quæ de illis ibi dicta & ostensa sunt; ut quod Dominus solus sanctus, & quod omne sanctum procedat ab Ipso, n: 9229. 9680. 9820: quod sanctificatio sit receptio Divini Domini, n: 9820. 10,128. 10,276: quod angeli non aliud Divinum agnoscant, quam Divinum Humanum Domini, n: 10,159. 9267: ita quod Dominus quoad Divinum Humanum sit Cœlum & Ecclesia, quia habitat in suo ibi & non in proprio aliorum, n: 10,125. 10,151. 10,157: & quod Jehovah in Verbo sit Dominus, in locis citatis n: 9373.

10,360. Et custodietis sabbathum, quod significet quod Divinum Humanum Domini colendum, constat ex significatione custodire, cum dicitur de Divino, quod sit colere; & ex significatione sabbathi, quod in supremo sensu sit unio Divini, quod Pater vocatur, ac Divini Humani, quod Filius, ita Divinum Humanum in Quo illa unio. Quod per Sabbathum significetur unio illa, est quia per sex dies laboris, qui præcedunt septimum, significatur omnis status pugnæ, nam labor in spirituali sensu non est labor qualis in mundo, sed qualis est illis qui in Ecclesia antequam intrant Ecclesiam ac fiunt Ecclesia, qui labor est pugna contra mala & falsa mali; similis labor in spirituali sensu fuit Domino cum in mundo fuit, pugnavit enim tunc contra inferna, ac illa ut & cœlos in ordinem redegit; & simul tunc glorificavit Humanum suum, hoc est, univit Ipsi Divino quod Ipsi ex conceptione fuit, videatur n: 9715. 9809. Tempus ac status, cum Dominus in pugnis fuit, significatur per sex dies laboris, at status cum unio facta est, significatur per diem septimum; qui dicitur sabbathum a quiete, quia tunc quies Domino: inde per sabbathum etiam significatur conjunctio Domini cum Cœlo, cum Ecclesia, cum angelo cœli & cum homine ecclesiæ; causa est, quia omnes qui in cœlum venturi sunt, primum in pugnis erunt contra mala & falsa mali, & cum hæc separata sunt, intrant cœlum, & conjunguntur Domino, & tunc illis quies; similiter homines in mundo; quod hi in pugnis erunt, seu quod tentationes subituri, antequam in illis bonum & verum, quæ faciunt Ecclesiam, implantata sunt, notum est, ita antequam conjuncti sunt Domino, consequenter antequam illis quies: inde patet, unde est, quod status pugnæ significetur per sex dies laboris, ac quies ut & conjunctio per diem septimum seu sabbathum. Quod etiam conjunctio boni & veri per sabbathum significetur, est quia cum homo in pugnis est, tunc in veris est, at cum vera conjuncta sunt bono, ita cum homo in bono est, tunc ei quies: similiter ac

Dominus, cum in mundo fuit & pugnavit cum infernis, tunc quoad Humanum suum fuit Divinum Verum, ac cum univit Humanum suum Ipsi Divino, tunc factus est etiam quoad Humanum suum Divinum Bonum, seu Jehovah. Quod sex dies, qui præcedunt sabbathum, sint pugnæ quæ præcedunt & præparant ad Conjugium cœleste, quod est conjunctio boni & veri, videatur n: 8510. 8888. 9431: de priori statu, quando homo in veris est, & tunc in pugnis contra mala & falsa mali, qui status significatur per sex dies labores, & de posteriori statu, quando in bono est, & ducitur a Domino, qui significatur per sabbathum, videatur n: 7923. 7992. 8505. 8506. 8510. 8512. 8516. 8539. 8643. 8648. 8658. 8685. 8690. 8701. 8772. 9139. 9832. 9224. 9227. 9230, 9274: quod Dominus cum in mundo fuit, fecerit Humanum suum primum Divinum Verum, & dein Divinum Bonum, in locis citatis n: 9199 fin: 9315 fin: Et quod hoc per pugnas tentationum, in locis citatis n: 9528 fin: Qui itaque scit, quod per Sabbathum in supremo sensu intelligatur unio Ipsius Divini in Divino Humano Domini, is scire potest, quid significant quæ in Verbo toties de Sabbatho dicuntur, ita quæ apud Esaiam, "*Si averteris a sabbatho pedem tuum, & non facias voluntates tuas in die sanctitatis meæ; sed vocaveris sabbathum delitias Sancto Jehovæ honorabiles, atque honoraveris illud, ut non facias vias tuas, nec invenias desiderium tuum, aut loquaris verbum, tunc deliciaberis super Jehovah, & eveham te in excelsa terræ, & cibabo te hæreditate Jacobi patris tui,*" LVIII: 13. 14; qui sensum internum Verbi novit, manifeste videre potest, quod ibi per sabbathum significetur status conjunctionis hominis cum Domino, ita status cum ducitur homo a Domino, & non a semet, qui status est quando in bono est: duci enim a Domino & non a semet, est avertere a sabbatho pedem, non facere voluntates suas, non facere vias suas, non invenire desiderium suum, & non loqui verbum: quod tunc in illo Ecclesia sit, & Cœlum, significatur per quod evehetur in excelsa terræ, & cibabitur hæreditate Jacobi: & quod sabbathum sit Divinum Humanum in quo unio, significatur per quod sabbathum dicatur dies sanctitatis, ac delitiæ Sancto Jehovæ. Et apud Jeremiam, "*Si sanctificetis diem sabbathi, intrabunt per portas urbis hujus reges & principes, sedentes super throno Davidis, equitantes in curru & in equis,*" XVII: 24. 25; qui non scit sensum internum Verbi, opinaturus est quod hæc secundum sensum literæ intelligenda sint, quod nempe si sanctificaverint sabbathum intraturi sint reges & principes per portas urbis Hierosolymæ, ac equitaturi in curru & in equis; sed is sensus non est, verum quod qui Divinum Humanum Domini sancte colunt, in Divinis veris cœli & ecclesiæ erunt, per Hierosolymam enim intelligitur Ecclesia, per reges & principes Divina vera ejus, per thronum Davidis cœlum ubi Dominus, per currum doctrina boni & veri, & per equos intellectuale illustratum; quod Hierosolyma sit Ecclesia, videatur n: 2117. 3654: quod reges sint Divina vera, n: 1672. 2015. 2069. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148: quod principes sint primaria vera, n: 1482. 2089. 9954: quod thronus sit cœlum, n: 5313: quod currus sit doctrina boni & veri, n: 5321, 8215; & quod equi

equi sint intellectuale quod illustratur, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6534. Quia per Sabbathum significabatur Dominus quoad Divinum Humanum, in quo unio, ideo mandatum erat, *ut panes facierum ordinarentur super mensa quovis sabbatho,*" Levit: XXIV: 8; quod Dominus quoad Divinum Humanum per panem intelligatur, notum est in Ecclesia. Ideo etiam Dominus cum in mundo fuit, *se vocat Dominum sabbathi,*" Matth: XII: 7. 8. Marc: II: 27. 28. Luc: VI: 1 ad 5. Ac ideo Dominus, cum in mundo fuit, ac univit Humanum suum Ipsi Divino, Sabbathum quoad cultum repræsentativum, seu quoad cultum ejus, qualis erat apud populum Israeliticum, abrogavit; ac diem sabbathi fecit diem instructionis in doctrina fidei & amoris: tale involvit hoc apud Johannem, "Jesus sanans quendam die sabbathi, dixit ei, tolle lectum, & ambula: & sustulit lectum, & ambulabat. Judæi dicebant, quod non liceret portare lectum die sabbathi, ac quærebant Dominum interficere, *quia solvebat sabbathum,*" V: 8. 9. 10. 11. 18; per sanationem ægroti significatur purificatio hominis a malis & falsis mali; per lectum significatur doctrina, & per ambulare vita: quod omnes sanationes morborum quæ a Domino, involvant purificationes a malis & falsis, seu restitutiones vitæ spiritualis, videatur n: 8364 fin: 9031 fin: 9086; quod ambulare sit vita, n: 519. 1744. 8417. 8420; quod lectus sit doctrina, constat ex locis in Verbo ubi lectus nominatur, & quoque a repræsentativis in altera vita, ibi cum apparet lectus & jacens in illo, significatur doctrina in qua ille est; inde lecti apparent ibi ornatissimi illis qui in veris ex bono sunt: sed quod talia significentur per illa Domini verba, nemo scire potest nisi per sensum internum; Dominus enim per correspondentias, ita per significativa loquutus est, quia ex Divino.

10,361. Quia sanctum hoc vobis, quod significet inde omne bonum & verum quæ faciunt Ecclesiam, constat ex significatione sancti, quod sit omne id & solum id quod procedit ex Domino, de qua n: 9479. 9680. 9820, ita bonum amoris & verum fidei, nam hæc sunt quæ procedunt a Domino: quod illa faciant Ecclesiam apud homines, & cœlum apud angelos, constare potest ex eo, quod amor & fides sint essentialia Ecclesiæ, quia illa conjungunt homines & angelos Domino, bonum amoris voluntarium eorum, ac verum fidei intellectuale eorum, ita omnia eorum.

10,362. Prophanans illud, quod significet duci a semet & suis amoribus, & non a Domino, constat ex significatione prophanare sabbathum, seu opus facere die sabbathi, quod sit duci a semet & non a Domino, ita a suis amoribus; quod hoc per prophanare sabbathum significetur, constat apud Esaiam, "*Si averteris a sabbatho pedem tuum, ut non facias voluntates tuas in die sanctitatis meæ, & non facias vias tuas, nec invenias desiderium tuum, & loquaris verbum,*" LVIII: 13, avertere pedem a sabbatho, est talia quæ sunt naturalis hominis; facere voluntates suas, est facere quæ favent cupiditatibus ac malis amorum sui & mundi, facere vias suas, est favere falsis mali; invenire desiderium suum est vivere secundum jucunda amorum illorum, & loqui verbum est cogitare talia; inde patet, quod per prophanare sabbathum

 signi-

significetur duci a semet & a suis amoribus, & non a Domino, Qui in supremo sensu est sabbathum, ut mox supra ostensum est: similia significantur per opera die sabbathi, ut per secare ligna, accendere ignem, parare cibum tunc, colligere messem, & per plura, quæ facere die sabbathi interdictum erat; per quæ etiam similia significata sunt, per ligna secare operari bonum a semet, per ignem accendere id facere ex propriis amoribus, & per cibum parare semet docere ex intelligentia propria: quod talia involverint memoratæ illæ interdictiones, nemo nisi ex sensu interno scire potest. Porro sciendum, quod duci a semet & duci a Domino, sint duo opposita, qui enim a semet ducitur, is ducitur a suis amoribus, ita ab inferno, nam proprii amores hominis sunt inde; & qui ducitur a Domino, is ducitur ab amoribus cœli, qui sunt amor in Dominum & amor erga proximum; qui ab his amoribus ducitur, is subducitur ab amoribus propriis; & qui ducitur ab amoribus propriis, is subducitur ab amoribus cœli, nullatenus enim concordant; hominis enim vita vel est in cœlo, vel est in inferno, non datur ut sit simul in uno & in altero; hoc intelligitur per Domini verba apud Matthæum, "Nemo potest duobus Dominis servire, nam aut unum odio habebit, & alterum amabit, aut uni adhærebit, & alterum negliget," VI: 24: ex his patet, quid per opus facere die sabbathi significatur.

10,363. Moriendo morietur, quod significet separationem a cœlo & mortem spiritualem, constat ex significatione mori, cum de Sabbatho, per quod significatur Dominus ac Ipsius agnitio, quod sit nulla conjunctio cum cœlo, de qua n: 9928. 10,244, ita separatio ab illo; & separatio a cœlo est mors spiritualis.

10,364. Omnis faciens in illo die opus, quod significet qui ad amores corporeos & mundanos ab amoribus cœlestibus se convertit, constat ex illis quæ mox supra n: 10,361, ostensa sunt.

10,365. Et exscindetur anima illa e medio populorum suorum, quod significet quod cœlum, & Ecclesia non sit apud illum sed infernum, constat ex significatione exscindi e medio populorum suorum, quod sit separatio ab Ecclesia, & mors spiritualis, de qua n: 10,288; ita quod Ecclesia non sit apud illum, sed infernum; & quoniam cum Ecclesia non est apud hominem, nec cœlum est apud illum, nam Ecclesia & cœlum unum agunt; apud hominem enim in quo est Ecclesia, influit cœlum, hoc est, per cœlum Dominus, & facit ibi Ecclesiam: inde est, cum non Ecclesia est apud hominem, est infernum apud illum: hoc itaque significatur per exscindi e medio populorum suorum.

10,366. Sex diebus fiet opus, quod significet statum qui præcedit & præparat ad conjugium cœleste, constat ex significatione sex dierum qui præcedunt sabbathum, quod sit status qui præcedit & præparat ad conjugium cœleste, de qua n: 8510. 8888. 9431; conjugium cœleste est conjunctio boni & veri apud hominem Ecclesiæ & angelum Cœli, ac in supremo sensu unio Ipsius Divini in Humano Domini, videatur n: 10,356; & quod opus sex dierum sit status præcedens, n: 10,360.

10,367. Et in die ſeptimo ſabbathum ſabbathi, quod ſignificet ſtatum boni, qui finis propter quem, ita cum homo fit Eccleſia ac intrat cœlum, conſtat ex ſignificatione diei ſeptimi, quod ſit ſtatus boni, qui finis propter quem; cum enim ſex dies qui præcedunt, ſignificant ſtatum hominis qui præcedit & præparat ad conjugium cœleſte, inde dies ſeptimus eſt, cum homo in conjugio illo eſt; conjugium illud eſt conjunctio veri & boni apud hominem, ita cum homo fit Eccleſia ac intrat cœlum: quod homo intret cœlum, & fiat eccleſia, cum in bono eſt, inde eſt, quia Dominus influit in bonum apud hominem, & per bonum in verum ejus; influxus fit in internum hominem, ubi cœlum ejus eſt, & per internum in externum, ubi mundus ejus eſt; quare niſi homo ſit in bono, non aperitur internus ejus homo, ſed clauſus manet, utcunque in veris quoad doctrinam eſt; & quia cœlum in interno homine eſt, ideo cum hic aperitur, homo eſt in cœlo, nam cœlum non eſt in loco, ſed in interioribus hominis; quod homo ad imaginem & cœli & mundi creatus ſit, internus ejus homo ad imaginem cœli, & externus ad imaginem mundi, videatur in locis citatis n: 9279. 9706. Quod homo totus ſit qualis eſt quoad bonum, & non quoad verum abſque bono, unuſquiſque, qui reflectit, ſcire poteſt, per bonum enim ſuum, & ſecundum id agit cum altero, ſentit cum altero, conjungit ſe alteri, patitur ſe duci ab altero, non autem per verum & ſecundum id, niſi hoc cum bono ejus concordat: cum dicitur bonum, intelligitur jucundum ejus, voluptas ejus, ſeu amor ejus, nam omnia quæ illorum ſunt, illi ſunt bona, & quantum ſibi ipſi relinquitur, ut ex ſe cogitet, ſunt vera quæ illis favent: inde conſtare poteſt, quod homo per bonum conjungatur Domino, & nequaquam per verum abſque bono. Actum quidem ſæpe prius eſt de conjunctione per bonum cum Domino, ubi de regeneratione ejus; ſed quia homo Eccleſiæ hodie multum ſtudet veris quæ fidei, & parum bono quod amoris, ac inde in ignorantia eſt de bono, licet adhuc aliquid de conjunctione boni & veri, quæ vocatur conjugium cœleſte, dicere; homo naſcitur in omnis generis mala, & inde in omnis generis falſa, ita ex ſe damnatus eſt inferno; ut itaque ab inferno eripiatur, omnino renaſcetur a Domino, renaſcentia illa eſt, quæ vocatur regeneratio: ut ergo renaſcatur, primum diſcet vera, illi qui ab Eccleſia, ex Verbo, ſeu ex Doctrina e Verbo: Verbum & doctrina ex Verbo docent quid verum & bonum, ac verum & bonum docent quid falſum & malum; niſi homo illa ſciat, nequaquam poteſt regenerari, manet enim in ſuis malis & inde falſis, ac illa vocat bona, & hæc vera: inde eſt, quod cognitiones veri & boni præcedent, ac intellectum hominis illuſtrabunt: intellectus enim homini datus eſt, ut per cognitiones boni & veri illuſtretur, ob finem ut recipiantur a voluntate ejus, ac fiant bonum; nam vera tunc fiunt bonum, cum homo vult illa, & ex velle facit illa: inde patet quomodo bonum apud hominem formatur; & quod niſi homo in bono ſit, non ſit e novo natus ſeu regeneratus: cum itaque homo in bono eſt quoad voluntatem, tunc in veris illius boni eſt quoad intellectum; intellectus enim apud hominem actualiter unum agit cum voluntate ejus, nam quod vult homo hoc cogitat cum ſibi relictus eſt; hoc nunc eſt

est quod vocatur conjunctio veri & boni seu conjugium cœleste: sive dicas velle bonum, sive amare bonum, idem est, nam quod homo amat hoc vult; & tunc sive dicas intelligere verum quod boni, sive credere illud, etiam idem est; inde sequitur, quod apud hominem regeneratum amor & fides unum agant: hæc conjunctio, seu hoc conjugium est quod vocatur Ecclesia, & Cœlum, & quoque Regnum Domini, imo in supremo sensu Dominus apud hominem. Qui autem amant sua mala, quæ vel ex hæreditario acceperunt, & ex infantia apud se confirmarunt, vel quæ ex semet superaddiderunt, ac e novo imbuerunt, illi quidem capere & quodammodo intelligere vera ex Verbo aut ex doctrina e Verbo possunt, sed usque non regenerari; quisque enim homo tenetur a Domino in illo statu quoad intellectum, ob finem ut regeneretur; at cum amat sua mala, tunc intellectuale interni ejus hominis non imbuitur illis; sed solum intellectuale externi ejus hominis, quod intellectuale est mere scientificum: tales homines non sciunt quid bonum, nec curant scire quod sit, sed solum quid verum; inde est, quod in veris, quæ dicuntur fidei, ponant Ecclesiam & Cœlum, & non in bonis quæ vitæ etiam; ad favorem principii sui Verbum explicant variis modis; inde est, quod apud tales, qui non simul in veris sunt quoad vitam, non sit conjunctio veri, ita nec Ecclesia & Cœlum; separantur etiam ab illis vera, quæ vocarunt fidei, in altera vita, nam malum voluntatis ejicit illa, & loco illorum succedunt falsa conformia malis, in quibus sunt. Ex his nunc constare potest, quid conjunctio boni & veri, quæ significatur per Sabbathum. Quod ea conjunctio dicatur sabbathum, est a quiete, nam sabbathum est quies; cum enim homo in primo statu est, hoc est, cum per vera ducitur ad bonum, tunc in pugnis est contra mala & falsa quæ apud illum; per pugnas enim, quæ sunt tentationes, discutiuntur & separantur mala & eorum falsa, nec ab illis quies est, priusquam bonum & verum conjuncta sunt; tunc quies est homini, & quies est Domino; nam homo non pugnat contra mala & falsa, sed Dominus apud illum. Quod sabbathum in supremo sensu significet Divinum Humanum Domini; est quia Dominus, cum in mundo fuit, ex Humano suo pugnavit contra omnia inferna, ac subjugavit illa, & simul redegit cœlos in ordinem, & post hunc laborem univit Humanum suum Divino, ac id quoque fecit Divinum Bonum, inde Ipsi tunc quies, nam contra Divinum inferna non hiscunt: inde nunc est, quod per Sabbathum in supremo sensu intelligatur Divinum Humanum Domini: sed de his videantur quæ prius ostensa sunt, ut quod Dominus, cum in mundo fuit, Humanum suum primum fecerit Divinum Verum, ob finem ut pugnare cum infernis posset, & illa subjugare; & quod postea glorificaverit suum Humanum, & id fecerit Divinum Bonum Divini amoris, in locis citatis n: 9199. 9315; tum n: 9715. 9809: quod Dominus, cum in mundo fuit, gravissimas tentationes subiverit, in locis citatis n: 9528 fin: quod inde Ipsi Divina potentia salvandi hominem, removendo ab illo inferna, & sic regenerando illum, n: 10,019. 10,152: de bino statu hominis, qui regeneratur a Domino, in locis citatis n: 9274: & quod homo non prius in cœlum veniat, quam cum conjunctio facta est

veri

veri & boni apud illum, n: 8516. 8539, 8722. 8772. 9139. 9832: quod regeneratio hominis ſit imago glorificationis Domini, n: 3138. 3212. 3296. 3490. 4402. 5688.

10,368. Sanctum Jehovæ, quod ſignificet Divinum, conſtat ex ſignificatione ſancti Jehovæ, quod ſit Divinum Humanum Domini, ac omne id & ſolum id quod procedit ex Ipſo, de qua n: 9479. 9680. 9820.

10,369. Omnis faciens opus in die ſabbathi, moriendo morietur, quod ſignificet duci a ſemet & a ſuis amoribus, & non a Domino, & inde mors ſpiritualis, conſtat ex illis, quæ ſupra n: 10,362, oſtenſa ſunt.

10,370. Et cuſtodient filii Iſraelis ſabbathum ad faciendum ſabbathum generationibus illorum, quod ſignificet quod ipſum eſſentiale Eccleſiæ ſit agnitio unionis Ipſius Divini in Humano Domini, & quod hoc erit in omnibus & ſingulis cultus, conſtat ex ſignificatione cuſtodire ſabbathum, quod ſit ſancta cogitatio jugiter de unione Ipſius Divini cum Humano Domini, de qua ſupra n: 10,356, ita quoque agnitio, nam cogitatio abſque agnitione & fide non eſt cogitatio ſpiritualis; ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint Eccleſia, de qua in locis citatis, n: 9340; ex ſignificatione facere ſabbathum, quod ſit ſancte colere illam unionem, ita Dominum quoad Divinum Humanum, nam in Eo eſt illa unio; & ex ſignificatione generationum filiorum Iſraelis, quod ſit in omnibus & ſingulis Eccleſiæ, de qua n: 10,282: ex his patet, quod per quod cuſtodient filii Iſraelis ſabbathum ad faciendum ſabbathum generationibus veſtris, ſignificetur agnitio Ipſius Divini in Humano Domini in omnibus & ſingulis cultus: quod id eſſentiale Eccleſiæ ſit, & inde eſſentiale cultus ejus, eſt quia ſalus generis humani unice pendet ab illa unione; propter illam unitionem etiam Dominus in mundum venit; ideo etiam totum Verbum in ſenſu intimo de illa agit, ac ritualia Eccleſiæ apud filios Iſraelis inſtitutæ, illam repræſentabant & ſignificabant: quod ſalus generis humani inde ſit, conſequenter quod agnitio illa eſſentiale Eccleſiæ, & ejus cultus ſit, docet Dominus pluribus in locis; ut apud Johannem, "Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam," III: 36, tum Verſ: 15. 16, ibi: ut & Cap: VI: 40. Cap: XI: 25. 26. Cap: XX: 31; Filius eſt Divinum Humanum Domini: quod non habeant vitam æternam illi qui non ex fide agnoſcunt Dominum, eſt quia totum cœlum in agnitione illa eſt; Dominus enim eſt Dominus cœli & terræ; ut Ipſe docet apud Matthæum, "Data eſt Mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra," XXVIII: 18; quapropter illis, qui non agnoſcunt Ipſum, clauditur cœlum: & qui non agnoſcit in mundo, hoc eſt, qui intra Eccleſiam, non agnoſcit in altera vita; talis eſt ſtatus hominis poſt mortem.

10,371. Fœdus ſæculi, quod ſignificet conjunctionem cum Domino in æternum, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8775. 9396. 9416; & ex ſignificatione ſæculi, quod ſit æternum, de qua n: 10,248.

10,372. Inter Me & inter filios Iſraelis ſignum hoc in ſæculum, quod ſignificet quod per id diſtinguantur illi qui ex Eccleſia ab illis qui non ex Ec-
cleſia

clesia sunt, constat ex significatione signi, quod sit id per quod noscuntur, de qua supra n: 10,357; ita quoque per quod distinguuntur; ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint Ecclesia, de qua in locis citatis n: 9340; inde per signum inter Jehovam & inter filios Israelis, significatur quod id sit per quod distinguuntur illi qui ex Ecclesia ab illis qui non ex Ecclesia, nempe per agnitionem unionis Divini in Humano Domini, de qua supra n: 10,370. Quod non Ecclesia sit, ubi Dominus non agnoscitur, docet etiam ipsa Ecclesia; & quoque quod in Humano Ipsius sit Ipsum Divinum, docet Ipse Dominus; apud Johannem, "*Pater & Ego unum sumus; credatis quod Pater in Me & Ego in Patre*," x: 30. 38: apud Eundem, "*Nonne credis quod Ego in Patre, & Pater in Me*," xiv: 6 ad 11: apud Eundem, "*Jesus dixit, venit hora, Pater glorifica Filium tuum, & Filius tuus glorificet Te: omnia Mea Tua sunt, & omnia Tua Mea*," xvii: 11: apud Eundem, "*Nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in Ipso, & Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso*," xiii: 31. 32: & apud Eundem, "*Si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Illum, & vidistis Illum; qui vidit Me, vidit Patrem*," xiv: 6 ad 11.

10,373. Quia sex diebus fecit Jehovah Cœlum & Terram, quod significet statum pugnæ & laboris cum instauratur Ecclesia, constat ex significatione sex dierum, cum agitur de instauratione Ecclesiæ, & de regeneratione hominis, quod sint status pugnæ contra mala & falsa, ita status qui præcedit & præparat ad conjunctionem boni & veri, de qua supra, n: 10,366. 10,367; & ex significatione cœli & terræ, quod sint Ecclesia. Per facere cœlum & terram in Verbo non intelligitur ipsa prima creatio cœli aspectabilis ac telluris, sed instauratio Ecclesiæ, ac regeneratio hominis ibi; per cœlum intelligitur internum ejus, & per terram externum; quod hæc creatio intelligatur, constat a locis in Verbo, ubi creare dicitur, ut apud Davidem, "*Populus qui creabitur, laudabit Jah*," Psalm: cii: 19: apud Eundem, "*Emittis spiritum, creantur, & renovas facies terræ*," Psalm: civ: 30: apud Esaiam, "Sic dixit Jehovah, *Creator tuus Jacob, Formator tuus Israel*, nam redemi te, vocavi nomine tuo, Mihi tu; *omnem vocatum a Nomine meo, & in gloriam meam creavi, formavi eum*, etiamque *feci eum*," xliii: 1. 7; & aliis in locis: dicitur creare, formare & facere, ac alibi creator, formator, ac factor, & per creare significatur novum quod non prius, per formare significatur quale, & per facere effectus. Quod creare & facere novum cœlum & novam terram, sit instaurare novam Ecclesiam, internum ejus & externum ejus, ut apud Esaiam Cap: lxv: 17. Cap: lxvi: 22. Apoc: xxi: 1, videatur n: 1733. 1850. 2117 fin: 2118 fin: 3355. 4535; & quod terra in Verbo sit Ecclesia, n: 9325; tum quod creatio cœli & terræ in Primo Capite Geneseos sit instauratio Ecclesiæ antiquissimæ, n: 8891. 9942.

10,374. Et in die septimo quievit & respiravit, quod significet statum boni cum Ecclesia instaurata est, aut cum homo regeneratus, constat ex significatione diei septimi, quod sit status sanctus, qui est Ecclesia cum in bono est, ita

ita cum est instaurata; seu cum homo Ecclesiæ in bono est, ita cum regeneratus: in supremo sensu per diem septimum, & per quietem & respirationem Jehovæ tunc, significatur unio Ipsius Divini quod Pater vocatur ac Divini Humani quod Filius in Domino, ita cum Dominus etiam quoad Humanum suum factus est Divinum Bonum Divini Amoris seu Jehovah; inde est, quod Septem in Verbo sint sanctum, videatur n: 395. 433. 716. 881. 5265. 5268: quod Jehovah dicatur tunc quievisse & respiravisse, est quia Dominus quoad Humanum suum tunc supra omnes infestationes ab infernis erat, ac tunc sub Ipsius dominio Cœlum & Terra," Matth: xxviii: 18: quies & respiratio etiam cœli erat tunc, quia a Domino tunc omnia in cœlo in ordinem redacta sunt, ac inferna subjugata: similiter in terris, quoniam cum cœlum in ordine est, & inferna subjugata, homo salvari potuit: inde patet, quod quies Jehovæ, sit pax & salus angelis in cœlis, & hominibus in terris; his cum in bono sunt, & per id in Domino.

10,375. Et dedit ad Moschen in absolvendo Ipso ad loquendum cum illo e monte Sinai duas tabulas Testimonii, quod significet conjunctionem Domini per Verbum cum homine, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; ex significatione in absolvendo loqui cum illo, quod sit postquam omnia instituta sunt, nam quæ Jehovah cum Mosche in monte Sinai loquutus est, erant quæ instituenda apud filios Israelis, ita quæ Ecclesiæ; ex significatione Montis Sinai, quod sit cœlum, unde Divinum Verum, de qua n: 8805. 9420; ex significatione duarum tabularum, quod sint Lex in omni complexu, ita Verbum, de qua n: 9416; & ex significatione Testimonii, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 8535. 9503: conjunctio per illud cum homine, significatur per quod Tabulæ binæ essent, & conjunctæ ad instar fœderis, videatur n: 9416; etiam per duo significatur conjunctio, n: 5194. 8423: inde patet, quod per [dedit Jehovah ad Moschen in absolvendo Ipso ad loquendum cum illo e monte Sinai duas Tabulas Testimonii, significetur quod postquam Ecclesia instaurata est, conjunctio Domini cum homine sit per Verbum, quod ab Ipso e cœlo demissum. Quod Verbum sit per quod Dominus influit apud hominem, loquitur cum illo, & conjungitur illi, videatur n: 1775. 2310. 2899. 3476. 3735. 3982 fin: 4217. 9212 fin: 9216 fin: 9357. 9380. 9396. 9400. 9401. 10,290.

10.376. Tabulas lapidis scriptas digito Dei, quod significet Divinum Verum ibi ab Ipso Domino, constat ex significatione tabularum, quod sint Lex in omni complexu, ita Verbum, de qua n: 9416; ex significatione lapidis, quod sit Divinum Verum in ultimis, de qua sequitur; & ex significatione scribi digito Dei, quod sit ab Ipso Domino, nam quod scribitur alicujus digito, est ab Ipso. Quod tabulæ illæ ex lapide essent, ac verba Legis lapidi inscripta, erat causa, quia Lapis significat Verum in ultimis, ac Divinum Verum in ultimis est sensus literæ Verbi, in quo sensus internus; quod Lapis sit Verum, videatur n: 643. 1298. 3720. 6426. 9476: & quod sit Verum in ultimis, n: 8609.



Continuatio de Tertia Tellure in Cœlo Astrifero.

10,377. *Agnoscunt illi, sicut in omni Tellure, Deum sub Humana forma, ita Dominum nostrum; nam quicunque Deum sub Humana forma agnoscunt, acceptantur a Domino nostro, ac ducuntur: reliqui non duci possunt; cogitant enim absque specie, ita de natura.*

10,378. *Spiritus, qui ex illa Tellure, probi sunt; causa est, quia detinentur a malis per id quod non ament cogitare de Terrestribus & Corporeis; hæc enim abducunt mentem a cælo; nam quantum aliquis in illis est, tantum remotus est a cælo, ita a Domino, proinde tantum in malis est, ac improbus.*

10,379. *Apparent spiritus illius Telluris superne in plano Capitis versus dextrum; omnes enim Spiritus dignoscuntur ex situ respective ad Corpus humanum; quod fit, quia universum cælum correspondet omnibus hominis: hi spiritus se tenent ad distantiam, quia Correspondentia illorum non est cum externis apud hominem, sed cum interioribus. Actio illorum est in sinistrum Genu, supra & infra paulum, cum quadam undulationis vibratione perquam sensibili; quod signum est, quod correspondeant conjunctioni naturalium & cælestium; nam Pedes correspondent Naturalibus, Femora Cælestibus, ita Genu conjunctioni illorum.*

10,380. *Informatus sum, quod incolæ telluris eorum instruantur de rebus cæli per Commercium aliquod immediatum cum Angelis & Spiritibus; in quod facilius quam alii induci possunt, quia rejiciunt corporea ex cogitatione & affectione sua: sed de Commercio illo solum licet referre ea, quæ mihi ostensa sunt.*

10,381. *Quidam Spiritus ex illis venit ad me, qui apperceptus supra caput juxta fontem pulsatilem, qui fontanella vocatur, inde loquebatur mecum: is dextre potuit explorare singula cogitationis meæ, & illa continenter tenere in ordine, ac manifestare mihi: sed deprompsit solum talia quæ posset reprehendere; causa erat, quia spiritus ex nostra Tellure circum me erant, ad quos, quia de corporeis cogitant, non libenter accedere volebat: cum me reprehenderet, dicere dabatur, quod mea non sint quæ reprehendit, sed spirituum qui circum me, quoniam quæ cogito, non ex me cogito, sed ex illis per influxum: ad hæc miratus,*

sed

ſed uſque percipiebat quod ita eſſet: addere dabatur, quod non angelicum ſit inquirere mala apud hominem, niſi ſimul bona: quibus auditis diſceſſit, percipiens quod ex indignatione, de qua ſupra, id fecerit.

10,382. *Poſtea loquutus ſum cum ſpiritibus illis ad diſtantiam, & quæſivi, quid ſit cum illis qui apud eos mali ſunt; dicebant quod in Tellure illorum non liceat improbum eſſe; at ſi quis male cogitat & male facit, quod increpetur a ſpiritu quodam, qui ei denuntiat mortem, ſi in illis perſiſtit; & quoque ſi perſiſtit quod moriatur per deliquium; & quod hoc modo homines illius telluris conſerventur a contagiis malorum. Quidam talis ſpiritus ad me miſſus eſt, mecum loquens ſicut cum illis; ac inſuper inducebat regioni abdominis aliquid doloris, dicens, quod ſic faciat illis qui male cogitant & male faciunt, & quibus denuntiat mortem. Sed hic ſpiritus erat ſpiritus increpator: adſtitit ad occipitium, & inde mecum loquebatur undulatorie.*

10,383. *Dicebant, quod graviter puniantur illi qui ſancta prophanant; & antequam venit ſpiritus punitor, apparet illis rictus leonis latus, lividi coloris, qui videtur quaſi velle deglutire caput, ac divellere id a corpore, inde horror occupat eos: ſpiritum punitorem vocant diabolum.*

10,384. *Quia deſiderabant ſcire, quomodo cum Revelatione ſe habet in noſtra Tellure, dicebam quod id fiat per ſcripturam ac prædicationem ex Verbo, & non per immediatum commercium, ut in aliis telluribus; & quod ſcriptura poſſit typis vulgari, ac ab univerſis cœtibus populorum legi & comprehendi, & ſic vita emendari: mirabantur valde, quod talis ars ignotiſſima alibi detur; ſed comprehenderunt, quod in hac Tellure, ubi corporea & terreſtria tantum amantur, Divina e cælo non aliter poſſint recipi; & quod illis diſcriminoſum foret loqui cum angelis.*

10,385. *Continuatio de Tertia hac Tellure in Cælo aſtrifero ad finem Capitis ſequentis.*

EXODI

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

DOCTRINA CHARITATIS ET FIDEI.

10,386. Baptismus institutus est, in signum quod homo sit ab Ecclesia, & in memoriale quod regenerandus sit: Lavatio enim Baptismi non aliud est quam Lavatio spiritualis, quæ est Regeneratio.

10,387. Omnis regeneratio fit a Domino per vera fidei, & per vitam secundum illa; ideo Baptismus testatur quod homo sit ab Ecclesia, & quod regenerari possit, nam in Ecclesia agnoscitur Dominus qui regenerat, & ibi est Verbum, ubi vera fidei, per quæ regeneratio.

10,388. Hoc docet Dominus apud Johannem, "*Nisi quis generatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in Regnum Dei,*" III: 5; aqua in spirituali sensu est verum fidei ex Verbo; spiritus est vita secundum illud; & generari ex illis est regenerari.

10,389. Quia omnis qui regeneratur, etiam subit tentationes, quæ sunt pugnæ spirituales contra mala & falsa, ideo per aquas Baptismi etiam illæ significantur.

10,390. Quia Baptismus est in signum & in memoriale illorum, ideo homo baptizari potest infans, & si non tunc, potest adultus.

10,391. Sciant itaque qui baptizati sunt, quod ipse Baptismus non det fidem, nec salutem, sed quod testetur quod recipiant fidem, & quod salventur, si regenerantur.

10,392. Inde constare potest, quid intelligitur per Domini verba apud Marcum, "*Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur; qui vero non crediderit, condemnabitur,*" XVI: 16; qui crediderit, est qui agnoscit Dominum, ac recipit Divina vera ab Ipso per Verbum, qui baptizatus fuerit, est qui per illa a Domino regeneratur.

CAPUT



CAPUT XXXII.

1. ET videbat populus quod tardaret Moſcheh deſcendere de monte; & congregatus eſt populus ad Aharonem, & dicebant ad illum, ſurge, fac nobis deos, qui eant ante nos, quia hic Moſcheh ille vir, qui aſcendere fecit nos e terra Ægypti, non ſcimus quid ſit illi.

2. Et dixit ad illos Aharon, avellite inaures auri quæ in auribus mulierum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, & adferte ad me.

3. Et avulſerunt omnis populus inaures auri, quæ in auribus eorum, & attulerunt ad Aharonem.

4. Et accepit e manu eorum, & formavit illud cœlo, & fecit illud vitulum fuſilis; & dixerunt, hi dii tui Iſrael, qui aſcendere fecerunt te e terra Ægypti.

5. Et videbat Aharon, & ædificabat altare coram eo, & proclamabat Aharon, & dicebat, feſtum jehovæ cras.

6. Et ſurgebant mane poſtridie, & offerebant holocauſta, & adducebant pacifica; & ſedebat populus ad edendum & bibendum, & ſurgebant ad ludendum.

7. Et loquutus eſt JEHOVAH ad Moſchen, vade deſcende, quia corrupit ſe populus tuus, quem aſcendere feciſti e terra Ægypti.

8. Receſſerunt ſubito a via, quam præcepi illis, fecerunt ſibi vitulum fuſilis, & adoraverunt illum, & ſacrificarunt illi, & dixerunt, hi dii tui Iſrael, qui aſcendere te fecerunt e terra Ægypti.

9. Et dixit JEHOVAH ad Moſchen, vidi populum hunc, & ecce populus durus cervice ille.

10. Et tu, ſine Mihi, & exardeſcat ira mea in illos, & conſumam illos, & faciam temet in gentem magnam.

11. Et deprecatus eſt Moſcheh facies JEHOVÆ DEI ſui, & dixit, quare JEHOVAH exardeſcat ira tua in populum tuum, quem eduxiſti e terra Ægypti, virtute magna & manu forti.

12. Quare dicent Ægyptii dicendo, in malum eduxit illos ad occidendum illos in montibus, & ad conſumendum illos a ſuper faciebus

terræ, revertere ab exſcandeſcentia iræ tuæ, & pæniteat Te ſuper malum populo tuo.

13. Recordare Abrahami, Jiſchaki, & Iſraelis, ſervorum tuorum, quibus juraſti in Te, & loquutus es ad illos, multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœlorum; & omnem terram hanc, quam dixi dabo ſemini veſtro, & hæreditabunt in ſæculum.

14. Et pænitebat Jehovam ſuper malo, quod dixit facere populo ſuo.

15. Et reſpexit, & deſcendit Moſcheh de monte, & duæ Tabulæ Teſtimoniii in manu ejus, tabulæ ſcriptæ a duobus tranſitibus, exhinc & exhinc illæ ſcriptæ.

16. Et Tabulæ opus Dei illæ, & ſcriptura ſcriptura Dei illa, exciſa ſuper Tabulis.

17. Et audivit Joſchua vocem populi in vociferatione ejus, & dixit ad Moſchen, vox belli in caſtris.

18. Et dixit, non vox clamoris victoria, & non vox clamoris res perdita, vocem clamoris miſerabilis ego audio.

19. Et factum, quemadmodum appropinquavit ad caſtra, & vidit vitulum, & choreas, & exardeſcebat ira Moſcheh, & projecit e manu ſua tabulas, & fregit illas ſub monte.

20. Et ſumſit vitulum, quem fecerunt, & combuſſit igne, & commoluit uſque in pollinem, & ſparſit ſuper facies aquarum, & bibere fecit filios Iſraelis.

21. Et dixit Moſcheh ad Aharonem, quid fecit tibi populus hic, quod adduxeris ſuper illum peccatum tam magnum.

22. Et dixit Aharon, ne exardeſcat ira, Domine mi; tu noſti populum quod in malo ille.

23. Et dixerunt mihi, fac nobis deos, qui eant ante nos, quia hic Moſcheh ille vir, qui aſcendere fecit nos e terra Ægypti, non ſcimus quid ſit ei.

24. Et dixi illis; cui aurum, avellite, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem, & exivit vitulus hic.

25. Et vidit Moſcheh populum, quod diſſolutus ille, quia diſſolutum fecit illum Aharon ad annihilationem inſurgentibus illorum.

26. Et ſtetit Moſcheh in porta caſtrorum, & dixit, quis Jehovæ, ad me; & congregati ſunt ad illum omnes filii Levi.

27. Et dixit illis, ita dicit Jehovah Deus Iſraelis, ponite quiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum, tranſite & redite a porta ad portam

in

in castris, & occidite vir fratrem suum, & vir socium suum, & vir propinquum suum.

28. Et fecerunt filii Levi secundum verbum Moschis: & cecidit ex populo in die illo ad tria millia virorum.

29. Et dixit Moscheh, implete manum vestram hodie JEHOVÆ, quia vir in filium suum, & in fratrem suum, & ad dandum super vos hodie benedictionem.

30. Et factum postridie, & dixit Moscheh ad populum, vos peccavistis peccatum magnum; & nunc ascendam ad JEHOVAM, forte expiaturus sum pro peccato vestro.

31. Et reversus Moscheh ad JEHOVAM, & dixit, obsecro, peccavit populus hic peccatum magnum, & fecerunt sibi deos auri.

32. Et nunc si remittis peccatum eorum; & si non, dele me, quæso, e libro tuo quem scripsisti.

33. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, illum, qui peccavit Mihi, delebo eum e libro meo.

34. Et nunc vade, duc populum ad quod dixi tibi, ecce Angelus meus ibit coram te, & in die visitationis meæ & visitabo super illos peccatum eorum.

35. Et percussit JEHOVAH populum super quod fecerunt Vitulum, quem fecit Aharon.

CONTENTA.

10,393. DEscribitur in sensu interno in hoc Capite, quod apud populum Israeliticum non posset institui Ecclesia, quoniam prorsus in externis erant absque ullo interno: & quod, ne prophanarent sancta Cœli & Ecclesiæ, interiora apud illos plane occluderentur: quod populus ille prorsus in externis esset absque ullo interno, significatur per vitulum aureum, quem pro Jehovah adorabant: & quod interiora apud illos plane occluderentur, ne prophanarent sancta Cœli & Ecclesiæ, significatur per quod tabulæ legis a Moscheh fractæ sint; & per quod Moscheh commoluerit vitulum aureum, ac pulverem sparserint in aquas, ac dederit illis ad bibendum; tum quoque per quod a filiis Levi in castris occisi fuerint ad tria millia virorum.

10,394. Porro describitur in sensu interno, quod tametsi Ecclesia apud illos non posset institui, usque essent apud illos Repræsentativa quæ ultima Ecclesiæ, ob finem ut conscriberetur Verbum, quod in ulti-

ultima illa desineret; hæc significantur per quod Jehovah exoratus esset a Moscheh.



SENSUS INTERNUS.

10,395. VERS: 1 ad 6. *Et videbat populus quod tardaret Moscheh descendere de monte; & congregatus est populus ad Aharonem, & dicebant ad illum, surge, fac nobis deos, qui eant ante nos, quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus, quid sit illi. Et dixit ad illos Aharon, avellite inaures auri, quæ in auribus mulierum vestrarum, filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum, & adferte ad me. Et avulserunt omnis populus inaures auri, quæ in auribus eorum, & attulerunt ad Aharonem. Et accepit e manu eorum, & formavit illud cœlo, & fecit illud vitulum fusilis; & dixerunt, hi dii tui Israel, qui ascendere fecerunt te e terra Ægypti. Et videbat Aharon, & ædificabat altare coram eo, & proclamabat Aharon, & dicebat, festum jehovæ cras. Et surgebant mane postridie, & offerebant holocausta, & adducebant pacifica; & sedebat populus ad edendum & bibendum; & surgebant ad ludendum.* Et videbat populus quod tardaret Moscheh descendere de monte, significat gentem Israeliticam cum non in Verbo apperciperet aliquid e cœlo: & congregatus est populus ad Aharonem, significat quod se contulerit ad externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, separata ab interno: & dicebant ad illum, significat exhortationem: surge, fac nobis deos qui eant ante nos, significat falsa doctrinæ ac cultus, ita idololatrica: quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit illi, significat quod prorsus ignotum sit, quid Divinum Verum in Verbo aliud, quod elevat hominem ab externo in internum: & dixit ad illos Aharon, significat externum Verbi, Ecclesiæ & Cultus, absque interno: avellite inaures auri ex auribus mulierum vestrarum, filiorum vestrorum, & filiarum vestrarum, significat extractionem talium ex sensu literæ Verbi, quæ favent amoribus externis ac principiis inde: & adferte mihi, significat collationem in unum: & avulserunt omnis populus inaures auri, quæ in auribus illorum, & attulerunt ad Aharonem, significat effectum: & accepit e manu eorum, significat faventia proprio eorum: & formavit illud cœlo, significat ex propria intelligentia: & fecit illud vitulum fusilis, significat secundum jucundum amorum illius gentis: & dixerunt, hi dii tui, Israel, significat quod colendum supra omnia: qui ascendere fecerunt te e terra Ægypti, significat quæ duxerunt: & videbat Aharon, significat approbationem: & ædificabat altare coram eo, significat cultum: & proclamabat Aharon, & dicebat, festum jehovæ cras, significat quod hoc sit ipsum Ecclesiæ quod celebrandum,

dum, ac ipsum Divinum quod adorandum perpetuo: & surgebant mane postridie, significat excitationem ab amoribus suis: & offerebant holocausta, & adducebant pacifica, significat cultum suorum amorum, ita jucundorum eorum, & inde falsorum: & sedebat populus ad edendum & bibendum, significat appropriationem eorum: & surgebant ad ludendum, significat festivitatem interiorum suorum inde, & consensum.

10,396. Et videbat populus quod tardaret Moscheh descendere de monte, quod significet gentem Israeliticam cum non in Verbo apperciperet aliquid e cœlo, constat ex significatione videre, cum de intellectu Verbi, quod sit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 3863. 4567. 4723. 5400; ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n.: 9372; ex significatione tardare descendere, cum de apperceptione Divini Veri ex Verbo, quod sit non influere, nam Divinum Verum quod influit apud hominem, dicitur descendere de cœlo: & ex significatione Montis Sinai, quod sit cœlum quoad Divinum Verum, de qua n: 9420: per populum hic intelligitur gens Israelitica in proprio sensu, quoniam in hoc Capite de illa agitur, qualis erat quoad apperceptionem Divini Veri ex Verbo, & quoad apperceptionem interiorum quæ repræsentabantur in illis quæ a Jehovah per Moschen filiis Israelis e monte Sinai mandata sunt, de quibus in Capitibus quæ præcedunt a xxv ad xxxi, inclusive: ex his constat, quod per videbat populus quod tardaret Moscheh descendere de monte, significetur gens Israelitica cum non in Verbo apperciperet aliquid e cœlo; ita nec aliquid quod repræsentabatur in illis quæ e monte Sinai mandata sunt, quæ sunt interiora. Cum his ita se habet; actum est in Capitibus quæ præcedunt de statutis, judiciis, & legibus, quæ a Jehovah mandata sunt filiis Israelis, apud quos Ecclesia instituenda erat; omnia & singula illa erant externa quæ repræsentabant interna, ut in explicationibus super illis Capitibus ostensum est: ast gens Israelitica talis erat, ut prorsus non aliquid scire vellet de internis quæ repræsentabantur, sed solum de externis quæ repræsentabant: causa, quod tales essent, erat quia prorsus in corporeis & terrestribus amoribus erant; & apud illos, qui in illis amoribus sunt, interiora, quæ alioquin paterent in cœlum, occlusa sunt; apud hominem enim est internum & externum, internum ejus est pro cœlo, & externum pro mundo; cum externum regnat, tunc mundana, corporea, & terrestria regnant, cum autem internum tunc cœlestia; sed homo ita creatus est, ut externum subordinatum sit interno, ita mundus apud illum cœlo, nam, ut dictum est, externum est pro mundo, & internum pro cœlo; cum itaque regnat externum, clauditur internum, ex causa, quia homo tunc vertit se a cœlo & a Domino ad mundum & ad semet, & cor ejus ibi est quo se vertit, proinde ejus amor, & cum amore omne vitæ ejus, nam vita hominis est ejus amor. Hæc dicta sunt, ut sciatur quomodo se habet cum illis qui in amoribus corporeis & terrestribus sunt, quod nempe interiora apud illos occlusa sint; & illi apud quos interiora occlusa sunt, non agnoscunt aliquod internum, solum illa quæ oculis vident & manibus tangunt dicunt esse, & reliqua quæ non oculis vident & manibus tangunt, dicunt non esse; inde

quoque illis non aliqua fides est, quod cœlum sit, quod vita post mortem, & quod interiora, quæ Ecclesia docet, sint aliquid. Talis fuit gens Israelitica: quod talis esset, describitur in hoc Capite. Qui non scit, quod interiora faciant Ecclesiam apud hominem, & non exteriora absque illis, non aliter scire potest, quam quod gens illa præ reliquis gentibus electa fuerit, & quoque a Jehovah amata; sed res se prorsus aliter habet, recepta fuit quia institit, sed non ut aliqua Ecclesia apud illam esset, verum modo repræsentativum Ecclesiæ, ob finem ut Verbum posset conscribi, quod in talia ultimo desineret: quod populus ille in Verbo dicatur populus Jehovæ, gens electa & amata, est quia per Jehudam ibi intelligitur Ecclesia cœlestis, per Israelem Ecclesia spiritualis, & per omnes filios Jacobi aliquid Ecclesiæ; etiam per Abrahamum, Jischakum & Jacobum Ipse Dominus, ut quoque per Moschen, Aharonem, Davidem. Sed quia de gente illa in toto hoc Capite agitur, quod apud illam non Ecclesia, sed modo repræsentativum Ecclesiæ potuerit institui; ideo, antequam ulterius progredi licet, videantur quæ de illa gente prius dicta & ostensa sunt; quod nempe apud illam non Ecclesia fuerit, sed modo repræsentativum Ecclesiæ, n: 4281. 4288. 4311. 4500. 4899. 4912. 6304. 7048. 9320: ita quod non electi fuerint, sed recepti quia institerunt, n: 4290. 4293. 7051, 7439. Quod prorsus in externis absque ullo interno fuerint, n: 4293. 4311. 4459 fin: 4834. 4844. 4847. 4865. 4868. 4874. 4903. 4913. 4320. 9373. 9380. 9381. Quod cultus eorum modo externus fuerit, n: 3147. 3479. 8871. Quod nec scire voluerint interna Cultus & Verbi, n: 3479. 4429. 4433. 4680; quod ideo nec datum sit illis ea scire, n: 301. 302. 304. 2520. 3769: si scivissent, quod prophanavissent, n: 3398. 3489. 4289. Quod usque per externa cultus apud illos, quæ erant repræsentativa interiorum, communicatio fuerit cum cœlo, & quomodo, n: 4311. 4444. 6304. 8588. 8788. 8806. Quod, cum in cultu erant, interiora eorum, quæ fæda, clausa fuerint, n: 3480. 9962. Quod id apud illam gentem fieri potuerit, & quod ideo conservati, etiam ad hunc diem, n: 3479. 4281. 6588. 9377. Quod Jehovam solum quoad Nomen coluerint, n: 3732 fin: 4299. 6877. Quod corde idololatræ fuerint, n: 4208. 4281. 4820. 5998. 6877. 7401. 8301. 8882. In genere, quod fuerit gens pessima, n: 4314. 4316. 4317. 4444. 4503. 4750. 4751. 4815. 4820. 4832. 5057. 7248. 8819. 9320.

10,397. Et congregatus est populus ad Aharonem, quod significet quod se contulerit ad externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, separata ab interno, constat ex significatione congregari, quod sit se conferre; & ex repræsentatione Aharonis, quod hic sit externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus separatum ab interno; quod hoc per Aharonem hic repræsentetur, est quia erat Caput illius gentis absente Mosche, & per Moschen, qui aberat, repræsentatur Verbum, ex quo Ecclesia & Cultus, tam in sensu interno quam externo, videatur in locis citatis n: 9372; quod tale per Aharonem repræsentetur, patet etiam ab omnibus & singulis, quæ de Aharone in sequentibus memorantur, quod nempe ille fuerit qui fecit vitulum, & proclamavit festum, & dissolu-

tum fecit populum; quæ omnia coincidunt cum Externo Verbi, Ecclesiæ, & Cultus separato ab Interno. Qui separat internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus ab externo, ille separat sanctum Divinum ab illo; internum enim eorum est spiritus eorum, externum autem est corpus illius spiritus; & corpus absque spiritu est mortuum; colere itaque mortuum est colere idolum, hic colere vitulum aureum, & proclamare ei festum, & sic dissolutum facere populum: ex his constare potest, quid per Aharonem in hoc Capite significatur. Quid internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, & quid externum eorum, in antecedentibus ostensum est.

10,398. Et dicebant ad illum, quod significet exhortationem, constat ex significatione dicere, cum de religioso, ad quod inclinabat populus, quod sit exhortatio: quod dicere etiam sit exhortatio, videatur n: 5012. 7098. 8178. 7215. religiosum, ad quod inclinabat populus, erat colere externum absque interno.

10,399. Surge, fac deos qui eant ante nos, quod significet falsa doctrinæ ac cultus, ita idololatrica, constat ex significatione deorum, quod sint vera, de qua n: 4295. 4402. 7010. 7268. 7873. 8301; ac in opposito sensu falsa, n: 4402 fin: 4544. 7873; inde facere deos est falsa doctrinæ, seu doctrinam ex falsis; & ex significatione ire ante nos, quod sit quæ sequantur, ita secundum quæ cultum instituant: quod facere deos qui eant ante nos, sint idololatrica, patet; etiam idololatricum est colere externa absque internis, videatur n: 4825. 9429. De hoc genere idololatriæ hic paucis dicetur; externa Ecclesiæ apud gentem Israeliticam instituendæ, erant omnia illa quæ a Domino Moschi mandata sunt in Monte Sinai, quæ erant Tentorium Conventus cum Arca ibi, Propitiatorium super illa, Mensa super qua panes facierum, Candelabrum, Altare suffitus, tum Altare holocausti, Vestes Aharonis & filiorum ejus, imprimis Ephodum super quo Pectorale; præterea etiam Oleum unctionis, Suffimentum, Sanguis holocausti & sacrificii, Vinum pro libamine, Ignis super altari, præter plura alia; gens Israelitica & Judaica colebat illa omnia ut sancta, absque sancto quod repræsentabant, & prorsus nihil cogitabant de Domino, de Cœlo, de amore, de fide, de regeneratione, ita de illis quæ significabantur; cum talis illis cultus erat, tunc cultus lignorum, panum, vini, sanguinis, olei, ignis, vestium erat, non autem Domini in illis; quod ille cultus respective ad illos, non sit cultus Divinus, sed idololatricus, patet.

10,400. Quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit illi, quod significet quod prorsus ignotum sit quid Divinum verum in Verbo aliud, quod elevat hominem ab externo in internum, & facit Ecclesiam, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, ita Divinum Verum, de qua in locis citatis n: 9372; inde dubitativum & negativum quod Divinum Verum aliud sit, quam quod in sensu literæ exstat, significatur per hic Moscheh ille vir, non scimus quid sit illi; quod dicatur hic vir, est quia per virum in Verbo significatur verum, videatur n: 3134. 3309. 3459. 7716. 9007; & ex significatione ascendere facere filios

Israelis e terra Ægypti, quod sit elevatio e naturali seu externo homine ad internum seu spiritualem, ut fiat Ecclesia; nam per terram Ægypti significatur naturale seu externum Ecclesiæ, per ascendere facere elevatio, & per filios Israelis Ecclesia: quod terra Ægypti sit naturale seu externum ecclesiæ, videatur in locis citatis n: 9391; quod ascendere facere sit elevare ab externo ad internum, n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5917. 6007, ita a naturali homine ad spiritualem; & quod filii Israelis sint Ecclesia, in locis citatis n: 9340; ex his patet, quod per hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit illi, significetur quod prorsus ignotum sit, quid Divinum Verum in Verbo aliud, quod elevat hominem ab externo ad internum, & facit Ecclesiam, quam quod in sensu literæ exstat: ita quoque cogitant & loquuntur omnes illi qui in externis absque internis sunt; ac omnes illi in externis absque internis sunt, qui in amoribus sui & mundi sunt; nam apud illos clausus est internus homo, & solum externus apertus; & quod externus homo, cum legit Verbum, absque interno videt, in caligine videat, nam lumen naturale absque luce e cælo, est in spiritualibus mera caligo; & lux e cœlo intrat per internum hominem in externum, & hunc illuminat: inde est, quod tot hæreses exstiterint, & quod Verbum a quibusdam dicatur Liber hæresium, quodque nesciatur prorsus, quod aliquid internum in Verbo sit; & qui cogitant, quod tamen sit, quod usque nesciant ubinam id: quod tales sint, qui per draconem, qui cauda sua traxit e cœlo tertiam partem stellarum, & projecit in terram, in Apocalypsi Cap. XII, intelligantur, alibi, ex Divina Domini misericordia, ostendetur: observent, qui velint, num aliquis hodie aliter sciat, quam quod Ipsum Divinum Verbi sit sensus literæ ejus; sed cogitent etiam, num aliquis possit scire Divina Vera Verbi in illo sensu, quam per doctrinam inde; & si non doctrina ei pro lucerna sit, quod auferatur in errores, quocunque obscurum intellectus ejus, ac jucundum voluntatis ejus ducit & trahit eum: doctrina, quæ pro lucerna erit, est quam docet sensus internus, ita est ipse sensus internus, qui quodammodo patet cuique, tametsi nesciat quid sensus internus, qui in externo est ab interno hoc est, cui internus homo est apertus; nam cœlum, quod in sensu Verbi interno est, apud hominem illum, cum legit Verbum, influit, illum illustrat, ac ei dat perceptionem, & sic illum docet: imo si credere velitis, internus homo apud hominem ex se in sensu Verbi interno est, quoniam est cœlum in minima effigie, & inde cum angelis in cœlo quando apertus, quare etiam cum illis in simili perceptione est; quod quoque constare potest ex eo, quod ideæ intellectuales interiores hominis, non sint quales ideæ naturales ejus sunt, quibus usque correspondent; sed quales sunt, nescit homo quamdiu vivit in corpore, at in eas sponte venit cum in alteram vitam, quia insitæ sunt, & per illas illico est in consortio cum angelis; inde patet, quod homo, cui internum apertum est, in Verbi sensu interno sit, tametsi id nescit; inde illustratio ei, cum legit Verbum, sed secundum lucem, quam habere potest mediis cognitionibus, quæ apud illum: at quinam illi sunt, videatur n: 9025. 9382. 9409. 9410. 9424. 9430. 10,105. 10,324. 10,401. Et

10,401. Et dixit ad illos Aharon, quod ſignificet externum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus, abſque interno, conſtat ex repræſentatione Aharonis hic, quod ſit externum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus, abſque interno, de qua ſupra n: 10,397. Quod apud Gentem Iſraeliticam & Judaicam non fuerit Eccleſia, ſed ſolum repræſentativum Eccleſiæ, ita externum abſque interno, conſtat manifeſte ab Aharone, qui tametſi talis, uſque factus eſt Sacerdos Maximus, cui ſanctiſſima Eccleſiæ commiſſa erant, & qui inde ſanctus præ reliquis habitus fuit; de illo enim dicitur, quod fecerit vitulum aureum, ædificaverit pro eo altare, proclamaverit feſtum jehovæ pro eo, quod adduxerit ſuper populum id peccatum, quodque illum diſſolutum fecerit, Verſ: 2. 4. 5. 21. 25. 35: & alibi, "Quod Jehovah contra Aharonem ira motus ſit valde, ad perdendum eum, & quod Moſcheh oraverit pro illo," Deut: IX: 20; quæ involvunt, quod Aharon ſimilis populo fuerit, qui corde idololatricus, n: 4208. 4281. 4820. 5998. 6877. 7401. 8301. 8882: ſed quia Externum Eccleſiæ ſolum apud illam gentem erat abſque Interno, & per id uſque communicatio cum cœlo fuit, ideo perinde fuit, qualis homo ibi eſſet, modo, cum in externis erat, ageret ſecundum ſtatuta, & illa coleret; quod repræſentativa non ſpectaverint perſonam, ſed rem quæ repræſentabatur, videatur n: 665. 1097 fin: 3670. 4208. 4281. 4288. 4444. 8588.

10,402. Avellite inaures auri ex auribus mulierum veſtrarum, filiorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, quod ſignificet extractionem talium ex ſenſu literæ Verbi, quæ favent amoribus externis, ac principiis inde, conſtat ex ſignificatione avellere, quod ſit extrahere, hic ex ſenſu literæ Verbi, quoniam de illo agitur; ex ſignificatione inaurium auri quæ in auribus, quod ſint inſignia repræſentativa obedientiæ & apperceptionis jucundorum quæ amorum externorum, per aures enim ſignificatur obedientia & apperceptio, per aurum bonum amoris, hic jucundum amorum externorum, inde inaures auri ſunt inſignia repræſentativa illorum; quod per aures ſignificetur obedientia & apperceptio, videatur n: 2542. 4652 ad 4660. 8990. 9397. 10,061; quod per aurum bonum amoris, n: 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9510. 9874. 9881, inde cum prædicatur de amoribus externis, qui ſunt amores ſui & mundi, per aurum ſignificatur jucundum illorum, ita malum, n: 8932; & quod inde inaures ſint inſignia repræſentativa obedientiæ & apperceptionis, n: 4551: ex ſignificatione mulierum, quod ſint bona Eccleſiæ, de qua n: 3160. 4823. 6014. 7022. 7337, inde in oppoſito ſenſu mala ejus, n: 409; ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257. 6583. 6584. 9807: & ex ſignificatione filiarum, quod ſint affectiones veri & boni, & inde in oppoſito ſenſu affectiones falſi & mali, de qua n: 2362. 3963. 6729; inde patet, quod per avellite inaures auri ex auribus mulierum veſtrarum, filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum, ſignificetur extractio ex ſenſu literæ Verbi talium quæ appercipiuntur obedire ſeu favere jucundis amorum externorum, ac principiis inde. Quod inaures ſint inſignia obedientiæ & apperceptionis, conſtat apud Hoſcheam, "Contendite cum matre veſtra,

"quoniam

"quoniam illa non uxor mea, ut removeat scortationes suas a faciebus suis, "ne forte exuam eam nudam, & ponam eam sicut desertum, & filiorum "ejus non miserear; quia dixit, ibo post amasios meos, dantes panem meum, "& aquas meas, lanam meam & linum meum: & illa non noverat, quod "Ego dedissem illi frumentum, & mustum, & oleum, & argentum multi-"plicavissem illi; aurumque fecerunt baali: & devastabo vitem ejus, & "ficum ejus; ac visitabo super illam dies balium, quibus suffimenta adoluit, "ac *induit inaurem suam*, & ornatum suum; ivitque post amasios suos, & "Mei oblita est," 11:1 ad 13; suffimenta adolere, ac induere inaurem balibus, est colere deos baales, ac obedire illis: illa quæ præcedunt in illo Capite etiam allata sunt, ob finem ut inde sciatur qualis est sensus Verbi externus absque interno, & qualis est simul cum interno; ita qualiter percipiunt Verbum illi qui in externis sunt absque interno, & qualiter qui in externis sunt ex interno; qui in externis sunt separatis ab interno, non aliter capere possunt illa quam secundum literam, quæ est quod contenderent cum matre filiorum Israelis, quod non amplius amaretur a Jehovah sicut uxor; & si non removeat scortationes a se, quod exueretur nuda, & poneretur sicut desertum; & ne Jehovah misereretur filiorum ejus, quia dixit, quod iret post amasios suos, qui dant ei panem, aquas, lanam & linum; & quod illa non nosset, quod Jehovah dederit ei frumentum, mustum, & oleum, & multiplicaverit argentum; quod fecerint aurum baali; & quod ideo devastaretur vitis ejus, ac ficus ejus, & quod super illa visitabitur, quia baalibus suffimenta adoluit, ac eis induit inaurem & ornatum, ivitque post amasios seu adulteros oblita Jehovæ: hic est sensus literæ, ac ita intelligitur Verbum ab illis qui in externis sunt absque interno, ita namque a Judæis hodie, & quoque a quibusdam Christianis; sed quod ille sensus Verbi non sit, videre possunt omnes illi qui in quadam illustratione sunt; hi cum per Matrem, de qua omnia illa dicuntur, non intelligunt matrem, sed Ecclesiam, qualis erat apud gentem illam, tunc comprehendunt quod aliquid Ecclesiæ significatur per singula quæ de illa dicuntur, nam sunt talia quæ sequuntur ordine a prima positione seu a primo subjecto; sicut per scortationes, per amasios, per filios, perque panem, aquas, lanam, linum, frumentum, mustum, oleum, argentum, aurum, perque vitem & ficum, & quoque per suffimenta & per inaurem: quid singula illa significant, non aliunde sciri potest quam ex sensu interno, in quo per matrem & uxorem significatur Ecclesia, per ponere illam nudam, & sicut desertum, significatur absque bonis amoris & veris fidei: vera fidei & bona amoris, quibus orbabitur, significantur per filios, per panem & aquas, per lanam & linum, per frumentum, mustum, oleum, argentum, aurum, & denique per vitem & ficum; ipse cultus ex obedientia falsorum & malorum, quæ loco verorum & bonorum succedent, significantur per suffimenta adolere, & induere inaurem & ornatum baalibus: quod Mater sit Ecclesia, videatur n: 289. 2691. 2717. 4257. 5580: quod etiam Uxor, n: 252. 253. 409. 749. 770. 7022: quod poni nuda sit deprivari bonis amoris & veris fidei: n: 9960: quod desertum sit status absque vero & bono Ecclesiæ,

clesiæ, n:2708. 3900. 4736. 7055: quod scortationes sint falsificationes veri, n:2466. 2729. 4865. 8904; inde amasii sunt, qui falsificant: quod filii sint vera, & in opposito sensu falsa, n:489. 491. 533. 1147. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257. 6583. 6584. 9807: quod panis & aqua sint bonum amoris & verum fidei, n:9323: quod lana sit bonum in externo homine, n:9470: quod linum sit verum ibi, n:7601, 9959: quod frumentum sit bonum ex quo verum, n:5295. 5410. 5959: quod mustum sit verum inde, n:3580: quod oleum sit bonum cœleste, n:9780. 10,261: quod argentum sit verum, & aurum bonum in genere, n: 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9881: quod vitis sit Ecclesia spiritualis interna, n: 1069. 6376. 9277: & quod ficus sit bonum externum illius Ecclesiæ, n:217. 4231. 5113: quod suffimenta adolere, sit cultus, n: 10,177. 10,298: & quod inauris sit insigne repræsentativum obedientiæ, n:4551, inde induere illam, est obedire. Cum hæc loco illorum, seu una cum illis intelliguntur, tunc apparet quale Verbum est, cum spiritualiter percipitur, ita quale est quoad suum spiritum: in hoc sensu tenentur omnes illi a Domino qui legunt Verbum, sed non recipitur ab aliis quam apud quos interiora aperta sunt, & quia recipitur in cognitionibus, ideo secundum intellectuale eorum, quantum & qualiter hoc per cognitiones, quæ apud illos, illustrari potest; præterea in communi afficiuntur sancto inde.

10,403. Et adferte mihi, quod significet collationem in unum, constat ex significatione afferre ad Aharonem, quod sit afferre in unum talia ex sensu literæ Verbi quæ favent amoribus externis & principiis inde; quod id per afferre ad Aharonem inaures auri quæ in auribus mulierum, filiorum, & filiarum, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,402 ostensa sunt.

10,404. Et avulserunt omnes populus inaures auri, quæ in auribus illorum, & attulerunt ad Aharonem, quod significet effectum, constat absque explicatione.

10,405. Et accepit e manu eorum, quod significet faventia proprio illorum, constat ex significatione accipere e manu alicujus, quod sit accipere talia quæ ejus sunt, ita quæ sunt proprii, seu quæ proprio favent; per manum enim significatur potentia seu posse hominis, & inde quicquid est ejus, videatur in locis citatis n: 10,019; & n: 10,082. 10,241.

10,406. Et formavit illud cœlo, quod significet ex propria intelligentia, constat ex significatione formare cœlo, cum de idolo, quod sit concinnare falsum doctrinale ex propria intelligentia, quod fit per applicationem sensus literæ Verbi ad favorem amorum sui & mundi; cum enim hi regnant, tunc homo non in aliqua illustratione est e cœlo, sed ex sua intelligentia desumit omnia, ac ea confirmat ex sensu literæ Verbi, quem falsificat per sinistram applicationem & perversam interpretationem, ac postea favet illis quia ex se. In Verbo passim memorantur Sculptilia & Fusilia; qui Verbum modo secundum literam capiunt, putant quod solum idola per illa ibi intelligantur; verum non idola intelliguntur, sed falsa doctrinalia Ecclesiæ, talia quæ formantur ab ipso homine, ducente quodam amore ejus; formatio falsorum

illorum,

illorum, ut cohæreant, & appareant ſicut forent vera, ſignificantur per Sculptile; conjunctio eorum ad favorem amorum externorum, ut mala appareant ſicut bona, ſignificatur per Fuſile: quia utrumque per Vitulum aureum intelligitur, ideo hic dicitur, quod Aharon formaverit illum cœlo, per quod intelligitur formatio falſorum ut appareant ſicut vera, & per quod fecerit aurum vitulum fuſilis, ac poſtea quod projecerit id in ignem & exiverit vitulus, Verſ: 24, intelligitur conjunctio ad favorem amorum externorum ut mala appareant ſicut bona. Ita quoque ſe habet cum omni doctrinali, quod fit ex homine, & non ex Domino; & tunc fit ex homine, cum ille pro fine habet ſuam gloriam, aut ſuum lucrum: at ex Domino, cum pro fine habetur bonum proximi ac bonum Regni Domini. Talia ſignificantur per Sculptilia & Fuſilia in ſequentibus locis; apud Eſaiam, "Immundum judicabitis *tegmen ſculptilium argenti tui, & amictum fuſilis auri tui*," XXX: 22; tegmen ſculptilium argenti eſt apparentia falſorum ſicut forent vera; amictus fuſilis auri eſt apparentia malorum ſicut forent bona; tegmen enim & amictus ſunt apparentiæ externæ, quæ inducuntur, ſeu quibus inveſtiuntur; argentum eſt verum, ideo ſculptilia dicuntur argenti, & aurum bonum, videatur n: 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9874. 9881. Apud Eundem, "*Sculptile fundit artifex*, ac conflator auro obducit illud, & catenas argenti conflat, *artificem ſapientem quærit ſibi*, ad *præparandum ſculptile* quod non commovetur," XL: 19. 20; deſcribitur hic formatio falſorum ut cohæreant, & appareant ſicut forent vera; ſculptile eſt id falſum; artifex eſt homo qui ex propria intelligentia id format; conflator auro obducit eſt cum facit ut appareat ſicut bonum; catenas argenti conflat eſt per cohærentiam; quod non commovetur, eſt quod non infirmari ac deſtrui poteſt propterea. Apud Eundem, "*Formatores ſculptilis* vanitas, & deſideratiſſima eorum non proſunt: quis *formavit deum*, & *fuſile fudit*, ut non profit: omnes ſocii ejus pudefient, & fabri ipſi; fabricat ferrum forcipe, & operatur carbone, & malleis acutis format illud, ſic operatur per brachium roboris ſui, fabricat lignum, extendit filum, & deſcribit illud amuſſi, facit illud in angulos ſuos, & circulo definit illud, & facit in formam viri, juxta pulchritudinem hominis, ad habitandum in domo," XLIV: 9 ad 14; deſcribitur etiam hic quomodo falſa doctrinalia formantur, ut cohæreant, & appareant ſicut vera & ſicut bona; per ſingula ibi deſcribitur quomodo id fit, cum ex propria intelligentia, ducente voluptate, cupiditate & amore: quod ita fit, videre poſſunt illi, qui ſciunt quod omnia in Verbo ſenſum internum habent, per quem ſpiritualiter intelliguntur; ad quid alioquin talis deſcriptio formationis ſculptilis: ut appareat ſicut verum & ſicut bonum, ſignificatur per quod faciat in forma viri juxta pulchritudinem hominis; vir enim in ſenſu interno eſt verum, & homo bonum illius veri. Apud Jeremiam, "Stultus factus eſt omnis homo a ſcientia, pudore affectus eſt *omnis conflator a ſculptili*, quia mendacium *fuſile ejus*, neque ſpiritus in eis," X: 14. Cap: LI: 17; quod hic ſculptile ſit quod ex propria intelligentia, & fuſile quod ſecundum amorem, patet manifeſte; nam dicitur, ſtultus factus eſt homo a ſcientia, ac pudore affectus eſt omnis conflator

flator a sculptili, ac quod sculptile mendacium sit; scientia ibi est propria intelligentia, & mendacium est falsum mali; quia non Divinum in illis, dicitur neque spiritus in illis. Apud Eundem, "Gladie contra equos ejus, & contra currus ejus, contra thesauros ejus, ut diripiantur; siccitas super aquas ejus ut exarescant, *quia terra sculptilium illa*," L: 37. 38, quod terra sculptilium sit Ecclesia ubi falsa regnant, constat etiam manifeste ex singulis ibi in sensu spirituali intellectis, sine quo sensu quid foret quod gladius esset contra equos, contra currus, contra thesauros, & siccitas super aquas, nisi verba sonantia absque aliquo spiritu in illis; at ex singulis in sensu interno intellectis patet, quod describatur ibi destructio Ecclesiæ quoad vera, & sic quod falsa ibi regnatura sint, quæ sunt terra sculptilium; gladius enim est falsum pugnans ac destruens vera; equi sunt intellectuale quod illustratur; currus sunt doctrinalia; thesauri sunt cognitiones veri & boni; aquæ super quas siccitas, sunt vera quod non amplius sint; & terra est Ecclesia; quod gladius sit verum pugnans contra falsum, ac in opposito sensu falsum pugnans contra vera, ac destruens illa, videatur n: 2799. 6353. 7102. 8294: quod equi sint intellectuale quod illustratur, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 6534: quod currus sint doctrinalia, n: 5321. 8146. 8148. 8215: quod thesauri sint cognitiones veri & boni, n: 10,227: quod aquæ sint vera, n: 2702. 3058. 3424. 4976. 5668. 8137. 8138. 8568. 9323. 10,238: & quod terra sit Ecclesia, in locis citatis n: 9325; inde patet quid siccitas super aquas ut exarescant, & quid terra sculptilium. Apud Habakuk, "Quid *prodest Sculptile*, quia sculpsit illud fabricator, & *fusile* & doctor mendacii; quia fabricator figmenti sui confidit super hoc," II: 18; ex his etiam patet, quod per sculptile & fusile non intelligantur sculptile & fusile, sed falsum quod fingitur, ac malum cui falsum patrocinatur; dicitur enim fabricator figmenti sui, & doctor mendacii. Similia per Sculptile & Fusile significantur in his sequentibus; apud Esaiam, "Cecidit Babel, & omnia *sculptilia deorum ejus* projecit in terram," XXI: 9: apud Eundem, "Pudefient pudore omnes *confidentes sculptili*, dicentes, *fusili* vos dii nostri," XLII: 17: apud Eundem, "Indicavi tibi, & audire feci te, ne diceres, *idolum meum* fecit hoc; *sculptile meum* & *fusile meum* præcepit ea," XLVIII: 5: apud Hoscheam, "Vocaverunt seipsos, & iverunt e faciebus suis, balibus sacrificarunt, & *sculptilibus suffierunt*," XI: 2: apud Micham, "*Omnia Sculptilia Samariæ* contundentur, & omnes mercedes meretriciæ ejus comburentur igne; & *omnia idola ejus* ponam vastitatem," I: 7. Quoniam falsa & mala doctrinæ, quæ per sculptilia & fusilia significantur, a propria hominis intelligentia fabricantur ducente amore ejus, ideo etiam in Verbo vocantur opus manuum hominis, opus manuum artificis, & opus manuum fabri, ut in his locis; apud Hoscheam, "Addunt peccare, *faciunt sibi fusile* ex argento suo, *in intelligentia sua idola*, *opus artificum* totum," XIII: 2. Apud Moschen, "Maledictus vir, *qui fecerit sculptile aut fusile*, abominationem Jehovæ, *opus manuum artificis*," Deut: XXVII: 15. Apud Davidem, "*Idola eorum*, argentum & aurum, *opus manuum hominis*," Psalm: CXV: 4. Psalm: CXXXV: 15. Apud Jeremiam, "Suffive-

runt diis aliis, & incurvaverunt se *operibus manuum suarum*," I : 16. Apud Eundem, "Lignum de sylva excidit, *opus manuum fabri per securim*; argento & auro exornant illud, clavis & malleis firmant illa," x : 3. 4; opus manuum est quod ex proprio hominis, ita quod ex proprio ejus intellectu, & ex proprio ejus voluntate, & illa sunt ex proprio utriusque quæ sunt amoris sui, inde origo omnium falsorum in Ecclesia. Quia ex proprio hominis omnia falsa sunt, & per opus manuum significatur id quod inde est, ideo vetitum fuit movere ferrum, securim aut cælum super lapides, ex quibus Altare, & quoque Templum, ut patet apud Moschen, "Si Altare lapidum facias Mihi, *non ædificabis illos cæsos*, quia *si cælum tuum moveris super illo*, & prophanabis illud," Exod : xx ; 22 : tum alibi, "Si ædificaveris Jehovæ Altare lapidum, *non movebis super eos ferrum*," Deut : xxvii : 5. Et in Libro 1 Regum, "Ædificata est domus lapide integro, prout allatus, *nam malleus & securis, ulla instrumenta ferri*, non audita sunt in domo, cum ædificabatur," vi : 7. Hæc allata sunt, ut sciatur, quid intelligitur per quod Aharon formaverit aurum cælo, & fecerit illud vitulum fusilis.

10,407. Et fecit illud vitulum fusilis, quod significet secundum jucundum amorum illius gentis, constat ex significatione vituli, quod sit bonum externum seu naturale, de qua sequitur ; & ex significatione fusilis, quod sit cultus factus ad favorem amorum externorum, de qua mox supra n : 10,406 ; & quia de gente Israelitica in hoc Capite agitur, & illa erat in externis absque interno, ita in amoribus externis, ideo dicitur secundum jucundum amorum illius gentis : per vitulum enim, ut idolum, significatur id jucundum. Antiqui, qui in cultu repræsentativo erant, sciebant quid per varia genera animalium significabatur, nam quodlibet animal significationem suam habet, secundum quam etiam apparent in cœlo, consequenter secundum quam nominantur in Verbo, & quoque secundum quam adhibita fuerunt in holocaustis & sacrificiis ; per vitulum significatur bonum innocentiæ & charitatis in externo seu naturali homine, videatur n : 9391. 9990. 10,132 ; at cum non bonum innocentiæ & charitatis est, ut apud illos qui in externis sunt absque interno, tunc per vitulum significatur jucundum naturale & sensuale, quod jucundum est jucundum voluptatum, cupiditatum, & amorum sui & mundi ; hoc jucundum est in quo illi qui in externis absque interno sunt, & quod colunt, nam homo quod amat super omnia, hoc colit ; quidem dicunt, quod colant Deum universi, sed hoc dicunt ore & non corde : qui tales sunt, intelliguntur per illos qui colunt vitulum fusilis : Ægyptii præ aliis fuerunt tales, qui quia in scientia correspondentiarum & repræsentationum erant præ aliis gentibus, ideo sibi varia idola fecerunt, ut patet ex idolis Ægyptiacis quæ adhuc exstant ; sed primarium illis idolum fuit vitulus, per quem significare volebant bonum externum eorum in cultu ; sed cum scientia correspondentiarum & repræsentationum, in qua erant præ aliis, apud illos versa fuit in magiam, tunc vitulus induebat significationem contrariam, quæ est jucundi amorum externorum ; & cum vitulus in templis ponebatur, & pro deo colebatur, significabat tale jucundum in cultu : gens Israelitica quia ex Ægypto secum ferebat

ido-

idololatricum illud, ideo applicate ad illam gentem per vitulum, cum pro deo ab illis colebatur, significatur jucundum amorum illius gentis in cultu: quales ejus amores fuerunt, constare potest ex illis quæ ostensa sunt in locis citatis supra n: 10,396: fuerunt enim tunc sicut hodie, in amore sui & in amore mundi præ omnibus aliis; quod hodie sint in amore maxime terrestri, notum est, amant enim argentum & aurum non propter aliquem usum, sed propter ipsum argentum & aurum, qui amor est omnium maxime terrestris, nam est sordida avaritia; amor sui non exstat apud illos, ut appareat, sed latet intus in corde eorum, ut solet apud omnes sordide avaros; quod nullus amor proximi apud illos sit etiam notum est, & quantum nullus amor proximi est apud aliquem, tantum est ei amor sui. Ex his nunc constare potest, quid per vitulum fusilis ab Aharone pro gente illa factum significatur: simile per illum significatur in his locis; apud Jeremiam, "*Vitula pulcherrima Ægyptus*, excidium e septentrione venit, ac mercenarii ejus in medio ejus *sicut vituli saginarii*," XLVI: 20. 21. Apud Davidem, "*Fecerunt vitulum in Chorebo*, & *incurvaverunt se fusili*, & permutarunt gloriam in effigiem *bovis* comedentis herbam," Psalm: CVI: 19. 20. Apud Hoscheam, "Addunt peccare, & faciunt sibi *fusile* ex argento suo, in intelligentia sua *idola*, opus artificum totum, illis dicentes, sacrificant hominem, *vitulos osculantur*," XIII: 2. Apud Esaiam, "Descendent unicornes cum illis, & *vituli cum robustis*, & ebria fiet terra eorum a sanguine, & pulvis eorum ab adipe pinguefiet," XXXIV: 7. Apud Eundem, "Urbs munita solitaria, habitaculum dimissum & derelictum, ibi *pascet vitulus*, & *ibi cubabit*, & consumet ramos ejus, & exarescet messis ejus, XXVII: 10. Apud Davidem, "Increpa feram arudinis, congregationem fortium, *inter vitulos populorum*, conculcans fragmenta argenti, dispersit populos," Psalm: LXVIII: 31. Apud Jeremiam, "Dabo viros transgressos fœdus meum, qui non stabiliverunt verba fœderis, quod ferierunt coram Me, *Vituli, quem conciderunt in duas*, ut transirent inter partes ejus, principes Jehudæ, & principes Hierosolymæ, ministros regios, & sacerdotes, & omnem populum terræ, *transeuntes inter partes vituli*; & dabo illos in manum hostium illorum, ut sit cadaver eorum in cibum avi cœlorum & bestiæ terræ," XXXIV: 18. 19. 20. Et apud Hoscheam, "Regem fecerunt & non a Me, principes fecerunt & non novi; argentum & aurum suum fecerunt *idola*, ut excidatur; *deseruit vitulus tuus*, Samaria, nam ex Israele etiam ille, faber fecit eum, & non deus ille, *quia in frustra fiet vitulus Samariæ*," VIII: 4. 5. 6.; hæc omnia explicata videantur n: 9391.

10,408. Et dixerunt, hi dii tui Israel, quod significet quod colendum supra omnia, constat ex significatione deorum, quod sint quæ coluntur; per deos alienos in genuino sensu significantur falsa, hic tam falsa quam mala, quoniam per sculptile, quod intelligitur per quod Aharon formaverit aurum cælo, significatur falsum, & per fusile malum illius falsi: quod dii alieni sint falsa & & inde mala in cultu, videatur n: 4402, fin: 4544. 7873. 8867, 8941.

10.409. Qui ascendere fecerunt te e terræ Ægypti, quod significet quæ duxerunt, constat ex significatione ascendere facere e terra Ægypti, cum de illis qui in externis sunt absque interno, quod sit semet ducere, per terram enim Ægypti, cum de illis, significatur servitus, & per ascendere facere significatur inde semet ducere; hic enim contrarium significatur per eadem verba, quam cum illa dicuntur de iis, qui in interno sunt & simul in externis, cum de his, per illa significatur duci a Domino, ita elevari a naturali homine ad spiritualem, seu e mundo in cœlum, proinde a servitute in libertatem; at cum de illis qui in externis sunt absque internis, per illa significatur duci a semet, quod non est elevari ad cœlum, sed se dejicere ad infernum, proinde a libertate in servitutem; quod servitus sit duci a semet, & libertas duci a Domino, videatur n: 2892. 9096. 9586. 9589. 9590. 9591: sed quia hi credunt, quod Divinum nihil operetur apud hominem, & quod homo semet ducat, & quoque quod hoc sit liberum, de illa re paucis hic dicetur; omnes illi in ea opinione & quoque persuasione sunt, qui se & mundum amant super omnia; nam quæ super omnia amant, hæc colunt sicut pro deo; tales in Christiano orbe hodie permulti sunt; at quales illi sunt, imprimis scire datum est a talibus in altera vita, nam homo post vitam in mundo, cum fit spiritus, tunc prorsus similis sibi est quoad affectiones quæ sunt amoris, & quoad cogitationes & persuasiones, qualis fuerat cum vixit in corpore, dixerunt, quod confirmaverint se in ea fide ex eo, quod homo ad dignitates & ad opulentiam veniat non ex Divina aliqua ope & Providentia, sed ex propria intelligentia & prudentia, & quandoque a fortuna, & usque tunc ex causis quas vident procedere ex hominibus; dicentes quod communis experientia id testetur, quoniam mali, astuti, & impii præ bonis sæpe evehuntur ad dignitates & divites fiunt; quod non fieret si Divinum regeret: sed illis dicere datum est, quod confirmatio ex talibus sit ratiocinatio ex propria intelligentia & ex proprio amore, quæ ratiocinatio est ex meris fallaciis & in caligine de causis; credunt enim quod evehi ad dignitates, & lucrari opes præ aliis, sit ipsum bonum, quod Divinum dat homini, & sic quod Benedictio Divina, sicut etiam illa vocat, in solis iis consistat, sed usque talia sunt potius maledictio illis qui supra omnia amant semet & mundum, nam quantum evehuntur ad honores & lucrantur opes suo studio & sua arte, tantum etiam in amorem sui & mundi evehuntur, tandem ut ponant totum cor in illis, ac spectent illa ut unica bona, ita unica fausta & felicia hominis; cum tamen illa finem habent cum vita hominis in mundo: at bona, fausta & felicia, quæ dantur & providentur homini a Divino, sunt æterna, ac nullum finem habent, ita sunt illa veræ benedictiones; temporarium ad æternum, sicut finitum temporis ad infinitum ejus, nullam habet rationem; quod durat in æternum, hoc Est, quod autem finem habet respective non Est, illud quod Est providet Divinum, non autem quod non Est, nisi quantum hoc conducat ad illud; Jehovah enim, quod est Ipsum Divinum, Est, & quod ab Ipso, quoque Est; inde patet, quale id est, quod homini datur & providetur a Divino, & quale est quod homo sibi ipsi procurat. Præterea unusquisque

quisque homo ducitur a Divino per suum intellectuale, si non per id duceretur, nullus homo salvari posset: inde est, quod Divinum id apud hominem in suo libero relinquat, nec refrænet; ex ea causa evenit, quod malis succedant machinationes & astutiæ, quæ ex intellectu eorum; sed fausta quæ per id obtinent, finem habent cum vita eorum in mundo, ac fiunt infausta; at quæ providentur bonis a Divino, nullum finem habent, ac fiunt fausta & felicia in æternum. Ita loquutus sum cum illis qui tales fuerunt in mundo, qui respondebant quod de bono, fausto, & felici in æternum tunc nihil cogitaverint, & quod, cum in amoribus suis erant, vitam hominis post mortem prorsus negaverint; & quod quantum ad honores venerunt ac ad divitias, tantum crediderint non dari alia bona, imo nec cœlum, nec Divinum; consequenter quod nesciverint quid sit duci a Divino. Qui in his se confirmaverunt in mundo doctrina & vita, illi quoque tales manent in altera vita; clausa sunt illis interiora, & sic non communicationem habent cum cœlo; & patent modo exteriora, per quæ tunc communicatio solum illis est cum infernis: qui eorum per machinationes, artes, & astus venerunt ad honores aut ad divitias, fiunt ibi magi; apparent sub natibus sedere ad mensam cum pileo usque ad palpebras depresso; & sic quasi meditabundi colligunt talia quæ arti magicæ inserviunt, putantes se per illa semet posse ducere; loquela eorum cadit inter dentes cum aliquo sibilo; ac postea, cum devastantur, conjiciuntur in foveam lati fundi, ubi densa caligo; ibi lumen intellectus eorum obscuratur usque ad fatuitatem: illuc conjectos vidi qui pro ingeniosissimis habiti sunt in mundo.

10,410. Et videbat Aharon, quod significet approbationem, constat ex significatione videre, quod sit approbatio; quod videre hic sit approbatio, patet a nunc sequentibus, quod nempe ædificaverit altare, & proclamaverit festum pro eo; per Aharonem enim repræsentatur externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus separatum ab interno, n: 10,397; ac id approbat omne id quod ex propria intelligentia & ex proprio amore fit, quæ significantur per vitulum fusilis ex auro formatum cælo ab Aharone, de quibus in præcedentibus.

10,411. Et ædificabat Altare coram eo, quod significet cultum, constat ex significatione Altaris, quod sit principale repræsentativum Cultus Divini, de qua n: 4541. 8935. 8940. 9714. 10,242. 10,245; hic autem cultus diabolici, quoniam qui in externis sunt absque interno, communicant cum infernis, & non cum cœlis; internum enim hominis est cœlum ejus, & externum ejus est mundus ejus; etiam internum ejus formatum est ad imaginem cœli, ita ad receptionem talium quæ ibi, ac externum ad imaginem mundi, ita ad receptionem talium quæ ibi, videatur in locis citatis n: 9279. 10,156; inde cum internum est clausum, etiam cœlum est clausum; ac tunc externum non amplius regitur e cœlo, sed ex inferno; quare cultus eorum non est Divinus, sed diabolicus: nominant quidem Divinum, & quoque colunt illud, sed in externa forma & non in interna, quod est ex ore & non ex corde; & qui aliter, non colunt Divinum propter Divinum, sed propter semet & mundum;

ubi

ubi cor eſt, ibi eſt cultus: inde patet, quod per ædificare altare coram Vitulo aureo, ſignificetur cultus diaboli.

10,412. Et proclamabat Aharon, & dicebat, feſtum Jehovæ cras, quod ſignificet quod hoc ſit ipſum Eccleſiæ quod celebrandum, ac ipſum divinum quod adorandum perpetuo, conſtat ex ſignificatione feſti, quod ſit Eccleſiæ cultus quoad celebrationem, nam diebus feſtis celebratio fiebat; ita per proclamare feſtum ſignificatur ipſum Eccleſiæ quod celebrandum: quod ſit ipſum divinum quod adorandum, ſignificatur per quod feſtum illud dictum ſit feſtum Jehovæ; & ex ſignificatione cras, quod ſit æternum & perpetuum, de qua n: 3998. 7140. 9939; qui etiam in externis ſunt abſque interno, volunt coli ut deus, & ſuum adorari ut Divinum, quantum audent propter vulgus; ex eo concludi poteſt, quod corde ſuo Divinum negent, & quod ipſi continue ſpirent ad altiora, & quantum non obſtat, ad altiſſima, ita tandem ad thronum Dei, ut evidenter patet ex illis qui in Verbo intelliguntur per Babelem, qui Domino omnem poteſtatem in cœlis & in terris derogant, ac ſibi arrogant; aperiunt enim cœlum, & claudunt illud ex lubitu; quod illi tales ſint, conſtat apud Eſaiam, "Enunties hanc parabolam de rege Babelis; infernus inferius commotus eſt propter te; quomodo occidiſti de cœlo Lucifer, exciſus es in terram, infirmatus es infra gentes: *atque tu dixiſti in corde tuo, cœlos aſcendam, ſupra ſtellas exaltabo thronum meum, & ſedebo in monte conventus, aſcendam ſupra excelſa nubis, ſimilis fiam Altiſſimo*; verumtamen ad infernum demiſſus es," XIV: 4. 9. 12. 13. 14. 15: quod etiam rex Babelis mandaverit, ut pro deo coleretur, conſtat apud Danielem Cap: VI: per Babelem intelliguntur illi, qui in externis ſancti ſunt, ſed in internis prophani; ita illi qui ſanctis Eccleſiæ pro mediis utuntur ut ipſi colantur pro diis; quod etiam omnes illi faciunt, qui per ſancta Eccleſiæ ut media ad dignitates ſupra alios & ad opulentiam ſupra alios, ut fines, affectant emergere. Cum talibus ſimiliter ſe habet in altera vita; ibi etiam Divinum negant corde, ac nefandis artibus allaborant ſe deos facere; ponunt ſe alte ſuper montibus, & quendam e medio eorum proclamant pro deo, & quoque adorant; ſed cum in cultu illo prophano ſunt, aperit ſe mons in hiatum, & deglutiuntur, & ſic dejiciuntur in infernum: quod ita ſit, aliquoties videre datum eſt.

10,413. Et ſurgebant mane poſtridie, quod ſignificet excitationem ab amoribus ſuis, conſtat ex ſignificatione ſurgere mane, quod ſit excitatio ab amoribus ſuis; per mane enim ſignificatur ſtatus amoris, & per ſurgere elevatio ad illum; quod mane ſit ſtatus amoris, videatur n: 5962. 8426. 8812. 10,114. 10,134; & quod ſurgere ſit elevatio, n: 2401. 2785. 2912. 2927. 3171. 4103; at cum ſurgere mane dicitur de illis qui in externis abſque interno ſunt, ita de malis, tunc per ſurgere non ſignificatur elevatio, ſed excitatio, & per mane non ſtatus amoris cœleſtis, ſed ſtatus amoris infernalis; cum enim mali in illo ſtatu ſunt, in ſuo mane ſunt, nam tunc in ſuæ vitæ jucundo quia in ſuis amoribus: diſcrimen inter elevationem ad ſtatum amorum apud bonos, & apud malos, eſt, quod boni aſcendant tunc, & quod mali

mali descendant; amores enim apud bonos sunt amores cœlestes qui elevant illos & crescunt secundum ascensum ad cœlum; amores autem apud malos sunt amores infernales qui deprimunt illos & crescunt secundum descensum ad infernum; inde patet, quod surgere mane contrarium significet, cum id dicitur de malis, quam cum dicitur de bonis. Etiam in altera vita variantur status spirituum & angelorum quoad amorem & fidem, quemadmodum variantur tempora dierum & annorum quoad calorem & lucem; quando illis, qui in cœlis sunt, mane est, tunc in statu amorum cœlestium sunt, & inde in suo gaudio; at in infernis tunc in statu amorum infernalium sunt, & inde in suo cruciatu; nam quisque tunc vult maximus esse, & possidere omnia alterius, inde odia intestina, sævitiæ, & crudelitates; quæ sunt quæ significantur per ignes infernales.

10,414. Et offerebant holocausta & adducebant pacifica, quod significet cultum suorum amorum, ita jucundorum eorum & inde falsorum, constat ex significatione holocaustorum & sacrificiorum, quod sit omnis cultus in genere, de qua n: 6905. 8936. 10,042; & quod holocausta sint cultus ex bono amoris, sacrificia ex veris fidei, n: 8680. 10,053; inde in sensu opposito per holocausta significatur cultus ex amoribus propriis, qui cultus est ex jucundis eorum, quæ sunt mala, & per sacrificia significatur cultus ex falsis: inde dicitur cultus amorum, quia id colitur quod amatur, & amor colit.

10,415. Et sedebat populus ad edendum & bibendum, quod significet appropriationem eorum, constat ex significatione edere & bibere, quod sit appropriatio, edere appropriatio mali, & bibere appropriatio falsi; quod edere sit appropriatio boni, videatur n: 3168. 3513. fin: 3596. 3832. 9412; inde in opposito sensu est appropriatio mali, n: 4745; & quod bibere sit appropriatio veri, & inde in opposito sensu appropriatio falsi, n: 3069. 3168. 3832. 8562. 9412.

10,416. Et surgebant ad ludendum, quod significet festivitatem interiorum suorum inde, & consensum, constat ex significatione ludere, quod sit festivitas interiorum, ludus enim inde est, nam est activum corporis quod ex animi lætitia ut effectus prodit, & omnis festivitas & lætitia est ex jucundis amorum, in quibus homo est: quod etiam sit consensus qui significatur, est quia omne festivum interius in se habet consensum, nam si aliquid dissentit & redarguit, perit festivum; festivum interius est in libero hominis, & omne liberum est ex amore, cui nihil contrariatur. Quoniam in Verbo interna describuntur per externa, ita quoque gaudia & lætitiæ quæ in interioribus hominis, per ludos & choreas, ut in sequentibus his locis; apud Jeremiam, "Ædificabitur urbs super cumulo suo, tunc exibit ex iis confessio, & *vox ludentium*," xxx: 18. 19: apud Eundem, "Denuo ædificabo te, ut ædificata sis, virgo Israel; denuo adornabis tympana tua, & *exibis in chorum ludentium:* fiet anima eorum sicut hortus irriguus, neque addent dolere amplius; *& lætabitur virgo in chorea*, ac adolescentes & senes simul; convertam luctum eorum *in gaudium*," xxxi: 4. 12. 13: apud Sachariam,

"Im-

"Implebuntur plateæ urbis *pueris & puellis ludentibus,*" VIII : 5 : apud Davidem, "Laudate nomen Jehovæ *cum tympano & chorea,*" Psalm : CXLIX : 23. Psalm : CL : 5 : apud Eundem, "Convertisti luctum meum *in choream* mihi," Psalm : XXX : 12 : apud Jeremiam, "Cessavit gaudium cordis nostri, conversa est in luctum *chorea nostra,*" Thren : V : 15. Quia ludi & choreæ significabant gaudia & lætitias interiorum quæ ex amore, ideo postquam Ægyptii in mare Suph submersi sunt, Miriam cum mulieribus exibat *cum tympanis in choreas,*" Exod : XV : 28 : ac ideo David, cum Arca deduceretur e domo Obed Edomi in urbem Davidis, *tripudiabat* & *saltabat coram Jehovah,*" 2 Sam : VI : 12. 16. Quod interiora per exteriora in Verbo exponantur & describantur, constat ab his apud Davidem, "Fecisti Mare magnum & latum spatiis, ibi naves eunt, *Leviathan quem formasti ad ludendum in eo,*" Psalm : CIV : 25. 26 ; qui non scit, quod sensus spiritualis sit in singulis Verbi, non aliter scit, quam quod hic per mare & per naves intelligantur mare & naves, & per Leviathanem balænæ quæ ibi sunt ; ac per ludere eorum cursus & consociationes ; sed non in talibus consistit Verbum, quod quoad omnem jotham est Divinum ; at cum pro illis intelliguntur spiritualia quæ significantur, tunc fit Divinum, mare in sensu interno est congregatio verorum scientificorum, ita externum apud hominem & in Ecclesia ; naves sunt cognitiones & doctrinalia ex Verbo ; Leviathan est scientificum in communi, & ludere est jucundum ex illis ; quod mare sit congregatio verorum scientificorum, videatur n : 28. 2850. 8184. 9340 ; quod naves sint cognitiones & doctrinalia ex Verbo, n : 1977. 6385 ; & quod Leviathan sit scientificum in communi, n : 7293 ; ita ludere est jucundum & festivum ex illis, quod fit, quando scientifica confirmant spiritualia, ac consentiunt cum illis.

10,417. Vers: 7 ad 14. *Et loquutus est Jehovah ad Moschen, vade descende, quia corrupit se populus tuus, quem ascendere fecisti e terra Ægypti. Recesserunt subito a via, quam præcepi illis, fecerunt sibi vitulum fusilis, & adoraverunt illum, & sacrificarunt illi, & dixerunt, hi dii tui Israel, qui ascendere fecerunt te e terra Ægypti. Et dixit Jehovah ad Moschen, vidi populum hunc, & ecce populus durus cervice ille. Et tu, sine Mihi, & exardescat ira mea in illos, & consumam illos, & faciam temet in gentem magnam. Et deprecatus est Moscheh facies Jehovæ Dei sui, & dixit, quare Jehovah, exardescat ira tua in populum tuum, quem eduxisti e terra Ægypti, virtute magna & manu forti. Quare dicent Ægyptii, dicendo, in malum eduxit illos ad occidendum illos in montibus, & ad consumendum illos a super faciebus terræ ; revertere ab exscandescentia iræ tuæ, & pæniteat Te super malum populo tuo. Recordare Abrahami, Jischaki, & Israelis, servorum tuorum, quibus jurasti in Te, & loquutus es ad illos, multiplicabo semen vestrum sicut stellas cælorum ; & omnem terram hanc, quam dixi, dabo semini vestro, & hæreditabunt in sæculum. Et pænitebat Jehovam super malo, quod dixit facere populo suo.* Et loquutus est Jehovah ad Moschen, significat perceptionem & instructionem de gente Israelitica, qualis intus esset : vade, descende, significat intuitionem in externum eorum : quia cor-

corrupit se populus tuus, significat quod prorsus se averterit a Divino: quem ascendere fecisti e terra Ægypti, significat quem credideras duxisse ad Divinum: recesserunt subito a via quam præcepi illis, significat quod removerint se a Divino Vero: & fecerunt sibi vitulum fusilis, significat cultum secundum jucundum amorum illius gentis: & adoraverunt illum, & sacrificarunt illi, significat quod colant id ut ipsum bonum ac ut ipsum verum: & dixerunt, hi dii tui, Israel, significat quod colendum supra omnia: qui ascendere fecerunt te e terra Ægypti, significat quæ duxerunt: & dixit Jehovah ad Moschen, significat instructionem adhuc: vidi populum, significat prævisum: & ecce populus durus cervice ille, significat quod non recipiat influxum ex Domino: & tu, sine Mihi, significat quod non tam contumaciter insistendum sit: & exardescat ira mea in illos, & consumam illos, significat quod sic se avertant ab internis, ita a Divinis, ut non possint non perire: & faciam te in gentem magnam, significat Verbum alibi quod bonum & præstans: & deprecatus est Moscheh facies Jehovæ, significat Dominum ex misericordia recordatum esse: & dixit, quare, Jehovah, exardescat ira tua, significat aversionem illius gentis: in populum, quem eduxisti e terra Ægypti, significat elevationem usque ab illa: virtute magna & manu forti, significat ex Divina potentia: quare dicent Ægyptii, dicendo, significat illos qui in meris externis sunt: in malum eduxit illos ad occidendum illos in montibus, significat quod perituri qui in bono: ad consumendum illos a super faciebus terræ, significat quod perituri qui ab Ecclesia: revertere ab excandescentia iræ tuæ, significat sic aversionem ejus gentis non nocituram: & pæniteat Te super populo tuo, significat misericordiam pro illis: recordare Abrahami, Jischaki, & Israelis servorum tuorum, significat propter Cœlum & Ecclesiam: quibus jurasti in Te, significat confirmationem a Divino: & loquutus es ad illos, significat Prævidentiam ac Providentiam: multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœlorum, significat bona & vera, ac cognitiones eorum: & omnem terram hanc, quam dixi, dabo semini vestro, significat a quibus cœlum & ecclesia: & hæreditabunt in sæculum, significat vitam æternam: & pœnitebat Jehovam super malo quod dixit facere populo suo, significat misericordiam pro illis.

10,418. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, quod significet perceptionem & instructionem de gente Israelitica, qualis intus esset, constat ex significatione loqui, cum a Jehovah, quod sit perceptio & instructio, de qua in locis citatis n: 10,277. 10,290; quod sit de gente Israelitica, qualis illa intus, constat a sequentibus, nam ibi de illa agitur, & de quali ejus quoad cultum.

10,419. Vade, descende, quod significet intuitionem in externum eorum, constat ex significatione descendere de monte Sinai, quod sit intueri, lustrare & examinare, nam per montem Sinai significatur Cœlum, e quo Divinum Verum, n: 9420; inde descendere in spirituali sensu non est descendere corpore, sed mente, ita est intueri & lustrare.

10,420. Quia corrupit se populus tuus, quod significet quod prorsus se

averterit a Divino, conftat ex fignificatione corrumpere fe, cum de cultu, quod fit avertere fe a Divino; nam omnis corruptio & prævaricatio in cultu, eft receffio & averfio a Divino. Quia dicitur averfio, paucis dicetur quomodo cum illa fe habet; qui in externis feparatis ab interno funt, illi omnes fe a Divino avertunt, fpectant enim extrorfum & deorfum, & non introrfum & furfum; homo enim fpectat introrfum feu furfum, cum internum eft apertum, ita cum id in cœlo eft; at fpectat extrorfum feu deorfum, cum internum ejus eft claufum, & modo externum apertum, hoc enim in mundo eft; quare cum externum feparatum ab interno eft, homo elevari furfum nequit; nam id in quod cœlum operaturum eft, non adeft, quia eft occlufum; inde eft, quod omnia Cœli & Ecclefiæ illis caligo fint; quare etiam ab illis non creduntur, fed negantur corde, a quibufdam etiam ore: cœlum cum operatur apud hominem, quod fit cum internum apertum eft, abducit illum ab amoribus fui & mundi, & a falfis inde fcaturientibus, nam cum internum elevatur, etiam externum elevatur, tenetur enim hoc tunc in fimili intuitione, quia in fubordinatione; at cum internum non elevari poteft, quia claufum, tunc externum non fpectat alio quam ad fe & ad mundum; amores enim fui & mundi regnant; hoc quoque dicitur fpectare deorfum, quia ad infernum, ibi enim illi amores regnant; ac homo qui in illis eft, in confortio cum illis, qui ibi, eft, tametfi id nefcit: etiam quoad interiora fua, actualiter fe avertit a Domino, vertit enim tergum ad Illum, ac faciem ad infernum; hoc videri in homine, cum vivit in corpore, nequit; fed quia cogitatio & voluntas ejus id faciunt, eft fpiritus ejus qui fe fic vertit, nam fpiritus eft qui cogitat & vult in homine: quod ita fit manifefte apparet in altera vita, ibi fpiritus fe vertunt fecundum amores fuos; qui Dominum & proximum amant, illi continuo fpectant ad Dominum, imo, quod mirum, Ipfum ante faciem habent in omni verfura corporis eorum; in fpirituali enim mundo non eft plaga, ficut in naturali mundo; fed plaga ibi determinatur ab amore cujufvis, qui vertit illum: at qui amant fe & mundum fuper omnia, illi avertunt faciem a Domino, ac vertunt fe ad infernum, & ibi quifque ad illos qui in fimili fecum amore funt, & hoc quoque in omni verfura corporis eorum; inde conftare poteft, quid fit avertere fe a Divino; tum quid proprie fignificatur per fe avertere in Verbo, ut apud Efaiam, "*Avertunt fe retro* confidentes fculptili," XLII: 17: apud Davidem, "*Avertit fe retro* cor," Pfalm: XLIV: 19. Apud Jeremiam, "Multiplicatæ funt prævaricationes eorum, & *validæ factæ averfiones eorum*," V: 6: apud Eundem, "*Avertunt fe*, ut non revertantur; *avertit* fe populus hic; Hierofolyma *averfa* perpetuat, renuunt reverti," VIII: 4. 5: apud Eundem, "*Averterunt fe*, in profundum dimiferunt fe ad habitandum," XLIX: 8; & alibi pluries.

10,421. Quem afcendere fecifti e terra Ægypti, quod fignificet quem credideras duxiffe ad Divinum, conftat ex fignificatione afcendere facere e terra Ægypti, quod fit ab externo ad internum elevare, ita ducere ad Divinum, nam per afcendere facere fignificatur elevare ab externo ad internum, & per Ægyptum fignificatur naturalis feu externus homo, a quo elevatio; quod

ascendere facere sit elevare ab externo ad internum, videatur n: 3084. 4539. 4969. 5406. 5817; & quod Ægyptus sit naturale seu externum in locis citatis n: 9391.

10,422. Recesserunt subito a via quam præcepi illis, quod significet quod removerint se a Divino Vero, constat a significatione recedere a via, quod sit se removere a vero: recedere enim est se removere, nam qui in externis separatis ab interno sunt, semet ipsos removent; & via est verum, de qua sequitur: quod sit Divinum Verum, a quo se removent, est quia dicitur, a via quam Jehovah præcepit illis. Quod via sit verum, est ex apparentia in mundo spirituali, ibi etiam viæ & semitæ, ac in urbibus plateæ & vici apparent: ac spiritus non alio eunt, quam ad illos cum quibus consociati sunt per amorem; inde est, quod spiritus ibi ex via, quam vadunt, noscantur quales sunt quoad verum, nam omne verum ducit ad suum amorem, id enim verum dicitur quod confirmat id quod amatur: inde est, quod etiam via in communi loquela humana sit verum, nam loquela hominis hoc traxit, ut plura alia, ex mundo spirituali: inde nunc est, quod in Verbo per viam, semitam, tramitem, orbitam, plateam, & vicum, significentur vera, & in opposito sensu falsa, ut patet ex his locis; apud Jeremiam, "*State juxta vias*, & videte, quærite *de viis sæculi, quæ via sit optima*," VI: 16. Apud Eundem, "*Bonas reddite vias vestras*, & opera vestra; ne confidite vobis *super verbis mendacii*," VII: 3. 4. 5. Apud Eundem, "*Viam gentium* ne discite," X: 2. Apud Eundem, "Dabo cuique *juxta vias ejus*, juxta fructum operum ejus," XVII: 10. Apud Eundem, "Impingere fecerunt eos *in viis eorum*, *tramitibus sæculi*, ut abirent *semitas*, *viam non stratam*," XVIII: 15. Apud Eundem, "Dabo iis cor unum, & *viam unam*," XXXII: 39. Apud Davidem, "*Vias tuas Jehovah notas fac mihi*, *semitas tuas*, doce me; deduc me *in veritate tua*," Psalm: XXV: 5. In Libro Judicum, "In diebus Jaelis *cessarunt viæ*, & euntes *semitas* iverunt *vias tortuosas*," V: 6. Apud Esaiam, "Recedite *a via*, declinare facite *a semita*; aures tuæ audiant verbum a post te, *hæc via*, ite in ea," XXX: 11. 21. Apud Eundem, "Devastatæ sunt *semitæ*, cessavit transiens viam," XXXIII: 8. Apud Eundem, "Erit etiam ibi *semita* & *via*, quæ *via sanctitatis* vocabitur; non transibit eam immundus, sed hæc illis; *ambulans via*, & stulti non errabunt," XXXV: 8. Apud Eundem, "Vox clamantis in deserto, *parate viam* Jehovæ; complanate in solitudine *semitam* Deo nostro: cum quo deliberavit, ut doceret illum *viam judicii*, & *viam intelligentiæ* ostenderet illi," XL: 3. Apud Eundem, "Ad dicendum eis qui in tenebris, revelamini, *super viis* pascent; ponam omnes montes meos *in viam*; *semitæ meæ* exaltabuntur," XLIX: 9. 11. Apud Eundem, "*Viam pacis* non noverunt, neque judicium *in orbitis eorum*; *semitas suas* perverterunt sibi, qui *calcat eam*, non cognoscet pacem," LIX: 9. Apud Eundem, "*Parate viam* populo, sternite, *sternite semitam*, dicite filiæ Zionis, ecce salus tua venit," LXII: 10. 11. Apud Eundem, "Dedi in mari *viam*, in aquis validis *semitam*; ponam in deserto *viam*," XLIII: 16. 19. Apud Moschen, "Maledictus qui errare facit cæcum *in via*," Deut:

xxvii : 18. Apud Matthæum, "Ite *ad exitus viarum*, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias," xxii : 16. Apud Johannem, "Jesus dixit, Ego sum *Via*, *Veritas* & Vita," xiv : 6 : in his locis, & in pluribus aliis, per viam significatur verum, & in opposito sensu falsum.

10,423. Et fecerunt sibi vitulum fusilis, quod significet cultum secundum jucundum amorum illius gentis, constat ex illis, quæ supra n : 10,407 ostensa sunt, ubi similia.

10,424. Et adoraverunt illum, & sacrificarunt illi, quod significet quod colant id ut ipsum bonum ac ut ipsum verum, constat ex significatione adorare, quod sit colere ut ipsum bonum ; & ex significatione sacrificare, quod sit colere ut ipsum verum ; quod adorare dicatur de bono quod amoris, & sacrificare de vero quod fidei, est quia in Verbo ubi dicitur de bono, etiam dicitur de vero, ob conjugium cœleste in singulis ibi, videatur in locis citatis n : 9263. 9314 ; quod sacrificare dicatur de vero, n : 8680. 10,053, & quod adorare de bono, patet a locis in Verbo ubi dicitur.

10,425. Et dixerunt, hi dii tui Israel, quod significet quod colendum supra omnia, constat ex illis, quæ supra n : 10,~~148~~408, ostensa sunt, ubi similia verba.

10,426. Qui ascendere fecerunt te e terra Ægypti, quod significet quæ dixerunt, ut supra n : 10,409.

10,427. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem adhuc, constat a significatione dicere, cum a Jehovah, quod sit perceptio & instructio, de qua in locis citatis n : 10,277. 10,290.

10,428. Vidi populum, quod significet præ visum, constat ex significatione videre, cum de Jehovah, quod sit Prævidentia, de qua n : 2807. 2837. 3839. 3686. 3863, nam Jehovah quod videt, ab æterno videt, & videre ab æterno, est Prævidentia & Providentia.

10,429. Et ecce populus durus cervice ille, quod significet quod non recipiat influxum ex Domino, constat ex significatione duri cervice, quod sit non recipere influxum ; per cervicem enim & per collum significatur conjunctio & communicatio superiorum & inferiorum, ita influxus, videatur n : 3542. 3603. 3695. 3725. 5320. 5328. 5926. 6033. 8079. 9913. 9914 ; & per durum significatur quod resistit, ac renuit, ita quod non recipit ; ita vocatur populus hic, quia in externis absque externo erat ; & qui tales sunt, illi renuunt omnem influxum e cœlo seu a Domino ; influxus enim fit per internum in externum, clauso itaque interno non est aliqua receptio Divini in externo ; recipitur enim solum quod influit e mundo, ita solum quod mundanum, corporeum & terrestre est : etiam tales in altera vita, cum visuntur in luce cœli, apparent sicut crates dentium, aut sicut crinitum quid, aut sicut osseum absque vita, pro capite & facie ; facies enim correspondet illis quæ interni hominis sunt, & corpus illis quæ externi, ac cervix conjunctioni eorum. Hic paucis explicabitur, quid intelligitur per esse in externis absque interno, quod dicitur de gente illa : quisque homo habet internum & externum ; internum enim est cogitatio ejus & voluntas ejus, & externum est

loquela ejus & actio ejus; sed internum apud bonos valde differt ab interno apud malos: est enim unicuique internum, quod vocatur Internus homo, & externum quod vocatur Externus homo; Internus homo est ad imaginem cœli formatus, Externus autem ad imaginem mundi, n: 9279; apud illos qui in bono amoris sunt & veris fidei, Internus homo apertus est, & per illum sunt in cœlo; at apud illos, qui in malis sunt & inde falsis, Internus ille homo clausus est, & per Externum modo in mundo sunt; hi sunt, de quibus dicitur quod in externis sint absque interno: habent quidem hi quoque interiora, sed interiora apud eos sunt interiora Externi eorum hominis, qui est in mundo, sed non interiora Interni hominis qui est in cœlo; illa interiora, nempe quæ sunt Externi hominis, clauso Interno, sunt mala, imo fæda, nam cogitant modo de mundo, deque semet, & volunt solum illa quæ mundi sunt & quæ sui, & prorsus nihil cogitant de Cœlo & de Domino, imo nec volunt illa: inde constare potest, quid intelligitur per esse in externis absque interno: quia talis erat gens Israelitica, ideo cum illa in sancto externo erat, clausa erant interiora eorum, quia ea fœda & spurca, plena nempe amore sui & mundi, ita contemtu aliorum præ se, odio contra omnes qui sibi peccarunt, sævitia in illos, & crudelitate, avaritia, rapina, & similibus aliis; quod gens illa talis fuerit, constat manifeste ex Cantico Moschis, Deut: XXXII, Vers: 15 ad 43, ubi ex mandato Jehovæ describitur; & quoque ubivis apud Jeremiam; & denique ab Ipso Domino apud Evangelistas.

10,430. Et tu, sine Mihi, quod significet quod non tam contumaciter insistendum sit, constat ex significatione sinere, cum a Jehovah de gente illa, quod sit quod non tam contumaciter insistendum; gens enim illa non a Domino electa fuit, sed recepta, quia contumaciter institerat, videatur n: 4290. 4293. 7051. 7439; gens enim illa præ omnibus aliis gentibus in universo terrarum orbe potuit in jejunio esse; jacere super terra, volvere se in cinere, inque luctu esse, per integros dies, nec desistere antequam obtinerent; sed contumacia illa fuit solum propter se, tempe ex ardentissimo amore sui & mundi, & non propter Divinum; qui tales sunt, quidem audiuntur, sed usque non aliquod cœli & ecclesiæ in se recipiunt, verum solum talia quæ mundi sunt, si permanent in statutis & legibus in forma externa; inde est, quod illi in altera vita inter infernales sint, præter aliquos qui in bono fuerunt, & præter infantes eorum: inde patet, quod per tu sine Mihi, significetur quod non tam contumaciter insistendum sit.

10,431. Et exardescat ira mea in illos, quod significet quod sic se avertant ab internis, ita a Divinis, ut non possint non perire, constat ex significatione exardescere ira, cum de Jehovah, quod sit aversio apud hominem, de qua sequitur; & ex significatione consumere, cum etiam de Jehovah, quod sit perire ex suo malo. In Verbo multis in locis dicitur de Jehovah, quod ardescat ira, & excandescat, & quoque quod consumat & destruat; sed ita dicitur, quoniam ita apparet homini, qui avertit se a Domino, quod fit cum malum facit; & quia tunc non auditur, & quoque punitur, credit quod

Dominus

Dominus in ira sit contra illum; cum tamen Dominus nusquam irascitur, & nusquam consumit, est enim Ipsa Misericordia, ac Ipsum Bonum: inde patet, quale est Verbum quoad literam, quod nempe sit secundum apparentiam apud hominem: similiter quod dicatur, quod Jehovam pœniteat, ut in sequentibus, cum tamen Jehovam nusquam pœnitet, prævidet enim omnia ab æterno: inde quoque constare potest, in quot errores labuntur illi, qui non ultra sensum literæ cogitant, cum legunt Verbum, ita qui id legunt absque doctrina e Verbo quæ doceat quomodo se res habet: qui enim ex doctrina legunt Verbum, sciunt quod Jehovah sit ipsa Misericordia, ac ipsum Bonum, & quod nequaquam dici possit de Infinita Misericordia, & de Infinito Bono, quod exardescat ira, & consumat; quapropter ex Doctrina illa sciunt & vident, quod secundum apparentiam coram homine ita dicatur. Quod ira & malum sint ab homine, & non a Domino, & quod usque tribuantur Domino, videatur in locis citatis n: 9306; & quod ira, cum dicitur de Domino, sit aversio hominis a Domino, n: 5034. 5798. 8483. 8875.

10,432. Et faciam te in gentem magnam, quod significet Verbum alibi quod bonum & præstans, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; & a significatione gentis, quod sint qui in bono, ita abstracte a persona, bonum de qua n: 1259. 1260. 1416. 1849. 6005. 8771. Dicitur in Verbo passim Gens & Populus, & ibi per gentem significantur illi qui in Bono, & per Populum qui in Vero, seu abstracte a personis, per gentem significatur bonum, & per populum verum, n: 10,288: cum itaque per Moschen significatur Verbum, tunc per gentem ex illo significatur bonum inde. Cum his ita se habet; filii Israelis recepti sunt, quia apud illos conscribi potuit Verbum, cujus sensus externus seu literæ consistit ex meris externis, quibus interna correspondent; talia fuerunt omnia repræsentativa, quæ erant apud gentem Israeliticam; & quia gens illa taliter in externis erat, ideo potuit Verbum apud illam conscribi; inde patet, cum per Moschen intelligitur Verbum, & cum dicitur de gente Israelitica, quod consumeretur seu periret, quod tunc per quod faceret Jehovah Moschen in gentem magnam, significetur quod Verbum alibi conscriberetur quod bonum & præstans. Quod hic sensus horum verborum sit, non apparet in litera, sed usque ex eo sciri potest, quod nomina personarum non intrent cœlum, sed quod vertantur ibi in res quas significant; sicut cum nominantur Abraham, Iischak, Jacob, Moscheh, Aharon, David, & alii, tunc prorsus nescitur ibi, quod personæ illæ ab homine intelligantur, evanescunt statim ibi, ac induunt sensum spiritualem, qui sensus est rerum quas personæ illæ significant; inde patet, qualis est sensus horum verborum in cœlo de Moscheh, quod futurus in gentem magnam.

10,433. Et deprecatus est Moscheh facies Jehovæ, quod significet Dominum ex Misericordia recordatum esse, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, & nunc supra n: 10,432; ex significatione facierum, cum de Jehovah, quod sint Misericordia & omne Bonum, de qua n: 222. 223. 5585. 7599. 9306. 9546; & ex significatione deprecari, quod sit recordari

 cordari

cordari; cum enim per Moschen intelligitur Verbum, tunc deprecari non significat deprecari, sed quod concordat cum eo de quo dicitur, hic cum Verbo: quod Jehovah sit Dominus in Verbo, videatur in locis citatis n: 9373.

10,434. Et dixit, quare Jehovah exardescat ira tua, quod significet aversionem illius gentis, constat ex significatione exardescere ira, cum de Jehovah, quod sit aversio hominis, qui in malo, de qua supra n: 10,431.

10,435. In populum, quem eduxisti e terra Ægypti, quod significet elevationem usque ab illa, constat ex significatione educere e terra Ægypti, quod sit elevari ab externis ad interna, de qua supra n: 10,421.

10,436. Virtute magna & manu forti, quod significet ex Divina potentia, constat ex significatione virtutis magnæ, & manus fortis, cum de Jehovah, quod sit Divina potentia, de qua n: 7188. 7189. 8050. 8069. 8153. Quomodo cum his & illis se habet, ex serie rerum in sensu interno constare potest, qui est, quod tametsi gens Israelitica in externis absque interno esset, adeo ut prorsus non elevari versus interiora posset, usque apud illos institui Ecclesiæ repræsentativum posset, & ibi conscribi Verbum; ex causa quia ex Divina potentia usque ab externis absque interno communicatio dari posset cum cælo, & sic simile effici ac si simul in interno essent; de qua re videantur quæ de gente illa in locis citatis supra n: 10,396, ostensa sunt; ut quod per externa apud illos, quæ erant repræsentativa interiorum, communicatio fuerit cum Cœlo, ex Divina Domini Potentia, n: 4311. 4444. 6304. 8588. 8788. 8806. Sciendum est, quod Ecclesia non sit Ecclesia a cultu externo, sed a cultu interno; cultus enim externus est corporis at internus est animæ, inde cultus externus absque interno est modo gestus, ita cultus absque vita a Divino: homo Ecclesiæ per interiora cultus communicat cum cœlis, quibus externum inservit pro plano, super quo interiora subsistant, sicut domus super suo fundamento; & cum ita subsistit, completum est, & firmum, ac totus homo a Divino regitur. Talis fuerat homo Ecclesiæ antiquæ, quæ etiam Ecclesia repræsentativa fuit, quapropter illa Ecclesia accepta fuit Domino, ut constat a pluribus locis in Verbo, describitur in Cantico Moschis Deutr: XXXII: Vers: 3 ad 15: sed talis Ecclesia apud gentem Israeliticam & Judaicam institui non potuit, ex causa, de qua supra, quod interiora eorum essent fœda, ita prorsus contra bonum amoris cœlestis & bonum fidei, quæ sunt interiora cultus; ideo, cum tam contumaciter institerunt, quod illi venirent in terram Canaan, quod idem erat cum repræsentare Ecclesiam, provisum est a Domino, quod usque per cultum eorum mere externum communicatio cum Cœlo daretur; nam finis omnis cultus est communicatio cum Cœlo, ac per id conjunctio Domini cum homine. Hæc sunt, de quibus nunc in sensu interno agitur.

10,437. Quare dicent Ægyptii dicendo, quod significet illos qui in meris externis sunt de illis qui elevantur in interna, constat ex repræsentatione Ægyptiorum, quod sint qui in meris externis sunt; & ex significatione dicere dicendo, quod sit de illis qui elevantur in interna, nam de his in nunc sequentibus in sensu interno agitur: quod per Ægyptios repræsententur illi,

qui

qui in meris externis sunt, est quia Ægyptii antiquis temporibus inter illos fuerunt, apud quos etiam Ecclesia repræsentativa fuit; hæc enim Ecclesia per plures regiones Asiæ extensa fuit, & eo tempore erant Ægyptii præ reliquis in scientia correspondentiarum & repræsentationum, quæ illius Ecclesiæ, sciverunt enim interna quæ externa repræsentabant & inde significabant: sed temporis tractu similiter cum illis factum est, prout cum aliis apud quos Ecclesia, quod ab internis hominibus fiant externi, & tandem ut non curent interna, ponendo omnem cultum in externis: cum ita quoque factum est cum Ægyptiis, tunc scientia correspondentiarum & repræsentationum, in qua præ reliquis in Asia fuerunt, versa fuit in Magiam, quod fit quum interna cultus, quæ sunt amoris & fidei, obliterantur, permanente usque cultu externo repræsentativo, simul cum cognitione interiorum quæ repræsentantur; quia tales facti sunt Ægyptii, ideo per illos in Verbo significatur scientia talium, & quoque externum seu naturale, & quia hoc absque interno est vel magicum vel idololatrium, quod utrumque est infernale, ideo per Ægyptum etiam significatur infernum: inde patet, unde est, quod per quare dicent Ægyptii, significentur qui in meris externis sunt: quod in Ægypto etiam Ecclesia repræsentativa fuerit, videatur n: 7097. 7296. 9391: quod Ægyptus sit scientia talium in utroque sensu, n: 1164. 1165. 1186. 1462. 2588. 4749. 4964. 4966. 5700. 5702. 6004. 6015. 6125. 6651. 6672. 6679. 6683. 6750, 7926: quod Ægyptus sit naturale seu externum, n: 4967. 5079. 5080. 5095. 5460. 5276. 5278. 5380. 5288. 5301. 5799. 6004. 6015. 6147. 6252. 7353. 7355. 7648: & quod Ægyptus sit infernum, n: 7039. 7097. 7017. 7110. 7126. 7142, 7220. 7228. 7240. 7278. 7307. 7317. 8049. 8132. 8135. 8138. 8146. 8148 8866. 9197.

10,438. In malum eduxit illos ad occidendum illos in montibus, quod significet quod perituri qui in bono, constat ex significatione educere ad occidendum, quod sit perdere, at cum de Jehovah qui nusquam aliquem perdit, est perire a suo malo; & ex significatione montium, quod sint cœlum, inde bonum amoris, quod per montes significetur Cœlum, est a repræsentativis in altera vita, apparent enim ibi, sicut in terra, montes, colles, petræ, valles, & plura, & super montibus sunt qui in amore cœlesti, supra collibus qui in amore spirituali, super petris qui in fide, & in vallibus qui nondum ad bonum amoris & fidei evecti sunt; inde est quod per montes significentur qui in bono amoris cœlestis, ita qui in intimo cœlo, ac in sensu abstracto bona amoris cœlestis, ita cœlum, quod in illo amore est; quodque per colles significentur qui in bono amoris spiritualis sunt, ita qui in medio cœlo, ac in sensu abstracto bonum, illius amoris, ac cœlum quod in illo: & quod per petras significentur qui in bono fidei, & inde qui in cœlo ultimo, ac in sensu abstracto id bonum, & id cœlum: tum quod per valles significentur qui nondum ad illa bona, ita ad cœlum evecti sunt: quia talia apparent in altera vita, & inde talia significantur per illa, ideo similia per illa significantur in Verbo; ac similia per Montes, Colles, Petras, & Valles in Terra Canaane, per quam ideo repræsentatum est Cœlum in suo complexu. Quod montes significent Cœlum, ubi bonum amo-

amoris cœlestis, patet a pluribus locis in Verbo, ut ab his sequentibus; apud Esaiam, "In posteritate dierum erit *Mons Jehovæ* in *caput montium*, & elatus *præ collibus*," II : 2. Mich : IV : 1 : apud Davidem, "Ferent *Montes* pacem, & *Colles* in justitia," Psalm : LXXII : 3 : apud Eundem, "Laudate Jehovam *Montes*, & omnes *colles*," Psalm : CXLVIII : 29 : apud Eundem, "*Mons Dei Mons Baschanis, mons collium mons Baschanis*: quare subsilitis *montes, colles montium*; *desiderat Deus inhabitare illum*, etiam Jehovah habitabit in perpetuum," Psalm : LXVIII : 16. 17 : apud Moschen, "De primitiis *montium orientis*, & de *pretiosis collium sæculi*, veniant capiti Josephi," Deut : XXXIII : 15. 16; præter aliis in locis, videatur n : 795. 6435. 8327. 8658. 8758. 9422. 9434. Inde est, quod Dominus descenderit super montem Sinai; & inde est, quod urbs Davidis ædificata fuerit super monte, & quod ille mons, qui mons Zion vocabatur, significet intimum cœlum; & quoque inde est, quod antiqui super montibus & collibus sanctum cultus habuerint, n : 2722.

10,439. Ad consumendum illos a super faciebus terræ, quod significet quod perituri qui ab Ecclesia, constat ex significatione consumere, quod sit perdere, at cum dicitur de Jehovah, qui non perdit aliquem, est perire a suo malo, ut supra; & ex significatione terræ, quod sit Ecclesia, de qua in locis citatis n : 9325. 10,373.

10,440. Revertere ab excandescentia iræ tuæ, quod significet sic aversionem ejus gentis non nocituram, constat ex significatione excandescentiæ iræ, quum de Jehovah, quod sit aversio apud hominem, de qua supra n : 10,431; ita reverti ab excandescentia iræ, est quod aversio non nocitura. Quomodo cum his se habet, patet ab illis quæ in præcedentibus dicta & ostensa sunt.

10,441. Et pæniteat Te super populo tuo, quod significet Misericordiam pro illis, constat ex significatione pænitere, cum de Jehovah, quod sit misereri: quod pænitere sit misereri, est quia Jehovam nusquam pænitet, prævidet enim & providet omnia ab æterno: pænitentia modo cadit in illum, qui non scit futurum, & qui tunc animadvertit se erravisse, cum contingit: usque ita dicitur in Verbo de Jehovah, quia sensus literæ est ex talibus, quæ apparent apud hominem, nam est pro simplicissimis, & pro infantibus, qui primum non ultra vadunt; hi & illi quoque sunt in maxime externis a quibus inchoant, & in quæ postea desinunt interiora eorum: quamobrem Verbum in litera aliter intelligendum est ab illis, qui sapientiores facti sunt: se habet Verbum similiter ac homo, interiora ejus desinunt in carnem & ossa, hæc continent illa, quæ nisi baseos seu fulcri loco essent, homo non subsisteret, nam non haberet ultimum, in quod interiora desinerent, & super quo quiescerent: similiter se habet cum Verbo; ibi ultimum erit, in quod desinent interiora, ultimum illud est sensus literæ, ac interiora sunt cœlestia, quæ sunt sensus interni: inde nunc patet, cur ex apparentia apud hominem, dicatur quod Jehovam pæniteat, cum tamen Ipsum non pæniteat: quod pænitere dicatur de Jehovah, constat ex pluribus locis in Verbo, ut ex sequentibus his; apud Jeremiam, "Si fecerit malum in oculis meis, ut non obediat voci,

pænitebit Me super bono, quo dixeram benefacturum illi," XVIII : 10 : apud Eundem, " Forte audiant, & revertantur vir a via sua prava, *& pæniteat Me mali,* quod Ego cogitans facere illis ob malitiam operum illorum," XXVI : 3 : apud Ezechielem, " Cum consummatur ira mea, & excandescentiam meam quiescere facio in iis, *pænitebit Me,*" V : 13 : apud Amos, " *Pænituit Jehovam,* & non fiet, dixit," VII : 3. 6 : apud Moschen, " Judicabit Jehovah populum suum, & *super servis suis pænitebit Ipsum,*" Deut : XXXII : 36 : apud Jonam, " Dixit rex Ninives, quis scit, revertatur, & *pænitentia ducatur Deus,* ut revertatur ab ardore iræ suæ, nec pereamus : ac reversi sunt a via mala sua, *ideo pænituit Deum super malo,* quod dixerat facturus illis, ut non faceret illud," III : 9. 10 : in Libro Geneseos, " *Pænituit Jehovam* quod fecerit hominem in terra, & doluit Ipsi ad cor Ipsius," VI : 6 : in Libro Primo Samuelis, " *Pænituit Me* quod regem feci Schaulem, quia avertit se a post Me," XV : 11. 35 : in his locis dicitur pænituisse Jehovam, cum tamen non Ipsum pænitere potest, quoniam omnia scit priusquam facit ; ex quibus patet, quod per pænitere significetur Misericordia : quod Jehovam nusquam pæniteat, constat etiam ex Verbo ; ut apud Moschen, " *Non* vir Jehovah ut mentiatur, *aut filius hominis ut pæniteat Ipsum :* num Ille dixerit, & non fecerit, aut loquutus fuerit, & non stabiliverit illud," Num : XXIII : 19 : & in Libro 1 Samuelis, " Invictus Israelis non mentitur, *neque Ipsum pænitet, quia non homo ille ut Ipsum pæniteat,*" XV : 29. Quod pænitere, cum de Jehovah, sit Misericordia, apud Joelem. " Jehovah gratiosus & *misericors,* longanimis, & *magnus miseratione, Quem pænitere solet mali,*" II : 13 : & apud Jonam, " Deus *gratiosus* & *misericors,* & *magnus benignitate,* & *Quem pænitet super malo,*" IV : 2.

10,442. Recordare Abrahami, Jischaki & Israelis servorum tuorum, quod significet propter Cœlum & Ecclesiam, constat ex significatione Abrahami, Jischaki, & Israelis, quod sit Dominus quoad Divinum Humanum, ita quoad Divinum Ipsius in Cœlo & in Ecclesia ; & quia Divinum Domini facit Cœlum & Ecclesiam, inde per eosdem etiam significatur Cœlum & Ecclesia ; quod illa per Abrahamum, Jischakum & Jacobum in Verbo significentur, videatur n : 1965. 3305 fin : 4615. 6098. 6185. 6276. 6589. 6804. 6848 ; & quoque per Israelem, n : 4286. 4570 ; & in locis citatis n : 8805. 9340 : quod talia per Abrahamum, Jischakum & Jacobum significentur, constat a Domini verbis apud Matthæum, " Dico vobis quod multi ab oriente & occidente venient, & accumbent *cum Abrahamo, Isaaco,* & *Jacobo* in Regno Cœlorum," VIII : 11, ibi accumbere cum illis est esse in cœlo ubi Dominus : & quoque ex eo, quod nomina non intrent cœlum, sed cœlestia & Divina, quæ significantur per illa, n : 10,216. 10,282.

10,443. Quibus jurasti in Te, quod significet confirmationem a Divino, constat ex significatione jurare, cum de Domino, quod sit confirmatio a Divino irrevocabilis, de qua n : 2842.

10,444. Et loquutus es ad illos, quod significet Prævidentiam & Providentiam, constat ex significatione dicere & loqui, cum de confirmatione a Divino,

Divino, quod sit Prævidentia & Providentia, de qua n: 5361. 6946. 6951. 8095.

10,445. Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœlorum, quod significet bona & vera, & cognitiones eorum, constat ex significatione seminis, cum de Cœlo & Ecclesia, quod sit bonum & verum ibi, de qua n: 1940. 3038. 3310. 3373. 3671. 6158. 10,249; & ex significatione stellarum quod sint cognitiones boni & veri, de qua n: 2495. 2849. 4697. In sensu literæ per multiplicare semen Abrahami, Jischaki, & Israelis, sicut stellas cœlorum, intelligitur multiplicare gentem Israeliticam & Judaicam innumerabiliter; sed quia per nomina in Verbo significantur res spirituales & cœlestes, & per illorum nomina Cœlum & Ecclesia, ideo per semen illorum significantur bona & vera quæ in Cœlo & in Ecclesia. Dicitur sicut stellas cœlorum, ex causa, quia comparativa in Verbo etiam ex significativis sunt, n: 3579. 8989, hic cum stellis cœlorum, quia per illas bona & vera quoad cognitiones significantur.

10,446. Et omnem terram hanc, quam dixi, dabo semini vestro, quod significet a quibus cœlum & ecclesia, constat ex significatione terræ, quod sit Ecclesia, de qua in locis citatis n: 9325; & quia Ecclesia per Terram significatur, etiam Cœlum significatur, nam Ecclesia est Cœlum Domini in terris; & quoque Ecclesia cum Cœlo unum agit; unum enim existit & subsistit ab altero; & ex significatione seminis, quod sit bonum & verum ibi, de qua nunc supra n: 10,445.

10,447. Et hæreditabunt in sæculum, quod significet vitam æternam, constat ex significatione hæreditare, cum de cœlo, quod sit vitam Domini, ita vitam cœli habere, de qua n: 2658. 2851. 3672. 7211. 9338; & ex significatione sæculi, quod sit æternum, de qua n: 10,248.

10,448. Et pœnitebat Jehovam super malo, quod dixit facere populo suo, quod significet misericordiam pro illis, ut supra n: 10,441.

10,449. Vers: 15 ad 20. *Et respexit, & descendit Moscheh de monte; & duæ tabulæ Testimonii in manu ejus; tabulæ scriptæ a duobus transitibus, exhinc & exhinc illæ scriptæ. Et Tabulæ opus Dei illæ, & scriptura scriptura Dei illa, excisa super tabulis. Et audivit Joschua vocem populi in vociferatione ejus, & dixit ad Moschen, vox belli in castris. Et dixit, non vox clamoris victoria, & non vox clamoris res perdita, vocem clamoris miserabilis ego audio. Et factum, quemadmodum appropinquavit ad castra, & vidit vitulum, & choreas, & exardescebat ira Moscheh, & projecit e manu sua tabulas, & fregit illas sub monte. Et sumsit vitulum, quem fecerunt, & combussit igne, & commoluit usque ad pollinem, & sparsit super facies aquarum, & bibere fecit filios Israelis.* Et respexit & descendit Moscheh de monte, significat Verbum demissum e cœlo: & duæ Tabulæ Testimonii in manu ejus, significat Verbum Domini in specie & in genere: tabulæ scriptæ a duobus transitibus, exhinc & exhinc illæ scriptæ, significat per quod conjunctio Domini cum humano genere, seu cœli cum mundo: & tabulæ opus Dei illæ, & scriptura scriptura Dei illa, excisa super tabulis, significat sensum Verbi externum ac internum ex

ex Divino, ac Divinum Verum: & audivit Joschua vocem populi in vociferatione ejus, significat lustrationem & apperceptionem qualia interiora illius gentis erant: & dixit ad Moschen, vox belli in castris, significat oppugnationem veri & boni, quæ Cœli & Ecclesiæ, a falsis & malis quæ ab inferno: & dixit, non vox clamoris victoria, & non vox clamoris res perdita, significat ab una parte cœlum agere, ab altera infernum, ita falsum contra verum, ac verum contra falsum: vocem clamoris miserabilis ego audio, significat statum interiorum eorum lamentabilem: & factum quemadmodum appropinquavit ad castra, significat infernum, in quo tunc illa gens: & vidit vitulum & choreas, significat cultum infernalem, qui secundum jucundum amorum externorum illius gentis, & inde festivitatem ejus interiorem: & exardescebat ira Moschi, significat aversionem illius gentis ab interno Verbi, Ecclesiæ & Cultus: & projecit e manu sua tabulas, & fregit illas sub monte, significat sensum Verbi externum immutatum & alium propter illam gentem: & sumsit vitulum quem fecerunt, significat jucundum cultus idololatrici illius gentis: & combussit igne, significat prorsus ex amoribus sui & mundi, qui damnati inferno: & commoluit usque ad pollinem, significat falsum infernale inde: & bibere fecit filios Israelis, significat conjunctum & appropriatum illi genti.

10,450. Et respexit & descendit Moscheh de monte, quod significet Verbum dimissum e cœlo, constat ex significatione respicere & descendere, cum de Verbo, quod sit demitti; ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; & ex significatione montis Sinai, quod sit Cœlum, e quo Divinum Verum, de qua n: 9420.

10,451. Et duæ tabulæ Testimonii in manu ejus, quod significet Verbum Domini in specie & in genere, constat ex significatione tabularum, quibus inscripta fuerunt decem præcepta, quod sint Verbum in omni complexu, de qua n: 9416; & ex significatione Testimonii, quod sit Dominus quoad Divinum Verum, de qua n: 9503. Quod per Tabulas illas significetur Verbum in omni complexu, ita in specie & in genere, est quia illis inscripta fuit Lex vitæ, & per Legem in stricto sensu intelliguntur decem præcepta; in minus stricto intelligitur Verbum a Moscheh conscriptum; in latiori Verbum Historicum; & in latissimo totum Verbum, videatur n: 6752: tum quia Mons Sinai, ubi Lex scripta fuit in tabulis illis, significabat cœlum, e quo Divinum Verum; ac Moscheh repræsentabat Verbum, quod est ipsum Divinum Verum a Domino, ideo in ejus manu erant tabulæ, ut insigne istius repræsentationis.

10,452. Tabulæ scriptæ a duobus transitibus, exhinc & exhinc illæ scriptæ, quod significet per quod conjunctio Domini cum humano genere, seu cœli cum mundo, constat ex significatione Tabularum, quibus Lex inscripta, quod sint Verbum in omni complexu, de qua nunc supra n: 10,451: quod scriptura a duobus transitibus, exhinc & exhinc, significet conjunctionem Domini cum humano genere, explicatum videas, n: 9416. 10,375; ideo quoque Tabulæ illæ dictæ fuerunt Tabulæ fœderis, fœdus enim est conjunctio, n: 665.

n: 665. 666. 1023. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396. Quia hic dicitur conjunctio Domini cum humano genere, seu cœli cum mundo, per Verbum, dicendum est, quomodo cum hoc se habet: qui non sciunt quale Verbum est, illi nequaquam credere possunt, quod per id sit conjunctio Domini cum humano genere, ac cœli cum mundo; ac minus adhuc illi, qui Verbum contemnunt, aut nihili faciunt; sed sciant, quod cœli subsistant per Divinum Verum, & quod absque illo non cœli forent, & quod humanum genus subsistat per cœlum; nam nisi hoc influeret apud hominem, homo non hilum potuisset cogitare, ita nec aliquid rationaliter velle: ut itaque subsistat cœlum, & ex conjunctione cum illo humanum genus, provisum est a Domino Verbum, in quo est Divinum Verum pro angelis, & pro hominibus: tale enim est Verbum in sensu suo spirituali & cœlesti, ut inibi sit ipsa sapientia angelica, in tam supereminenti gradu, ut vix cogitari possit ab homine aliquid quoad quale eminentiæ ejus, tametsi in litera perquam simplex & rude appareat: inde patet, quod Cœlum in sapientia sua sit ex Verbo, cum id legitur ab homine, & simul tunc homo in conjunctione cum cœlo: ob hunc finem, datum est homini tale Verbum: inde sequitur, si hoc medium conjunctionis non in mundo esset, quod periret conjunctio cum cœlo, & cum conjunctione omne bonum voluntatis & verum intellectus apud hominem; & cum his ipsum illud humanum, quod consociat hominem cum homine; inde malum & falsum occuparent omnia, ex quibus societas una post alteram interiret; foret enim sicut cum homo vadit in caligine, ac ubivis impingit; & foret sicut cum caput delirat, unde corpus fertur dementer & insane usque in sui perniciem; ac foret sicut cum languet cor, unde viscera & membra desistunt agere suos usus, usque dum emoritur totum: talis foret status hominis, nisi cœlum ei conjunctum esset, ac cœlum ei non conjunctum esset, si non foret Verbum, aut nisi Divinum Verum communicaretur immediate per angelos, ut antiquis temporibus: cum dicitur cœlum, intelligitur etiam Divinum, nam Divinum Domini facit cœlum; ita conjungi cum cœlo est conjungi cum Domino, ac disjungi a cœlo est disjungi a Domino, ac disjungi a Domino est perire; omnis enim dispositio in bonum, quæ vocatur Providentia, inde est, qua remota ruunt omnia in malum, & sic in devastationem. Ex his constare potest, cui usui est Verbum; sed quod Verbum talis ac tanti usus sit, pauci credituri sunt.

10,453. Et tabulæ opus Dei illæ, & scriptura scriptura Dei illa excisa super tabulis, quod significet sensum Verbi externum & internum ex Divino, ac Divinum Verum, constat ex significatione tabularum, quod sint Verbum in toto complexu, de qua mox supra n: 10,452; hic autem externum Verbi, de qua re in sequentibus; ex significatione operis Dei, quod sit a Divino; ex significatione scripturæ, quod sit internum Verbi, de qua etiam sequitur; inde scriptura Dei est internum Verbi a Divino; & ex significatione excisa super tabulis, quod sit internum super externo, ita in illo. Quod Tabulæ hic significent externum Verbi, est quia distinguuntur illæ hic a scriptura, quæ est internum ejus; cum autem non distinguuntur a scriptura, tunc per illas signi-

significatur Verbi internum & externum simul, ita Verbum in toto complexu, ut supra n:10,452: quod hic distinguantur, est quia tabulæ fractæ sunt, & usque eadem verba postea aliis tabulis, quæ a Mosche dolatæ sunt, a Jehovah inscribebantur. Externum Verbi est sensus literæ ejus; ille sensus, nempe sensus literæ, significatur per tabulas, quia ille sensus est sicut tabula, seu sicut planum, cui sensus internus inscriptus est. Quod Tabulæ, quæ opus Dei, a Mosche, cum vidit vitulum & choreas, fractæ fuerint, & quod ex mandato Jehovæ, aliæ tabulæ a Mosche dolatæ sint, ac iis inscripta dein eadem verba, & sic quod tabulæ non amplius essent opus Dei, sed opus Moschis, at scriptura usque scriptura Dei, involvit arcanum quod adhuc ignotum est: arcanum est, quod sensus literæ Verbi alius fuisset, si Verbum apud alium populum conscriptum fuisset, aut si hic populus non talis fuisset; sensus enim literæ Verbi agit de illo populo, quia Verbum apud illum conscriptum est, ut patet tam ab Historicis quam a Propheticis Verbi, & populus ille in malo fuit, quia corde idololatricus, & tamen ut sensus internus & externus congruerent, laudandus erat is populus, & vocandus populus Dei, Gens sancta, Peculium; inde simplices, qui erudirentur per sensum externum Verbi, credituri essent, quod gens illa talis fuerit, sicut etiam ipsa illa gens credit, & quoque plerique ex orbe Christiano hodie; ac præterea plura ob duritiem cordis eorum illis permissa fuerunt, quæ exstant in sensu externo Verbi, & faciunt illum, ut quæ Matth: XIX: 8, & quoque alia, quæ hic præteriuntur: cum itaque sensus literæ Verbi propter illum populum talis factus est, ideo tabulæ illæ, quæ fuerunt opus Dei, fractæ sunt, & aliæ, ex mandato Jehovæ, a Mosche dolatæ sunt: sed quia usque idem sanctum Divinum intus inerat, ideo eadem Verba quæ fuerunt in prioribus, a Jehovah illis inscripta sunt; ut patet ex his apud Moschen, "Dixit Jehova ad Moschen, dola tibi duas tabulas lapidum, sicut priores, ut scribam super tabulis verba, quæ fuerunt super Tabulis prioribus, quas fregisti: & scripsit Jehovah super tabulis illis verba fæderis, decem verba," Exod: XXXIV: 1. 4. 28: & alibi, "In tempore illo dixit Jehovah ad me, dola tibi duas tabulas lapidum, sicut priores, & scribam super tabulis verba, quæ fuerunt super tabulis prioribus, quas fregisti: & scripsit Jehovah super tabulis juxta scripturam priorem, decem verba; post dedit eas Jehovah mihi," Deut: X: 1 ad 4. Quod Jehovah non agnoverit illum populum pro suo populo, tametsi ita ob concordantiam sensus interni cum externo, dictus fuerit, sed pro populo Moschis, constat in hoc Capite, "Corrupit se *populus tuus*, *quem ascendere fecisti* e terra Ægypti; vade, *duc populum*, ad quod dixi tibi," Vers: 7. 34: & porro, "Et loquutus est Jehovah ad Moschen, ascende *tu* & *populus quem ascendere fecisti* e terra Ægypti, in terram quam juravi Abrahamo, Jischako & Jacobo, & mittam ante te angelum, *quoniam non ascendam in medio tui*, eo quod populus durus cervice ille," Exod: XXXIII: 1. 2. 3. Simile significatur, per quod *Moscheh positus fuerit in foramine petræ*, & non licuerit ei videre facies Jehovæ, *sed modo posteriora*," Exod: XXXIII: 22. 23: simile etiam, per quod Moscheh, cum radiabat cutis faciei ejus, *daret super faciem velum cum loqueretur*

retur cum filiis Israelis," Exod: xxxiv: 30 ad 35. Qualis futurus esset populus ille, a Jehovah prædicitur Abramo, cum vellet quod semen ejus hæreditaret terram Canaanem, ibi dicitur "Postquam partitus Abram vitulam triennem, capram triennem, & arietem triennem in medium, quæ essent pro ineundo fœdere, quod tunc sopor ceciderit super Abramum, & *ecce terror tenebrarum magnarum cadens super illum*; & cum occidit sol, *caligo facta*, & *ecce furnus fumi*, & *fax ignis transibat inter segmenta illa*," Genes: xv: 8. 9. 12. 17.

10,454. Et audivit Joschua vocem populi in vociferatione ejus, quod significet lustrationem & apperceptionem, qualia interiora illius gentis erant, constat ex significatione audire, quod sit lustratio & apperceptio; agitur enim nunc de illa gente, qualis erat interius, ita qualia interiora ejus; ex repræsentatione Joschuæ, quod sit, Verum Verbi lustrans & appercipiens; erat enim ille minister Moschis, & per Moschen repræsentabatur Verbum, ut supra ostensum est, inde per ministrum repræsentatur verum, nam omne verum est Verbi, hic verum lustrans, explorans, & appercipiens; ex significatione vocis populi in vociferatione ejus, quod sit qualis esset gens illa interius, ita qualia interiora ejus; per vocem enim in Verbo significatur vox interior, quæ est cogitatio, inde quale interius quoad verum aut falsum, nam ex hoc aut illo est cogitatio, videatur n: 219. 220. 3563. 7573. 8813. 9926; per vociferationem autem significatur articulatum soni, sive loquela sit, sive cantus, sive clamoris, quod ex cogitatione, quæ est vox interior, procedit; inde per audire vocem in vociferatione, significatur apperceptio, qualia interiora sunt, ex sono ut indice: sonus enim sive loquelæ sit, sive cantus, sive clamoris, procedit ex interiore affectione & cogitatione, hæc & illa insunt sono, & quoque appercipiuntur ab illis qui attendunt & reflectunt; ut pro exemplo, si iracundum sit, si minans, si amicum, si clemens, si lætum, si lugubre, & sic porro; in altera vita tam exquisite, ut ex sono unius vocis appercipiatur ab angelis, qualis aliquis est quoad interiora sua; hæc nunc sunt quæ significantur per audire vocem populi in vociferatione ejus.

10,455. Et dixit ad Moschen, vox belli in castris, quod significet oppugnationem veri & boni, quæ cœli & ecclesiæ, a falsis & malis quæ ab inferno, constat a significatione vocis, quod sit cogitatio & affectio, quæ sunt interiora vocis, ita quale interiorum, de qua supra n: 10,454; ex significatione belli, quod sit pugna veri ex bono cum falso ex malo, & in opposito sensu pugna falsi ex malo contra verum ex bono, de qua sequitur; & ex significatione castrorum, quod sint Ecclesia & Cœlum; nam per castra filiorum Israelis illa repræsentabantur, videatur n: 10,038; inde patet, quod per vocem belli in castris, significetur oppugnatio veri & boni quæ Ecclesiæ & Cœli a falsis & malis quæ ex inferno: dicitur ex inferno, quia omnia falsa & mala inde sunt, & quia hic per castra, cum ibi vitulus aureus colebatur, significatur infernum, videatur infra n: 10,458. Quod hæc per vocem belli in castris significentur, est quia agitur nunc in sensu interno de interioribus gentis Israeliticæ, cujus interiora contra vera & bona Ecclesiæ & Cœli erant, ita

prorsus

prorsus ut rejiceret illa; interiora enim istius gentis occupata erant ab amoribus sui & mundi, & ubi illi regnant, ibi continue oppugnantur vera & bona Ecclesiæ, utcunque externa in cultu sancta appareant esse; sanctum cultus apud illos est medium, & eminentia ac opulentia sunt fines; ita illa quæ Cœli & Ecclesiæ sunt, media sunt, & ea quæ mundi & sui, fines sunt; ac finis propter quem apud hominem imperat, & medium servit; inde sequitur, quod Cœlum apud tales serviat, ac mundus imperet; proinde quod mundus sit supremo loco, ita loco capitis, ac cœlum inferiori loco, ita loco pedis; quapropter si cœlum non favet amoribus illorum, tunc dejicitur id infra pedes, ac calcatur & proculcatur; tale inversum est apud illos, apud quos amores sui & mundi regnant; inde quoque est quod tales inspecti ab angelis appareant inversi capite deorsum & pedibus sursum. Quod Bellum sit pugna veri cum falso, ac in opposito sensu falsi contra verum, est quia bellum in spirituali sensu non aliud est: tales pugnæ etiam per Bella in Historicis Verbi in sensu interno significantur, etiam per Bella in Propheticis, ut constare potest a locis e Verbo allatis n: 1664. 8273. Qui non scit, quod per bella in Verbo significentur bella in spirituali sensu, non scire potest, quid involvunt illa quæ de Bellis memorantur apud Danielem Cap: VII: VIII: XI, quæque in Apocalypsi passim; & quæ apud Evangelistas, ubi de ultimis Ecclesiæ temporibus agitur Matth: XXIV: 5. 6. 7. Marc. XIII: 7. 8, & alibi. Inde quoque est, quod omnia instrumenta belli, sicut gladii, hastæ, scuta, arcus, sagittæ, & plura, significent talia quæ sunt pugnæ spiritualis; de quibus passim in explicationibus.

10,456. Et dixit, non vox clamoris victoria, & non vox clamoris res perdita, quod significet ab una parte cœlum agere, ab altera infernum, ita falsum contra verum, ac verum contra falsum, constat a significatione vocis clamoris, seu vocis in vociferatione, quod sit quale interiorum illius gentis, de qua supra n: 10,454; ex significatione non victoria & non res perdita, quod sit pendentia pugnæ inter falsum & verum, & non decisio; & quia omne falsum est ab inferno, ac verum e cœlo, per eadem verba significatur quod Cœlum ab una parte agat, & infernum ab altera: quod clamor sit falsum, videatur n: 2240; quod sit cogitatio cum plena intentione faciendi, n: 7119; & quod sit lamentatio interior, n: 7782. Per hæc describitur status interiorum illius gentis, in quo sunt, quando infernum apud illos agit contra cœlum, ac cœlum agit contra infernum, ita cum inter utrumque tenentur, quod factum est, quando in cultu externo erant, clauso interno; quod claudebatur ob causam, ut usque per externa, quæ erant repræsentativa interiorum, esset communicatio cum cœlo; de qua re supra actum est.

10,457. Vocem clamoris miserabilis ego audio, quod significet statum interiorum eorum lamentabilem, constat ex significatione vocis clamoris miserabilis, quod sit lamentabile; nam hoc in Lingua originali exprimitur per vocem, quæ significat & clamorem, & affectionem, & miseriam, ita quæ significat clamorem miserabilem; & cum vox significat quale interiorum n: 10,454, inde vox clamoris miserabilis significat statum lamentabilem interiorum.

10,458.

10,458. Et factum, quemadmodum appropinquavit ad castra, quod significet ad infernum, in quo tunc illa gens, constat ex significatione castrorum filiorum Israelis, quod sint cœlum & ecclesia, de qua n: 4236. 10,038; inde cum erant in cultu idololatrico, adorando vitulum pro Jehovah, per castra eorum significatur infernum, nam repræsentativum Coeli & Ecclesiæ vertitur in repræsentativum inferni, cum populus se a cultu Divino vertit in cultum diabolicum, qui erat cultus vituli. Simile per castra significatur apud Amos, "Misi in vos pestem in via Ægypti, occidi gladio juvenes vestros, cum captivitate equorum vestrorum, adeo ut ascendere fecerim *fætorem castrorum vestrorum* etiam in nasum vestrum," IV: 10; agitur ibi de vastatione veri, quo vastato castra significant infernum; quod de vastatione veri agatur, patet a singulis ibi in sensu interno spectatis; pestis enim est vastatio n: 7102. 7505; via est verum, ac in opposito sensu falsum, n: 10,422; Ægyptus est externum, & quoque infernum, in locis citatis n: 10,437; gladius est falsum pugnans contra vera, n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294: juvenes sunt vera Ecclesiæ, n: 7668: occidi est spiritualiter perire, n: 6767. 8902: captivitas est privatio veri, n: 7990: equi sunt intellectuale, quod illustratur, n: 2760. 2761. 2762. 3217. 5321. 6125. 6534: fœtor est abominabile, quod ex inferno exhalat, n: 7161; inde patet, quod castra in eo sensu sint infernum. Infernum etiam significatur per castra hostium, qui contra Hierosolymam, & in genere qui contra filios Israelis, in Historicis Verbi.

10,459. Et vidit vitulum & choreas, quod significet cultum infernalem, qui secundum jucundum amorum externorum illius gentis, ac inde festivitatem ejus interiorem, constat ex significatione vituli, quod sit jucundum amorum externorum illius gentis, de qua supra n: 10,407; quod hic sit cultus secundum illud jucundum, est quia, cum appropinquabat Moscheh ad castra, gens illa in eo cultu erat, qui cultus quod sit ab inferno, constat ex illis quæ supra ostensa sunt; & ex significatione chorearum, quod sint festivitas interior, de qua etiam supra n: 10,416.

10,460. Et exardescebat ira Moscheh quod significet aversionem illius gentis ab interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, constat ex significatione exardescere ira, cum de Domino, quod sit aversio hominis ab internis, ita a Divinis, de qua supra n: 10,431; simile per exardescere ira significatur, cum prædicatur de Mosche, quia per Moschen repræsentatur Verbum seu Divinum Verum quod a Domino, seu quod idem, Dominus quoad Divinum Verum, de qua repræsentatione videatur in locis citatis n: 9372. Dicitur ab interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, nam qui avertit se ab interno Verbi, ille etiam se avertit ab interno Ecclesiæ, & quoque ab interno cultus; quoniam internum Ecclesiæ, ac internum Cultus, sunt ex interno Verbi; docet enim Verbum, qualis erit homo Ecclesiæ, seu qualis erit Ecclesia apud hominem, & quoque qualis erit cultus apud hominem Ecclesiæ; sunt enim bona & vera amoris & fidei, quæ faciunt Ecclesiam internam, & quoque cultum internum; illa docet Verbum, ac illa sunt interna Verbi.

10461. Et projecit e manu sua tabulas, & fregit illas sub monte, quod sig-

nificet sensum Verbi externum immutatum & alium propter illam gentem, constat ex significatione tabularum, super quibus lex erat scripta, quod sit Verbi sensus externus, seu ejus sensus literæ, de qua supra n: 10,453; ex significatione projicere illas e manu & frangere, quod sit sensum externum genuinum destruere, ita quoque immutare & alium facere: quod sensus externus Verbi immutatus sit & alius factus propter gentem Israeliticam, videatur supra n: 10,453, & ex significatione montis Sinai, quod sit Cœlum e quo Divinum Verum, de qua n: 9420; dicitur sub monte, quoniam sensus Verbi externus est sub cœlo, internus autem in cœlo.

10,462. Et sumsit vitulum quem fecerunt, quod significet jucundum cultus idololatrici illius gentis, constat ex significatione vituli, quod sit jucundum amorum externorum gentis Israeliticæ, ex quo & secundum quod cultus illorum, qui idololatricus, de qua supra n: 10,407. 10,459.

10,463. Et combustit igne, quod significet prorsus ex amoribus sui & mundi, qui damnati inferno, constat ex significatione ignis, quod sit amor cœlestis, qui est amor in Dominum, & amor erga proximum, & in opposito sensu amor infernalis; qui est amor sui & amor mundi, de qua n: 4906. 5071. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7575. 10,055, inde comburi igne est prorsus amoribus sui & mundi oppleri, ita damnari inferno, nam illi amores, quando regnant, sunt infernum apud hominem: ex quibus patet, quid significatur per ignem infernalem, de quo Verbo passim.

10,464. Et commoluit usque ad pollinem, quod significet falsum infernale inde, constat ex significatione commolere in pollinem seu in minutissimum, quod sit formare falsum ex jucundo infernali, ita falsum infernale: quod per commolere, cum de malo, id significetur, constare potest ex illis quæ n: 4335. 9995 fin: 13,303, ostensa sunt.

10,465. Et sparsit super facies aquarum, quod significet commixtionem cum veris, constat ex significatione aquarum, quod sint vera, de qua in locis citatis n: 10,238; & quia dicitur, quod pollen, in quem vitulus commolitus est, sparsus sit super aquas, ideo significatur quod falsum ex jucundo infernali commixtum sit cum veris quæ ex Cœlo: quod per has aquas significentur vera quæ ex cœlo, est quia aquæ illæ descendebant e monte Sinai, & per montem Sinai significatur cœlum, ex quo Divinum Verum, n: 9420; quod illæ aquæ inde essent, constat alibi apud Moschen, "Peccatum vestrum, quod fecistis, vitulum sumsi, & combussi eum igne, & contudi eum molendo probe, usque dum attenuatus est in pulverem, *& pulverem ejus projeci in rivum descendentem e monte*," Deut: IX: 21.

10,466. Et bibere fecit filios Israelis, quod significet conjunctum & appropriatum illi genti, constat ex significatione bibere, quod sit conjungere & appropriare sibi verum, & in opposito sensu falsum, de qua n: 3089. 3168. 8562, hic falsum mali; per filios Israelis intelligitur gens illa absque alio sensu, quoniam de ejus proprio hic agitur. Ex his nunc constare potest, qualis illa gens est quoad interiora sua, nam in hoc Capite illa describuntur.

10,467.

10,467. Vers: 21. 22. 23. 24. 25. *Et dixit Moscheh ad Aharonem, quid fecit tibi populus hic, quod adduxeris super illum peccatum tam magnum. Et dixit Aharon, ne exardescat ira, Domine mi, tu nosti populum quod in malo ille: & dixerunt mihi, fac nobis deos, qui eant ante nos, quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit ei: & dixi illis, cui aurum avellite; & dederunt mihi, & projeci in ignem, & exivit vitulus hic: & vidit Moscheh populum, quod dissolutus ille, quia dissolutum fecit illum Aharon, ad annihilationem insurgentibus illorum.* Et dixit Moscheh ad Aharonem, significat perceptionem ab interno de externo tali: quid fecit tibi populus hic, quod adduxeris super illum peccatum tam magnum, significat unde hoc quod gens illa ita se averterit a Divino: & dixit Aharon, significat perceptum: ne exardescat ira, Domine mi, significat ne ideo avertat se internum: tu nosti populum, quod in malo ille, significat quod gens illa in externo sit separato a sancto interno: & dixerunt mihi, significat exhortationem: fac nobis deos, qui eant ante nos, significat falsa doctrinæ & cultus, ita idololatrica: quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit ei, significat quod prorsus ignotum sit, quid Divinum Verum in Verbo aliud, quod elevat hominem ab externo in internum, & facit Ecclesiam: & dixi illis, cui aurum, avellite, significat extractionem talium ex sensu literæ, quæ favent jucundo amorum externorum, ac principiis inde: & dederunt mihi, significat collationem in unum, & effectum: & projeci illud in ignem, & exivit vitulus hic, significat amores sui & mundi, ex quibus & secundum quod cultus ille: & vidit Moscheh populum, quod dissolutus ille, significat perceptum ab interno, quod gens illa aversa esset ab interno, ita a Divino: quia dissolutum fecit illum Aharon, significat quod hoc ab externis quæ amabant: ad annihilationem insurgentibus illorum, significat absque omni potentia resistendi malis & falsis quæ ab inferno.

10,468. Et dixit Moscheh ad Aharonem, quod significet perceptionem ab interno de externo tali, constat ex significatione dicere, quod sit perceptio, de qua in locis citatis n: 10,290; ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372, hic internum ejus; & ex repræsentatione Aharonis, quod sit externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de qua supra n: 10,397. Quod Moscheh hic sit internum, est quia loquitur ad Aharonem, per quem repræsentatur externum: sive dicas internum & externum Verbi, sive simpliciter internum & externum, hic perinde est, nam Verbum est Divinum Verum, a quo homini perceptio, hic perceptio de externo tali apud gentem Israeliticam, tam in cultu, quam in omni Ecclesiæ, ac in omni Verbi. Sciendum est, quod omnis perceptio de externo sit ab interno; ab interno enim videri possunt quæ in externo sunt, non autem ab externo quæ in se, & minus ab externo quæ in interno: inde est, quod qui in externis absque interno sunt, non agnoscant interna, quia non sentiunt & vident illa, tum quod aliqui negent illa, & cum illis cœlestia & Divina.

 10,469. Quid

10,469. Quid fecit tibi populus hic quod adduxeris super illum peccatum tam magnum, quod significet unde hoc quod gens illa se averterit a Divino, constat ex significatione quid fecit tibi populus hic, quod significet unde id quod gens illa talis, nam per facere hic non significatur facere, quoniam non per Aharonem significatur Aharon, sed externum quod quoad suum quale lustratur ab interno; quare cum abstracte a personis intelligitur, per quid fecit tibi, significatur unde hoc; & ex significatione peccati, quod sit aversio a Divino, de qua n: 5841. 9346.

10,470. Et dixit Aharon, quod significet perceptum, constat ex significatione dicere, cum de interno lustrante & explorante quid in externo, quod sit percipere, inde vicissim, cum de externo, est perceptum.

10,471. Ne exardescat ira, domine mi, quod significet ne ideo se avertat internum, constat ex significatione exardescere ira, cum de Mosche, per quem significatur internum, quod sit avertere se, hic ne avertat se; & ex repræsentatione Moschis, qui hic est domine mi, quod sit internum, de qua supra n: 10,468. Moscheh hic dicitur dominus meus ab Aharone, quia internum est dominus, & externum est respective servus, nam internum apud hominem est in cœlo, & inde cum apertum, est ejus cœlum, ac externum apud illum est in mundo, ita est ejus mundus, ac mundus factus est ut inserviat cœlo, sicut servus suo Domino: similiter se habet cum externo cultus, & quoque cum externo Ecclesiæ, ut & Verbi, respective ad internum eorum.

10,472. Tu nosti populum quod in malo ille, quod significet quod gens illa in externo sit separato a sancto interno, constat a significatione mali & peccati, quod sit sejunctio, separatio, & aversio a Divino, de qua n: 4997. 5746. 5841. 9346: dicitur separatum a sancto interno, quoniam externum separatum ab interno, est quoque separatum a sancto, nam sanctum hominis est in interno ejus: sanctum dicitur id quod apud hominem influit e cœlo, hoc est, per Cœlum a Domino; cœlum influit in internum hominis, & per id in externum ejus, quoniam internum hominis formatum est ad imaginem cœli, ita ad receptionem spiritualium quæ ibi, & externum ad imaginem mundi, ita ad receptionem naturalium quæ ibi, n: 9277. 10,156: inde patet, qualis homo est, apud quem externum separatum est ab interno, quod nempe in solis mundanis, terrestribus, & corporeis: qui in his solis sunt, nec capiunt quid internum est, ita nec quid est in cœlestibus & Divinis esse; putant cum in illis quæ cultus externi Ecclesiæ sunt, etiam in Divinis sint; sed usque non ita est; sunt namque tunc vel in jucundo corporeo ex usu ab infantia, vel propter mundum ut appareant, vel ex debito officii propter lucrum aut honorem; ita quoque in mundanis, terrestribus & corporeis, & non in cœlestibus & Divinis: aliter apud illos qui in externis sunt ab interno.

10,473. Et dixerunt mihi, quod significet exhortationem, constat ex significatione dicere, cum de illis qui in externis separatis ab interno sunt, quod sit exhortatio, ut supra n: 10,398.

10,474. Fac

10,474. Fac nobis deos qui eant ante nos, quod significet falsa doctrinæ & cultus, ita idololatrica, ut supra n: 10.399.

10,475. Quia hic Moscheh ille vir, qui ascendere fecit nos e terra Ægypti, non scimus quid sit ei, significat quod prorsus ignotum sit, quid Divinum Verum in Verbo aliud, quod elevat hominem ab externo in internum, & facit ecclesiam, ut quoque supra n: 10,400.

10,476. Et dixi illis, cui aurum avellite, quod significet extractionem talium ex sensu literæ Verbi, quæ favent jucundo amorum externorum, ac principiis inde, constat ex illis quæ supra, n: 10,402, explicata & ostensa sunt.

10,477. Et dederunt mihi, significat collationem in unum, & effectum, ut supra n: 10,403. 10,404.

10,478. Et projeci illud in ignem, & exivit vitulus hic, quod significet amores sui & mundi, ex quibus & secundum quos cultus ille, constat ex significatione ignis, quod sit amor in utroque sensu, de qua n: 4906. 5071. 5215. 6314. 6832. 6834. 6849. 7324. 7575. 10,055, hic amor sui & amor mundi, quia gens illa in illis erat, quoniam in externis separatis ab interno; inde projicere in ignem, est in illos amores, & extrahere talia ex sensu literæ Verbi, quæ illis favent, & doctrinale inde facere; & ex significatione vituli, quod sit cultus ex illis amoribus, & secundum illos; qui infernalis, de qua n: 10,459.

10,479. Et vidit Moscheh populum quod dissolutus ille, quod significet perceptum ab interno, quod gens illa aversa esset ab interno, ita a Divino, constat ex significatione videre, quod sit percipere; ex repræsentatione Moschis, quod sit internum, de qua supra n: 10,468, & ex significatione dissolutum esse, quod sit aversum esse, hic ab interno, ita a Divino, secundum illa quæ supra n: 10.472, explicata sunt; per illam vocem in Lingua originali etiam significatur aversum esse, ac retrocedere, tum nudatum esse, & per nudatum significatur deprivatum bono amoris & veris fidei, quæ sunt interna Ecclesiæ, & ejus cultus, n: 9960.

10,480. Quia dissolutum fecit illum Aharon, quod significet quod hoc ab externis quæ amabant, constat ex significatione dissolutum facere, quod sit aversum esse ab interno, ita a Divino, ut nunc supra n: 10,479; & a repræsentatione Aharonis, quod sit externum, de qua etiam supra n: 10,468; quod sit quod amabant, est quia illi qui in externis separatis ab interno sunt, solum externa amant: quod hic per dissolutum facere, significetur aversum esse, & non aversum facere, est quia per Aharonem in sensu interno non intelligitur Aharon, sed externum, ita abstracte a persona, secundum illa, quæ supra n: 10,469, dicta sunt.

10,481. Ad annihilationem insurgentibus illorum, quod significet absque omni potentia resistendi malis quæ ab inferno, constat ex significatione annihilationis, quod sit absque omni potentia resistendi malis & falsis, hoc enim in spirituali mundo est nihil posse; & ex significatione insurgentium seu hostium, quod sint mala & inde falsa, nam hæc sunt hostes qui insurgunt in

sensu spirituali; quare etiam illa per hostes & insurgentes in Verbo significantur; ut apud Davidem, "Jehovah, *quantum multiplicati sunt hostes mei, multi insurgentes contra me,* dicentes de anima mea, non salus illi in Deo," Psalm: III: 3: apud Eundem, "Mirabilem fac Misericordiam tuam, Salvator confidentium *ab insurgentibus contra me,* per dextram tuam: *custodi me pro impiis,* qui contra animam meam circumdant me," Psalm: XVII: 7. 8. 9: apud Eundem, "Ne tradas me in desiderium *hostium meorum,* quia *surrexerunt contra me testes mendacii,* & qui efflat violentiam; ne crederem videre bonum in terra vitæ," Psalm: XXVII: 12. 13: apud Eundem, "Deus præcipe salutes Jacobi, per Te *hostes nostros* feriemus, in Nomine Tuo conculcabimus *insurgentes* contra nos," Psalm: XLIV: 5. 6: apud Eundem, "Alieni *surrexerunt* contra me, & violenti quæsiverunt animam meam; non posuerunt Deum ante se; Dominus inter sustentantes animam meam," Psalm: LIV: 5. 6: apud Eundem, "*Libera me ab hostibus meis,* Deus mi, ab *insurgentibus* contra me exalta me; libera me ab operatoribus iniquitatis, ecce insidiantur animæ meæ," Psalm: LIX: 2. 3. 4; in his & pluribus aliis locis per hostes & insurgentes significantur mala & falsa quæ ab inferno: dicuntur insurgentes, quia mala & falsa insurgunt contra bona & vera, non autem vicissim. Quod illis qni in externis separatis ab interno nihil potentiæ sit resistendi malis & falsis quæ ab inferno, est quia omnis potentia resistendi illis est a Divino, quare illis, qui separati sunt ab interno, qui etiam separati sunt a Divino, nulla potentia est; inde feruntur a malis & falsis, quocunque aufert illos infernum, sicut floccus & palea a vento; ut manifeste patet a malis, qui e mundo in alteram vitam veniunt: hoc quoque repræsentatum est per illam gentem, quod hostes suos vicerint, quamdiu manserunt in cultu qui illi mandatus erat, & quod toties victi fuerint, quum a cultu illo recesserunt, ita quoties in malo fuerunt; secundum hæc apud Moschen. "*Si statuta mea reprobaveritis, persequetur vos sonus folii impulsi, & fugietis fugam gladii, & cadetis sine persequente; impingent vir in fratre suo, quasi coram gladio, cum non persequens,*" Levit: XXVI: 15. 36. 37: & alibi, "*Persequetur unus mille, & duo myriadem, quia Petra eorum vendidit eos, & Jehovah conclusit illos,*" Deut: XXXII: 30. Ex his patet, quid significatur esse ad annihilationem insurgentibus.

10,482. Vers: 26. 27. 28. 29. *Et stetit Moscheh in porta castrorum, & dixit, quis Jehovæ, ad me; & congregati sunt ad illum omnes filii Levi. Et dixit illis, ita dicit Jehovah Deus Israelis, ponite quisque gladium super femur suum, transite & redite a porta ad portam in castris, & occidite vir fratrem suum, & vir socium suum, & vir propinquum suum. Et fecerunt filii Levi secundum verbum Moschis; & cecidit ex populo in die illo ad tria millia virorum. Et dixit Moscheh implete manum vestram hodie Jehovæ, quia vir in filium suum, & in fratrem suum, & ad dandum super vos hodie benedictionem.* Et stetit Moscheh in porta castrorum, significat ubi apertura ad infernum: & dixit, quis Jehovæ ad me, significat qui in externis sunt ab interno: & congregati sunt ad illum omnes filii Levi, significat qui in veris ex bono: & dixit ad

 illos,

illos, significat exhortationem: ita dicit Jehovah Deus Israelis, significat a Domino: transite & redite a porta ad portam in castris significat ubicunque aliquid apertum ab interno in externum: & occidite vir fratrem suum, & vir socium suum, & vir propinquum suum, significat occlusionem quoad influxum boni & veri ac affinium illis, ne sit aliqua receptio & communicatio: & fecerunt filii Levi secundum verbum Moschis, significat effectum ab illis qui in veris ex bono: & cecidit in populo in die illo ad tria millia virorum, significat occlusionem interni plenariam: & dixit Moscheh, implete manum vestram hodie Jehovæ, significat communicativum & receptivum Divini Veri in Cœlis: quia vir in filium suum, & in fratrem suum, significat quando occlusum est internum, ne verum & bonum e cœlo intrent in externum: ad dandum super vos hodie benedictionem, significat receptionem Divini Veri ex Verbo, & per id conjunctionem cum Domino.

10,483. Et stetit Moscheh in porta castrorum, quod significet ubi apertura ad infernum, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit internum, de qua supra n: 10,468; ex significatione in porta, quod sit ubi apertura, de qua sequitur; & ex significatione castrorum, quod sint infernum, de qua etiam supra n: 10,458. Quod Moscheh in porta castrorum steterit, & non intraverit in ipsa castra, erat causa, ut repræsentaretur, quod internum non possit intrare in infernum; per Moschen enim repræsentabatur internum, & per castra infernum; omnes enim qui in inferno sunt, in externis separatis ab interno sunt, quoniam in amoribus sui & mundi; quapropter internum illuc non potest intrare, non enim recipitur, sed apud quosdam, qui ibi, rejicitur statim, apud quosdam suffocatur & exstinguitur, & apud quosdam pervertitur; sive dicas internum, sive cœlum, idem est, nam cœlum est in interno, tam in interno Verbi, quam in interno Ecclesiæ, & cultus, consequenter in interno hominis, qui in amore cœlesti & spirituali, hoc est, in amore in Dominum & in charitate erga proximum est. Quid apertura inferni, quæ significatur per portam castrorum horum, paucis dicetur; unumquodvis infernum clausum est circumcirca, sed aperitur supra secundum necessitatem & indigentiam; apertura illa est in mundum spirituum, qui mundus est medius inter cœlum & infernum, ibi enim inferna a superiori terminantur, ac cœli ab inferiori, n: 5852: dicitur quod aperiantur secundum necessitatem & indigentiam, quoniam unusquisque homo apud se spiritus habet ab inferno, ac angelos e cœlo; spiritus ab inferno sunt in amoribus ejus corporeis & mundanis, & angeli e cœlo in amoribus cœlestibus & spiritualibus; nam homo absque spiritibus nequaquam vivere potest, si auferrentur ab illo spiritus, decumberet mortuus sicut lapis: inde ut vita homini sit secundum ejus amores, aperiuntur ex necessitate & secundum indigentiam inferna, unde tales spiritus ad illum exeunt, qui in similibus amoribus sunt. Apertura illa est, quæ intelligitur per portam inferni; tales aperturas aliquoties mihi videre datum est: custodiuntur illæ portæ a Domino per angelos, ne plures inde spiritus exeant, quam secundum opus. Inde patet, quid per portas inferni & per portas hostium significatur in Verbo; ut apud Matthæum, " Jesus dixit

ad

ad Petrum; super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & *Portæ inferni non prævalebunt illi*," xvi: 18; portæ inferni non prævalebunt, est quod inferna non ausura sint exire & destruere vera fidei; petra super qua Ecclesia est fides a Domino in Dominum, quæ fides est fides charitatis, quia in hac & cum hac ita unum; quod petra sit illa fides videatur in Præfat: ad Cap: xxii Genes: ac n: 8581. 10,438: & quod ipsa fides sit charitas n: 654. 1162. 1176. 1608. 2228. 2340. 2349. 2419. 2839. 3324. 4368. 6348. 7039. 7623 ad 7627. 7752 ad 7762. 8530. 9154. 9224: 9783. Simile etiam significatur per quod *semen tuum hæreditabit portas hostium tuorum*," Genes: xxii: 17. Cap: xxiv: 60; hæreditare portam hostium, est destruere mala & falsa quæ ab inferno; quod etiam repræsentatum est per expulsionem & destructionem gentium in terra Canaane; gentes enim ibi repræsentabant mala & falsa quæ ab inferno, videatur n: 1573. 1574. 1868. 4818. 6306. 8054. 8317. 9320. 9327: tum apud Davidem, "Excogitant in me *habitatores portæ*, modulantur bibentes siceram," Psalm: lxix: 13: apud Eundem, "Beatus vir qui implevit pharetram suam, non pudefient, quia *loquentur cum hostibus in porta*," Psalm: cxxvii: 3. 4. Portæ autem in bono sensu pro apertura in cœlum, apud Davidem, "*Attollite portæ capita vestra*, & extollimini *ostia æterna*, & intrabit Rex gloriæ," Psalm: xxiv: 7. 8. 9. 10, Præterea per portas in Verbo significatur introitus in Cœlum & in Ecclesiam per verum & bonum, & quoque influxus veri & boni apud hominem.

10,484. Et dixit, quis Jehovæ, ad me, quod significet qui in externis sunt ab interno, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit internum, de qua n: 10,468; & quia internum hominis est in cœlo, ac externum ejus in mundo, ac cœlum intrat per internum in externum apud hominem, patet, quod per illos qui Jehovæ intelligantur qui in externis ex interno; cum dicitur quod cœlum intret, intelligitur quod Dominus, quoniam Divinum Domini facit cœlum: quod illi significentur, patet etiam ex eo, quod opponantur illis qui in externis sunt separatis ab interno; & quoque quod per filios Levi, qui ad Moschen congregati sunt, repræsententur illi qui in veris sunt ex bono; & qui in veris sunt ex bono, in externis ab interno sunt.

10,485. Et congregati sunt ad illum omnes filii Levi, quod significet qui in veris ex bono, constat ex significatione filiorum Levi, quod sint qui in amore spirituali, seu in charitate erga proximum, de qua n: 3875. 4497. 4502. 4503: sive dicas charitatem erga proximum, sive verum ex bono, idem est, quoniam qui in charitate sunt, in vita veri sunt, ac vita veri, hoc est, vita secundum vera Divina, est charitas.

10,486. Et dixit ad illos, quod significet exhortationem, constat ex significatione dicere, cum agitur de pugna, ad quam excitantur, ut hic, quod sit exhortatio.

10,487. Ita dicit Jehovah Deus Israelis, quod significet a Domino, constat ex eo, quod Jehovah & Deus Israelis in Verbo sit Dominus; quod Jehovah sit

Dominus,

Dominus, videatur in locis citatis n: 9373; & quod Deus ac Sanctus Israelis, n: 7091.

10.488. Ponite quisque gladium suum super femur, quod significet verum ex bono pugnans contra falsum ex malo, constat ex significatione gladii, quod sit verum pugnans contra falsum; de qua n: 2799. 8294; & ex significatione femoris, quod sit bonum amoris, de qua n: 3021. 4277. 4280. 5050 ad 5062. 9961. Dicitur gladius super femur, quia verum pugnans contra falsum & malum, & vincens, ex bono erit; omnis potentia veri inde est; verum absque bono ne quidem est verum, est enim modo scientificum absque vita, inde vero absque bono nulla potentia est; per verum ex bono intelligitur vita secundum verum, nam bonum est vitæ: inde patet, cur dicitur ponere gladium super femur; ut quoque apud Davidem, ubi de Domino, "*Accinge gladium tuum super femur*, Heros, in decore tuo, & honore tuo," Psalm: XLV: 4.

10,489. Transite & redite a porta ad portam in castris, quod significet ubicunque aliquid apertum ab interno in externum, constat ex significatione transire & redire, quod sit lustrare & circumspicere ab uno fine ad alterum; ex significatione portæ, quod sit apertura, de qua supra n: 10,483, ita a porta ad portam, est ubicunque aliquid apertum; & ex significatione castrorum, quod sint infernum, de qua etiam supra n: 10,483, ita quoque externum, nam externum separatum ab interno est infernum apud hominem: inde patet, quod per transite & redite a porta ad portam in castris, significetur quod lustrandum & circumspiciendum sit ubicunque est apertum ab interno in externum: quomodo cum his se habet, in articulo sequente dicetur. Quod externum separatum ab interno apud hominem sit infernum, est quia internum apud illum est cœlum, ut supra n: 10,472, ostensum est; inde externum, cum separatum est a cœlo, est infernum: quod ulterius constare potest ex eo, quod apud illos, qui in externis separatis ab internis sunt, regnent amores infernales, qui sunt amores sui & mundi; etiam homo, cui externum separatum est ab interno, actualiter est in inferno, tametsi ille hoc nescit, cum vivit in mundo.

10,490. Et occidite vir fratrem suum, & vir socium suum, & vir propinquum suum, quod significet occlusionem quoad influxum boni & veri, & illis affinium, ne sit aliqua receptio & communicatio, constat ex significatione occidere, quod sit auferre vitam spiritualem, ita bonum amoris & verum fidei; hic itaque occludere, ne sit aliqua eorum receptio, & communicatio, quibus ademtis, etiam vita spiritualis ablata est, manet modo vita naturalis; quod occidere sit auferre vitam spiritualem, videatur n: 3387. 3395. 3607. 6767. 7043. 8902; ex significatione fratris, quod sit bonum amoris & charitatis, de qua n: 3815. 4121. 4191. 5409. 5686. 5692. 6756; ex significatione socii, quod sit verum illius boni; & ex significatione propinqui, quod sit quod illis conjunctum est, de qua n: 5911. 9378, ita quod affine est, nam affines sunt propinqui: inde patet, quod per occidite vir fratrem suum, & vir socium suum, & vir propinquum suum, significetur occlusio interni

apud illam gentem, quoad influxum boni, veri & illis affinium, ne sit aliqua receptio eorum & communicatio cum illis. Cum hoc ita se habet; quia gens illa corde idololatrica fuit, & plane in amoribus in quibus infernum, & usque apud illam instituendus erat cultus repræsentativus cœlestium, ideo interna apud illam prorsus occludebantur: quod interna occluderentur, binæ erant causæ, una ut conjunctio cum cœlo esset per externa eorum absque interno; altera ne sancta Ecclesiæ & Cœli prophanarentur; nam si gens illa agnovisset interna cultus, quæ sunt sancta Ecclesiæ & Cœli quæ repræsentabantur, conspurcavisset & prophanavisset illa; inde est, quod illi genti parum aliquid in luce de cœlo & de vita post mortem revelatum sit; ac inde est, quod prorsus nescieverint quod Regnum Messiæ esset in Cœlo; quod gens illa etiam talis hodie sit, notum est; sed videantur quæ de illa gente in locis citatis supra n: 10,396, ostensa sunt; ut quod prorsus in externis absque ullo interno essent, n: 4293. 4311. 4459 fin: 4834. 4844. 4847. 4865. 4868. 4874. 4903. 4913. 9320. 9373. 9380. 9381: quod inde cultus eorum modo externus fuerit, n: 3147. 3479. 8871: quod nec scire voluerint interna cultus & Verbi, 3479. 4429. 4433. 4680: si scivissent sancta interna quod illa prophanavissent, n: 3398. 3489. 4289: quod ideo nec datum sit illa scire, n: 301. 302. 304. 2520. 3769: quod usque per externa cultus, quæ erant repræsentativa cœlestium, apud illos, communicatio fuerit cum cœlo, n: 4311. 4444. 6304. 8588. 8788. 8806. Hæc nunc sunt, quæ intelliguntur & significantur per illa verba, quod occiderent vir fratrem suum, vir socium suum, & vir propinquum suum. Qui non scit, quod per fratres, socios, propinquos, & per plura nomina cognationis, significentur bona & vera Ecclesiæ & Cœli, ac opposita eorum quæ sunt mala & falsa, ille non potest scire, quid involvunt plura in Verbo, ubi illa nomina occurrunt, sicut in his sequentibus, ut apud Matthæum, "Ne existimate quod venerim ad mittendum pacem super terra, non veni mittere pacem, sed gladium: veni enim *ad dissidendum hominem contra patrem* illius, & *filiam contra matrem* illius; & *nurum contra socrum* illius: & hostes hominis erunt domestici illius: quisquis amat *patrem* aut *matrem* supra Me, non est Me dignus: & quisquis amat *filium* aut *filiam* supra Me, non est Me dignus: & quisquis non suscipit crucem suam & sequitur post Me, non est Me dignus," x: 34. 35. 36. 37. 38; agitur ibi de pugnis spiritualibus, quæ sunt tentationes, quas subituri qui regenerandi, ita de dissidiis apud hominem tunc inter mala & falsa quæ ei ab inferno, & inter bona & vera quæ ei a Domino; quia pugnæ illæ hic describuntur, ideo dicitur, quisquis non suscipit *crucem meam*, & sequitur post Me, non est Me dignus, per crucem intelligitur status hominis in tentationibus: qui non scit quod talia per hominem & patrem, per filiam & matrem, per nurum & socrum significentur, credet quod Dominus in mundum venerit, ut in domibus & familiis pacem tolleret, & dissidium induceret, cum tamen venit ut daret pacem, & tolleret dissidia, secundum Ipsius verba apud Johannem Cap: XIV: Vers: 27, & alibi: quod dissidium interni & externi hominis ibi describatur, constat ex significatione hominis & patris,

filiæ

filiæ & matris, nurus & socrus, in sensu interno, in quo sensu homo est bonum quod a Domino, pater est malum quod ex proprio hominis, filia est affectio boni & veri, mater est affectio mali & falsi, nurus est Ecclesiæ verum adjunctum ejus bono, & socrus est falsum adjunctum ejus malo: & quia sic pugna inter bona & mala, ac inter falsa & vera apud hominem describitur, ideo quoque dicitur, quod hostes hominis erunt domestici illius, per domesticos significantur quæ apud hominem, ita quæ ejus propria sunt, ac hostes in spirituali sensu sunt mala & falsa quæ impugnant bona & vera: quod talia per hominem, patrem, filiam, matrem, nurum & socrum significentur, in explicationibus passim ostensum est. Similiter per hæc apud Matthæum, "Tradet *frater fratrem* in mortem, & *pater filium*, & insurgent *liberi contra parentes*, & morti dabunt eos," x : 21 : tum per hæc apud Lucam, "Si quis venit ad Me, neque *odit patrem suum*, & *matrem*, & *uxorem*, & *liberos*, & *fratres*, & *sorores*, imo vero etiam animam suam, non potest discipulus meus esse: & quisquis non portat crucem suam, & venit post Me, non potest meus discipulus esse: sic ergo omnis ex vobis, qui non abnegat omnes suas facultates, non potest meus esse discipulus," xiv : 26. 27. 33 : quis non videt, quod aliter intelligenda sint hæc verba, quam secundum literam, ad minimum ex eo, quod dicatur absque restrictione, quod pater, mater, uxor, liberi, fratres, sorores, odio habendi sint, ut quis possit esse discipulus Domini; cum tamen ex præceptis Domini est, quod nemo odio habendus sit, ne quidem inimicus," Matth : v : 43. 44 ; quod propria hominis, quæ sunt mala & falsa in suo ordine, per illa nomina intelligantur, patet, nam dicitur etiam, quod odio habebit animam suam, & quod abnegabit omnes suas facultates, quæ sunt propria ejus: status tentationis seu pugnæ spiritualis etiam hic describitur, nam dicitur, quisquis non portat crucem suam, & venit post Me, non potest meus discipulus esse; discipulus Domini esse, est duci ab Ipso, & non a semet, ita a bonis & veris quæ a Domino, & non a malis & falsis quæ ab homine. Similiter intelligendum est Verbum alibi, ubi illi nominantur; ut apud Esaiam, "Ad verba mea non attendunt, & legem meam, repudiant illam: quapropter sic dixit Jehovah; ecce Ego dans coram populo hoc offendicula, ut offendant in iis *patres* & *filii* una, *vicinus* & *socius* ejus, & pereant," vi : 19. 21 : apud Jeremiam, "Dispergam eos, *virum cum fratre suo*, & *filios* simul; non parcam, neque remittam, neque miserabor, quo minus perdam eos," xiii : 14 : apud Eundem, "Multiplicavit Jehovah impingentes, etiam cecidit *vir super socium suum*," xlvi : 16 : & apud Esaiam, "Commiscebo Ægyptum cum Ægypto, ut *pugnet vir contra fratrem*, & *vir contra socium suum*," xix : 2 ; in his locis etiam similia per patres, filios, fratres, & socios intelliguntur.

10,491. Et fecerunt filii Levi secundum verbum Moschis, quod significet effectum ab illis qui in veris ex bono, constat ex repræsentatione filiorum Levi, quod sint qui in veris ex bono, ac in sensu abstracto, vera ex bono, de qua supra n : 10,485 ; & ex significatione facere secundum verbum Moschis, quod sit effectus.

10,492. Et cecidit in populo in die illo ad tria millia virorum, quod significet occlusionem interni plenariam, constat ex significatione cadere seu occidi, quod sit occludi, de qua supra n: 10,490; & ex significatione trium millium, quod sit plenarium; per tria enim significatur plenum & completum, videatur n: 2788. 4495. 7715. 8347. 9198. 9488. 9489; similiter per tria millia, quoniam numeri majores significant simile cum minoribus, ex quibus per multiplicationem existunt, n: 5291. 5335. 5708. 7973; quod omnes numeri in Verbo significent res, in locis citatis n: 9488. & n: 10,127. 10,217. 10,253. Quoniam hic nunc actum est de occlusione interni apud gentem Israeliticam & Judaicam, licet adhuc aliquid de occlusione interni dicere: mala & falsa sunt quæ occludunt internum hominem, seu quod idem, amores mundani, terrestres & corporei quum regnant, nam inde sunt omnia mala & falsa; causa quod internum ab illis occludatur, est quia amores illi oppositi sunt amoribus cœlestibus, seu quod idem, mala & falsa opposita sunt bonis & veris; cum itaque opposita agunt contra se mutuo, contrahit se quod læditur, vix aliter ac fibra cum pungitur, & alioquin omne hominis ex dolore; quod facies ejus ex læsione & ex lugubri statu animi se corruget, & quod abdomen hominis cum pulmone & ejus respiratione se coarctet, notum est; ita quoque se habet cum interno homine, cum mala & falsa in cogitationem ac in voluntatem intrant; quod aversatio tunc sit, & ex illa contractio percipitur, & quoque apparet; hæc causa communis est quod claudatur internum; causa autem specialis est, ne bona & vera intrent e cœlo per internum hominem in externum, & ibi conspurcentur ac prophanentur; ne itaque hoc fieret apud gentem Israeliticam, apud quam erat Verbum, & erant sancta Ecclesiæ, internum apud illos plenarie occlusum est; quod plenarie occlusum sit, patet manifeste ex eo, quod tametsi inter Christianos vivunt, & tametsi in Propheticis manifeste agitur de Domino, usque Ipsum prorsus non agnoscant; imo tales sunt, ut ne quidem cogitare possint aliquid quod confirmat, est renuentia & aversatio interior. Præterea sciendum est, quod etiam in Christiano orbe apud illos clausum sit internum, qui sciunt vera fidei ex Verbo, & non vivunt secundum illa, ipsa enim vita secundum illa aperit internum hominem, alioquin resident modo in memoria externi hominis; at vero apud illos qui negant illa, internum prorsus clausum est: & quod mirum videri potest, internum apud plures intelligentes clausum est, quam apud simplices; causa est, quia intelligentes in cupiditatibus eminendi & lucrandi, & inde in amoribus sui & mundi præ simplicibus sunt; & quoque in facultate confirmandi mala & falsa, quæ ex amoribus illis, per scientifica, in quibus intelligentes præ simplicibus sunt: accedit, quod plerique eorum de anima cogitent ex aliqua hypothesi in orbe erudito, ex qua non aliam ideam capiunt, quam sicut de pneumate aut de vento, in quo forte vivum; cum vicissim simplices boni non ex tali idea cogitent, sed solum ex idea quod anima sit homo qui vivit post mortem; inde est, quod his aperiatur internum, illis autem claudatur. Sive dicas internum aperiri aut claudi, sive dicas cœlum, idem est.

10,493. Et dixit Moscheh, implete manum vestrum hodie Jehovæ, quod sig-

significet communicativum & receptivum Divini Veri in Cœlis, constat ex significatione implere manum Jehovæ, quod sit repræsentativum Divinæ potentiæ Domini in Cœlis per Divinum Verum procedens ex Divino Bono Ipsius; ac communicativum & receptivum ejus ibi, de qua n: 10,076; hic communicativum Divini Veri cum cœlis per repræsentativa, quæ erant externa cultus apud illam gentem, postquam clausum illis est internum: quod per externa cultus, quæ erant repræsentativa cœlestium, apud illam gentem, clauso interno, communicatio fuerit cum cœlo ex Divina Domini potentia, videatur n: 4311. 4444. 6304. 8588. 8788. 8806.

10,494. Quia vir in filium suum, & in fratrem suum, quod significet quando occlusum est internum, ne verum & bonum e cœlo intrent in externum, constat ex significatione viri in filium & in fratrem, seu postquam occiderint illos, quod sit occlusio interni quoad influxum veri & boni, de qua supra n: 10,490. 10,492; quod filius sit verum, videatur n: 489. 491. 533. 1147. 2623. 2628. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257. 9807; & quod frater sit bonum, n: 3815. 4121. 4191. 5409. 5686. 5692.

10,495. Ad dandum super vos hodie benedictionem, quod significet receptionem Divini Veri ex Verbo, & per id conjunctionem cum Domino, constat ex significatione benedictionis, quod in genere sit id quod a Domino donatur homini; & quia omne id se refert ad bonum amoris & verum fidei, est id & omne quod inde, quod significatur per benedictionem; hic itaque receptio Divini Veri ex Verbo, & per id conjunctio cum Domino, videatur n: 1096. 2846. 3017. 3408. 4216. 4981. 6298. 8674. 8939; & quod Benedictio sit conjunctio cum Domino, n: 3504. 3514. 3530. 3565. 3584. 6091. 6099. Quomodo cum his se habet, in præcedentibus ostensum est; ac quod per Verbum sit conjunctio Domini cum homine, ac cœli cum mundo, videatur n: 10,452.

10,496. Vers: 30. 31. 32. 33. 34. 35. *Et factum postridie, & dixit Moscheh ad populum, vos peccavistis peccatum magnum; & nunc ascendam ad Jehovam; forte expiaturus sum pro peccato vestro. Et reversus Moscheh ad Jehovam, & dixit, obsecro, peccavit populus hic peccatum magnum, & fecerunt sibi deos auri. Et nunc si remittis peccatum eorum, & si non, dele me, quæso, e libro tuo, quem scripsisti. Et dixit Jehovah ad Moschen, illum, qui peccavit mihi, delebo eum e libro meo. Et nunc vade, duc populum ad quod dixi tibi; ecce Angelus meus ibit coram te, & in die visitationis meæ & visitabo super illos peccatum eorum. Et percussit Jehovah populum super quod fecerunt vitulum, quem fecit Aharon.* Et factum postridie, significat durationem cultus talis usque ad finem Ecclesiæ. Et dixit Moscheh ad populum, vos peccavistis peccatum magnum, significat aversionem & abalienationem totalem: & nunc ascendam ad Jehovam, significat elevationem interiorum ad Dominum: forte expiaturus sum pro peccato vestro, significat possibilitatem ex Divina Domini potentia apud illos qui ita se prorsus averterunt: & reversus est Moscheh ad Jehovam, significat conjunctionem: & dixit, obsecro, peccavit populus hic peccatum magnum, significat quod tametsi gens illa prorsus se averterit & removerit a Divino: & fecerunt sibi deos auri, significat & colant

colant jucundum infernale: & nunc si remittis peccatum eorum, significat usque aversionem illam a Divino non obstituram: & si non, dele me quæso e libro tuo, quem scripsisti, significat internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus non periturum: & dixit Jehovah, illum qui peccavit Mihi delebo eum e libro meo, significat responsum quod illi perituri qui avertunt se a Divino: & nunc vade, duc populum ad quod dixi tibi, significat gentem illam ad repræsentandum Ecclesiam, & non ut sit apud illam Ecclesia: ecce Angelus meus ibit coram te, significat quod usque Divinum Verum ducet: & in die visitationis meæ visitabo super illos peccatum eorum, significat statum eorum ultimum in particulari & in communi quando judicium: & percussit Jehovah populum, significat devastationem veri & boni apud gentem Israeliticam: super quod fecerunt vitulum, significat propter cultum ex amore infernali: quem fecit Aharon, significat hoc ab externis quæ solum amabant.

10,497. Et factum postridie, quod significet durationem cultus talis usque ad finem Ecclesiæ, constat ex significatione postridie, quod sit perpetuum & æternum, at cum de gente Judaica, quod sit usque ad finem Ecclesiæ: quod postridie sit in perpetuum & in æternum, est quia per crastinum, cum id dicitur de talibus, quæ significant Divina cœlestia & spiritualia, perpetuum ac æternum significatur, videatur n: 3998. 9939; quod autem sit duratio usque ad finem Ecclesiæ, est quia dicitur de gente Judaica & ejus cultu, qui finem habuit cum Dominus in mundum venit; secundum prædictionem apud Danielem, "Septimanæ septuaginta decisæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctitatis tuam, ad consumendum prævaricationem, & ad obsignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum justitiam sæculorum, & ad obsignandum visionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum sanctorum: in medio septimanæ cessare faciet sacrificium & oblationem: tandem super avem abominationum desolatio, & usque ad consummationem & decisum, stillabit super devastationem," IX: 24. 27: & quod residuum cultus illius gentis finem habiturum sit cum fine Ecclesiæ hodiernæ in Europa, prædicit Dominus apud Matthæum, "Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiunt," XXIV: 34; agitur in eo Capite de consummatione sæculi, quæ est finis hujus Ecclesiæ, ut ostensum videatur in initiis ad Capita XXVI ad XL Geneseos.

10,498. Et dixit Moscheh ad populum, vos peccavistis peccatum magnum, quod significet abalienationem & aversionem totalem, constat ex significatione peccati, quod sit aversio & abalienatio a Divino, de qua n: 5229. 5474. 5841. 7589. 9346, hic aversio & abalienatio totalis, quia dicitur peccatum magnum: aversio & abalienatio a Divino totalis est, cum non aliquid veri & boni e cœlo amplius recipitur, nam verum & bonum e cœlo est Divinum apud hominem: quod nulla receptio veri & boni e cœlo, proinde quod totalis aversio a Divino apud illam gentem fuerit, describitur his verbis apud Esaiam, "Dic populo huic, audite audiendo sed non intelligite, & videte videndo sed non cognoscite: impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline, ne forte videat oculis suis, & auribus suis au-

diat,

diat, & cor ejus intelligat, & convertatur, ut sanetur ei," vi : 9. 10. Johan: xii : 37. 38. 39. 40; dicitur ne convertatur ut sanetur ei, per quod significatur, quod si intellecturi essent interna Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, prophanaturi essent ea; secundum ea, quæ supra n : 10,490, dicta sunt.

10,499. Et nunc ascendam ad Jehovam, quod significet elevationem interiorum ad Dominum, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit internum, de qua supra n : 10,468; & ex significatione ascendere, quod sit elevatio versus interiora, de qua n : 3084. 4539. 4969. 5406. 5817. 6007; hic elevatio ad Dominum, quia dicitur, ascendam ad Jehovam, & per Jehovam in Verbo intelligitur Dominus, videatur in locis citatis n : 9373. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis, quæ de elevatione internorum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, in cœlum seu ad Dominum, ab externis apud Gentem Israeliticam, n : 4311. 4444. 6304. 8588. 8788. 8806, ostensa sunt.

10,500. Forte expiaturus sum pro peccato vestro, quod significet possibilitatem ex Divina Domini potentia apud illos qui ita prorsus se averterunt, constat ex significatione expiare, quod sit facere ut non amplius super id reflectatur, ita ut nihilominus cultus eorum acceptus sit, & audiatur; quod expiatio etiam sit auditio & receptio omnium quæ cultus, videatur n : 9506; hic itaque possibilitas ut id fieri potest apud illos qui sic se averterunt; & ex significatione peccati, quod sit totalis aversio a Divino, ut supra n : 10,498. Quod hæc significentur per illa verba, est quia agitur in toto hoc Capite de aversione gentis Israeliticæ a Divino, & de possibilitate usque, quod per externa, in quibus solis erat, communicatio fieret cum cœlo. Ut sciatur, quomodo cum his se habet, adhuc paucis dicetur; Ecclesia in terra instituitur unice ob finem, ut communicatio sit mundi, hoc est, humani generis cum cœlo, hoc est, per cœlum cum Domino; nam absque Ecclesia nulla communicatio, & absque communicatione genus humanum periret, n : 10,452; verum communicatio hominis cum cœlo fit per spiritualia ac cœlestia apud hominem, non autem per mundana & corporea absque illis; sive quod idem, fit per interna, non autem per externa absque illis: cum itaque gens Israelitica in externis absque internis erat, & tamen aliquid Ecclesiæ apud illam institueretur, ideo provisum est a Domino, ut usque communicatio cum cœlo fieret per repræsentativa, quæ erant externa cultus apud illam gentem; sed communicatio illa miraculose fiebat, de qua videatur in locis supra n : 10,499, allatis. Verum duo requisita erant, ut hoc fieri posset; unum, quod internum apud illos prorsus occlusum esset; & alterum quod in sancto externo possent esse cum in cultu; cum enim internum prorsus occlusum est, tunc internum Ecclesiæ & cultus nec negatur nec agnoscitur, est quasi nullum; & tunc sanctum externum potest dari, & quoque elevari, quia nihil obstat & impedit: ideo quoque gens illa in plenaria ignorantia erat de internis, quæ sunt amoris & fidei in Dominum, ac vitæ æternæ per illa: ut primum autem Dominus in mundum venit, ac semet revelavit, atque amorem & fidem in Semet docuit, tunc gens illa, quia audiebat ea, incipiebat negare ea, & sic non potuit amplius teneri in tali ignorantia, ut prius; ideo

tunc

tunc expulsa fuit e terra Canaane, ne consspurcaret & prophanaret interna per negationem in ea terra, ubi omnia loca ab antiquissimis temporibus repræsentativa talium, quæ cœli & ecclesiæ sunt, facta fuerunt, videatur n: 1585. 3686. 4447. 5136. 6516: idcirco quantum hodie sciunt interna, & confirmant se intellectualiter contra illa, ac negant, tantum in sancto externo amplius non possunt esse, quoniam negativum non modo occludit internum, sed etiam aufert sanctum ab externo, ita communicativum cum cœlo. Similiter se habet cum Christianis, qui ex Verbo aut ex doctrina Ecclesiæ sciunt interna, & usque negant illa corde, quod fit cum male vivunt, & male apud se cogitant, utcunque in devotione & pietate externa videantur esse cum in cultu.

10,501. Et reversus est Moscheh ad Jehovam, quod significet conjunctionem, constat ex significatione reverti ad Jehovam, quod sit conjunctio: quod conjunctio per reverti ad Jehovam hic significetur, est quia per ascendere ad Jehovam, n: 10,499 significatur elevatio interni ad Dominum.

10,502. Et dixit, obsecro, peccavit populus hic peccatum magnum, quod significet tametsi quod gens illa prorsus se averterit & removerit a Divino, constat ex significatione peccare peccatum magnum, quod sit prorsus se avertere & abalienare a Divino, de qua supra n: 19,498: dicitur *tametsi* se averterit, ob seriem rei in sensu interno; qui enim in illo sensu sunt, non attendunt ad literam, sed ad sensum rerum in suo ordine.

10,503. Et fecerunt sibi deos auri, quod significet & colant jucundum infernale, constat ex significatione facere sibi deos, quod sit cultus; & ex significatione auri, quod sit jucundum amorum externorum, ita jucundum infernale, de qua supra n: 10,402. Memorantur in Verbo quatuor genera idolorum, nempe ex Lapide, ex Ligno, ex Argento, & ex Auro; idola quæ ex Lapide significant cultum ex falsis doctrinæ; quæ ex Ligno cultum ex malis doctrinæ; quæ ex Argento cultum, falsi tam doctrina quam vita; & quæ ex Auro cultum mali tam doctrina quam vita; inde idola ex auro significabant cultum omnium pessimum: qui in hoc cultu erant, non modo falsificabant vera, sed etiam adulterabant bona; mala enim vocabant bona, ac inde falsa vera: omnes illi in eo cultu sunt, qui in amore sui sunt, & usque Verbum credunt; applicant enim sensum literæ Verbi ad favorem omnium quæ cogitant & quæ faciunt, ita ad cultum sui.

10,504. Et nunc si remittis peccatum eorum, quod significet usque aversionem illam a Divino non obstituram, constat ex significatione peccati, quod sit aversio a Divino. ut supra n: 10,498. 10,502; & ex significatione remittere id, quod sit non obstare, quin usque interna Verbi, Ecclesiæ, & Cultus ab externis illorum elevari possint, & sic communicatio fieri cum cœlis; cum enim hæc nihilominus fit, tunc non attenditur ad aversionem, & quod non attenditur, hoc remissum dicitur.

10,505. Et si non, dele me quæso e libro tuo quem scripsisti, quod significet internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, non periturum, constat ex repræsentatione Moschis, qui hæc dicit, quod sit internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus,

tus, de qua n: 10,468, ex significatione quem scripsisti, quod sit quod ibi a Domino; nam per librum significatur quod in interno est, & per scribere, cum de Jehovah, hoc est, Domino, quod sit quod ibi a Domino; & ex significatione delere ex illo, quod sit perire, hic autem non perire, quia respondetur, illum qui peccavit Mihi delebo e libro meo, per quæ significatur quod non internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, periturum, sed quod illi perituri qui se avertunt a Divino, ita qui in externis sunt absque interno. Quod liber quem scripsit Jehovah qui in versu sequenti liber meus seu liber Jehovæ vocatur, & alibi liber vitæ, sit internum, est quia internum hominis est in cœlo, ita ubi Dominus, & inde quæ in interno ejus sunt, e cœlo a Domino sunt, quæ omnia sunt Divina cœlestia & spiritualia; hæc recipi possunt ab interno hominis, non autem ab externo ejus separato ab interno, quoniam externum est in mundo, & formatum ad recipiendum naturalia quæ in mundo, quæ absque influxu per interna, non cœlestem vitam habent, & inde dicuntur mortua. Ex his constare potest, quid in Verbo intelligitur per Librum vitæ, & quinam sunt qui intelliguntur scripti in libro illo, quod nempe qui in vita veri & boni sunt, ita qui ex amore & fide faciunt præcepta Divina; nam vita secundum præcepta illa aperit internum hominem, ac format illum, & quod ibi inscriptum est, a Domino inscriptum est, & manet in æternum: hi sunt qui intelliguntur per scriptos in Libro vitæ, in sequentibus his locis; apud Danielem, "In tempore hoc eripietur populus tuus, *omnis qui invenitur scriptus in Libro*," XII: 1: apud Johannem, "Qui vicerit, is induetur vestimentis albis, *non delebo nomen ejus e libro vitæ*," Apoc: III: 5: apud Eundem, "Non ingrediuntur in Hierosolymam novam, *nisi qui scripti in Libro vitæ Agni*," Apoc: XXI: 26: apud Eundem, "Vidi *quod Libri aperti sint*; & *Liber alius apertus est qui est vitæ*; & judicati sunt mortui juxta ea *quæ scripta sunt in Libro* secundum opera illorum; & si *quis non inventus est in Libro vitæ scriptus*, ejectus est in stagnum ignis," Apoc: XX: 12. 13. 14: apud Eundem, "Adorabunt bestiam omnes, *quorum non sunt scripta nomina in Libro vitæ Agni*," Apoc: XIII: 8; & Cap: XVII: 8; præter etiam alibi. Sciendum est, quod omnia quæ interno homini inscripta sunt, a Domino inscripta sint: & quod quæ ibi inscripta faciant ipsam vitam spiritualem & cœlestem hominis; tum quod omnia & singula quæ ibi inscripta sunt, amori inscripta sint: videatur etiam n: 2474. 8620. 9386.

10,506. Et dixit Jehovah, illum qui peccavit Mihi delebo eum e libro meo, quod significet responsum, quod illi perituri qui avertunt se a Divino, constat ex significatione dixit Jehovah ad Moschen, quod sit responsum; ex significatione peccare Jehovæ, quod sit avertere se a Divino, de qua supra n: 10.498; & ex significatione deleri e libro Jehovæ, quod sit non apparere in cœlo; ita quoad vitam spiritualem perire: quod hoc per deleri e libro Jehovæ significetur, est quia illi qui in externis separatis ab interno sunt, non recipere aliquid e cœlo possunt; internum enim est, quod inde recipit, & externum absque illo non recipit aliunde aliquod quam ex inferno: quod

cœlum apud hominem sit in interno ejus, & quod internum sit liber vitæ, & quæ in interno sunt, e cœlo a Domino sint, videatur mox supra n: 10,505.

10,507. Et nunc vade, duc populum, ad quod dixit tibi, quod significet gentem illam ad repræsentandum Ecclesiam, & non ut sit apud illam Ecclesia, constat ex significatione ducere populum ad terram Canaanem, quod sit facere ut sit Ecclesia, per terram Canaanem enim significatur Ecclesia, & per ducere populum ad illam in sensu spirituali significatur instituere apud illum Ecclesiam; nam gens illa ideo ducebatur in terram illam, ut fieret Ecclesia; hic autem modo ad repræsentandum illam; quoniam dicitur, duc populum *ad quod*, & non ad terram. Quod apud gentem Israeliticam & Judaicam non fuerit Ecclesia, sed modo repræsentativum Ecclesiæ, videatur n: 4281. 4288. 4311. 4500. 4899. 4912. 6304. 7048. 9320: & quod Terra Canaan sit Ecclesia, n: 3705. 3686. 4447. 5136. 6516; & quod inde Terra in Verbo sit Ecclesia, in locis citatis n: 9325.

10,508. Ecce Angelus meus ibit coram te, quod significet quod usque Divinum Verum ducet, constat ex significatione Angeli Jehovæ, quod in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum Humanum, & in sensu respectivo Divinum quod est Domini apud angelos in cœlis, de qua n: 1925. 2821. 4085. 6831. 9303, & quod inde significet Divinum Verum, n: 8192; & ex significatione ire coram te, quod sit ducere.

10,509. Et in die visitationis meæ visitabo super illos peccatum eorum, quod significet statum eorum ultimum in particulari & in communi, quando judicium, constat ex significatione diei visitationis, quod sit status ultimus Ecclesiæ in particulari & in communi, de qua n: 2242. 6588; & ex significatione visitare peccatum, quod sit judicari & damnari: dicitur in particulari & in communi, quia dies visitationis est unicuique, ita in particulari, cum in alteram vitam venit, quod fit cum moritur; & quoque est Ecclesiæ in communi, cum hæc desinit esse; explorantur tunc quales sunt, ac separantur, qui in malis sunt dejiciuntur in infernum, & qui in bonis, elevantur in cœlum, verum hoc non fit in terra, sed in altera vita: sed quomodo ibi Exploratio fit, & quomodo Separatio; tum quomodo Damnatio & Dejectio in infernum, ac Elevatio in cœlum, ex Divina Domini Misericordia, alibi dicetur.

10,510. Et percussit Jehovah populum, quod significet devastationem veri & boni apud gentem Israeliticam, constat ex significatione percutere, quod sit destruere, ut n: 6761; ac destruere in spirituali sensu est deprivare aliquem veris & bonis fidei & amoris, quod in Verbo vocatur desolatio & vastatio. Quod devastatio per percutere hic significetur, est quia in hoc Capite de occlusione interni apud Gentem Israeliticam actum est, & occlusio interni est devastatio quoad verum & bonum.

10,511. Super quod fecerunt vitulum, quod significet propter cultum ex amore infernali, constat ex significatione vituli, quod sit jucundum amoris sui, de qua supra n: 10,407, inde facere vitulum est cultus ex jucundo illius amoris, seu quod idem, cultus ex illo amore; qui amor quod sit amor infernalis, sæpius ostensum est: quod per facere vitulum, significetur cultus,

est quia facere illum involvit omnia illa quæ de adoratione & cultu ejus in Versibus 4. 5. 6, hujus Capitis, dicuntur.

10,512. Quem fecit Aharon, quod significet hoc ab externis quæ solum amabant, constat ex repræsentatione Aharonis, quod sit externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de qua n: 10,397. 10,468. 10,480; & cum externum solum amatur, tunc dicitur externum id facere; verum intelligitur gens, quæ solum externa amat.



Continuatio de Tertia Tellure in Cœlo Astrifero.

10,513. *Coram Spiritibus illius Telluris repræsentabantur magnifica Palatia, ad similitudinem illorum, quæ in nostra Tellure apud Reges & Principes sunt; nam talia coram Spiritibus repræsentari possunt, & cum repræsentantur apparent prorsus sicut forent; verum Spiritus ex illa Tellure nihil illa æstimabant, vocabant illa simulachra marmorea; & tunc narrabant, quod apud eos magnificentiora sint; sed quod illa essent Ædes eorum sacræ, non ex lapide sed ex ligno: & quum illis dicebatur, quod illa usque essent terrestria, respondebant, quod non essent, sed cælestia, quia cum illæ inspiciuntur, non ideam terrestrem sed cælestem habent; credentes, quod etiam visuri similia in cælo post mortem.*

10,514. *Repræsentabant etiam sacras suas Ædes coram spiritibus nostræ Telluris, qui dicebant quod magnificentius nihil viderint; repræsentatæ etiam sunt mihi, inde visæ quomodo construuntur: construuntur ex arboribus non cæsis, sed in nativo suo solo crescentibus; dicebant quod in Tellure illa essent arbores admiranda proceritate & altitudine; illas a suis initiis disponunt in ordines, ut sint in porticus & in ambulacra; ac ramos earum a teneris aptant & parant per sectiones & putationes, ut consertent & conjungant se pro ædis construendæ solo & pavimento, & alii ad latera se elevent pro parietibus, & alii superne inflectant se in arcus pro tecto; inde construunt ædem admiranda arte, elevatam alte supra terram; in quam etiam ascensum parant per continuos ramos arborum, exporrectos & firmiter connexos. Insuper exornant ædem illam extra & intra variis modis, per applicationes frondium in formas: ita ædificant integrum lucum. Sed quales sunt illæ ædes intus, nan videre datum est, solum quod lux solis eorum intromittatur per aperturas inter ramos, ac passim transmittatur per chrystalla, per quæ lux variegatur in colores quasi iridis circum parietes, imprimis in colores cæruleos &*

aurantios, quos præ reliquis amant. Hæc sunt illorum architectonica, quæ præferunt palatiis magnificentissimis nostræ Telluris; etiam præ his a nostris spiritibus æstimata & collaudata sunt.

10,515. *Dicebant porro, quod incolæ non habitent in altis, sed super terra in humilibus casis, quoniam alta sunt pro Domino qui in cælo est, & humilia pro hominibus qui in terra: etiam casæ eorum mihi ostensæ sunt; oblongæ erant; intus juxta parietes scamnum continuum, in quo cubant, unus post alterum: in parte opposita introitui, ubi est rotundatum, est mensa, ac post illam focus, ex quo illuminatur tota illa Camera; ast in foco illo non est ignis ardens, sed est lignum luminosum, quod ex se tantum luminis effundit, quantum flamma focalis: dicebant, quod ligna illa ad vesperas appareant, sicut in illis esset ignis prunosus.*

10,516. *Dicebant quod non vivant societates, sed domus pro se, & quod societates sint quando conveniunt ad cultum; & quod tunc infra ædem in porticibus ambulent qui docent, ac reliqui ad latera; & quod in conventibus illis sint iis gaudia interiora, ex conspecta æde, & ex cultu in illa.*

10,517. *Præterea, probi sunt, ut dici queant probitates; patiuntur injurias, quæ sibi inferuntur, absque animo vindicandi. Anxii fiunt ut primum veniunt ad illos qui de corporeis & terrestribus cogitant, ac læti & hilares cum ad illos, qui de cælestibus: percepta etiam est anxietas illorum ex spiritibus nostræ telluris, qui circum me erant, quia ex indole contraria; nostræ enim telluris spiritus parum cogitant de cælestibus, & multum de corporeis & terrestribus; & cum de cælestibus, de veris cogitant, & non de bono; spiritus autem ex illa tellure de bono cogitant, & parum de veris. Inde est, quod incolæ illius telluris ament arboreta, ac ædem suam ex illis, & aversentur lapidea, & domos ex illis: arbores enim & ligna ex correspondentia significant bona, at lapides & domus ex illis significant vera n: 3720; homo etiam talis est, ut amet illa quæ affectionibus ejus interioribus correspondent, tamesi, cum in mundo vivit, id nescit.*

10,518. *De Quarta Tellure in cælo astrifero, & de ejus Spiritibus & Incolis, ad finem Capitis sequentis.*

EXODI

EXODI

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,519. SAncta Cœna a Domino instituta est, ut per illum sit conjunctio Ecclesiæ cum Cœlo, ita cum Domino: ideo illa est sanctissimum Ecclesiæ.

10,520. Sed quomodo per illam fit conjunctio, non capiunt illi, qui non sciunt aliquid de sensu interno seu spirituali Verbi, nam illi non ultra sensum ejus externum, qui est sensus literæ, cogitant. Ex sensu interno seu spirituali Verbi scitur, quid significat Corpus & Sanguis, & quid Panis & Vinum, tum quid Manducatio.

10,521. In illo sensu Corpus aut Caro Domini est bonum amoris, similiter Panis; ac Sanguis Domini est bonum fidei, similiter Vinum; ac Manducatio est appropriatio & conjunctio. Angeli, qui sunt apud hominem qui obit sacramentum Cœnæ, non aliter percipiunt illa, spiritualiter enim capiunt omnia; inde est, quod sanctum amoris & sanctum fidei influat tunc ab Angelis ad hominem, ita per cœlum a Domino: inde Conjunctio.

10,522. Ex his patet, quod homo, cum sumit Panem, qui est Corpus, conjungatur Domino per bonum amoris in Ipsum ab Ipso; & cum sumit Vinum quod est Sanguis, conjungatur Domino per bonum fidei in Ipsum ab Ipso. Sed sciendum est, quod conjunctio cum Domino per sacramentum Cœnæ fiat solum apud illos, qui in bono amoris & fidei in Dominum a Domino sunt. Sancta Cœna est sigillum illius Conjunctionis.



CAPUT XXXIII.

1. ET loquutus est JEHOVAH ad Moschen, vade, ascende abhinc, tu & populus, quem ascendere fecisti e terra Ægypti, ad terram, quam juravi Abrahamo, Jischako, & Jacobo, dicendo, semini tuo dabo illam.

2. Et

2. Et mittam ante te Angelum, & expellam Canaanitam, Emoritam, & Chittitam & Perisitam, Chivitam & Jebusitam.

3. Ad terram fluentem lacte & melle, quia non ascendam in medio tui, quia populus durus cervice tu, forte consumsero te in via.

4. Et audivit populus verbum malum hoc, & luxerunt, & non posuerunt aliquis ordinatum suum super se.

5. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, dic ad filios Israelis, vos populus durus cervice, momento uno ascendero in medio tui, & consumsero te; & nunc descendere fac ornatum tuum desuper te, & cognoscam quid faciam tibi.

6. Et abripuerunt filii Israelis ornatum suum, a monte Choreb.

7. Et Moscheh accepit tentorium, & tetendit sibi extra castra, elongando a castris, & vocavit illud tentorium conventus: & fuit, omnis interrogans JEHOVAM exivit ad tentorium conventus quod extra castra.

8. Et fuit, cum exivit Moscheh ad tentorium, surrexerunt omnis populus, & steterunt quisque ad ostium tentorii ejus, & spectarunt post Moschen usque ad intrare illum in tentorium.

9. Et fuit, cum intravit Moscheh tentorium, descendit columna nubis, & stetit ad ostium tentorii, & loquebatur cum Mosche.

10. Et vidit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorii, & surrexit omnis populus, & incurvaverunt se quisque ad ostium tentorii ejus.

11. Et loquutus est JEHOVAH ad Moschen facies ad facies, quemadmodum loquitur vir ad proximum suum; & reversus est ad castra; & minister ejus Jehoschua filius Nunis puer non emovit se e medio tentorii.

12. Et dixit Moscheh ad JEHOVAM, vide; Tu dicis ad me, ascendere fac populum hunc, & Tu non notum fecisti mihi, quem missurus es cum me, & Tu dixisti, novi te nomine, & quoque invenisti gratiam in oculis meis.

13. Et nunc si quæso inveni gratiam in oculis tuis, notum fac mihi quæso viam tuam, & cognoscam Te, quoniam inveni gratiam in oculis tuis, & vide quod populus tuus gens hæc.

14. Et dixit, facies meæ ibunt, & quiescere faciam te.

15. Et dixit ad Ipsum, si non facies tuæ euntes, ne ascendere facias nos abhinc.

16. Et in quo notum fiet usquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus, nonne in eundo Te cum nobis; & præstantes reddemur ego & populus tuus præ omni populo qui super faciebus humi.

17. Et dixit JEHOVAH ad Moschen, etiam verbum hoc, quod loquutus es, faciam, quia invenisti gratiam in oculis meis, & cognosco te nomine.

18. Et dixit, fac videre mihi quæso gloriam tuam.

19. Et dixit, Ego pertransire faciam omne bonum meum super facies tuas, & invocabo Nomen JEHOVÆ coram te, & gratiam faciam cui gratiam facio, & misericordiam faciam cui misericordiam facio.

20. Et dixit, non potes videre facies meas; quia non videt Me homo, & vivit.


21. Et dixit JEHOVAH, ecce locus Mecum, & stabis super petra.

22. Et erit, in pertransire gloriam meam, & ponam te in fissura petræ, & obtegam volam meam super te, usque dum pertransivero.

23. Et removebo volam meam, & videbis posteriora mea; & facies meæ non videbuntur.

CONTENTA.

10,523. IN hoc Capite in sensu interno continuatur adhuc de Gente Israelitica, sed hic de quali ejus quoad cultum, ita de quali ejus quoad illa quæ sunt Ecclesiæ: a Versu 1 ad 6, continetur, quod tametsi in repræsentativis quæ sunt externa Cultus & Ecclesiæ, esse possent, usque non aliquid Divinum, quia non internum, esset apud illos: a Versu 7 ad 17, quod in ipso cultu in se spectato, ita separato ab illis, inesse posset Divinum: a Vers: 18 ad 23, quod tamen hoc non videretur nec perciperetur ab illis.



SENSUS INTERNUS.

10,524. VERS: 1. 2. 3. *Et loquutus est Jehovah ad Moschen, vade, ascende abhinc, tu & populus, quem ascendere fecisti e terra Ægypti, ad terram quam juravi Abrahamo, Jischako, & Jacobo, dicendo, semini tuo dabo illam. Et mittam ante te Angelum, & expellam Canaanitam, Emorritam, & Chittitam, & Perisitam, Chivitam, & Jebusitam. Ad terram fluentem lacte & melle, quia non ascendam in medio tui, quia populus durus cervice tu; forte consumsero te in via.* Et loquutus est Jehovah ad Moschen, significat instructionem de quali Cultus & Ecclesiæ apud Gentem Israeliticam: vade, ascende abhinc tu & populus, quem ascendere fecisti e terra Ægypti, ad

ad terram, significat quod Gens illa repræsentatura sit Ecclesiam, sed non erit apud illam Ecclesia, quia elevari ab externis nequit: quam juravi Abrahamo, Jischako, & Jacobo, semini tuo dabo illam, quod significet promissam illis qui a Domino sunt in bono amoris & veris fidei: & mittam ante te Angelum, significat Divinum Domini, ex quo externum Ecclesiæ & ejus cultus: & expellam Canaanitam, Emorritam, & Chittitam, & Perisitam, Chivitam & Jebusitam, significat ejectionem inde omnium malorum & falsorum: ad terram fluentem lacte & melle, significat amænum & jucundum ex bono fidei & amoris: quia non ascendam in medio tui, significat non tamen usque Divinum apud ipsam gentem: quia populus durus cervice tu, significat quod non recipiat aliquem influxum a Divino: forte consumsero te in via, significat quod gens illa, si Divinum influeret apud illam, periret.

10,525. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem de quali Cultus & Ecclesiæ apud gentem Israeliticam, constat ex significatione loqui, cum a Jehovah, quod sit instructio, de qua in locis citatis n: 10,277: quod sit instructio de quali Cultus & Ecclesiæ apud gentem Israeliticam, est quia de illo in hoc Capite agitur, ut constare potest ex Contentis hujus Capitis supra n: 10,523.

10,526. Vade, ascende abhinc tu & populus, quem ascendere fecisti in terra Ægypti, ad terram, quod significet quod Gens illa repræsentatura sit Ecclesiam, sed non erit apud illam Ecclesia, quia elevari ab externis nequit, constat ex significatione ascendere in terram, quod sit ad instituendum Ecclesiam, nam per terram in Verbo significatur Ecclesia, videatur in locis citatis n: 9375; & per ascendere ad illam significatur instituere illam, quoniam ideo ducebantur illuc, seu ascendebant; hic autem non significatur instituere illam, sed solum repræsentare illam, quia gens illa in externis absque interno erat, & Ecclesia apud hominem est in interno ejus: quoniam hic non significatur instituere Ecclesiam, sed solum repræsentare illa quæ Ecclesiæ sunt, ideo dicitur, *vade*, ascende *abhinc*, & quoque tu & populus quem ascendere *fecisti* e terra Ægypti, ita quem Moscheh ascendere fecit, & non Jehovah; ac in subsequente versu, "non ascendam in medio tui, quia populus durus cervice tu"; per quæ significatur quod non Divinum sit apud illos, & ubi Divinum non recipitur in interno, ibi nec Ecclesia est, est modo externum repræsentativum Ecclesiæ: & ex significatione ascendere facere e terra Ægypti, quod sit elevari ab externis ad internum; hic autem non elevari, quia dicitur quod Moscheh illos ascendere fecerit, & non quod Jehovah; quod id per ascendere facere e terra Ægypti significetur, videatur n: 10,421. Quod apud gentem Israeliticam Ecclesia non fuerit, sed modo repræsentativum Ecclesiæ, videatur n: 4281. 4288. 4311. 4500. 4899. 4912. 6304. 6704. 9320; ac ubivis in Capite præcedente.

10,527. Quam juravi Abrahamo, Jischako & Jacobo, semini tuo dabo illam, quod significet promissam illis qui a Domino sunt in bono amoris & veris fidei, constat ex significatione jurare, cum a Jehovah, quod sit con-

 firmatio

firmatio a Divino, in interno homine, de qua n: 2842. 3375. 9166, ita quoque promissio a Divino, nam quod promissum est a Divino, hoc quoque est confirmatum; ex repræsentatione Abrahami, Jischaki, & Jacobi, quod in supremo sensu sit Dominus quoad Ipsum Divinum, ac Divinum Humanum, & in respectivo sensu Cœlum & Ecclesia, de qua n: 3245. 3251. 3305 fin: 4615. 6098. 6185. 6276. 6804. 10,445; & ex significatione seminis eorum, quod sint qui in bono amoris & veris fidei a Domino, ita in sensu abstracto bonum amoris & verum fidei, de qua n: 3373. 10,445.

10,528. Et mittam ante te Angelum, quod significet Divinum Domini, ex quo Ecclesia & ejus cultus, constat ex significatione Angeli, quod in sensu supremo sit Dominus quoad Divinum Humanum, & in sensu respectivo Divinum Domini in cœlo apud angelos, etiam in Ecclesia apud homines, de qua sequitur; & ex significatione mittere ante te, quod sit præparare: quod Angelus in supremo sensu sit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur n: 1925. 3039. 6280. 6831. 9303; & quod in sensu respectivo sit Divinum Domini in Cœlo apud Angelos, n: 1925. 2821. 4085. 6831. 8192; inde sequitur, quod Angelus etiam sit Divinum Domini apud homines, qui id recipiunt; homines enim qui in bono amoris & in veris fidei in Dominum a Domino sunt, fiunt angeli post mortem, & qui fiunt etiam sunt quoad interiora sua, cum vivunt in mundo; inde est, quod Johannes Baptista dicatur Angelus in Verbo, ut apud Lucam, "*Hic est, de quo scriptum est, ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*, qui præparabit viam tuam coram Te," VII: 27: & quod Angelus ibi sit Divinum Domini apud illum, apud Malachiam, "*Ecce Ego mitto Angelum meum*, qui parabit viam ante Me; & subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & *Angelus fœderis*, quem vos desideratis," III: 1; quod Divinum Domini per Angelum ibi intelligatur, est quia Johannes Baptista repræsentavit Dominum quoad Verbum, sicut Elias, & Verbum est Divinum Verum quod a Domino; quod Elias id repræsentaverit, videatur Præfatio ad Cap: XVIII Genes: & n: 2762. 5247 fin: & quod Johannes Baptista n: 9372: & quia in supremo sensu Dominus quoad Divinum Humanum est Angelus, ideo dicitur, "Veniet ad Templum suum Dominus, & Angelus fœderis," Templum est Divinum Humanum Ipsius, ut patet apud Johannem Cap: II. Vers: 18 ad 23: quod dicatur & Dominus & Angelus, est quia Dominus dicitur ex Divino Bono, & Angelus ex Divino Vero: quia Jehovah in Verbo est Ipse Dominus, ideo dicitur, "Mitto angelum meum, qui parabit viam *ante Me*"; hoc dicitur a Jehovah.

10,529. Et expellam Canaanitam, Emorritam, & Chittitam, & Perisitam, Chivitam & Jebusitam, quod significet ejectionem inde omnium malorum & falsorum, constat ex repræsentatione Gentium in terra Canaane, quod sint mala & falsa Ecclesiæ & Cultus, de qua n: 9320, & in locis citatis n: 9327; sed quodnam malum & falsum per quamlibet gentem significatur, videatur in explicationibus, ubi de illis agitur, ut de Canaanita n: 1573. 1574. 4818: de Emorrita n: 1857. 6306. 6854: de Chittita n: 2913.

6858: de Perisita, n: 1573. 1574. 6859: de Chivita, & de Jebusita, n: 6860.

10,530. Ad terram fluentem lacte & melle, quod significet amænum & jucundum ex bono fidei & amoris, constat a significatione terræ, quod sit Ecclesia, de qua in locis citatis n: 9375; ex significatione lactis, quod sit bonum spirituale, quod est bonum fidei, de qua n: 2184; & ex significatione mellis, quod sit bonum cœleste, quod est bonum amoris; & ex significatione fluere, quod sit plenum esse; & quia hæc significantur per terram fluentem lacte & melle, etiam significatur amænum & jucundum ex bono fidei & amoris, videatur n: 5620: dicitur amænum & jucundum ex illis, quoniam in bono fidei & amoris est ipsum amænum & jucundum cœleste; omne enim bonum suum jucundum habet, id enim dicitur bonum quod amatur, & omne jucundum est amoris: jucundum quod intelligitur per gaudium cœleste & per felicitatem æternam, non aliunde est quam ex amore veri & boni, quod hoc jucundum sit supra omne jucundum cujuscunque amoris in mundo, nesciunt prorsus illi, qui omne jucundum ponunt in mundanis, corporeis, & terrestribus.

10,531. Quia non ascendam in medio tui, quod significet non tamen usque Divinum apud ipsam gentem, constat ex significatione non ascendere in medio populi, cum hoc dicitur a Jehovah, quod sit quod non Divinum sit in ipsa gente, ita non Ecclesia; apud quem enim est Ecclesia, ibi est Divinum; nam ascendere ad terram est constituere Ecclesiam, ut supra n: 10,526; & in medio tui, est in interno ejus.

10,532. Quia populus durus cervice tu, quod significet quod non recipiat aliquem influxum a Divino, constat ex illis, quæ n: 10,429, ostensa sunt, ubi similia verba.

10,533. Forte consumsero te in via, quod significet quod gens illa, si Divinum influeret apud illam, periret, constat ex significatione consumere, quod sit perire; quod peritura gens illa, si Divinum influeret apud illam, patet, nam dicitur, non ascendam in medio tui, forte consumsero te in via. Cum his ita se habet, qui in externis sunt absque interno, ita in amoribus sui & mundi, plane non recipere possunt aliquod Divinum; quapropter internum apud illos clausum tenetur; si apud illos aperiretur internum, ac influeret Divinum, prorsus perirent; vita enim eorum est ex amoribus sui & mundi, & perpetua oppositio & contrarietas est inter illos amores & inter cœlestes amores, & cœlestes amores sunt Divinum, quapropter ex influxu Divini exstingueretur vita eorum: quod gens Israelitica in externis absque interno fuerit, ita in illis amoribus, supra sæpius ostensum est.

10,534. Vers: 4. 5. 6. *Et audivit populus verbum malum hoc, & luxerunt, & non posuerunt aliquis ornatum suum super se. Et dixit Jehovah ad Moschen, dic ad filios Israelis, vos, populus durus cervice, momento uno ascendero in medio tui, & consumsero te; & nunc descendere fac ornatum tuum desuper te, & cognoscam quid faciam tibi. Et abripuerunt filii Israelis ornatum suum, a monte Choreb.* Et audivit populus verbum malum hoc, & luxerunt, significat

dolorem

dolorem eorum ob non eminentiam ſuper alios: & non poſuerunt aliquis ornatum ſuum ſuper ſe, ſignificat quale externi eorum, quod abſque Divino: & dixit Jehovah ad Moſchen, ſignificat inſtructionem: dic ad filios Iſraelis, vos populus durus cervice, ſignificat quod gens illa non receptura ſit influxum a Divino: momento uno deſcendero in medio tui, & conſumſero te, ſignificat quod perituri, ſi Divinum influeret apud illos: & nunc deſcendere fac ornatum tuum deſuper te, ſignificat quale externi illorum quod abſque Divino: & cognoſcam quid faciam tibi, ſignificat quod ſic aliquid apud illos exiſtere poſſit: & abripuerunt filii Iſraelis ornatum ſuum, ſignificat deprivationem Divini Veri in externis apud illos: a monte Choreb, ſignificat in externis Cultus, Eccleſiæ & Verbi.

10,535. Et audivit populus verbum malum hoc, & luxerunt, quod ſignificet dolorem eorum ob non eminentiam ſuper alios, conſtat ex ſignificatione audire verbum malum hoc & lugere; quod ſit dolor ob non eminentiam ſuper alios, patet ex illis, quæ prius de illa gente oſtenſa ſunt, quod nempe inſtiterint, quod apud illos Eccleſia inſtituenda eſſet, ſed hoc ob non alium finem, quam ut eminerent ſupra omnes gentes in univerſo terrarum orbe, nam in amore ſui fuerunt præ illis, & ad eminentiam ſuper illas non per aliud extolli potuerunt, quam ut apud illos eſſet Jehovah, ita quoque Eccleſia, nam ubi Jehovah, hoc eſt, Dominus, ibi Eccleſia. Quod hic finis fuerit, conſtat a pluribus locis in Verbo, ut quoque ab his in hoc Capite, "Dixit Moſcheh, in quo notum fiet uſquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus, *nonne in eundo Te cum nobis, & præſtantes reddemur ego & populus tuus præ omni populo, qui ſuper faciebus terræ*," Verſ: 16: quod non electio fuerit, ſed permiſſio quod Eccleſia apud illos inſtituta fuerit, ſed quod uſque in ipſa gente Eccleſia non fuerit, verum modo repræſentativum Eccleſiæ, videatur in locis citatis 10,396 fin:

10,536. Et non poſuerunt aliquis ornatum ſuper ſe, quod ſignificet quale externi eorum quod abſque Divino, conſtat ex ſignificatione ornatus, quod ſit Divinum in externis, ita non ponere ornatum ſuper ſe, eſt abſque Divino in externis: quod hoc per ornatum ſignificetur, eſt quia ornatus ad veſtes refertur, & per veſtes in genere ſignificantur Divina vera; quod per veſtes in genere ſignificentur Divina Vera, ducit cauſam ex repræſentativis in altera vita, ibi omnes tam angeli quam ſpiritus apparent induti veſtibus, & quiſque ſecundum vera ſua; qui in genuinis Veris Divinis ſunt, illi apparent induti veſtibus albis ſplendeſcentibus; ac alii aliis: ſpiritus quidam non ſciunt unde illis veſtes veniunt, ſed induuntur neſcientibus illis; & quoque veſtes eorum variantur ſecundum mutationes ſtatus eorum quoad vera: verbo, intellectuale eorum eſt quod ſiſtitur & repræſentatur per veſtes; nam intellectuale cujuſvis formatum eſt per vera, & fit tale, qualia ſunt vera ex quibus; intellectuale apud angelos cœli eſt in interno eorum, inde illis veſtes albæ ſplendentes, ſplendor eſt ex Divino Bono, & albedo eſt ex luce cœli, quæ eſt Divinum Verum: at veſtes illorum qui in externis ſunt abſque interno, ſunt furvæ ac laceræ, quales mendicorum in plateis & latronum in ſylvis; inde conſtare

potest, quid per ornatum significatur, quod nempe sancta vera Ecclesiæ, & inde per non ponere ornatum, esse absque sanctis veris Ecclesiæ, & applicate ad gentem Israeliticam, quæ in externis absque interno erat, quale externi absque veris a Divino. Quod vestes sint vera, videatur n: 2132. 2576. 4545. 4763. 5248. 5319. 5954. 6378. 6914. 6917. 6918. 9093. 9158. 9212. 9216. 9814. 9827. 9952: quid vestes Aharonis & filiorum ejus, n: 9814. 10,068: quod ornatus in Verbo significet sancta vera Ecclesiæ videbitur in sequente articulo n: 10,540.

10,537. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet instructionem, constat ex significatione dicere, cum a Jehovah, quod sit instructio, de qua in locis citatis n: 10,277; hic instructio, quod Divinum Verum non esset apud ipsam gentem, quod significatur per quod descendere facerent ornatum suum desuper se, de qua re sequitur.

10,538. Dic ad filios Israelis, vos populus durus cervice, quod significet quod gens illa non receptura sit influxum a Divino, constat ex illis quæ n: 10,429 ostensa sunt, ubi similia.

10,539. Momento uno ascendero in medio tui, & consumsero te, quod significet quod perituri si Divinum influeret apud illos, constat ex illis quæ supra n: 10,531. 10,532, ostensa sunt, ubi etiam similia.

10,540. Et nunc descendere fac ornatum tuum desuper te, quod significet quale externi eorum quod absque Divino, constat ex significatione ornatus, cum agitur de Ecclesia, quod sit sanctum Verum, seu Divinum in externis, de qua supra n: 10,536; & ex significatione descendere facere illum desuper se, quod sit exuere illud, ita absque illo esse. Quod Divinum in externis, seu sanctum Verum, per ornatum significetur, constat ex sequentibus his locis; apud Ezechielem, "*Vestivi* te acupicto, & *calceavi* te taxo, & *accinxi* te bysso, & obtexi te serico, & *ornavi te ornatu*; & dedi armillas super manus tuas, & torquem super guttur tuum, & dedi monile super nasum tuum, & inaures super aures tuas, & *coronam decoris* super caput tuum: *sic ornata es auro & argento*; & vestes tuæ byssus & sericum, & acupictum: unde pulchra facta es valde admodum, & prosperata es usque ad regnum; quare exivit nomen tuum in gentes de pulchritudine tua, *nam perfecta hæc in ornatu meo, quem posueram super te*," XVI: 10 ad 14; agitur ibi de Hierosolyma, per quam significatur Ecclesia, quæ a Domino instaurata fuit post diluvium, cui successit Israelitica & Judaica; qualis hæc fuit etiam describitur in eodem Capite; sed qualis antiqua illa fuit, ibi describitur, & ejus sancta vera per ornatus illos: quisque videre potest, quod talia, quæ Ecclesiæ sunt, significentur per singula illa, & quod per unumquodvis aliquod peculiare; ad quid aliter talis descriptio Hierosolymæ: at quid Ecclesiæ unumquodvis significat, non aliunde constare potest, quam ex sensu interno; hic enim sensus docet, quidnam in spirituali mundo singulis correspondet; ex quo constare potest, quod acupictum sit Verum scientificum, n: 9688; byssus verum intellectuale quod ex Divino, n: 5319. 9469. 9596. 9744; armillæ, vera quoad potentiam, n: 3103. 3105: torques verum ex bono quoad influ-

xum

xum, & inde conjunctionem interiorum & exteriorum, n: 5320; monile, verum quoad perceptionem, & inaures vera quoad obedientiam, n: 4551. 10,402: corona decoris, bonum spirituale, quod est bonum veri, corona bonum, n: 9930, decus spirituale, n: 9815: aurum & argentum, bonum & verum in genere, n: 113. 1551. 1552. 5658. 6914. 6917. 9874: simila, mel, & oleum, sunt vera & bona externa & interna, simila verum ex bono, n: 9995, mel bonum externum, n: 10,530; oleum, bonum internum, n: 886. 4582. 4638. 9474. 9780. 10,254 10,261: pulchritudo est forma veri ex bono, n: 3080. 3821. 4985. 5199: quod Hierosolyma, de qua illa dicuntur, sit Ecclesia, videatur n: 402. 2117. 3654: inde patet, quid ornatus, quod nempe sanctum Verum in omni complexu. Similia significantur per ornamenta filiarum Zionis, quæ recensentur apud Esaiam, "In die illo *removebit Dominus ornatum compedum*, & reticulorum, & lunularum; & myrothecidiorum, & catenularum, & bracteolarum, & tiaras, & periscelides, & alligamenta & domos animæ, & incantationes; annulos, & *ornamenta nasi*, mutatorias vestes, & amicula, & pepla, & aciaria, specula & sindones, & cidares, & carbasa: & fiet, loco aromatis tabes erit, & loco cinguli discissio, & loco operis implexi calvities, & loco togæ cinctura sacci, adustio loco pulchritudinis: homines tui gladio cadent, & robur tuum in bello," III: 18 ad 25; qui non ultra sensum literæ cogitant, non aliter sciunt, quam quod omnia illa, quibus ornatæ dicuntur filiæ Zionis, secundum literam intelligenda sint; & quod propter ornatum illarum, & inde elationem & superbiam, homines regni istius interirent, nam dicitur, *quod homines gladio cadent*, & *robur in bello*; sed quod talia non intelligantur, scire possunt illi qui animum aliquantum supra literam elevant; hi ex variis locis in Verbo sciunt, quod per filias Zionis non intelligantur filiæ Zionis, sed talia quæ sunt Ecclesiæ, sicut etiam per filias Hierosolymæ, filias Israelis, filias Jehudæ, & plures alias; quod per illas significentur Ecclesia, & illa quæ Ecclesiæ sunt, videatur n: 6729. 9055, fin: cum itaque Ecclesia, & illa quæ Ecclesiæ sunt, per filias Zionis significantur, sequitur quod per ornamenta illarum ibi recensita significentur vera & bona Ecclesiæ, & quod singula aliquod verum & bonum in specie; nam in Verbo nihil inaniter dicitur, ne quidem una vocula; & quia Ecclesia illa suis veris & bonis, quæ per ornatus illos significantur, orbabitur, ideo dicitur, *quod loco aromatis tabes erit*, *loco cinguli discissio*, *loco operis implexi calvities*, *loco togæ cinctura sacci*, *adustio loco pulchritudinis: & quoque quod homines gladio cadent*, *& robur in bello*," per aroma enim significatur Divinum Verum quoad ejus perceptivum, n: 10,199. 10,291; per tabem privatio ejus; per cingulum significatur vinculum continens vera & bona in suo nexu, n: 9341 fin: 9828. 9837, discissio loco ejus est dissolutio & dissipatio eorum; per opus implexum, verum scientificum, n: 2831; per calvitiem deprivatio intelligentiæ veri ac sapientiæ boni, n: 9960: per adustionem consumptio eorum per mala amoris sui, n: 1297. 2446. 7852. 9055. 9041: per pulchritudinem forma veri ex bono in Ecclesia, ita ejus perfectio, n: 3080. 3821. 4985. 5199: & per gladium, per quem

cadent

cadent homines, falsum destruens verum & bonum, n: 2799. 4499. 6353. 7102. 8294: per non robur in bello, significatur non aliqua resistentia contra malum & falsum: bellum enim est pugna spiritualis, ac tentatio, n: 1659. 1664. 2686. 8273. 8295. 10,455: ex his nunc patet, quod per ornatum in genere significetur Divinum Verum Ecclesiæ: simile per ornatum in Libro II Samuelis, "Filiæ Israelis super Schaule flete, qui *amicivit vos dibapho* cum amænis, qui imposuit *ornatum auri super vestem vestram*," I: 24, hæc in lamentatione Davidis super Schaule, quam inscripsit ad docendum filios Jehudæ arcum, Vers. 18, ibi, per arcum ibi significatur doctrina veri pugnantis contra falsa mali, n: 2686. 2709. 6402; inde per filios Israelis significantur affectiones veri, quæ Ecclesiæ, n: 2362. 3963. 6729. 6775. 6788. 8994.: amiciri dibapho cum amænis est veris interioribus Ecclesiæ, quæ ex bono, n: 4922. 9468: imponere ornatum auri super vestem, est facere ut vera ex bono pulchra sint; quod aurum sit bonum, videatur in locis citatis n: 9874; & quod vestis sit verum in genere, in locis citatis supra n: 10,536 fin: quod lamentatio Davidis super Schaule agat de doctrina veri pugnantis contra falsum mali, quæ significatur per arcum, erat quia per Regem, seu per Regium quod fuit Schauli, significatur Divinum Verum quoad tutelam & quoad judicium, n: 1672. 2015. 2009. 3009. 4575. 4581. 4966. 5044. 5068. 6148: Simile per ornatum significatur alibi apud Davidem, "Date Jehovæ gloriam nominis Ipsius, incurvate vos Jehovæ *in ornatu sanctitatis*," Psalm: XXIX: 2; in ornatu sanctitatis est in genuinis veris Ecclesiæ. Similiter apud Esaiam, "Festinabunt filii tui: tolle circumcirca oculos tuos, & vide omnes congegrantur: vivus Ego, dictum Jehovæ, *quod omnes sicut ornatum induitura sis, & circumligatura eos sicut sponsa*," XLIX: 17. 18; hæc etiam de Zione, per quam significatur Ecclesia cœlestis; per filios qui festinabunt, significantur vera Ecclesiæ illius, quod filii sint vera, videatur n: 489. 491. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257. 9807; inde est, quod dicatur, quod omnes illos sicut ornatum induitura sit, & circumligatura sicut sponsa, quod dici potest de veris Ecclesiæ, non autem de filiis Zionis. Quia pœne omnia in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque illa quæ sunt ornatus, per quæ significantur vera falsificata, ut apud Jeremiam, "Tu vastata quid facies, si indueris te dibapho, *si ornaveris te ornatu auri*, si ruperis stibio oculos tuos, frustra pulchram reddes te," IV: 29. 30: & apud Hoscheam, "Visitabo super illam dies baalium, quibus suffimenta adoluit, & induit inaurem suam, & *ornatum suum*, ivitque post amasios suos, & mei oblitus est, II: 13, & alibi.

10,541. Et cognoscam quid faciam tibi, quod significet quod sic aliquid apud illos existere possit, constat ex serie rerum in sensu interno, nam gens illa in sancto externo esse potuit, & non simul in sancto interno; & quia sic apud illam externum Ecclesiæ potuit esse, tametsi non internum, ideo per cognoscam quid faciam, significatur quod sic aliquid apud illos existere possit.

10,542. Et abripuerunt filii Israelis ornatum suum, quod significet deprivationem Divini veri in externis apud illos, constat ex significatione abripere,

quod

quod sit orbari & deprivari; & ex significatione ornatus, quod sit sanctum Verum, seu Divinum, de qua n: 10,536. 10,540.

10,543. A monte Choreb, quod sit in externis Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, constat ex significatione montis Chorebi, quod sit Divinum Verum in externis; Chorebus enim erat montanum circum montem Sinai, & per Montem Sinai significatur Divinum Verum; inde per Chorebum qui erat montanum circumcirca, significatur Divinum Verum in externis; quod enim in medio est, & quod altum præ circumjacentibus, significat internum; & inde per quod circum est, & infra, significatur externum: quod Mons Sinai significet Divinum Verum, videatur n: 8805, 9420: quod medium sit internum, n: 1074. 2940 2973. 5897. 6084. 6103. 9164; similiter altum, n: 2148. 4210. 4599. 9489. 9773. 10,181: quod circum circa sit externum, n: 2973; similiter infra. Quia populus erat in externis, & non in interno, ideo cum Lex promulgabatur e monte Sinai, stetit ille in Chorebo infra montem, & mons circumsepiebatur, ne a populo attingeretur, Exod: XIX: 12. 13. 21. 23. 24. Cap: XX: 18. Deutr: IV. 10. 11. 12. Dicitur externum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, quia externum unius est externum alterius, Cultus enim est Ecclesiæ, ac vera & bona Ecclesiæ, & ejus Cultus sunt, ex Verbo; quare qui in externis Cultus & Ecclesiæ sunt, in externis Verbi sunt.

10,544. Vers: 7 ad 11. *Et Moscheh accepit tentorium, & tetendit sibi extra castra, elongando a castris, & vocavit illud tentorium conventus: & fuit omnis interrogans Jehovam, exivit ad tentorium conventus quod extra castra. Et fuit, cum exivit Moscheh ad tentorium, surrexerunt omnis populus, & steterunt quisque ad ostium tentorii ejus, & spectarunt post Moschen usque ad intrare illum in tentorium. Et fuit, cum intravit Moscheh tentorium, descendit columna nubis, & stetit ad ostium tentorii, & loquebatur cum Moscheh. Et vidit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorii, & surrexit omnis populus, & incurvaverunt se quisque ad ostium tentorii ejus. Et loquutus est Jehovah ad Moschen, facies ad facies, quemadmodum loquitur vir ad proximum suum; & reversus est ad castra, & minister ejus Jehoschua filius Nunis puer non emovit se e medio tentorii.* Et Moscheh accepit tentorium, significat sanctum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi: & tetendit sibi extra castra, elongando a castris, significat remotum ab externis in quibus ipsa gens: & vocavit illud tentorium conventus, significat externum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi: & fuit omnis interrogans Jehovam exivit ad tentorium conventus quod extra castra, significat quod omnes instructiones de veris & bonis Ecclesiæ & Cultus darentur cuique per in externum Verbi remote ab externis in quibus erat gens illa: & fuit, cum exivit Moscheh ad tentorium, surrexerunt omnis populus, & steterunt ad ostium tentorii, significat quod gens illa non in externo Verbi, Ecclesiæ & Cultus esset, sed extra illud: & spectarunt post Moschen, usque dum intraret in tentorium, significat quod externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus videant, sed quod evanescat ex captu eorum: & fuit, cum intravit Moscheh in tentorium, descendit columna nubis, & stetit ad ostium tentorii, & loquebatur cum Moscheh, significat postquam Verbum evanuit ex captu eorum,

eorum, densum obscurum occuparet illos ad extra, & tamen clare perciperetur ab intra: & vidit omnis populus columnam nubis stantem ad ostium tentorii, significat densum obscurum occupans illos ad extra: & surrexit omnis populus, & incurvaverunt se, quisque ad ostium tentorii, significat quod gens illa sancte adoraverit externum suum: & loquutus est Jehovah ad Moschen facies ad facies, significat Divina in Verbo conjuncta: quemadmodum loquitur vir ad proximum suum, significat conjunctionem veri & boni: & reversus est ad castra, significat ad externum in quo gens illa: & minister ejus Joschua filius Nunis puer non emovit se e medio tentorii, significat Divinum verum ministrans in sanctis Ecclesiæ & Cultus loco Moschis interea.

10,545. Et Moscheh accepit tentorium, quod significet sanctum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, constat ex significatione Tentorii, quod in supremo sensu sit Dominus, & quoque Cœlum & Ecclesia, & in sensu respectivo omne sanctum Cœli & Ecclesiæ, inde quoque sanctum Cultus & sanctum Verbi, nam hæc sunt Ecclesiæ, & sunt Domini, quia ab Ipso. Quod Tentorium illa significet, est quia Antiquissimi in tentoriis habitabant, & quoque in illis sanctum suum cultum habebant; apud antiquissimos fuit Ecclesia cœlestis, quæ sanctissima omnium Ecclesiarum sequentium fuit, Dominum enim adorabant, Ipse fuit illis Jehovah; & quia Ipse illos ducebat, commercium habebant cum angelis cœli; & inde a Domino in sapientia cœlesti erant: instauratio illius Ecclesiæ est quæ describitur per Creationem Cœli & Terræ in Primo Capite Geneseos, & eorum sapientia per Paradisum; nam per Cœlum & Terram in Verbo significatur Ecclesia, per Paradisum intelligentia & sapientia, & per hominem ipsa Ecclesia, pariter per humum, ex qua nominatus est Adam; quod Cœlum & Terra in Verbo sit Ecclesia, Cœlum Ecclesia interna, & terra Ecclesia externa, videatur n: 1733. 1850. 2117. 2118. 3355 fin: 4535. 10,373; quod intelligentia & sapientia describatur per paradisos & hortos, n: 100. 108. 2702. 3220: quod homo, sit Ecclesia, n: 478. 768. 4287 9176; & quoque humus, n: 566. 1068: & quod creare hominem sit instaurare Ecclesiam, 16. 88. 10,373: videantur præterea n: 8891. 9942. Ex eo quod Ecclesia illa præ cæteris amata fuerit, & Dominus apud illos in tentoriis habitaverit; Dominus enim dicitur habitare apud hominem qui in amore in Ipsum est, Johan: XIV: 24; ideo in memoriam illorum Tabernaculum seu Tentorium Conventus exstructum fuit apud Gentem Israeliticam, in quo sanctum cultus habebatur; ac ideo festum Tabernaculorum seu tentoriorum institutum est. Quod per Tentorium significentur sancta illa, ac in specie sanctum cultus, constat ex sequentibus his locis; apud Esaiam, "Canta sterilis, non pepererat; *amplifica locum Tentorii tui*, cortinas habitaculorum tuorum expandant," LIV: 1. 2; amplificare locum tentorii est illa quæ sunt Ecclesiæ, & inde quæ sunt cultus; expandere cortinas habitaculorum est multiplicare vera; quod cortinæ sint vera Ecclesiæ, videatur n: 9595. 9596. 9606. 9756; sterilis est qui non prius in veris & bonis Ecclesiæ fuit, n: 3908. 9325. Apud Jeremiam, "Devastata est tota terra, *subito devastata*

sunt

ſunt Tentoria mea, memento cortinæ meæ," IV : 20; quod terra ſit Eccleſia, videatur in locis citatis n: 9325; & quia Eccleſia eſt Eccleſia ex bonis amoris & veris fidei, ideo dicitur devaſtata ſunt tentoria, & cortinæ, tentoria ſunt bona Eccleſiæ, ac cortinæ ſunt vera ejus. Apud Eundem, "*Tentorium meum devaſtatum eſt*, & omnes funes mei evulſi, filii mei exiverunt a me, & non illi, *non tendens amplius tentorium meum*, aut erigens cortinas meas, quia ſtulti facti ſunt paſtores," X : 20. 21; ſimilia hic per Tentorium & per cortinas ſignificantur; funes evulſi ſunt quod non amplius conjunctio boni & veri, ac verorum inter ſe; ideo quoque dicitur, filii mei exiverunt, quia per filios ſignificantur vera; quod funes ſint conjunctio, videatur n: 9777. 9154. 9880: & quod filii ſint vera, n: 489. 491. 533. 2623. 2803. 2813. 3373. 3704. 4257. 9807. Apud Davidem, "*Jehovah commorabitur in Tentorio tuo*; quis habitabit in monte ſanctitatis tuæ, qui ambulat integer, & qui facit juſtitiam, & loquitur veritatem in corde ſuo," Pſalm: XV: 1. 2, commorari in tentorio Jehovæ, eſt in Cœlo, & ibi in bono amoris. Apud Eundem, "*Manebo in Tentorio tuo in æternitates*," Pſalm: LXI: 5, ſimiliter. Apud Amos, "In die illo *erigam Tentorium Davidis collapſum*, & obſepiam rupturas & deſtructa ejus reſtituam," IX: 11; Tentorium Davidis eſt Eccleſia Domini, & ſanctum cultus Ipſius; obſepire rupturas & deſtructa reſtituere, eſt reſtaurare illa, amovendo falſa: quod David in Verbo ſit Dominus, videatur n: 1888. 9954; inde eſt quod Tentorium Davidis ſit Eccleſia Domini, & ſanctum cultus. Apud Jeremiam, "Ecce Ego reducens *captivitatem Tentoriorum Jacobi*, & habitaculorum ejus miſerabor," XXX: 18, tentoria Jacobi & habitacula ejus pro Eccleſiæ bonis & veris. Quoniam per Tentoria ſignificantur bona Eccleſiæ & Cultus, ideo per Tentoria in oppoſito ſenſu ſignificantur mala Cultus & Eccleſiæ, ut conſtare poteſt ex his locis; apud Jeremiam, "Formoſæ aſſimilabo Filiam Zionis, ad eam venient paſtores & greges eorum, & *figent contra eam tentoria* circumcirca," VI: 2. 3. Apud Eundem, "Aſcendite contra Arabiam, & devaſtate filios orientis, *tentoria eorum*, & greges eorum ſument, cortinas eorum, & omnia vaſa eorum," XLIX: 28. 29. Apud Hoſcheam, "Quid facietis die ſolennitatis, & die feſti Jehovæ, quia ecce abiverunt præ devaſtatione, deſiderabilia argenti eorum, carduus poſſidebit ea, *ſpina in tentoriis eorum*," IX: 5. 6. Apud Davidem, "Percuſſit omnem primogenitum Ægypti, principium roborum *in tentoriis Chami*," Pſalm: LXXVIII: 51.

10,546. Et tetendit ſibi extra caſtra, elongando a caſtris, quod ſignificet remotum ab externis in quibus ipſa gens, conſtat ex ſignificatione tendere tentorium, quod ſit providere, diſponere & ordinare illa quæ Eccleſiæ & Cultus ſunt; per tentorium enim ſignificatur ſanctum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, de quo mox ſupra n: 10 545, inde per tendere illud, ſignificatur providere, diſponere, & ordinare illa; & ex ſignificatione caſtrorum, quod ſint ordo cœleſtis, ex quo & ſecundum quem eſt Cœlum & Eccleſia; & quia omnia vera & bona Cœli & Eccleſiæ, ſunt ordinis illius, inde etiam ſignificatur continens illorum: quod hæc per caſtra ſignificentur, eſt quia per filios

Israelis, qui formabant castra, significantur omnia vera & bona in complexu; at cum filii Israelis colebant vitulum pro Jehovah, tunc per castra eorum significabatur contrarium, ita ordo infernalis, & quoque continens falsi & mali, quæ faciunt infernum: sive dicas externum cultus & ecclesiæ absque interno, sive infernum, idem est; nam qui in externo cultus sunt absque interno, in amoribus sui & mundi sunt, & amores sui & mundi ex inferno sunt; inde patet, cur Moscheh accepit tentorium suum, & tetendit illud extra castra, elongando a castris, nam per tentorium, ut supra dictum est, significabatur sanctum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi; & cur per illa verba significatur remotum ab externis, in quibus gens Israelitica erat. Quod per castra significetur ordo cœlestis, & per castrametationem dispositio boni & veri secundum ordinem cœlestem, videatur n: 4236. 8103 fin: 8130. 8131. 8155. 8193. 8196; & quod inde per castra significetur Cœlum & Ecclesiæ, quatenus continens, n: 10,038; ac in opposito sensu infernum, n: 10,458; quod etiam externum Cultus & Ecclesiæ separatum ab interno, sit infernum, n: 10,483. 10,489: ex causa, quia qui in externis separatis ab interno sunt, nusquam aliquem influxum Divinum recipiunt, n: 10,429. 10.472; & inde nihil fidei & amoris in Dominum habere possunt, n: 10,396. 10,400. 10,411: quod spectent modo ad suos amores, ita ad infernum, n: 10,422: & inde quod semet pro deo colant, n: 10,407. 10,412: quod gens Israelitica in externis separatis ab interno fuerit, in locis citatis n: 9380; & n: 9373. 9381. 10,396. 10,401. 10,407. 10,492. 10,498. 10,500. 10,533.

10,547. Et vocavit illud Tentorium conventus, quod significet externum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, in quo interna, constat ex significatione tentorii conventus, quod sit externum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, in quo interna; per tentorium enim significatur sanctum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, n: 10,545, & per conventum significatur ubi interna, nam omnia interna simul in externis sunt, videatur n: 6451. 9216. 9828. 9836. Per conventum in sensu literæ intelligitur conventus filiorum Israelis; at in sensu interno significatur conventus verorum & bonorum Ecclesiæ, quoniam per filios Israelis in bono sensu significantur vera & bona Ecclesiæ in complexu, videatur n: 5414. 5879. 5951. 7956; similiter per congregationem & cætum filiorum Israelis, n: 7830. 7843: ac vera & bona Verbi, Ecclesiæ, & Cultus in interno eorum sunt, nam in interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus sunt cœlestia & spiritualia, in externo autem naturalia & mundana, ac omnia cœlestia & spiritualia influunt in naturalia & mundana, & desinunt in illa, ac formant & constituunt illa; inde est quod externum significetur per conventum: ita se habet cum sensu externo Verbi, qui vocatur sensus literæ ejus; ita quoque cum externis Ecclesiæ & Cultus, nam ea sunt e Verbo.

10,548. Et fuit omnis interrogans Jehovam exivit ad Tentorium conventus quod extra castra, quod significet quod omnes instructiones de veris & bonis Ecclesiæ & cultus darentur cuique per externum Verbi, remote ab externis in quibus erat gens illa, constat ex significatione interrogare Jehovam, quod sit instrui de veris & bonis Ecclesiæ & cultus, nam omnis interrogatio

rogatio Jehovæ sit propter instructionem de illis; ex significatione tentorii conventus, quod sit externum Ecclesiæ & Cultus, de qua mox supra n: 10,547; & ex significatione extra castra, quod sit remotum ab externis in quibus gens illa, de qua etiam supra, n: 10,546; inde patet, quod per quod omnis interrogans Jehovam exiverit ad tentorium conventus quod extra castra, significetur quod omnis instructio de veris & bonis Ecclesiæ & Cultus daretur per externum Verbi, remote ab externis in quibus erat gens illa. Dicitur per externum Verbi, quia omnis instructio de veris & bonis fidei & amoris, quæ faciunt Ecclesiam, & ingrediuntur cultum, inde est; & quia interrogare Dominum, est consulere Verbum, nam in Verbo est Dominus præsens, est enim Verbum Divinum Verum quod ab Ipso, & apud angelos in suo Divino Vero est, & quoque apud homines Ecclesiæ, qui recipiunt Ipsum. Dicitur per externum Verbi, quia in externo Verbi sunt omnia interna simul, ita omnia vera & bona Cœli & Ecclesiæ, secundum illa quæ n: 10,547, ostensa sunt; inde est, quod in ultimis responsa & revelata, n: 9905; omnia etiam doctrinalia Ecclesiæ inservientia cultus dantur per externum Verbi; sed dantur solum illis, qui in illustratione sunt a Domino, cum legunt Verbum; tunc enim influit lux e cœlo in illos per sensum internum, videatur n: 9382. 9409. 9424. 9430. 9025. 10,105. 10,324. 10,401. 10,431. Quod sit remote ab externis in quibus erat gens Israelitica, est quia externum Verbi apud illam gentem prorsus aliter apparet, & inde aliter explicatur, ut constare potest ex eo, quod ibi nihil videant de fide & amore in Dominum, ne quidem de Domino, & de Cœlo ab Ipso; sed quæ vident sunt solum de mundanis & terrestribus, & imprimis de eminentia sua super alios; causa est, quia in externis sunt absque interno; & qui tales, nihil videre possunt ab interno; videre ab interno est e cœlo a Domino: ex his patet, quod externum Verbi, & inde Ecclesiæ & Cultus, apud illam gentem remotum sit ab externo Verbi, Ecclesiæ, & Cultus in se spectato: cultus illius gentis externus describitur nunc in sensu interno usque ad Vers: 11.

10,549. Et fuit cum exivit Moscheh ad tentorium, surrexerunt omnis populus, & steterunt ad ostium tentorii, quod significet quod gens illa non in externo Verbi, Ecclesiæ, & Cultus esset, sed extra illud, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis, n: 9372; ex significatione tentorii, quod sit sanctum Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, de qua supra n: 10,545; & ex significatione surgere & stare ante ostium tentorii, quod sit extra illud; ostium enim est introitus, introductio, & communicatio, n: 2145. 2152. 8989; inde stare ante illud, est non introire, introduci, & communicari.

10,550. Et spectarunt post Moschen, usque dum intraret in tentorium, quod significet quod externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus videant, sed quod evanescat ex captu eorum, constat ex significatione spectare post Moschen, quod sit videre externum Verbi, per Moschen significatur Verbum, ut supra n: 10,549; & per spectare post illum, significatur videre externum ejus;

nam quod ante est significat quod intra est, & quod post est significat quod extra est; inde videre posteriora Jehovæ, & non facies, est videre externum & non internum, de quibus ad Versum ultimum hujus Capitis; & ex significatione usque dum intraret in tentorium, quod sit quod evanescat e captu illorum, nam cum intrabat, non amplius videbatur.

10,551. Et fuit, cum intravit Moscheh in tentorium, descendit columna nubis & stetit ad ostium tentorii, & loquebatur cum Moscheh, quod significet postquam Verbum evanuit ex captu eorum, densum obscurum occuparet illos ad extra, & tamen clare perciperetur ab intra, constat ex significatione cum intravit Moscheh in tentorium, quod sit postquam Verbum evanuit e captu eorum, de qua nunc supra n: 10,550; ex significatione columnæ nubis, quod sit densum obscurum respective ad gentem illam; per nubem enim significatur externum Verbi, Præf: ad Cap: XVIII Genes: & n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8443. 8781; & quoque obscurum Verbi illis qui non in illustratione sunt, ac densum obscurum illis qui in externo Verbi separato ab interno sunt, n: 8106. 6832. 8814. 8819. 9430; ex significatione stare ad ostium, quod sit ad extra, de qua supra n: 10,549; ex significatione loqui cum Moscheh, quod sit clare percipere ab intra; per Moschen enim significatur Verbum in se spectatum, videatur n; 9372; & per loqui significatur percipere, in locis citatis n: 10,290: quod sit ab intra, est quia Moscheh, cum quo loquebatur columna nubis, intus in tentorio fuit. Quid sit videre ab extra, & percipere ab intra, dicendum est; qui in illustratione sunt cum legunt Verbum, illi vident illud ab intra, nam internum eorum apertum est, ac internum, quando apertum; est in luce cœli; hæc lux influit & illustrat, tametsi homo id nescit; quod nesciat, est causa, quia lux illa influit in cognitiones quæ in memoria hominis, & cognitiones illæ sunt in luce naturali; & quia homo ex illis cogitat sicut ex se, non appercipere potest influxum, sed usque ex variis indiciis scire potest, quod in illustratione fuerit: at usque fallitur omnis, qui credit se in illustratione esse, si non amet scire verum propter verum, & propter bonum vitæ, ita qui non amat Divinum Verum propter vitam, quoniam vivere secundum Divina vera ex Verbo, est amare Dominum; & a Domino, cum Ipse amatur, est omnis illustratio. Qui autem non pro fine habent vitam secundum Divina Vera ex Verbo, sed pro fine honorem, lucrum, ac famam, & sic Divina Vera Verbi pro mediis, illi haudquaquam in aliqua illustratione possunt esse, nam finis hic est mundanus & corporeus, & non spiritualis & cœlestis; & ideo claudit internum hominem, quo clauso nulla lux e cœlo influere potest & illustrare; hi si credunt se in illustratione esse cum legunt Verbum, prorsus falluntur; cogitant enim non ex cœlo sed ex mundo, ita non a Domino sed a semet; & quantum a semet & a mundo, tantum ex luce naturali separata a luce cœlesti, & lux naturalis separata a luce cœlesti est mera caligo in spiritualibus: hi si sibi persuadent vidisse aliquid ex illustratione, est fallacia, nam non aliunde percipiunt num verum sit, quam ex aliis per confirmationes, quod est videre verum ab extra, & non ab intra, vel ex fide persuasiva, quæ qualis sit, videatur

 n: 9363

n: 9363 ad 9369; tales poſſunt videre falſum ut verum, ac verum ut falſum, ut & malum ut bonum, ac bonum ut malum. Ex his conſtat, quid ſit videre Verbum ab extra, & percipere illud ab intra: videre illud ab extra, eſt quod ſignificatur per quod populus ſteterit ad oſtium tentorii, & ſpectaverit poſt Moſchen; tum quod viderit columnam nubis ſtantem ad oſtium tentorii, & incurvaverit ſe ad oſtium tentorii: at percipere Verbum ab intra eſt quod ſignificatur per quod Moſcheh intraverit in tentorium, & quod columna nubis, quæ ad oſtium tentorii, loquuta ſit cum Moſche. Paucis etiam dicetur, quomodo influxus fit, per quam illuſtratio; angeli æque ac homines percipiunt Verbum, cum legitur, ſed angeli ſpiritualiter, homines autem naturaliter: homo, cui internum apertum eſt, etiam percipit Verbum ſpiritualiter, ſed hoc neſcit ille cum in mundo vivit; quia ſpiritualis ejus cogitatio influit in naturalem in externo homine, & ibi ſe ſiſtit videndam; verum uſque interior illa cogitatio eſt quæ illuſtrat, & per quam fit influxus a Domino: quidam eruditi per intuitionem in ſua cogitata, & per reflexiones tunc, etiam obſervaverunt, quod detur apud hominem cogitatio interior, quæ non apparet, quare ejus ideas vocaverunt immateriales & intellectuales, quas diſtinxerunt ab ideis cogitationis exterioris quæ apparent, quas vocaverunt naturales & materiales: ſed neſciverunt quod interioris cogitationis ideæ ſint ſpirituales, & illæ cum defluunt, vertantur in naturales; & quod appareant ſub alia ſpecie, & ſub alio habitu: ex his aliquatenus conſtare poteſt, quomodo fit influxus, per quem illuſtratio.

10,552. Et vidit omnis populus columnam nubis ſtantem ad oſtium tentorii, quod ſignificet denſum obſcurum occupans illos ad extra, conſtat ex illis, quæ nunc ſupra n: 10,551, explicata ſunt.

10,553. Et ſurrexit omnis populus, & incurvaverunt ſe quiſque ad oſtium tentorii, quod ſignificet quod gens illa ſancte adoraverit externum ſuum, conſtat ex ſignificatione ſurgere & incurvare ſe, quod ſit ſancte adorare; & ex ſignificatione ad oſtium tentorii, quod ſit externum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus, de qua ſupra n: 10,549. Deſcribitur his verbis genius illius gentis, quod tametſi extra genuinum ſenſum Verbi ſunt, ac in tam denſo obſcuro de illo, uſque ſancte adorent illud, ſed ſanctum illud eſt ſanctum idololatricum oriundum ex amore ſui, prorſus ſeparatum a ſancto Divino: quod gens illa in tali ſancto ſit, cum in cultu, videatur n: 3479. 4281. 6588. 9377. 10,430. 10,500.

10,554. Et loquutus eſt Jehovah ad Moſchen facies ad facies, quod ſignificet Divina in Verbo conjuncta, conſtat ex ſignificatione loqui facies ad facies, quod ſit conjungi, per facies enim ſignificantur interiora, & cum interiora ſe mutuo ſpectant, & vident ſimile, tunc ſe conjungunt; hoc ſignificatur per loqui per facies ad facies, cum de Jehovah ad Moſchen, per quem intelligitur Verbum, per loqui enim ſignificatur perceptio, & per facies ad facies ſignificatur mutuo, inde perceptio mutua unius in alterius, quæ eſt conjunctio: hoc intelligitur de Verbo, quod tale ſit, quoniam Moſcheh hic eſt Verbum: Verbum enim tale eſt in ſuo interno, & in ſuo externo: in interno

omnia

omnia & singula conjuncta sunt, & quoque in externo; & quoque quæ in interno sunt cum illis quæ in externo per correspondentias: conjunctiones illæ non describi possunt, & si describerentur, non capi possent aliqua idea cogitationis; sunt cœlestia & spiritualia, quæ ibi sic inter se conjuncta sunt, & hæc per correspondentias cum naturalibus & mundanis, quæ sensum literæ faciunt: quales illæ conjunctiones sunt, sisti ad ideam aliquatenus potest per conjunctiones societatum angelicarum in cœlis, quæ simul sumtæ unum sunt, plane sicut membra, viscera, & organa apud hominem, quæ tametsi varia sunt, & quodlibet eorum intus ex innumerabilibus variis consistit, usque unum faciunt; tale etiam est Verbum quoad sua vera & bona: quod tale sit Verbum, prorsus nescit homo; sed sciunt angeli, hi enim percipiunt nexum interiorum Verbi. Ex his constare potest, quod per loquutus Jehovah ad Moschen facies ad facies significentur Divina in Verbo conjuncta. Quod aliud significetur per loqui facies ad facies, & aliud per videre Jehovam facie ad faciem, patet in sequentibus hujus Capitis, ubi Jehovah ad Moschen dicit, "*Non potes videre facies meas*, quia *non videt Me homo & vivit*; sed ponam te in fissura petræ, & obtegam volam meam super te, usque dum pertransivero, & removebo volam meam, & *videbis posteriora mea, & facies meæ non videbuntur*," Vers: 20. 22. 23; quod Moscheh sit Verbum, videatur in locis citatis n: 10,549; & quod facies sint interiora, in locis citatis n: 9546: ac quod loqui sit perceptio, in locis citatis n: 10,290.

10,555. Quemadmodum loquitur vir ad proximum, quod significet conjunctionem veri & boni, constat ex significatione loqui, quod sit perceptio mutua, & inde conjunctio, ut mox supra n: 10,554; ex significatione viri, quod sit verum, de qua n: 3134. 3459. 4823. 7716. 9007; & ex significatione proximi, quod sit bonum cum quo conjungitur verum: in Verbo passim dicitur vir & proximus, seu vir & socius, & per id significatur mutuo, ut quoque per virum & fratrem; & cum significatur mutuo, tunc intelligitur mutua conjunctio, qualis est inter verum & bonum; verum enim se mutuo conjungit cum bono, ex causa quia verum habet suum esse a bono, & bonum habet suum quale in vero; in cœlo non datur aliquod verum quod non conjunctum est bono; ex causa quia verum non est aliquid absque bono, nec bonum absque vero; est enim verum absque bono sicut existere absque esse, & est bonum absque vero sicut esse absque existere; seu verum absque bono est sicut corpus absque vita, & est bonum absque vero sicut vita absque corpore, quapropter nisi conjuncta sunt, non sunt aliquid, ex quo fit aliquid, seu non sunt aliquid de quo prædicari potest aliquid Cœli & Ecclesiæ: hoc similiter se habet, sicut apud hominem intelligere absque velle, & velle absque intelligere; datur quidem unum separatum ab altero, sicut intelligere verum & bonum, & non velle illud; sed tunc intelligere habet suum velle aliunde quam ex bono, habet ex velle sibi, aut propter se, cui inservit intelligere verum & bonum pro medio: qui reflectit bene, scire potest, quod intelligere apud hominem vitam suam habeat ex suo velle, & quod absque velle non sit aliquid; tum quod intelligere & velle se spectent mutuo, & conjuncta

juncta sint: similiter se habet cum vero & bono, proinde cum fide & amore; nisi verum sit conjunctum bono, proinde cum fide & amore; nisi verum sit conjunctum bono, seu fides amori, non est verum aut bonum, nec fides aut amor. Hæc dicta sunt, ut sciatur quid intelligitur per mutuam conjunctionem, quæ in sensu spirituali significatur per virum & socium, seu per virum & proximum, & quoque per virum & fratrem.

10,556. Et reversus ad castra, quod significet ad externum in quo gens illa, constat ex significatione castrorum, quod sint externum Verbi, Ecclesiæ & Cultus, in quo Gens Israelitica, de qua n: 10,506. Nunc quando Moscheh reversus est ad castra, non amplius repræsentat Verbum, sed Caput Gentis Israeliticæ, nam in Castris esse cum illis qui in externis separatis ab interno erant, est in simili statu esse; aliter cum extra castra illa erat, & tentorium tetendit ibi, elongando a castris: quomodo itaque Moscheh repræsentat Caput illius gentis, constare potest ex sequentibus hujus Capitis usque ad finem in sensu interno: quoniam Moscheh hanc repræsentationem induit, ideo dicitur, quod Minister ejus Joschua filius Nunis puer non emoverit se e medio tentorii, per quod significatur quod repræsentativum usque continuetur in tentorio quod extra castra.

10,557. Et minister ejus Joschua filius Nunis puer, non emovit se e medio tentorii, quod significet Divinum Verum ministrans in sanctis Ecclesiæ & Cultus loco Moschis interea, constat ex repræsentatione Joschuæ ministri Moschis, quod sit Divinum Verum ministrans loco Moschis, qui filius Nunis dicitur ex vero, & puer ex bono; & ex significatione non emovit se e medio tentorii, quod sit interea non cessans in sanctis Ecclesiæ & Cultus; per non se emovere significatur non interea cessare, & per tentorium significatur sanctum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de quo supra n: 10,545. In mox superiori articulo n: 10,556, dictum est, quod Moscheh nunc ingrediatur repræsentare caput gentis Israeliticæ, quare ne series rerum in sensu interno rumperetur, factum est ut Joschua in tentorio maneret, absente Mosche; per Joschuam enim repræsentatur Divinum Verum quoad aliquam functionem, prout Divinum Verum pugnans, n: 8595; Divinum Verum lustrans & appercipiens, n: 10,454; hic autem Divinum Verum ministrans, absente Mosche; ideo dicitur minister Moschis.

10,558. Vers: 12 ad 17. *Et dixit Moscheh ad Jehovam, vide, Tu dicis ad me, ascendere fac populum hunc, & Tu non notum fecisti mihi, quem missurus es cum me; & Tu dixisti, novi te nomine, & quoque invenisti gratiam in oculis meis. Et nunc si quæso inveni gratiam in oculis tuis, notum fac mihi quæso viam tuam, & cognoscam Te, quoniam inveni gratiam in oculis tuis, & vide quod populus tuus gens hæc. Et dixit, facies meæ ibunt, & quiescere faciam te. Et dixit ad Ipsum, si non facies tuæ euntes, ne ascendere facias nos abhinc. Et in quo notum fiet usquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus, nonne in eundo Te cum nobis; & præstantes reddemur ego & populus tuus præ omni populo, qui super faciebus humi. Et dixit Jehovah ad Moschen, etiam verbum hoc, quod loquutus es, faciam, quia invenisti gratiam in oculis meis,*

meis, & cognosco te nomine. Dixit Moscheh ad Jehovam, significat indignationem quod non Divinum, ita non ipsa Ecclesia apud illos: vide Tu dicis ad me, ascendere fac populum hunc, significat sponsionem Ecclesiæ apud illam gentem: & Tu non notum fecisti mihi quem missurus es cum me, significat quod id absque auspicio Divino non fieri possit: & Tu dixisti novi te nomine, significat quale ejus: & quoque invenisti gratiam in oculis meis, significat quod acceptus quia genti isti præesse potuit: & nunc quæso si inveni gratiam in oculis tuis, significat si acceptus ideo: notam fac mihi quæso viam tuam, & cognoscam te, significat instructionem de Divino quale erit cum illis: quoniam inveni gratiam in oculis tuis, significat quia receptus præesse populo: & vide quod populus tuus gens hæc, significat quod soli in mundo apud quos Divinum quod super omnia: & dixit, facies meæ ibunt, & quiescere faciam te, significat quod Divinum Ecclesiæ, Cultus, & Verbi erit ibi, sed apud ipsam gentem externum absque illo: & dixit ad Ipsum, si non facies tuæ euntes ne ascendere facias nos abhinc, significat si non Divinum sit ibi, non aliquid Ecclesiæ erit: & in quo notum fiet usquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis ego & populus tuus, nonne in eundo Te cum nobis, significat receptionem præ aliis si Divinum manifestetur apud illos: & præstantiores reddemur ego & populus tuus præ omni populo, qui super faciebus humi, significat inde eminentiam super omnes in universo orbe: & dixit Jehovah ad Moschen, etiam verbum hoc quod loquutus es faciam, significat quod Divinum erit in externo Ecclesiæ, Cultus, & Verbi, quod apud eos: quia invenisti gratiam in oculis meis, & cognosco te nomine, significat quod acceptus sit propter quale ejus.

10,559. Et dixit Moscheh ad Jehovam, quod significet indignationem quod non Divinum, ita quod non ipsa Ecclesia apud illos, constat ex significatione dicere, quod hic sit indignatio, nam dicere involvit sequentia, hæc enim sunt quæ dixit, & sequentia sunt indignationis propter id, quod non Divinum vellet apud eos esse, ita quod non apud illos Ecclesia, per quod præstantiores redderentur omnibus qui super faciebus terræ, ut patet a Vers: 16 seq: quod verba Moschis ad Jehovam essent indignationis propterea, erat quia Moscheh hic refert Caput gentis Israeliticæ, videatur supra n: 10,566, quapropter pro se, & pro illa gente loquitur, nam dicit ego & populus, Vers: 16; & quia illam gentem ut caput hic refert, ideo per dixit Moscheh ad Jehovam significatur indignatio; homo enim qui talis est qualis illa gens, indignatur contra Deum si non potitur cupitis; hoc faciunt omnes qui in externis sunt absque interno, illi enim si venerantur & adorant Deum & quasi amant, non est propter Ipsum, sed propter se, nam non volunt aliud quam eminentiam super alios, & opulentiam præ aliis, hic ignis est, qui eorum venerationem & adorationem & quasi amorem excitat; at si non obtinent quæ cupiunt, relinquunt Deum: quod gens illa talis fuerit, patet manifeste ab Historicis Verbi: simile significatur per hæc verba Jacobi, "Vovit "Jacob votum, dicendo, si fuerit Deus cum me, & custodiverit me in via "hac, quam ego ambulans, & dederit mihi panem ad edendum, & vestem

"ad

"ad induendum, & rediero in pace ad domum patris mei; *& erit Jehovah mihi in Deum*," Genes: XXVIII: 20. 21, quæ involvunt, quod si illa acceperit, agnosceret Jehovam pro suo Deo; at si non acceperit, non agnosceret: talis etiam fuit gens quæ ab Ipso: inde est, quod Gens illa toties desciverit, & coluerit alios deos, usque ut tandem propterea ejiceretur e terra Canaane, primum gens Israelitica, & postea Judaica. Quod causa indignationis, de qua supra, fuerit, quod non præstantiores fierent omnibus in universo terrarum orbe, si non Jehovah iret cum illis, patet; quod etiam indignationis causa fuerit, quod non ipsa Ecclesia esset apud illos, sequitur ex eo, quod a Jehovah introduci in terram Canaanem sit fieri Ecclesia; causa quod ita sit, est quia Ecclesia in terra Canaane fuerat ab antiquissimis temporibus, & quia non alibi potuerat conscribi Verbum quam ibi, ita apud gentem quæ possideret illam terram, & ubi Verbum ibi Ecclesia: quod non alibi conscribi posset Verbum, quam ibi, erat quia omnia loca, quæ in universa illa terra, & quæ circum illam, sicut montes, valles, fluvii, sylvæ, & reliqua, repræsentativa cœlestium & spiritualium facta fuerunt, & Verbi sensus literæ tam in Historicis quam in Propheticis, ex talibus necessario erit; quoniam interiora Verbi, quæ sunt cœlestia & spiritualia desinent in talia, & quasi insistent eis sicut domus super suo fundamento; nam nisi verbum quoad sensum literæ, qui est ultimum ejus, insisteret talibus, foret id sicut domus absque fundamento: quod ita sit, patet ex Verbo, quod toties ibi memorentur loca illius terræ, quæ omnia, quia repræsentativa facta, significant res cœli & ecclesiæ: inde est, quod introduci in terram Canaanem significet instaurationem Ecclesiæ, & quod indignatio Moschis etiam illud involvat, tametsi id non cogitavit. Quod in terra Canaane Ecclesia fuerit ab antiquissimis temporibus, & quod inde omnia loca ibi repræsentativa facta sint, videatur n: 3086. 4447. 4454. 4516. 4517. 5136. 5364. 6306. 6516. 8317. 9320. 9325: & quod inde terra Canaan in Verbo significet Ecclesiam, in locis citatis n: 9325.

10,560. Vide Tu dicis ad me, ascendere fac populum hunc, quod significet sponsionem Ecclesiæ apud illam gentem, constat ex significatione Tu dicis ad me, cum a Jehovah, quod sit sponsio; & ex significatione ascendere fac populum hunc, quod sit ut apud illam gentem instauretur Ecclesia; hæc sunt quæ in sensu interno per illa verba significantur; at in sensu proximo quod introducerentur in terram Canaanem, & possiderent illam; quod introduci in terram Canaanem & possidere eam, sit instaurare Ecclesiam, videatur supra n: 10,559. Quomodo cum his se habet, in præcedentibus passim ostensum est, quod nempe apud illam gentem non aliqua Ecclesia institui potuerit, sed modo repræsentativum Ecclesiæ, quoniam in externis separatis ab interno fuit; & qui tales sunt, non aliquem influxum a Divino recipere possunt; & usque Ecclesia apud hominem est in interno ejus, non autem in externo separato ab illo: qui tales sunt, quidem repræsentare Ecclesiam possunt, non autem esse Ecclesia: repræsentare Ecclesiam, & non esse Ecclesia, est colere externa, & vocare illa Sancta & Divina, non autem agnoscere &

percipere illa fide & amore e cœlo. Videantur quæ supra de significatione ascendere facere populum in terram n: 10,526, dicta sunt.

10,561. Et Tu non notum fecisti mihi, quem missurus es cum me, quod significet quod id absque auspicio Divino non fieri possit, constat ex significatione mittere cum Mosche & gente illa, cum a Jehovah, quod sit Divinum quod ducet, de qua sequitur; & quia Moscheh sciebat, quod quidem populum in terram Canaanem introducere posset, sed si id fieret absque ductu & auspicio Divino, quod non venirent in possessionem ejus; quod involvit & significat, quod apud illam gentem non institueretur Ecclesia, secundum illa quæ supra n: 10,559. 10,560, allata sunt: inde patet, quod per ascendere fac populum hunc, sed non notum fecisti mihi, quem missurus es cum me, significetur quod Ecclesia apud illam gentem absque auspicio Divino non institui posset; ita angeli percipiunt hæc verba, qualitercunque homines, nam angeli omnia Verbi secundum sensum internum ejus percipiunt, homines autem secundum sensum externum, in quo tamen internus. Quod mittere cum illis, cum a Jehovah, sit Divinum quod ducet, est quia per mitti a Jehovah significatur Divinum ducens, & quoque Divinum procedens; ideo angeli in lingua originali dicti sunt a mitti; & ideo Dominus tam frequenter se dixit missum a Patre, per quod significatur Divinum procedens, videatur n: 4710. 6831: ex his patet, quid per missurum cum me in sensu interno intelligitur.

10,562. Et Tu dixisti, novi te nomine, quod significet quale ejus, constat ex significatione nosse, cum de Jehovah, quod sit scire & prævidere ab æterno, de qua n: 5308; & ex significatione nominis, quod sit quale status, rei, aut hominis, de qua n: 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3004 ad 3011. 3421. 6674. 6887. 8274. 8882. 9310; quale Moschis involvunt sequentia: inde patet, quod per novi te nomine, cum a Jehovah, significetur ab æterno scire & prævidere qualis est.

10,563. Et quoque invenisti gratiam in oculis meis, quod significet quod receptus quia genti isti præesse potuit, constat ex significatione invenire gratiam in oculis Jehovæ, quod sit receptus esse, hic propter quale, quod significatur per novi te nomine; quale erat quod genti isti præesse potuerit; Moscheh enim prævisus est a Domino, ut populo Israelitico præesset; quod hoc prævisum sit, patet ex eo, quod educatus sit in aula regis Pharaonis, ubi dominia erant, inde etiam animum præeminentia super alios traxit; ideo quoque receptus est, ut præesset populo suo: quale ejus etiam erat, ut recipere posset loquelam a Divino melius quam alii ex illa gente, nam non ita in externo separato ab interno fuit sicut illa gens. Hæc itaque sunt, quæ significantur per novi te nomine, & quoque invenisti gratiam in oculis meis.

10,564. Et nunc si quæso inveni gratiam in oculis tuis, quod significet si acceptus, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,562. 10,563, dicta sunt.

10,565. Notam fac mihi quæso viam tuam, & cognoscam te, quod significet instructionem de Divino quale erit cum illis, constat ex significatione notam facere viam Jehovæ, quod sit instructio de Divino, nam per notum facere

facere ſignificatur inſtructio, & per viam Jehovæ ſignificatur Divinum Verum ducens; & ex ſignificatione cognoſcere Jehovam, quod ſit ſcire quale eſt cum illis Divinum: quod via ſit verum, videatur n: 627. 2333. 10,422, hic Divinum verum ducens. Quoniam inveni gratiam in oculis tuis, quod ſignificet quia receptus præeſſe populo, & ducere illum, ut ſupra n: 10,563. 10,564.

10,566. Et vide quod populus tuus gens hæc, quod ſignificet quod ſoli in mundo apud quos Divinum quod ſuper omnia, conſtat ex ſignificatione gentis Jehovæ, quod ſit ubi ipſum Divinum habitat, & in ſenſu ſpirituali, ubi Eccleſia Domini, nam omnes qui agnoſcunt Dominum fide & amore ſimul ſumti ſunt gens Jehovæ: at filii Iſraelis eo tempore nihil cogitarunt de Eccleſia, ſed ſolum de poſſeſſione terræ Canaanis, ac de eminentia ſuper alios: & quia dictum erat Moſchi, quod nomen Dei illorum eſſet Jehovah, quod tamen prius neſciverunt," Exod: III: 13. 14, & quia viderunt tanta miracula ab Ipſo in Ægypto, ac ad mare Suph, & in deſerto, ideo agnoverunt Jehovam pro ſuo Deo; ſed uſque corde ſuo non crediderunt in Ipſum; crediderunt enim quod plures dii eſſent; ut ſatis conſtare poteſt ex vitulo aureo, quem, tardante Moſche, pro ſuo deo, imo pro jehova adoraverunt; & poſtea ex diis, ad quos toties deſciverunt, ut patet ex Hiſtoricis Verbi: ex quibus conſtare poteſt, quod Jehovam coluerint ſolum propter miracula, & non propterea quod Ipſe ſolus Deus eſſet; & qui colit Deum ſolum propter miracula, is modo colit Nomen Dei, & non Deum, ac deſciſcit ab illo, quoties non potitur cupitis. Quod Gens Iſraelitica Jehovam ſolum quoad nomen coluerit, videatur n: 3732 fin: 4299. 6877; & quod corde idololatræ fuerint, n: 4208. 4281. 4820. 5998. 6877. 7401. 8301. 8882: & quod gens peſſima fuerit, n: 4314. 4316. 4317. 4444. 4503. 4750. 4751. 4815. 4820. 4832. 5057. 7248. 8819. 9320: ac præterea, 10,396: ex his nunc conſtare poteſt, quid ſignificatur per quod populus tuus gens hæc, quod nempe illi ſoli eſſent, apud quos Jehovah, & quod ſic eminentiores fierent omnibus aliis gentibus. At tametſi hæc in ſenſu proximo ſignificantur per illa verba, uſque per eadem in ſenſu interno ſignificatur quod Divinum apud illos eſſet, conſequenter Eccleſia.

10,567. Et dixit, facies meæ ibunt, & quieſcere faciam te, quod ſignificet quod Divinum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi erit ibi, ſed apud ipſam gentem externum abſque illo, conſtat ex ſignificatione facierum, quod ſint interiora, de qua in locis citatis n: 9546; & cum de Jehovah, quod ſint Divina, hic Divina Eccleſiæ, Cultus, & Verbi; ex ſignificatione ire, quod ſit vivere, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606. 8417. 8420. 9440; at cum de Jehovah, eſt dare vitam, præſens eſſe, & ducere; inde enim eſt vivere homini; & ex ſignificatione quieſcere facere Moſchen, quod ſit externum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, in quod Divina interiora deſinunt; per Moſchen enim repræſentatur Externum illud, ut ſupra n: 10,563, & per quieſcere ſignificatur requieſcere & deſinere, ita in quo requieſcunt, ſeu in quod deſinunt Divina interiora; etiam per vocem illam in Lingua originali ſignificatur requieſcere & deſinere.

desinere. Quod interiora Ecclesiæ, Cultus, & Verbi desinant in externum eorum, & quod super eo requiescant sicut super suo plano, aut sicut domus super suo fundamento, videatur n: 9216. Quod hæc per quiescere facere Moschen, significentur, constat ex sequentibus hujus Capitis in sensu interno, in quo agitur de interioribus Verbi, Ecclesiæ, & Cultus; & de Externo, in quod illa desinunt; externum hoc est quod repræsentatur per Moschen.

10,568. Et dixit ad Ipsum, si non facies tuæ euntes, ne ascendere facias nos abhinc, quod significet si non Divinum sit ibi, non aliquid Ecclesiæ erit, constat ex significatione facierum Jehovæ, quod sint Divina interiora Ecclesiæ, Cultus & Verbi, de qua mox supra n: 10,567; & ex significatione ne ascendere facias nos abhinc, quod sit quod non aliquid Ecclesiæ erit; quod hoc per illa verba significetur, est quia per introduci in terram Canaanem significatur instauratio Ecclesiæ, inde per ne ascendere facias nos abhinc significatur quod sic non aliquid Ecclesiæ erit; quod per introduci in terram Canaanem significetur instauratio Ecclesiæ, videatur supra n: 10,560. 10,561: quod per introduci in terram Canaanem significetur instauratio Ecclesia, est quia per terram Canaanem in Verbo non aliud in cœlo intelligitur quam Ecclesia; in Cœlo enim omnia Verbi spiritualiter percipiuntur, quare cum memoratur aliqua terra, tunc cogitatur ibi de talibus quæ Ecclesiæ sunt in illa terra, seu apud gentem quæ ibi; angeli cœli non possunt mentem tenere in idea terræ, quoniam idea terræ est materialis, nec in idea gentis alicujus, nam hæc idea etiam materialis est, quapropter illis obvenit statim idea spiritualis, quæ est de Ecclesia; idea spiritualis in genere est de Domino, de Regno Ipsius, de Cœlo, de Ecclesia, de amore & fide in Dominum, & de innumerabilibus quæ fidei & amoris sunt, ita quæ Ecclesiæ; & si credere velitis, impossibile est ut aliqua idea materialis intret cœlum, exuitur illa ad primum limen: ita fit cum omnibus & singulis Verbi. Inde nunc est, quod per introduci in terram Canaanem significetur instauratio Ecclesiæ, & per non introduci, ut hic, nulla instauratio.

10,569. Et in quo notum fiet usquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis, ego & populus tuus, nonne in eundo Te cum nobis, quod significet receptionem præ aliis si Divinum manifestetur apud illos, constat ex significatione notum fieri, cum de Divino apud illos, quod sit revelari; ex significatione gratiam invenire in oculis Jehovæ, quod sit receptus esse, de qua supra n: 10,563, hic præ aliis, quoniam sequitur, sic præstantiores reddemur ego & populus tuus præ omni populo super faciebus humi; & ex significatione ire cum nobis, cum de Jehovah, quod sit Divinum ducens hic in terram Canaanem, de qua supra n: 10,567: inde patet, quod per in quo notum fiet usquam, quod invenerim gratiam in oculis tuis, ego & populus tuus, nonne in eundo Te cum nobis, significetur receptio præ aliis, si Divinum manifestetur apud illos. Dicitur in oculis Jehovæ, & per id significatur præsentia Divina Domini in veris & bonis fidei & amoris apud homines in terris & apud angelos in cœlis; quod præsentia Domini sit in veris & bonis.

bonis fidei & amoris, est quia hæc ab Ipso Domino sunt, & cum Dominus apud homines & apud angelos præsens est in illis, tunc præsens est in suo apud illos, & non in proprio illorum, hoc enim est malum: inde quoque est, quod per oculos in Verbo, ubi de hominibus, qui recipiunt Divina Domini, significetur fides, & quoque intellectus recipiens, nam intellectus est oculus internus, ac fides est verum quod videtur & percipitur; quod oculi, cum de hominibus, in Verbo significent fidem, & quoque intellectum, videatur n: 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534. 9051. Unde ille visus, etiam dicetur; est realis lux quæ illuminat intellectum, prorsus distincta a luce quæ illuminat visum corporis; lux illa quæ illuminat intellectum est e cœlo, quæ autem visum corporis est in mundo; lux cœli est a Domino ut Sole ibi, & est in sua essentia Divinum Verum procedens a Divino Bono Domini: inde patet, unde est, quod per oculos, cum de Jehovah, significetur præsentia Divina Domini, & quod per oculos, cum de hominibus qui recipiunt Divinum Verum Domini, seu lucem Ipsius, significetur fides & intellectus illustratus. Quod realis lux sit, quæ illuminat mentes, & facit intellectum apud homines, non notum est in mundo, tametsi ab hominibus intellectui tribuitur visus & lux, & tametsi Dominus in Verbo pluries dicitur Lux, ac intelligitur quod videatur per fidem & ejus lucem. Quod realis lux sit, quæ illuminat mentes, & quod sit Divinum Verum procedens a Domino ut Sole sit illa Lux, & quod det intellectum veri ubi recipitur, in locis citatis n: 9548. 9684; tum n: 9570. 9571 fin: 9574. Ex his constare potest quid per oculos Jehovæ in Verbo significatur, ut apud Esaiam, "Inclina Jehovah aurem tuam & audi, & *aperi Jehovah oculos tuos & vide*," xxxvii: 17. Apud Jeremiam, "*Ponam oculum meum super illos in bonum*, & reducam eos super terram suam, & ædificabo eos," xxiv: 6. Apud Davidem, "*Ecce oculus Jehovæ super timentibus Ipsum*," Psalm: xxxiii: 18: & apud Eundem, "Jehovah in Templo sanctitatis suæ; Jehovæ in cœlo thronus; *oculi Ipsius vident, & palpebræ Ipsius probant filios hominis*," Psalm: xi: 4, & alibi.

10,570. Et præstantiores reddemur ego & populus tuus præ omni populo qui super faciebus humi, quod significet inde eminentiam super omnes in universo orbe, ubi Ecclesia, constat ex significatione præstantiores reddi præ omni populo qui super faciebus humi, quod sit eminentia super omnes in universo orbe; quod etiam sit ubi Ecclesia, est quia per humum significatur Ecclesia, de qua sequitur. Quod ille finis, ut præstantiores redderentur præ omnibus in universo orbe fuerit, propter quem gens Israelitica coluit Jehovam, & propter quem in sancto externo potuit esse, constat ex illis quæ de illa gente prius ostensa sunt: quod tales in sancto externo possint esse, & apparere aliis sicut cultores Dei, constat ex idololatris, de quibus in Historicis Verbi, qui similiter potuerunt in externis esse, sed quod illis non internum sanctum fuerit, quivis potest scire, & concludere ex eo, quod Divina Vera, quæ in Verbo revelata sunt, faciant ut cultus sit internus, si illa sciant, & secundum illa vivant; nam si homo absque illis sancte posset colere

Deum,

Deum, non opus foret aliqua doctrina Ecclesiæ, nec aliqua prædicatione. Quoniam gens illa fuit talis, ut propter eminentiam super alios ut finem, posset in sancto externo esse, & quoniam apud tales repræsentativa cœlestium & spiritualium, quæ erant externa cultus, possunt communicari cum angelis, & per id conjunctio esse cum cœlo, ideo gens illa recepta fuit: sed qui credit, quod per id cultores Dei fuerint, maxime fallitur, fuerunt enim cultores sui & mundi, & corde idololatræ; & quia tales erant, nec illis revelata sunt interiora cultus, quæ sunt fidei & amoris in Dominum, ut patet ex Libris Veteris Testamenti; & quoque ex eo quod non agnoverint Dominum cum in mundum venit, imo nec adhuc agnoscunt; & si docentur ex Propheticis de Domino, usque non recipiunt; volunt Messiam qui evehat illos super omnes in universo terrarum orbe, & non Messiam, cujus Regnum est in cœlis, & inde prospicit omnium saluti etiam in terris. Ex his constare potest, qualis gens illa fuit a primis ævis, & unde est quod hic dicatur, quod per id quod Jehovah iret cum illis, præstantiores redderentur præ omni populo qui super faciebus humi. Dicitur super faciebus humi, & per id intelligitur ubicunque Ecclesia, per humum enim similiter ac per terram significatur Ecclesia; quod per terram videatur in locis citatis n: 9325; sed humus significat Ecclesiam ex simili causa ex qua ager, ita ex receptione variorum seminum, ac eorum nascentia & proventu, per quæ significantur vera & bona fidei & amoris, homo enim est horum receptaculum sicut humus illorum; terra autem dicitur Ecclesia ex populo qui ibi, apud quem Ecclesia; sed quia humus involvit extensionem quoad spatium, æque ac terra, ideo interpretes pro humo dicunt terram, ut hic super faciebus terræ pro super faciebus humi, & quoque alibi, & usque in Lingua originali vox quæ significat humum ex prorsus alia origine est, quam ex qua vox quæ significat terram. Quod humus significet Ecclesiam æque ac terra, constat ex variis locis in Verbo, quorum aliqua solum licet adducere; ut apud Jeremiam, "Magnates miserunt minorennes suos aquæ causa, venerunt ad foveas, nec invenerunt aquas, reversa sunt vasa eorum vacua, *propterea quod humus confracta sit*, quod non facta sit pluvia *in terra*," XIV: 3. 4; ibi humus est Ecclesia, & quoque terra; agitur enim ibi in sensu interno de defectu veri, & inde Ecclesiæ vastatione; aquæ sunt vera, foveæ sunt ubi illa, ita doctrina, vasa sunt recipientia, pluvia est influxus e cœlo; terra est ubi Ecclesia, & humus est ipsa Ecclesia, quæ confracta dicitur ex siccitate, ita ex defectu veri e cœlo. Apud Esaiam, "Fiet a fine Septuaginta annorum, visitabit Jehovah Tyrum, & redibit ad mercedem meretriciam, & scortabitur cum omnibus regnis *terræ super faciebus humi*: tandem erit mercatura ejus, & merces meretricia ejus sanctum Jehovæ," XXIII: 17. 18; per Tyrum significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni, ita in sensu abstracto cognitiones illæ; quæ merces meretricia vocantur, cum docentur causa lucri, honoris, & famæ propter illa, sic quasi venduntur, & non docentur propter ipsum verum, hoc vocatur meretricatus & scortatio in Verbo; scortari cum omnibus regnis terræ est ita facere cum omnibus veris Ecclesiæ; super facie-

bus humi est ubicunque Ecclesia; quoniam cognitiones veri & boni usque manent cognitiones veri & boni in se, ita Divinæ, tametsi homini docenti & venditanti illas sint pro lucro, & inde merces meretricia, ideo dicitur, quod mercatura ejus & merces meretricia ejus erit sanctum Jehovæ; quod ibi non merces meretricia intelligatur, nec scortatio cum omnibus regnis terræ, nec quod tale erit sanctum Jehovæ, cuivis qui ultra sensum literæ cogitat, videre potest. Apud Davidem, "*Emittis spiritum tuum, creantur, & renovas facies humi,*" Psalm: CIV: 30; spiritus Jehovæ est Divinum Verum procedens a Domino, n: 9228; creari est e novo creari, hoc est, regenerari, n: 10,373; renovare facies humi est reformare & instaurare Ecclesiam: facies humi est ubicunque aliquid Ecclesiæ recipi potest; similiter ac alibi ubi facies humi dicuntur, ut Genes: VII: 4. Cap: VIII: 8. 13. Exod: XXXII: 12. Num: XII: 13. Deut: VI: 15. Cap: VII: 6. 1 Sam: XX: 15. 2 Sam: XIV. 7.

10,571. Et dixit Jehovah ad Moschen, etiam Verbum hoc quod loquutus es faciam, quod significet quod Divinum erit in externo Ecclesiæ, Cultus & Verbi, quod apud eos, constat ex repræsentatione Moschis, quod ut Caput gentis illius, sit externum Ecclesiæ, Cultus & Verbi non ita separatum ab interno, sicut externum illorum apud ipsam gentem, de qua supra n: 10,557. 10,563; & ex significatione facere Verbum quod Moscheh loquutus est, cum a Jehovah, quod sit quod Divinum erit in externo; per facere verbum enim intelligitur ire cum illis, & introducere illos in terram Canaanem; & per ire cum illis, & introducere in terram Canaanem, significatur quod Divinum manifestabitur apud illos, videatur supra n: 10,569. Arcanum quod in his & in sequentibus latet, ægre describi potest, nisi idea habeatur de externo Ecclesiæ, Cultus & Verbi, quod Moscheh repræsentat, & de externo Ecclesiæ, Cultus, & Verbi, in quo ipsa gens erat; distinguitur unum ab altero in eo, quod externum, quod Moscheh repræsentat sit externum non ita separatum ab interno, sicut externum in quo ipsa gens: inde est, quod nunc dicatur Moscheh & populus, nunc Moscheh absque populo, & nunc populus absque Mosche; & quod cum Moscheh loquitur ad Jehovam, dicat ego & populus, & cum Jehovah ad Moschen, de solo Mosche, ut in Vers: 12. 14. 18. 19. 20. 21. 22. 23, aut de populo separatim ab illo, ut in Versu 2 Capitis sequentis, & alibi.

10,572. Quia invenisti gratiam in oculis meis, & cognosco te nomine, quod significet quod receptus sit propter quale ejus, constat ex illis quæ supra n: 10,562. 10,563, dicta & ostensa sunt, ubi similia verba.

10,573. Vers: 18. 19. 20. 21. 22. 23. *Et dixit, fac videre mihi quæso gloriam tuam. Et dixit, Ego pertransire faciam omne bonum meum super facies tuas, & invocabo Nomen Jehovæ coram te; & gratiam faciam cui gratiam facio, & misericordiam faciam cui misericordiam facio. Et dixit, non potes videre facies meas, quia non videt Me homo & vivit. Et dixit Jehovah, ecce locus Mecum, & stabis super petra. Et erit, in pertransire gloriam meam, & ponam te in fissura petræ, & obtegam volam meam super te, usque dum pertransivero. Et removebo volam meam, & videbis posteriora mea; & facies meæ non*

vide-

videbuntur. Et dixit, fac videre mihi quæso gloriam tuam, significat apperceptionem Divini Veri interni in externo: & dixit, Ego pertransire faciam omne bonum meum super facies tuas, significat omne Divinum Cœli & Ecclesiæ super externum: & invocabo Nomen Jehovæ coram te, significat sanctum cultus Divini ibi: & gratiam faciam cui gratiam facio, & misericordiam faciam cui misericordiam facio, significat quod Divinum Verum & Bonum revelabitur illis qui recipiunt: & dixit, non potes videre facies meas, significat quod Divina interiora Ecclesiæ, Cultus, & Verbi non apparere possint genti Israeliticæ; quia non videt me homo & vivit, significat quod Ipsum Divinum non videri possit quale in se est, sed quale per Dominum in Cœlo: & dixit Jehovah, ecce locus Mecum, & stabis super petra, significat statum fidei in Deum: & erit in pertransire gloriam meam, significat interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus: & ponam te in fissura petræ, significat obscurum & falsum fidei, quale illis qui in externis absque interno sunt: & obtegam volam meam super te, usque dum pertransivero, significat occlusionem interni: & removebo volam meam, & videbis posteriora mea, & facies meæ non videbuntur, significat quod externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus visuri, non autem interna.

10,574. Et dixit, fac videre mihi quæso gloriam tuam, quod significet apperceptionem Divini Veri interni in externo, constat ex repræsentatione Moschis hic, quod sit externum Ecclesiæ, Cultus & Verbi non ita separatum ab interno sicut apud ipsam gentem, de qua n: 10,563. 10,571; ex significatione facere videre, quod sit appercipere, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; & ex significatione gloriæ Jehovæ quod sit internum Verbi, de qua in Præfat: ad Cap: XVIII Genes: & n: 5922. 9429; inde patet, quod per dixit Moscheh, fac videre mihi quæso gloriam tuam, significetur apperceptio interni in externo Verbi, Ecclesiæ, & Cultus. Quod hæc significentur per illa verba, etiam constare potest ex præcedentibus hujus Capitis, ibi enim in sensu interno agitur de gente Israelitica, & quod Ecclesia apud illam non institui posset, ex causa quia non recipere potuerunt aliquid internum; recipere internum Ecclesiæ, est recipere Divinum Verum e cœlo, & per id cœlestem amorem: quoniam de hoc agitur in sensu interno, & usque Moscheh institit ut Jehovah introduceret illos in terram Canaanem, per quod significatur instauratio Ecclesiæ, ideo nunc dicit Moscheh, fac videre mihi gloriam tuam, per quod ideo significatur apperceptio Divini Veri interni in externo: quod per gloriam Jehovæ intelligatur tale Divinum quod non appercipi potuit a Mosche, constat manifeste ex sequentibus hujus Capitis, ubi dicitur quod non videre posset facies Jehovæ, ita ibi vocatur Gloria, sed postquam pertransiverat, videret posteriora, & hoc ex fissura petræ, per quæ significatur, quod modo externa Ecclesiæ, Cultus & Verbi apperciperet, sed non interna: quod tale per gloriam Jehovæ significetur, patet ex eo, quod aliquoties dicatur, quod viderint gloriam Jehovæ, sed fuit nubes quæ ita vocata est, ut super monte Sinai, & super Tentorio, inque illo, videatur Exod: XVI: 10. Cap: XXIV: 16. 17. Exod: XL: 34. 35. Num: XVII: 7, & alibi;

alibi; per nubem ibi, quæ gloria Jehovæ dicta eſt, ſignificatur externum Eccleſiæ, Cultus & Verbi, ſeu ſenſus literæ Verbi, videatur in Præfat: ad Cap: XVIII: Geneſ: & n: 4060. 4061. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8781. 9430. 10,551. Quod gloria Jehovæ ſignificet internum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus, eſt quia Divinum Verum procedens a Domino, quale eſt in cœlo, eſt gloria Jehovæ; Divinum enim Verum procedens a Domino apparet ibi ut Lux, apparentia Domini in illa luce eſt quæ in genuino ſenſu intelligitur per Gloriam Jehovæ; per apparentiam Domini intelliguntur omnia ibi quæ a Domino ſunt, quæ ſunt innumerabilia, & communi voce vocantur cœleſtia & ſpiritualia. Quod internum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus ſignificetur per gloriam Jehovæ, eſt quia illud in ea luce eſt, externum autem in luce mundi, quapropter hoc in Verbo per nubem ſignificatur; inde patet, quod ſenſus internus Verbi ſit gloria. Ex his nunc conſtare poteſt, quid per gloriam Jehovæ, & per lucem Ipſius in ſequentibus his locis ſignificatur; ut apud Eſaiam, "Surge, *illuminare, quia venit Lux tua, & Gloria Jehovæ ſuper Te* exorta eſt; ecce tenebræ obtegunt terram, & caligo populos, ſed ſuper Te exorietur Jehovah, & *Gloria Ipſius ſuper Te videbitur; ambulabunt gentes ad Lucem*, & reges *ad ſplendorem ortus tui:* non occidet amplius Sol tuus, & Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi *in lucem æternitatis*," LX: 1. 2. 3. 20; agitur ibi de adventu Domini; Lux ibi eſt Divinum Verum procedens a Domino; & gloria Ipſius ac ſplendor ortus Ipſius ſunt omne id quod de Domino, deque fide & amore in Ipſum in Luce illa apparet; tenebræ & caligo quæ obtegunt terram & populos, ſunt obſcura fidei & amoris; dicitur enim de inſtauranda Eccleſia apud gentes; inde ſequitur quod per Lucem & Gloriam, quæ exorituræ, & quæ videbuntur, & ad quas ambulabunt, ſint Divina Vera de Domino, deque fide & amore in Ipſum ab Ipſo. Apud Eundem, "Jehovah vocavi Te in juſtitia, & dedi Te in fædus populo, in *Lucem gentium:* Ego Jehovah, hoc Nomen meum, *Gloriam meam* alteri non dabo," XLII: 6. 8; agitur etiam ibi de Domino, Qui Lux gentium vocatur quia ab Ipſo omne Divinum Verum; & Qui gloria Jehovæ, quia in Ipſum omne fidei & amoris. Apud Eundem, "*Erumpet ſicut aurora Lux tua*, ambulabit ante Te juſtitia mea, *Gloria Jehovæ colliget Te*," LVIII: 8, ſimiliter. Apud Eundem, "Gaudete cum Hieroſolyma, deliciemini *ex ſplendore gloriæ Ipſius*," LXVI: 11, Hieroſolyma ibi ut alibi eſt Eccleſia; & ſplendor gloriæ eſt amor veri a Domino. Apud Sachariam, "Ego ero illis murus ignis circumcirca, & in *gloriam ero in medio ejus*," II: 10, etiam ibi de Hieroſolyma, quæ eſt Eccleſia; gloria in medio ejus eſt Ipſe Dominus quoad omnia veri & boni quæ fidei & amoris: quod per gloriam ibi intelligantur illa quæ Lucis Divinæ ſunt patet: ſimiliter ut apud Johannem, "Sancta Hieroſolyma *habens gloriam Dei*, & *Luminare illius* ſimile lapidi pretioſiſſimo; *Gloria Dei illuſtrabit illam*, & *Lucerna ejus Agnus*; gentes quæ ſalvantur *in Luce Illius ambulabunt*; & reges terræ afferent gloriam & honorem ſuum in eam. Portæ ejus non claudentur interdiu: nox enim non erit ibi," Apoc: XXI: 11. 23. 24. 25;

Sancta Hierosolyma ibi est Ecclesia, quæ successura hodiernæ; illa quæ Ecclesiæ sunt, quæ sunt fidei & amoris in Dominum a Domino, describuntur per Luminare, per Lucem, & per gloriam: quia per gloriam intelliguntur illa quæ Lucis sunt, ideo dicitur, *gloria Dei illustrabit* eam: quisque qui expendit, & ipsas res intuetur, & non hæret in solis verbis, videre potest, quod per omnia illa significentur talia quæ Ecclesiæ sunt, at quid per singula significatur docet sensus internus, nam in Verbo nihil inaniter dicitur, ne quidem vocula. Apud Lucam, "Viderunt Oculi mei Salutare tuum, quod præparasti ante faciem omnium populorum, *Lucem in revelationem gentium*, & *Gloriam populi tui Israelis*," II: 30. 31. 32; hæc in Prophetico Simeonis de Domino nato; Lux in revelationem gentium, est Divinum Verum procedens a Domino; & gloria populi Israelis est omne id quod a Domino revelatum est de Se Ipso, deque fide & amore in Ipsum apud illos qui recipiunt; omne hoc vocatur Gloria, quia apparet in cœlo in luce ibi, Lux ibi est Divinum Verum, per filios Israelis intelliguntur qui in fide & amore in Dominum. Quod Lux sit Dominus quoad Divinum Verum, & quoque gloria quæ Lucis, patet ex Ipsius Domini verbis, apud Johannem, "Diligebant gloriam hominum magis quam *Gloriam Dei*; *Ego Lux in mundum veni*, ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat," XII: 43. 46: & apud Eundem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: *erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum:* & Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & *vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre*," I: 1. 9. 14; Verbum est Divinum Verum, & quoque Lux; & gloria est omne quod apparet de Domino in luce illa. Hæc loca e Verbo allata sunt, quia in illis Gloria & simul Lux nominantur, & allata sunt ob finem ut sciatur, quod Lux sit Divinum Verum a Domino, ita Ipse Dominus quoad Divinum Verum, & quod Gloria sit omne quod lucis, proinde omne quod ex Divino Vero quod facit intelligentiam & sapientiam apud angelos, & apud homines qui Dominum fide & amore recipiunt. Simile per gloriam significatur alibi, ut apud Johannem, "Volo ut ubi Ego sum, etiam illi sint Mecum, *ut videant Gloriam meam*," XVII: 20: apud Lucam, "Nonne hoc oportebat pati Christum, & *ingredi in gloriam suam*," XXIV: 26: apud Matthæum, "Tunc apparebit signum Filii hominis, & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt *Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria*," XXIV: 30; per nubes ibi intelligitur Divinum Verum quale est in luce mundi, ita quale apud homines; & per Gloriam intelligitur Divinum Verum quale est in luce cœli, ita quale apud angelos; & quia Divinum Verum per nubem & per gloriam intelligitur, ideo est Verbum quoad sensum externum & quoad sensum internum, quoad sensum externum per nubem, & quoad sensum internum per gloriam; etiam quod apparet in luce mundi est nubes respective ad id quod apparet in luce cœli; quod nubes id sit, videatur Præfat: ad Cap: XVIII: Genes: & n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8443. 8781. 9430. 10,551. Inde est, quod nubes etiam in Verbo

dicatur Gloria, ut in Exodo, "*Gloria Jehovæ apparuit in nube,*" XVI : 10: alibi, "Habitavit *gloria Jehovæ* ſuper monte Sinai; & *obtexit eum nubes* ſex dies; ſed *Species gloriæ Jehovæ* erat ſicut ignis comedens in capite montis ante oculos filiorum Iſraelis," XXIV : 16. 17: & alibi in Exodo, "*Obtexit nubes tentorium conventus*, & *gloria Jehovæ implevit Habitaculum*; nec potuit Moſcheh intrare, eo quod *habitaret ſuper eo nubes*, & *gloria Jehovæ impleret Habitaculum,*" XL : 34. 35. In Numeris, "Cum congregaretur Concio contra Moſchen & contra Aharonem, & reſpiceret ad Tentorium conventus, *ecce obtexit illud nubes*, & *apparuit gloria Jehovæ,*" XVII : 7. In Libro 1 Regum, "Nubes implevit Domum Jehovæ, ita ut non potuerint ſacerdotes ſtare ad miniſtrandum *propter nubem*, quoniam *implevit Gloria Jehovæ Domum Jehovæ*, VIII : 11. Et in Apocalypſi, "Impletum eſt Templum *fumo* & *gloria Dei,*" XV : 8; quoniam Divinum apparuit ſicut nubes, ideo per nubem ſignificatur præſentia Divina, & ubi præſentia Divina ibi Divinum Verum, nam Divinum abſque illo non apparet, quoniam eſt in illo, & eſt illud; inde eſt, quod nubes ibi dicatur Gloria: nec aliter potuit apparere genti Iſraeliticæ, quoniam in externis abſque interno erant, videatur n: 6832. 8814. 8819. 10,551; ſed uſque nubes & gloria diſtinguuntur ſicut lux mundi & lux cœli, ſeu ſicut ſenſus literæ Verbi & ſenſus internus ejus; & ſicut ſapientia humana & ſapientia angelica. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per dixit Moſcheh, fac videre mihi quæſo gloriam tuam, ſignificetur ut oſtendatur Ipſi Divinum internum; & quia Moſcheh repræſentabat externum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, ſignificatur apperceptio Divini Veri interni in externo.

10,575. Et dixit, Ego pertranſire faciam omne bonum meum ſuper facies tuas, quod ſignificet omne Divinum Cœli & Eccleſiæ ſuper Externum ſeparatum ab Interno, in quo Moſcheh & Gens cui præerat, conſtat ex ſignificatione pertranſire facere ſuper facies ejus, quod ſit ſuper externum ſeparatum ab interno in quo Moſche & gens cui præerat, nam per facies tuas ſignificatur externum Cultus, Eccleſiæ, & Verbi, in quo internum, & per tranſire facere ſignificatur ſuper id; & ex ſignificatione omnis boni Jehovæ, quod ſit omne Divinum Cœli & Eccleſiæ. Quomodo cum his ſe habet, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra de Moſche & de gente cui præerat, dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe in externis ſeparatis ab interno eſſent; per quod intelligitur, quod in externis ſanctis abſque interno eſſent cum in cultu; & quia uſque ſanctum internum aderat, ſed non intrabat in ſanctum externum eorum; inde patet, quid ſignificatur per quod Jehovah pertranſire faceret omne bonum ſuper facies ejus: fuit quidem iſti genti internum, ſed hoc erat fœdum, plenum immunditie ex amore ſui & mundi, verum hoc clauſum fuit, cum in cultu erant, ex cauſa ne Divinum internum Cœli, Eccleſiæ, & Verbi conſpurcaretur; nam ſi id per internum eorum conſpurcaretur, nulla prorſus communicatio externi eorum fuiſſet cum cœlo, quando in cultu & in lectione Verbi, de qua re videantur quæ prius n: 10,454 ad 10,457. n: 10,462 ad 10,466. 10,492. 10,498. 10,500. 10,533. 10,549.

10,549. 10,550. 10,551. 10,570, dicta & ostensa sunt, ubi hæc plenius explicata sunt.

10,576. Et invocabo Nomen Jehovæ coram te, quod significet sanctum cultus Divini ibi, constat ex significatione invocare Nomen Jehovæ, quod sit sanctum cultus, de qua n: 440. 2724; & ex significatione coram te, quod sit coram Externo, quod Mosche nunc repræsentat, de qua supra n: 10,563. 10,571. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quæ supra n: 10,576, & in locis ibi allatis, dicta sunt.

10,577. Et gratiam faciam cui gratiam facio, & misericordiam faciam cui misericordiam facio, quod significet quod Divinum verum & bonum revelabitur illis qui recipiunt, constat ex significatione gratiam facere, quod sit donare vero & bono spirituali, hic revelare illud quia agitur de interno & externo Ecclesiæ, Cultus, & Verbi; & ex significatione misericordiam facere, quod sit donare vero & bono cœlesti, hic revelare illud: quod sit apud illos qui recipiunt, est quia non aliis revelantur interna Verbi, Ecclesiæ & Cultus, quam qui recipiunt. Quod gratiam facere sit donare vero & bono spirituali, & misericordiam facere sit donare vero & bono cœlesti, est quia gratia prædicatur de fide, & misericordia de amore; ac bonum fidei est bonum spirituale, & bonum amoris est bonum cœleste; quid bonum spirituale, & bonum cœleste, & quæ differentia, videatur in locis citatis n: 9277; & quod illi qui in spirituali Regno Domini sunt, dicant gratiam, & illi qui in cœlesti Regno Domini sunt dicant Misericordiam, n: 598. 981. 5929: nisi talis differentia foret inter gratiam & inter misericordiam, non diceretur facere gratiam & facere misericordiam: inde quoque est quod Jehovah dicatur Gratiosus & Misericors, Exod: xxxiv: 6. Joel: ii: 13. Psalm: ciii: 8. Psalm: cxlv: 8: & apud Esaiam, "Propterea manebit Jehovah ad *præstandum gratiam vobis*, & propterea attollet se *ad miserandum vestri*," xxx: 18. Quoniam duo sunt, ad quæ omnia Ecclesiæ se referunt, amor & fides, & quia Misericordia est amoris, ac gratia ut & veritas est fidei, ideo in Verbo dicitur Misericordia & Gratia quando Dominus imploratur, & dicitur Misericordia & Veritas quando Dominus describitur; ut in sequentibus his locis; apud Davidem, "*Misericordia tua* coram oculis meis, & ambulo *in veritate tua*," Psalm: xxvi: 3: apud Eundem, "Jehovah in cœlis *Misericordia tua*, & *Veritas tua* usque ad ætheres," Psalm: xxxvi: 6: apud Eundem, "Deus mittet e cœlis *Misericordiam suam*, & *Veritatem suam*: Magna est usque ad cœlum *Misericordia tua*, & usque ad ætheres *veritas tua*," Psalm: lvii: 11: apud Eundem, "*Misericordia* & *Veritas* obvient; & justitia & pax osculentur," Psalm: lxxxv: 11: & apud Eundem, "*Misericordiam Jehovæ* in æternum canam, in generationem & generationem *Veritatem tuam* ore meo: quoniam dixi, in æternum *Misericordia* ædificabitur, in ipsis cœlis confirmabis *Veritatem tuam*: justitia & judicium fulcrum throni tui, *Misericordia* & *Veritas* consistent ante facies tuas," Psalm: lxxxix: 2. 3. 5; Misericordia ibi est amor, & Veritas est fides.

10,578. Et

10,578. Et dixit, non potes videre facies meas, quod significet quod Divina interiora Ecclesiæ, Cultus & Verbi non apparere possint genti Israeliticæ, constat ex significatione facierum Jehovæ, quod sint Divina interiora Ecclesiæ, Cultus & Verbi, de qua supra n: 10,567. 10,568; ex significatione videre illa, quod sit apparere: quod illa non possint apparere genti Israeliticæ, constat ex eo quod hoc dicatur ad Moschen, & Mosche hic refert caput gentis Israeliticæ, n: 10,556. Quod facies Jehovæ sint Divina interiora Verbi, Ecclesiæ & Cultus, patet etiam ex eo, quod simile per facies Jehovæ significetur, quod per gloriam Jehovæ; dixit enim Mosche, fac videre mihi quæso gloriam tuam, & dixit Jehovah, non potes videre facies meas, & per gloriam Jehovæ significantur Divina interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, videatur supra n: 10,574. Quomodo cum his se habet, constare potest ex illis quæ prius sæpe dicta sunt, quod nempe Gens Israelitica nullatenus videre potuerit interiora Cultus, Ecclesiæ & Verbi, quia in externis separatis ab interno erat, ita nec potuit videre facies Jehovæ: at qui in externis sunt non separatis ab interno, illi omnes possunt videre interiora Verbi, Ecclesiæ & Cultus, ita facies Jehovæ; inde sequitur quod qui in amore in Dominum sunt, & quoque qui in charitate erga proximum, illi videant; nam amor in Dominum, & charitas erga proximum aperiunt internum hominem, quo aperto homo quoad interiora sua est in Cœlo inter Angelos ubi Dominus. Verum paucis hic dicetur, quid sit amor in Dominum, seu amare Dominum, qui credit quod amet Dominum, & non vivit secundum præcepta Ipsius, maxime fallitur; nam vivere secundum illa est amare Dominum, præcepta illa sunt vera quæ a Domino, ita in quibus est Dominus, quapropter quantum illa amantur, hoc est, quantum ex amore vivitur secundum illa, tantum amatur Dominus: causa est, quia Dominus amat hominem, & ex amore vult ut felix sit in æternum, & homo non felix potest fieri nisi per vitam secundum præcepta Ipsius; per illa enim regeneratur homo, & fit spiritualis, & sic potest elevari in cœlum: at amare Dominum absque vita secundum præcepta Ipsius, non est amare Ipsum, nam tunc non est aliquid apud hominem, in quod influat Dominus, & elevet illum ad se; est enim sicut vas vacuum; quippe non est aliquid vitæ in fide ejus, nec aliquid vitæ in amore ejus, vita cœli, quæ vocatur vita æterna, non infunditur alicui immediate, sed mediate. Ex his constare potest, quid sit amare Dominum, & quoque quid sit videre Dominum, aut facies Ipsius, nempe quod ex fide & ex amore tali videatur. Vivere secundum præcepta Domini, est vivere secundum doctrinam charitatis & fidei, quam videatis in præmissis ad singula Capita Libri Exodi. Quod ita sit, etiam docet Dominus apud Johannem, "*Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille est qui amat Me; qui vero amat Me, amabitur a Patre meo, & Ego amabo illum, & manifestabo illi Me Ipsum: si quis amaverit Me, Verbum meum servabit & Pater meus amabit illum; & ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus. Qui non amat Me, verba mea non servat,*" XIV: 21. 23. 24 Quid præterea significatur per facies Jehovæ, in articulo nunc sequente dicetur.

10,579. Quia

10,579. Quia non videt Me homo & vivit, quod significet quod Ipsum Divinum non videri possit, quale in se est, sed quale per Dominum in cœlo, constare potest ex eo, quod nemo viderit usquam Jehovam Patrem, sed cum est Visus est Dominus qui visus; nam Dominus est ipsa facies Jehovæ. *Quod nemo viderit usquam Jehovam Patrem*, constat ex Ipsius Domini verbis apud Johannem, "Deum nemo vidit unquam Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit," I : 18 : apud Eundem, "Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis." V : 35 : apud Matthæum, "Non Patrem quisquam cognoscit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare," XI : 27. *Quod cum Jehovah Pater visus est, sit Dominus qui visus*, docet etiam Dominus apud Johannem, "Jesus dixit, si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Illum, & vidistis Illum: dixit Philippus, Domine, monstra nobis Patrem; dicit illi Jesus, tantum tempus vobiscum sum, & non nosti Me, Philippe, qui vidit Me, vidit Patrem; quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem," XIV : 7. 8. 9 : apud Eundem, "Abrahamus pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est; amen, amen, dico vobis, priusquam Abrahamus fuit Ego sum," VIII : 56. 58; inde constare potest, quod Dominus quoad Divinum Humanum sit Jehovah qui visus, & sic quod sit facies Jehovæ. *Quod Dominus sit facies Jehovæ*, constat etiam ex Verbo; ut apud Esaiam, "Factus est illis in Salvatorem, *Angelus facierum Jehovæ* liberavit eos, ob amorem suum & indulgentiam suam: Hic redemit eos, & assumsit eos, & portavit eos omnibus diebus æternitatis," LXIII : 8. 9 : similiter in Exodo, "Ecce Ego mitto angelum ante te, ad custodiendum te in via, & ad perducendum te ad locum, quem præparavi; custodi a *facie Ejus*, ne exacerbes eum, quia non feret prævaricationem vestram, quia Nomen meum in medio ejus," XXIII : 20 : Jehovah enim ante Domini adventum in mundum cum apparuit, in forma angeli apparuit, nam cum pertransivit cœlum, induit se illa forma, quæ fuit forma Humana; nam universum cœlum ex Divino ibi, est sicut unus homo, prout multis ostensum est, ubi de Maximo Homine, qui est Cœlum, actum est, inde tunc Divinum Humanum; & quia Jehovah apparuit in forma Humana sicut Angelus, patet, quod usque esset Ipse Jehovah, & quod ipsa illa forma quoque Ipsius esset, quia erat Divinum Ipsius in cœlo, hoc fuit Dominus ab æterno: sed quia illa forma Humana assumta fuit per transitionem per cœlum, & tamen ad salvandum genus humanum necessarium fuit realiter & essentialiter esse homo, ideo placuit Ipsi, nasci, & sic humanam formam actualiter assumere, in qua Ipse Jehovah; quod ita sit docet Dominus apud Johannem, "Credite Mihi quod Ego in Patre, & Pater in Me," XIV : 11 : & alibi, "Ego & Pater unum sumus," X : 30. Quod Dominus ab æterno fuerit, etiam docet apud Johannem, "In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est. Et Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos," I : 1. 2. 3. 14 : apud Eundem, "Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, &

& vado ad Patrem," xvi : 28 : apud Eundem, " Jesus dixit, glorifica Me Tu Pater apud Te Ipsum gloria, quam habui antequam mundus esset apud Te," xvii : 5 : & apud Eundem, " Amen, amen, dico vobis, priusquam Abrahamus fuit, Ego sum," viii : 58 : ex his manifeste cognosci potest, quod Dominus etiam quoad Humanum suum sit Jehovah, ita quod Humanum suum sit Divinum ; idcirco dicitur apud Johannem, " *Deus erat Verbum*, & *Verbum Caro factum est* ; & quoque priusquam Abrahamus fuit *Ego sum*, & non Ego fui, Sum enim est Jehovah," Exod : iii : 14. Ex his nunc constare potest, quod per Me non videt homo & vivit, significetur quod Ipsum Divinum non videri possit quale in se est, sed quale per Dominum in Cœlo. Per Dominum in Cœlo dicitur, quia Dominus est supra cœlos, est enim Sol cœli, sed usque præsens est in Cœlis ; est ibi Divinum Verum, & Divinum Verum procedens a Domino ut Sole est Dominus in cœlo, est ideo Divinum Verum ibi facies Ipsius. Dictum est supra, quod per facies Jehovæ significentur Divina interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, n : 10,567. 10,568 ; causa est, quia Divina interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, sunt Divinum Verum procedens a Domino, ita Dominus in Cœlo : hoc significatur per faciem Jehovæ, ubi nominatur in Verbo, ut apud Matthæum, " Videte ne contemnatis ullum ex pusillis his ; dico enim vobis, quod angeli eorum in cœlis semper *videant faciem patris qui in cælis est*," xviii : 10. In Apocalypsi, " Thronus Dei & Agni in Sancta Hierosolyma erit, & servi Ipsius ministrabunt Ipsi, & *videbunt facies Ipsius*," xxii : 3. 4. Apud Moschen, " *Illuminabit Jehovah facies super vos*, & miserebitur tui ; *tollet Jehovah facies suas super te*, & ponet tibi pacem," Num : vi : 25. Apud Davidem, " Multi dicentes, quis ostendet nobis bonum ; *tolle super nos lucem facierum tuarum Jehovah*," Psalm : iv : 7. Apud Eundem, " Quousque *Jehovah occultas facies tuas* a me," Psalm : xiii : 2. Apud Eundem, " Tibi dixit cor meum, *quærite facies meas*, *facies tuas Jehovah*, quæro," Psalm : xxvii : 8. Apud Eundem, " Deus miserebitur nostri, & benedicet nobis, *illuminabit facies suas nobis*," Psalm : lxvii : 2. Apud Eundem, " Deus reduc nos, & *lucere fac facies tuas*, ut salvemur," Psalm : lxxx : 4, 8. 20. Apud Eundem, " Beatus populus tuus, *qui in luce facierum tuarum* ambulant," Psalm : lxxxix : 16. Apud Eundem, " Jehovah *ne abscondas facies tuas* a me," Psalm : cii : 3. Apud Eundem, " *Abscondis facies tuas*, conturbantur," Psalm : civ : 29 : quid per facies Jehovæ hic intelligitur, quisque comprehendere potest, quod nempe Divinum, & quicquid Divini est, ita Misericordia, Pax, & omne Bonum, at in universali sensu Divinum Verum, quoniam in Divino Vero est omne bonum ; & apud hominem & apud angelum est Divinum Bonum in Divino Vero, & absque hoc non est illud ; verum enim est recipiens boni, ita quoque Misericordiæ & Pacis : inde nunc sequitur, ubi non Divinum bonum in Divino vero est, ibi non facies Jehovæ ; & quoque sequitur, quod ubi malum in falso est, Divinum non appareat : hoc intelligitur per quod Jehovah occultet & avertat facies in sequentibus his locis, apud Esaiam, " *Peccata vestra absconderunt facies Jehovæ a vobis*," lix : 2 : apud

apud Jeremiam, "*Propter malitiam eorum occultavi facies meas ab urbe hac,*" XXXIII : 5 : apud Ezechielem, "*Averto facies meas ab illis,* & prophanant arcanum meum," VII : 22 : & apud Micham, "*Jehovah occultabit facies suas ab illis,* quemadmodum mala reddiderunt opera sua," III : 4. Sed sciendum est, quod Jehovah, hoc est, Dominus nusquam avertat facies suas ab homine, sed quod homo, qui in malo est, avertat suam faciem a Domino; & quia tunc Divinum ei a tergo est, ideo apparet sicut id se ocultet seu avertat: etiam res se actualiter ita habet, spiritus infernales omnes tergum vertunt ad Dominum ut Solem, at angeli semper faciem ad Ipsum; similiter homo quoad spiritum suum, dum in mundo vivit.

10,580. Et dixit Jehovah, ecce locus Mecum, & stabis super petra, quod significet statum fidei in Deum, constat ex significatione loci, quod sit status, de qua n: 2625. 2837. 3356. 3387. 4321. 4882. 5604. 7381. 9440. 9967, 10,146; & ex significatione petræ, quod sit fides, de qua n: 8581. 10,438; quod sit status fidei in Deum, est quia dicitur locus Mecum. Quod hoc significetur per hæc verba, nemo scire potest nisi ex sensu interno, ita nisi sciat quid in illo sensu est locus, & quid petra; nam quid foret alioquin, quod locus esset cum Jehovah super petra; foret quod Jehovah habitaret ibi, & daret ei locum Secum, cum tamen Jehovah habitat in cœlo apud angelos, & in Ecclesia apud homines. Quod petra sit fides, est ex apparentiis in altera vita; qui in fide sunt illi habitant ibi super petris, qui autem in amore, illi habitant super montibus; petræ ibi apparent lapideæ, montes autem non lapidei, quia sunt elevationes terræ: inde est quod petra significet fidem.

10,581. Et erit pertransire gloriam meam, quod significet interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, constat ex significatione gloriæ Jehovæ, quod sint Divina interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de qua supra n: 10,574.

10,582. Et ponam te in fissura petræ, quod significet obscurum & falsum fidei, quale illis qui in externis absque interno sunt, constat ex significatione fissuræ petræ, quod sit obscurum & falsum fidei; per petram enim significatur fides, ut mox supra n: 10,578, & per fissuram ejus obscurum, & quoque falsum, de qua sequitur: dicitur quale est illis qui in externis absque interno sunt, quia illis omne Verum quod fidei in obscuro est, & quoque cum falso; nam qui credunt Verbum, illi credunt id secundum literam ubivis, & non secundum sensum interiorem ejus; & qui ita credunt, in nulla luce esse possunt, nam lux e cœlo influit per internum in externum; & quoque quod credunt absque luce e cœlo, apparet ut verum, sed usque apud illos est falsum, nam de vero habent ideam materialem & terrestrem, & non simul spiritualem & cœlestem, & omnis idea materialis & terrestris, si non in illa lux e cœlo est, scatet fallaciis; sicut pro exemplo, Jacobus & Johannes, quia de Regno Domini habebant ideam terrestrem, petierunt ut unus sederet a dextris Ipsius, & alter a sinistris in Regno Ipsius; sed Jesus dixit, nescitis quid petitis, scitis quod principes gentium dominentur illis, non sic erit inter vos, sed quisquis voluerit inter vos magnus fieri, esse debebit vester minister,

& quisquis voluerit esse primus, esse debebit vester servus," Matth: xx: 21. 22. 25. 26. 27; qui tales sunt, sicut illi tunc, non sciunt quid Regnum cœleste, non quid gloria ibi, nec quid amor, imo nec quid fides, in genere non quid bonum, judicant enim ex corporeis & terrenis, & omne jucundum corporis & ejus sensuum vocant bonum, ac eminentiam super alios vocant gloriam, amorem mundi & amorem sui vocant amorem cœlestem, ac scientificum factum persuasivum vocant fidem; cum cogitant de Deo, cogitant materialiter, & ideo vel negant Deum, & pro Deo habent naturam, vel colunt idola, vel homines mortuos; inde patet, quam obscurum fidei sit illis qui in solis externis sunt, & quoque quod falsum. In tali obscuro & falso fidei sunt, qui credunt Verbum quoad sensum literæ ejus solum absque doctrina ex illustrato inde facta; qui absque doctrina legunt verbum, sunt sicut illi qui vadunt in tenebris absque lucerna; tales sunt omnes mere sensuales homines; quod gens Judaica talis sit, patet, nam illi explicant omnia Verbi secundum sensum literæ, ex causa quia in externis separatis ab interno sunt: qui tales sunt, in altera vita nec habitant super petris, sed vel in speluncis ibi, vel in fissuris. Quod fissura petræ sit obscurum & falsum fidei, constat etiam ex aliis locis in Verbo; ut apud Esaiam, "In die illo sibilabit Jehovah muscæ, quæ in extremitate fluviorum Ægypti; & api quæ in terra Aschuris; quæ venient & quiescent omnes in fluviis desolationum, & *in fissuris petrarum*," vii: 19; agitur ibi de adventu Domini, & de statu Ecclesiæ tunc, quod desolatio omnium quæ veri & boni spiritualis; per illa enim verba significatur, quod homo Ecclesiæ recesserit tunc ab internis, & factus sit prorsus externus, ita mere sensualis; fieri sensualis est non aliud capere & credere quam quæ sensus externi dictant; musca in extremitate fluviorum Ægypti est falsum prorsus externi seu mere sensualis hominis; apis in terra Aschuris, est falsum ratiocinationis inde; fluvii desolationum sunt doctrinæ vera prorsus desolata; & fissuræ petrarum sunt falsa fidei inde: quis divinaturus est, quod illa verba talia significent; & quæ significant prorsus latitura sunt, nisi detegantur per sensum internum. Apud Eundem, "In die illo projiciet homo idola, quæ fecerunt sibi ad incurvandum se talpis & vespertilionibus, *ad intrandum in scissuras petrarum*, & *in fissuras rupium*," ii: 20. 21; incurvare se talpis & vespertilionibus est colere talia quæ in caligine sunt ac in umbra noctis, quod est externa absque interno; intrare in scissuras petrarum & in fissuras rupium, est in fidei obscura & caliginosa, ita in falsa. Apud Jeremiam, "Reducam filios Israelis super terram eorum, & mittens ad piscatores multos, qui piscabuntur eos, & ad venatores qui venabuntur eos desuper omni monte, super omni colle, *& ex foraminibus petrarum*," xvi: 15. 16; agitur ibi de Ecclesiæ restauratione, quæ significatur per reducere filios Israelis super terram eorum; piscari eos, est instruere in externis Ecclesiæ; venari eos, est instruere in internis; qui super monte & super colle, sunt qui in amore & charitate; in foraminibus petrarum sunt qui in fide, nondum illustrati, ita qui in obscuro fidei. Apud Eundem, "Minimum dedi te inter gentes; *superbia cordis tui habitans in foraminibus petræ* tenet altitudinem collis,"

xlix;

XLIX: 15. 16: apud Obadiam, "Superbia cordis tui decepit te, *qui habitas in scissuris petræ*, altitudine sedis tuæ; qui dicit in corde suo, quis detrahet me in terram; si exaltaveris te sicut aquila, & si inter stellas ponere nidum, inde detraham te," Vers: 3. 4; habitare in foraminibus petræ est in falsis fidei; agitur de illis qui se exaltant super alios, credentes quod docti sint præ reliquis, cum tamen in falsis sunt, & ne quidem videre possunt vera; illi in altera vita habitant in foraminibus petrarum; & quandoque se projiciunt super petras, sed usque inde in sua foramina, & in speluncas, quæ sunt sub petris, dejiciuntur; hoc intelligitur per tenere altitudinem collis, & exaltare se sicut aquila, & inter stellas ponere nidum, & usque detrahi. Ex his nunc constare potest, quod per ponere Moschen in fissura petræ, significetur obscurum & falsum fidei, quale illis qui in externis absque interno sunt: per Moschen enim hic intelligitur populus, quia hic refert caput illius, videatur n: 10,556.

10,583. Et obtegam volam meam super te, usque dum pertransivero, quod significet occlusionem interni, constat ex significatione obtegere volam super Moschen, quod sit occludere internum Ecclesiæ, Cultus, & Verbi, quod super externum eorum est; quod sit internum eorum quod significatur, est quia obtegere volam involvit, ne videat gloriam ac facies Jehovæ, & per gloriam Jehovæ significatur internum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, videatur n: 10,574; similiter per facies Jehovæ, n: 10,567. 10,568. 10,576.

10,584. Et removebo volam meam, & videbis posteriora mea, & facies meæ non videbuntur, quod significet quod externa Verbi, Ecclesiæ, & cultus visuri, non autem interna, constat ex significatione posteriorum Jehovæ, quod sint externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de qua sequitur; & ex significatione facierum Jehovæ, quod sint interna eorum, de qua supra n: 10,576; inde per videre posteriora & non facies Jehovæ, significatur videre externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, & non interna: quod gens Israelitica & Judaica talis fuerit, & quoque hodie sit, in omnibus præcedentibus hujus Capitis & prioris ostensum est. Quod posteriora Jehovæ significent externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, est quia facies significant interna n: 10,576; & illi dicuntur videre Jehovæ posteriora & non facies, qui Verbum credunt & adorant, sed solummodo externum ejus, quod est sensus literæ, & non interius vadunt; sicut illi qui illustrati sunt, & sibi doctrinam ex Verbo faciunt, per quam videant genuinum ejus sensum, ita interiorem; quod Verbum absque doctrina non capi possit, & quod doctrina e Verbo ab illustrato facta erit intellectui pro lucerna, videatur n: 9382. 9409. 9412. 9424. 9430. 10,105. 10,324. 10,401. 10,431; & quod sensus internus Verbi illam doctrinam doceat, n: 9430. Ex his constare potest, quid sit videre posteriora Jehovæ, & non facies Ipsius. At qui non credunt Verbo, illi ne quidem vident posteriora Jehovæ, sed vertunt se retro a Jehovah, ac vident solum se & mundum: hi sunt qui intelliguntur per illos in Verbo, qui dicunt vertere posteriora ad Templum, & adorare solem, de quibus apud Ezechielem, "Introductus sum in atrium domus Jehovæ, & ecce viginti & quinque viri, *quorum posteriora versus Tem-*

plum

plum Jehovæ, & *facies eorum versus orientem*; iidemque incurvaverunt se *versus orientem solis*," VIII: 16; per solem & ejus orientem intelligitur sol mundi & ejus oriens, & per illum significatur amor sui, qui amor prorsus est oppositus amori in Dominum; inde est, quod sol mundi sistatur in idea angelorum & prorsus obscurum quid a tergo, & Dominus, qui est Sol cœli, a facie, videatur n: 7078; de his dicitur, quod posteriora vertant ad templum; & quoque quod eant retrorsum, apud Jeremiam, "Tu deseruisti Jehovam, *retrorsum ivisti*," XV: 6; & alibi apud Eundem, "abiverunt in obfirmatione cordis sui mali, & *facta sunt retrorsum, non autem antrorsum*," VII: 24.

De Quarta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,585. *AD hanc Tellurem, de qua in nunc sequentibus, non advectus sum sicut ad alias; sed ipsi spiritus, qui ex Tellure illa erant, adducti sunt ad me; & cum ad distantiam aberant, visi sunt sicut volumen in longum extensum, non continuum, sed discretum; plures enim erant, & in cohortes: ferebantur primum versus inferiora; & perceptum quod inde ascendere conarentur; & sic ad me venire, sed quod non possent; quapropter pergebant paulo ad sinistrum antrorsum, usque ad tellurem Martis, & ibi nitebantur emergere, quod etiam factum sed cum difficultate. Causa quod ita fieret, erat, quia prorsus alio genio erant quam nostræ telluris spiritus; & qui alio genio sunt, illi per varias vias feruntur, ut adsocientur illis spiritus, per quos conjunctio fiat; sunt enim affectiones & cogitationes quæ conjungunt & disjungunt spiritus & angelos; quantum quoad illas differunt, tantum ab invicem separati apparent, sed usque conjunguntur per intermedios, cum ita Domino placet: hæc causa erat, quod usque ad Martis tellurem ducerentur.*

10,586. *Postquam illis conjuncti erant, statim apparebant supra caput, ita prope me; nam per conjunctionem cum illis consociatio quoad affectiones & inde cogitationes cum spiritibus nostræ telluris, qui circum me erant, fiebat, & secundum consociationem quod illas apparet præsentia, ut ex supra dictis constare potest. Loquebantur tunc mecum, & dicebant quod ibi invenerint spiritus consocios.*

10,587. *Sermo fuit primum de loquela eorum in sua Tellure, dicebant quod consocient sermonem inter se per viam internam, & non sicut alii per externam, ac id media atmosphæra & medio visu; quod fit hoc modo; cogitant intra se, ac ideæ cogitationis communicantur alteri per quendam illapsum in interiora aurium, per viam ignotam in hac tellure, sed usque*

 notam

notam eruditis Anatomicis; est enim quidam canalis intra os, qui vocatur tuba Eustachiana, qui apertus est in ore, & terminatur in auris conclavi, & circumductus est tenui membrana, per illum Canalem illabitur sub tenui sono aer respiratorius, & sic communicatur cogitatio loquens; hoc fit media athmosphæra, ut dictum est: porro cum loquuntur ita inter se, etiam movent labia, tam in communi quam in particulari; & motiunculæ illæ progrediuntur versus oculos, imprimis versus oculum sinistrum, & ibi interior eorum cogitatio, & ejus vitale se manifestat; hoc fit medio visu, ut dictum est. Inde patuit, quod facies eorum unum agat cum eorum cogitatione: facies enim prorsus formata est ad effigiandum & repræsentandum illa quæ homo cogitat & amat; inde etiam facies vocatur index animi; sed hoc fit apud sinceros, aliter vero apud insinceros, simulatores, & hypocritas Ut confirmarer quod ita esset, dabatur illis similiter movere mea labia, & meam faciem, & tunc per concordantiam percipere cogitationis eorum objecta. Interrogabantur num ibi aliqui loquerentur per voces sonoras, seu sonum articulatum, dicebant quod nesciant quid articulatum soni, sed quod sciant quid sonus. His auditis appercepi causam, cur ad spiritus telluris Martis deducti fuerint, & cum illis consociati antequam ad me venirent; est enim similis loquela apud illos, de qua videatur ubi de incolis & spiritibus illius telluris n: 7359. 7360. 7361. 7362, actum est.

10,588. Ex audito illorum sermone incidebat dubitatio de Respiratione illorum, num illa similis esset respirationi hominum nostræ telluris, & dictum, quod quidem similis, sed quod non articuletur in via cum abit in sonum, quod fit apud nos in trachea & larynge; tum quod labia eorum moveantur non modo per influxum idearum in fibras eorum, sed etiam per afflatum intrinsecum pulmonicum.

10,589. Quidam e nostræ telluris spiritibus inferebant dubium, num hi essent e cælo arifero; quapropter datum est angelis explorare undenam essent, & compertum quod essent ex stella, quæ sol eorum, admodum distante a sole nostri mundi, & quod situs ejus esset inferius juxta viam lacteam; & quod stella illa esset inter minores.

10,590. Continuatio de Quarta hac Tellure in Cælo Astrifero ad finem Capitis sequentis.

EXODI.

EXODI.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

Doctrina Charitatis & Fidei.

10,591. HOMO ita creatus est, ut quoad Internum suum non mori possit; nam credere potest in Deum, & quoque amare Deum, ac ita conjungi Deo fide & amore; & conjungi Deo est vivere in æternum.

10,592. Hoc Internum est apud omnem hominem qui nascitur, Externum ejus est per quod efficit illa quæ fidei & amoris sunt, ita quæ Interni sunt: Internum est quod vocatur Anima, & Externum quod vocatur Corpus.

10,593. Externum, quod homo in mundo circumfert, accommodatum est usibus in mundo; hoc externum est quod rejicitur, cum homo moritur: at externum quod accommodatum est usibus in altera vita, non moritur; hoc externum una cum interno vocatur spiritus; spiritus bonus & angelus si homo in mundo bonus fuerat, ac spiritus malus si homo in mundo malus fuerat.

10,594. Spiritus hominis apparet in altera vita in forma humana, prorsus sicut in mundo; gaudet etiam facultate videndi, audiendi, loquendi, sentiendique sicut in mundo; & pollet omni facultate cogitandi, volendi, & faciendi sicut in mundo; verbo, est homo quoad omnia & singula, præter quod non crasso illo corpore, quo in mundo, circumdatus sit; in relinquit cum moritur, nec usquam resumit.

10,595. Hæc continuatio vitæ est, quæ intelligitur per Resurrectionem. Quod homines credant quod non prius resurrecturi sint quam ultimo judicio, quando etiam periturum omne aspectabile mundi, est quia non intellexerunt Verbum; & quia sensuales homines ipsissimam vitam ponunt in corpore, & credunt quod nisi hoc revicturum esset, actum foret de homine.

10,596. Vita hominis post mortem, est vita amoris & vita fidei ejus; inde qualis ei amor fuerat & qualis ei fides, cum vixit in mundo, talis ei vita manet in æternum: vita inferni est illis, qui se & mundum super omnia amaverunt; & vita cœli est illis qui Deum super omnia

omnia amaverunt, ac proximum ficut feipfum; hi funt qui fidem habent, illi autem qui fidem non habent: vita cœli eft quæ vocatur vita æterna; & vita inferni eft quæ vocatur mors fpiritualis.

10,597. Quod homo poft mortem vivat, docet Verbum; ut, quod Deus non fit mortuorum Deus fed viventium, Matth: XXII: 31. Quod Lazarus poft mortem in cœlum fublatus fit, dives autem conjectus in infernum, Luc: XVI: 22. 23. feq: Quod Abrahamus, Ifacus & Jacobus ibi fint, Matth: VIII: 11. Cap: XXII: 31. Luc: XXII: 23. 24. 25. 29. Quod Jefus dixerit ad latronem, hodie Mecum eris in Paradifo, Luc: XXIII: 43: & alibi.

****

CAPUT XXXIV.

1. ET dixit JEHOVAH ad Mofchen, dola tibi duas Tabulas lapidum, fecundum priores, & fcribam fuper Tabulas verba quæ fuerunt fuper Tabulis prioribus, quas fregifti.

2. Et efto paratus ad mane, & afcendes in matutino ad montem Sinai, & confiftes Mihi ibi fuper capite montis.

3. Et quifquam non afcendet tecum, & etiam quifquam nec videbitur in toto monte, etiam grex & armentum nec pafcent e regione montis hujus.

4. Et dolavit duas Tabulas lapidum fecundum priores, & furrexit mane Mofcheh in matutino, & afcendit ad montem Sinai, quemadmodum præcepit JEHOVAH illi, & accepit in manu fua duas Tabulas lapidum.

5. Et defcendit JEHOVAH in nube, & conftitit cum eo ibi, & invocavit Nomen JEHOVÆ.

6. Et tranfivit JEHOVAH fuper facies ejus, & invocavit JEHOVAH, JEHOVAH DEUS Mifericors & gratiofus, longanimis iras, & magnus bonitate & veritate.

7. Servans bonitatem ad millia, ferens iniquitatem, & prævaricationem, & peccatum, & abfolvendo non abfolvit; vifitans iniquitatem patrum fuper filios, & fuper filios filiorum, fuper tertios & fuper quartos.

8. Et feftinavit Mofcheh, & inflexit fe ad terram, & adoravit.

9. Et dixit, fi quæfo inveni gratiam in oculis tuis, DOMINE, eat quæfo DOMINUS in medio noftri; quia populus durus cervice ille; & pro-

propitius ſis ad iniquitatem noſtram, & ad peccatum noſtrum, & hæreditatem tuam facias nos.

10. Et dixit, ecce Ego pangens fædus, coram omni populo tuo faciam mirabilia, quæ non creata ſunt in omni terra, & in omnibus gentibus, & videbit omnis populus, cujus tu in medio ejus, opus Jehovæ, quod mirabile hoc quod Ego faciens cum te.

11. Cuſtodi tibi id quod Ego præcipio tibi hodie, ecce Ego expellens a faciebus tuis Emorritam, & Canaanitam, & Chittitam, & Periſitam, & Chivitam, & Jebuſitam.

12. Cave tibi, ne forte pangas fœdus habitatori terræ, ſuper quam tu venis, ne forte fiat in laqueum in medio tui.

13. Quare altaria eorum evertetis, & ſtatuas eorum frangetis, & locus ejus exſcindetis.

14. Quare non incurvabis te deo alteri, nam Jehovah Zelotes Nomen Ipſius, Deus Zelotes Ille.

15. Ne forte pangas fœdus habitatori terræ, & ſcortentur poſt deus eorum, & ſacrificent diis eorum, & vocet te, & comedas de ſacrificio ejus.

16. Et accipias de filiabus ejus filiis tuis, & ſcortentur filiæ ejus poſt deos earum, & ſcortari faciant filios tuos poſt deos earum.

17. Deos fuſilis non facies tibi.

18. Feſtum azymorum cuſtodies; ſeptem diebus comedes azyma, quæ præcepi tibi, ad ſtatum tempus menſis Abib, quia in menſe Abib exiviſti ex Ægypto.

19. Omnis apertura uteri Mihi, ex omni pecore tuo des maſculum, aperturam bovis & pecudis.

20. Et aperturam aſini redimes in pecude, & ſi non redemeris decollabis illam: omnem primogenitum filiorum tuorum redimes: & non videbuntur facies meæ vacuæ.

21. Sex diebus operaberis, & in die ſeptimo quieſces, in aratione & in meſſatione quieſces.

22. Et feſtum ſeptimanarum facies tibi primitiarum meſſis tritici, & feſtum collectionis revolutionis anni.

23. Tribus vicibus in anno videbitur omnis maſculus tuus ad facies Domini Jehovæ Dei Iſraelis.

24. Quia expello Gentes a faciebus tuis, & dilatari faciam terminum tuum, & non concupiſcet quiſquam terram tuam in aſcendendo te ad videndum facies Jehovæ Dei tui tribus vicibus in anno.

25. Non

25. Non mactabis super fermentato sanguinem sacrificii mei, & non pernoctabit ad mane sacrificium festi Pæsach.

26. Primitias primitivorum humi tuæ inducas domum Jehovæ Dei tui. Non elixabis hædum in lacte matris suæ.

27. Et dixit Jehovah ad Moschen, scribe tibi verba illa, quia super ore verborum illorum pango cum te fœdus, & cum Israele.

28. Et fuit ibi cum Jehovah quadraginta dies & quadraginta noctes, panem non edit, & aquam non bibit; & scripsit super tabulis verba fœderis, decem verba.

29. Et fuit in descendendo a Mosche de monte Sinai, & duæ tabulæ testimonii in manu Moschis in descendendo illo de monte, & Moscheh non novit quod corruscaret cutis facierum ejus in loquendo illo cum Ipso.

30. Et vidit Aharon & omnes filii Israelis Moschen, & ecce coruscavit cutis facierum ejus, & timebant ab accedere ad illum.

31. Et vocavit ad illos Moscheh, & reversi sunt ad illum Aharon, & omnes principes in cœtu, & loquutus Moscheh ad illos.

32. Et postea accesserunt omnes filii Israelis, & præcepit illis omnia quæ loquutus Jehovah cum illo in monte Sinai.

33. Et absolvit Moscheh a loquendo cum illis, & dedit super facies suas velamen.

34. Et in intrando Mosche coram Jehovah ad loquendum cum Ipso, removit velamen usque ad exire illum; & exivit & loquutus ad filios Israelis in quod præceptum est.

35. Et viderunt filii Israelis facies Moschis, quod coruscaret cutis facierum Moschis, & reduxit Moscheh velamen super facies suas usque ad intrare illum ad loquendum cum Ipso.

CONTENTA.

10,598. AGitur in hoc Capite in sensu interno de Ecclesia instituenda apud Gentem Israeliticam; sed quia talis erat, ut non recipere posset Divinum ab interiori, gens illa recepta est, ut apud illum repræsentativum Ecclesiæ esset, & non Ecclesia; de qua re agitur a Vers: 1 ad 9.

10,599. Agitur postea in sensu interno de præcipuis Ecclesiæ, quæ omnino observarentur, ut repræsentarent Ecclesiam, de quibus a Vers: 10 ad 28.

10,600. Demum agitur de pellucentia Divini Interni Verbi, Ecclesiæ

clesiæ & Cultus per externum eorum, sed non coram illa gente: hoc significatur per coruscationem cutis faciei Moschis, & interpositionem velaminis cum loqueretur cum populo, de quibus a Versu 29 ad finem.



SENSUS INTERNUS.

10,601. VERS: 1 ad 9. *Et dixit Jehovah ad Moschen, dola tibi duas tabulas lapidum secundum priores, & scribam super tabulis verba, quæ fuerunt super tabulis prioribus, quas fregisti. Et esto paratus ad mane, & ascendes in matutino ad montem Sinai, & consistes Mihi ibi super capite montis. Et quisquam non ascendet tecum, & etiam quisquam nec videbitur in toto monte; etiam grex & armentum nec pascent e regione montis hujus. Et dolavit duas tabulas lapidum secundum priores, & surrexit mane Moscheh in matutino, & ascendit ad montem Sinai, quemadmodum præcepit Jehovah illi, & accepit in manu sua duas tabulas lapidum. Et descendit Jehovah in nube, & constitit cum eo ibi, & invocavit Nomen Jehovæ. Et transivit Jehovah super facies ejus, & invocavit, Jehovah, Jehovah, Deus Misericors & gratiosus, longanimis iras, & magnus bonitate & veritate. Servans bonitatem ad millia, ferens iniquitatem & prævaricationem & peccatum, & absolvendo non absolvit; visitans iniquitatem patrum super filios & filios filiorum, super tertios & super quartos. Et festinavit Moscheh, & inflexit se ad terram, & adoravit. Et dixit, si quæso inveni gratiam in oculis tuis, Domine, eat quæso Dominus in medio nostri, quia populus durus cervice ille, & propitius sis ad iniquitatem nostram & ad peccatum nostrum; & hæreditatem tuam facias nos.* Et dixit Jehovah ad Moschen, significat conclusum de gente Israelitica: dola tibi duas tabulas lapidum secundum priores, significat Externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, quale propter illam gentem; & scribam super tabulis verba quæ fuerunt super tabulis prioribus quas fregisti, significat interiora illorum Divina Cœlestia & Spiritualia etiam in illis externis: & esto paratus ad mane, & ascendes ad montem Sinai, significat ortum novum revelationis Divini Veri: & consistes Mihi ibi super capite montis, significat ex cœlo intimo ubi Divinus Amor: & quisquam non ascendet tecum, significat quod gens Israelitica non possit in Divino Vero esse: & etiam quisquam nec videbitur in toto monte, significat quod prorsus remota sit ab illo, ita extra illud: etiam grex & armentum non pascent e regione montis hujus, significat quod nec instrui possent de bono interiori & exteriori Ecclesiæ, Cultus, & Verbi: & dolavit duas tabulas lapidum secundum priores, significat Externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, quale propter gentem Israeliticam: & surrexit mane Moscheh in matutino, & ascendit ad montem Sinai, significat ortum novum revelationis Divini Veri: quemadmodum præcepit Jehovah illi, significat quod fieret quia institerunt:

& accepit in manu sua duas tabulas, significat Externum Verbi, Ecclesiæ & Cultus, quale propter Gentem Israeliticam: & descendit Jehovah in nube, & constitit cum eo ibi, significat Externum Verbi in quo Divinum: & invocavit Nomen Jehovæ, significat cultum Domini ex veris & bonis fidei & amoris: & transivit Jehovah super facies ejus, significat Divina Interna super Externis: & invocavit, Jehovah, Jehovah, Deus misericors & gratiosus, significat Ipsum Divinum, Divinum Humanum & Divinum procedens, a Quo omne bonum: longanimis iras, significat Divinam Clementiam: & magnus bonitate & veritate, significat quod sit ipsum Bonum & ipsum Verum: servans bonitatem ad millia, significat in æternum: ferens iniquitatem, prævaricationem & peccatum, significat remotionem mali & ejus falsi ut non appareat: & absolvendo non absolvit, significat tolerantiam usque ad consummationem: visitans iniquitatem patrum super filios & super filios filiorum, significat rejectionem & damnationem malorum & inde falsorum in longa serie: super tertios & super quartos, significat falsorum & inde malorum: & festinavit Moscheh, & inflexit se ad terram, & adoravit, significat tunc receptionem ex influxu in Externum, ac cultum ex humiliatione: & dixit, si quæso inveni gratiam in oculis tuis Domine, significat quia receptum tale Externum: eat quæso Dominus in medio nostri, significat ut sit Divinum intus in eo: quia populus durus cervice ille, significat tametsi gens Israelitica non recipit Divinum ab interiori: & propitius sis ad iniquitatem nostram, & ad peccatum nostrum, significat ut removeantur interiora eorum quæ scatent falsis & malis: & hæreditatem tuam facias nos significat ut usque Ecclesia sit ibi.

10,602. Et dixit Jehovah ad Moschen, quod significet conclusum de Gente Israelitica, constat ex significatione dicere, cum a Jehovah ad Moschen, quod sit responsum, hic autem conclusum, quoniam Dixit involvit sequentia, quia illa sunt quæ dixit, seu quæ dicuntur; hic itaque per dixit significatur conclusum de Gente Israelitica, de qua in binis Capitibus quæ præcedunt, actum est; conclusum est, quod quidem Ecclesia apud illam institueretur, & Verbum apud illam conscriberetur, sed quod illi essent solum in externis, & prorsus non in interno: esse in externis & non in interno, est colere externa ut sancta, absque agnitione Domini, & absque amore in Deum propter Deum, sed propter semet, quod est amare semet & non Deum; imo est avertere se a Deo, & non convertere se ad Deum; sed quia in sancto externo potuerunt esse propter se, & hoc potuit miraculose converti in sanctum externum propter Deum per spiritus apud illos, & ab his recipi ab angelis, & sic elevari in sanctum internum, ideo gens illa usque recepta est, de hac re videatur n: 10,500. 10,570. Hoc conclusum est, quod continetur in hoc Capite, ita quod significatur per dixit Jehovah ad Moschen.

10,603. Dola tibi duas tabulas lapidum secundum priores, quod significet Externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, quale propter illam gentem, constat ex significatione tabularum lapidum, quod sint Externum Verbi, de qua n: 10,453. 10,461; Externum Verbi est sensus literæ ejus; quod etiam sit

Externum

Externum Ecclesiæ & Cultus, est quia Ecclesia est ex Verbo, & quoque Cultus, omne enim Verum quod fidei, & Bonum quod amoris, quæ faciunt Ecclesiam, & quoque Cultum, ex Verbo erunt; inde quia in Verbo est Externum & Internum, etiam in Ecclesia & in cultu est Externum & Internum; & ex significatione dolare illas, cum a Mosche, quod sit facere externum tale propter illam gentem, de qua sequitur; & ex significatione secundum priores, quod sit ad imitamen, priores enim a Jehovah factæ sunt, hæ vero a Mosche; quod priores quæ a Jehovah factæ sunt, fractæ fuerint a Mosche, cum vidit cultum vituli aurei pro jehova a gente illa, erat ex Providentia; quoniam Externum Verbi, quod significatur per duas tabulas lapidum, non tale potuit conscribi apud illam gentem, quæ corde mere idololatra fuit, inde est, quod priores tabulæ fractæ fuerint, & nunc dictum Moschi, quod ille dolaret alias ad imitamen priorum: ad imitamen dicitur, quia sensus internus permansit, & sensus externus mutatus est; sensus internus significatur per quod Jehovah scripserit super his tabulis eadem verba quæ fuerunt super prioribus. Ut hæc res evidentior fiat, licet hic exponere, quomodo sensus externus seu sensus literæ propter illam gentem mutatus fuit: propter illam gentem Altaria, Holocausta, Sacrificia, Minchæ, & Libamina mandata sunt, ac ideo in Verbo tam Historico quam Prophetico memorantur illa ut sanctissima cultus, cum tamen illa modo concessa fuerunt, quia ab Ebero primum instituta, & prorsus ignorata in Antiqua Ecclesia Repræsentativa, de qua re videatur n: 1128. 2180. 2818. Propter illam gentem etiam factum est, quod Cultus Divinus solum in Hierosolyma esset, & quod ideo illa Urbs pro sancta habita sit; & quoque sancta vocata in Verbo tam Historico quam Prophetico; causa erat, quia gens illa corde idololatra fuit, & ideo nisi convenissent omnes ad illam urbem singulis festis, quisque in suo loco coluisset aliquem deum gentilium, aut sculptile & fusile. Propter illam gentem etiam interdictum fuit sanctum cultum habere super montibus & in lucis, sicut antiqui; quod factum est ne ponerent ibi idola, & colerent ipsas arbores. Propter illam gentem etiam permissum fuit plures uxores ducere, quod prorsus ignotum fuit temporibus antiquis; & quoque dimittere uxores suas ob varias causas; inde leges latæ sunt de conjugiis talibus & divortiis, quæ alioquin non intravissent Externum Verbi, ideo hoc Externum vocatur Moschis a Domino, & concessum ob duritiem cordis eorum," Matth: xix: 8. Propter illam Gentem memoratur toties Jacob, & quoque duodecim filii Israelis, sicut solum electi & hæredes, prout in Apoc: vii: 4 ad 8, & alibi, tametsi tales erant quales describuntur in Cantico Moschis Deut: xxxii: 15 ad 43, & quoque apud Prophetas passim, aque Ipso Domino: præter alia, ex quibus Externum Verbi propter illam Gentem. Hoc Externum est, quod significatur per duas tabulas a Mosche dolatas. Quod usque in illo Externo sit Internum Divinum non mutatum, significatur per quod Jehovah scripserit super his tabulis eadem verba quæ fuerunt super tabulis prioribus.

 10,604. Et

10,604. Et scribam super tabulis verba quæ fuerunt super tabulis prioribus quas fregisti, quod significet interiora illorum Divina cœlestia & spiritualia etiam in illis externis, constat ex significatione harum tabularum, quod sint Externa Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, de qua supra n: 10,603: & ex significatione Verborum, quæ scripsit Jehovah super illis, quod sint Divina interiora, ita quæ sunt sensus interni, de qua n: 10,413. 10,461; quæ quia in Cœlo coram Angelis apparent, & in luce ibi, vocantur cœlestia & spiritualia; cœlestia ibi sunt quæ amoris, & spiritualia quæ fidei ex amore: ex quibus patet, quod per scribam super tabulis verba quæ fuerunt super tabulis prioribus quas fregisti, significetur quod interiora Verbi, Ecclesiæ, & Cultus Divina cœlestia & spiritualia sint etiam in his Externis: quomodo cum his se habet, ostensum videatur in mox præcedente articulo. Quia hodie nescitur prorsus quod in Verbo sit sensus internus, imo quid sensus internus Verbi, adhuc paucis de illo dicetur: ideæ cogitationis angelorum non sunt naturales, quales sunt ideæ cogitationis hominum, sed sunt spirituales; verum quales sunt ideæ spirituales illorum, ægre potest comprehendi ab homine, quam per interiorem cogitationem & reflexionem super initiamenta cogitationum suarum, quæ quod sint absque vocibus loquelæ, notum est ex eo quod sint tales, ut homo possit momento comprehendere plura, quam potest per loquelam intra aliquod tempus exprimere; hæ ideæ cogitationis sunt ejus spiritus; at ideæ cogitationis quas homo comprehendit, & quæ cadunt in voces, sunt naturales, & ab eruditis vocantur materiales; priores autem seu interiores vocantur spirituales, & ab eruditis immateriales; in has ideas venit homo post mortem, cum fit spiritus, & per has ideas consociat sermonem cum aliis spiritibus: est inter has ideas & inter illas correspondentia, & per correspondentiam vertuntur illæ in has seu spirituales in naturales, cum homo loquitur: hoc non scit homo, quia non reflectit super id, & reflectere super id non possunt alii, quam qui interius cogitant, hoc est, qui in suo spiritu abstracte a corpore; sensuales homines hoc prorsus nequeunt. Nunc quia correspondentia est inter cogitationem spiritualem & naturalem, & quia angeli in cogitatione spirituali sunt, inde angeli spiritualiter percipiunt id quod homo naturaliter, & hoc momento absque ulla reflexione super differentiam; hoc fit imprimis cum homo legit Verbum, aut cum cogitat ex Verbo; nam Verbum ita conscriptum est, ut correspondentia sit in omnibus & singulis: ut pro exemplo, cum homo legit hæc verba Domini apud Matthæum, "*Post afflictionem dierum istorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cœlorum commovebuntur; tunc apparebit signum Filii hominis, & tunc plangent omnes Tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria,*" XXIV: 29. 30; hæc verba angeli prorsus aliter appercipiunt quam homo; per solem qui obscurabitur non appercipiunt solem sed amorem in Dominum; per Lunam non appercipiunt lunam sed fidem in Dominum; per stellas non stellas sed cognitiones boni & veri; per Filium hominis appercipiunt Dominum quoad Divinum

vinum Verum; per Tribus terræ omnia vera Ecclesiæ; per nubes cœli appercipiunt Verbum in sensu literæ; & per virtutem & gloriam Verbum in sensu interno: in hunc intellectum verborum illorum momento veniunt angeli ex correspondentia, cum homo legit illa; nec sciunt quod homo cogitat de sole, de luna, de stellis, de nubibus cœli, & de cæteris; causa est, quia angeli in idea spirituali sunt, ac idea spiritualis talis est, ut illa quæ naturæ sunt vertantur in res lucis cœlestis, quæ est Divinum Verum a Domino. Quod Angeli ita percipiant Verbum, cum homo legit illud, est quoque quia angeli sunt apud homines, & habitant in illius affectionibus; & quia homo quoad spirituum suum est in societate cum spiritibus, & quoad interiorem cogitationem, quæ est spiritualis, cum angelis cœli: inde etiam est homini facultas cogitandi. Hæc dicta sunt, ut sciatur, quid sensus internus Verbi, seu quid interiora Verbi, Ecclesiæ & Cultus, quæ vocantur cœlestia & spiritualia.

10,605. Et esto paratus ad mane, & ascendes ad montem Sinai, quod significet ortum novum revelationis Divini Veri, constat ex significatione mane, quod sit status oriens seu ortus, hic ortus novus, de qua sequitur; & ex significatione montis Sinai, quod sit cœlum unde Divinum Verum, ita unde revelatio, de qua n: 8805. 8931. 9420. Quod mane sit status oriens seu ortus, est quia omnia tempora significant status, ex causa quia in cœlo non cogitatur de tempore, sed modo de status mutationibus quoad affectiones & inde cogitationes; & quia status mutationes ibi se habent sicut tempora diei, quæ sunt Mane, Meridies, Vespera, & Nox, ac Mane est a quo inchoant: mirari quis potest, quod in cœlo non sint tempora, cum tamen ibi vivunt inter se sicut homines in mundo, cum differentia tamen quoad intelligentiam, sapientiam & felicitatem; sed causa est, quia lux ibi quæ a Sole, qui est Dominus, non vices agit diurnas sicut lux a sole in mundo, sed variatur secundum status amoris & fidei apud Angelos, qui status vices agunt, sicut status caloris, lucis, & umbræ quovis die in tellure; quod ita sit causa est, quia Lux ibi e Sole, qui est Dominus, est Divinum Verum, & Calor ex Sole illo est amor, his afficiuntur angeli, sicut homines statu lucis & caloris in mundo. Quod Lux in Cœlo sit a Domino, ut Sole ibi, videatur in locis citatis, n: 9548. 9684. Quod Lux illa sit Divinum Verum, ex quo intelligentia & sapientia angelis & hominibus, in locis citatis, n: 9548. 9684. 9571 fin: 10,569. Quod tempora significent status, in locis citatis, n: 10,133. Quod in cœlo varientur status sicut tempora diei & anni in mundo, n: 5962. 8426. Quod mane sit principium statuum illorum ita ortus novus, n: 8427. 10,114. Quod in cœlo sit status vesperæ ac diluculi, non autem status noctis, n: 6110.

10,606. Et consistes Mihi ibi super capite montis, quod significet ex cœlo intimo ubi Divinus Amor, constat ex significatione Montis Sinai, quod sit cœlum unde revelatio, de qua n: 8805. 8931. 9420; & ex significatione capitis seu cacuminis ejus, quod sit cœlum intimum, de qua n: 9422. 9434: quod sit ubi Divinus amor, est quia in Cœlo intimo regnat cœlestis amor,

qui

qui eſt amor in Dominum a Domino; in cœlis autem inferioribus regnat ſpiritualis amor, qui eſt charitas erga proximum, videatur n: 10,438; inde patet, quod per eſto paratus ad mane, & aſcendes ad montem Sinai, & conſiſtes Mihi ibi ſuper capite montis, ſignificetur ortus novus revelationis Divini Veri ex cœlo intimo ubi Divinus Amor, ita ex Divino amore; inde etiam deſcendit Verbum, quod eſt revelatio Divina.

10,607. Et quiſquam non aſcendet tecum, quod ſignificet quod gens Iſraelitica non poſſet in Divino Vero eſſe, conſtat ex ſignificatione aſcendere, hic in montem Sinai cum Moſche, quod ſit non in cœlum unde revelatio Divini Veri, ita non poſſe in Divino Vero eſſe, nam per montem Sinai ſignificatur cœlum unde revelatio Divini Veri, videatur n: 8805. 8931. 9420. 10,605; & per Moſchen repræſentatur Externum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi quod recipit Divinum Verum: quod Gens Iſraelitica intelligatur, patet, nam de illa dicitur, quod non quiſquam aſcendet tecum, & quod nec quiſquam videbitur in toto monte. Quod Moſcheh hic repræſentet Externum Verbi, Eccleſiæ & Cultus, quod recipit Divinum Verum, conſtat ex ſingulis in hoc Capite; ut quod Moſcheh aſcenderet in montem Sinai, & conſiſteret ibi in Capite ejus; & quod populus removeretur inde; in ſequentibus etiam loquitur Jehovah ad Moſchen, ut ad illum, & non ad populum, ut Verſ: 10, "Videbit omnis populus, *cujus tu in medio ejus*, quod mirabile hoc quod Ego faciens *tecum*. Verſ: 11, *Cuſtodi tibi* id quod Ego præcipio *tibi* hodie; ecce Ego expellens *a faciebus tuis*. Verſ: 12, *Cave tibi*, ne forte *pangas* fædus habitatori terræ, ſuper quam *tu venis*. Verſ: 14, *Non incurvabis te* deo alteri. Verſ: 15, Ne forte *pangas* fædus habitatori terræ, & *vocet te*, *& comedas* de ſacrificio ejus. Verſ: 16. Non *accipias* de filiabus ejus *filiis tuis*: & ſic porro: & dein quod cutis faciei Moſchis coruſcaret, & quod populus timeret accedere ad illum; & quod ideo daret ſuper faciem velamen cum loqueretur cum populo. Ex quibus patet, quod Moſcheh in hoc Capite repræſentet Externum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus, quod recipit Divinum Verum, ita per quod Divinum Verum internum tranſlucet. Quod Moſcheh repræſentet Externum illud, & non Internum, etiam patet ex ſingulis in hoc Capite; ut quod deſcenderit Jehovah in nube, & conſtiterit cum eo; per nubem enim ſignificatur Externum Verbi; & dein quod Jehovah præceperit illi Externa Eccleſiæ & Cultus, quæ obſervarentur, & non Interna. Simile Externum repræſentatum eſt per Muſchen in Capite præcedente, ut patet a Verſibus 7 ad 11, & a Verſ: 17 ad 23, videatur n: 10,563, 10,571; at Externum quod non recepit Internum, erat apud Gentem Iſraeliticam.

10,608. Et etiam quiſquam nec videbitur in toto monte, quod ſignificet quod prorſus remota ſit ab illo, ita extra illud, conſtat ex ſignificatione montis, hic montis Chorebi, quod ſit Cœlum in toto complexu, ita quoque Divinum Verum; nam ſive dicas Cœlum ſive Divinum Verum, idem eſt, angeli enim, ex quibus cœlum, ſunt receptiones Divini Veri; tota extenſio Montis illius vocabatur Chorebus, & mons editior in medio ejus vocabatur Mons Sinai, inde per Chorebum ſignificatur Cœlum, ſeu quod idem eſt,

Divinum

Divinum Verum in toto complexu; internum ejus per montem Sinai, & externum per montanum circumcirca; inde eſt, quod per Chorebum, cum etiam montanum circum circa intelligitur, ſignificetur externum, videatur n: 10,543. Gens Iſraelitica, quia fuit in Externo quod non recepit Internum, ita in Externo ſeparato ab Interno, ſeu quod idem, extra illud in quo internum, ideo præcipitur, quod non quiſquam videbitur in toto monte: ſimile ſignificatur per quod gens illa ſteterit ad oſtium tentorii in quo Moſcheh, & incurvavaret ſe ad illud, Cap: præc: Verſ: 8. 9. 10, videatur ibi, n: 10,545 ad 10,555. Paucis hic dicetur, unde eſt, quod Mons Choreb & Sinai ſignificent cœlum ac Divinum Verum: creditur in mundo, quod angeli ſint in regione ſupra athmoſphærica, ac ibi ſicut Pneumata ſubſiſtant, & quod nullum illis planum ſit cui inſiſtunt: cauſa quod talis opinio in mentibus plurium hominum ſit, eſt quia non capiunt quod Angeli & Spiritus in ſimili forma ſint in qua homines in tellure, ut quod illis facies ſint, quod brachia & manus, quod pedes, verbo quod corpus; & adhuc minus quod habitationes ſeu manſiones illis ſint; cum tamen Angeli & Spiritus habitant inter ſe prorſus ſicut homines in tellure, ſuper terra, angeli cœleſtes ſuper montibus, & angeli ſpirituales ſuper petris, & qui nondum angeli facti in planitiebus inter montes & inter petras; ſpiritus autem infernales ſub montibus & petris. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, unde eſt quod Montes in Verbo ſignificent Cœlum, & in ſpecie Mons Chorebus & Mons Sinai: etiam Angeli interiores habitant editius ſuper montibus, & quo editius eo interiores & perfectiores. Inde patet, cur Jehovah deſcenderit ſuper cacumen montis Sinai, cum promulgabatur Lex, & cur Moſcheh juſſus ſit ſubſiſtere cum Ipſo ſuper capite montis. Montes in terris non ſunt cœlum, ſed repræſentant montes ſuper quibus angeli in cœlo.

10,609. Etiam grex & armentum non paſcent e regione montis hujus, quod ſignificet quod nec inſtrui poſſent de bono interiori & exteriori Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, conſtat ex ſignificatione gregis, quod ſit bonum interius, & ex ſignificatione armenti, quod ſit bonum exterius, de quibus n: 5913. 6048. 8937; ex ſignificatione paſcere, quod ſit inſtrui, de qua n: 5201. 6277; & ex ſignificatione montis, hic montis Chorebi, quod ſit externum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, de qua n: 10,543: inde patet, quod per illa verba ſignificetur, quod gens illa nec inſtrui poſſet de bono interiori & exteriori Eccleſiæ, Cultus & Verbi, quoniam extra externum illud erant, & non aliquo modo intra: quod non inſtrui de illo potuerint, erat quia in amoribus ſui & mundi fuerunt, & qui in illis amoribus ſunt, nuſquam ſcire poſſunt quid bonum cœleſte & ſpirituale, ita quid bonum Eccleſiæ, nam hoc bonum eſt ſpirituale & cœleſte, quia Divinum; ſi bonum illud deſcriberetur illis, prorſus non caperent, quoniam clauſum apud illos eſt internum, ubi perceptio illius boni. Quod talia ſignificentur per quod grex & armentum non paſcent e regione montis, videri poteſt alienum illis, qui animum in ſenſu hiſtorico Verbi ſolum tenent, & non ultra cogitant, quod aliquid apud ipſam gentem ſignificent; nec ſciunt illi qui non ſenſum internum

Verbi

Verbi norunt, in quo grex & armentum non significant gregem & armentum, sed bonum interius & exterius apud hominem; quid enim Verbum, quod Divinum, commune habet cum grege & armento, seu cum bestia, sed cum hominibus, eorum cultu, amore, & fide, ita cum talibus quæ faciunt Ecclesiam apud illos; in eo est Verbum Divinum. Quod grex & armentum talia significent, & non gregem & armentum, constat ex locis in Verbo ubi nominantur, ut apud Davidem, "Dominari fecisti Ipsum super opera manuum tuarum, & omnia posuisti sub pedes Ipsius, *Greges* & *Armenta omnia*, & etiam *bestias agrorum*," Psalm: VIII: 7. 8; agitur ibi de Domino, ac de Ipsius potestate super omnia in cœlo & in terra; & per greges & armenta significantur bona interiora & exteriora apud homines, ac per bestias affectiones apud illos: quid alioquin foret describere potestatem Domini, quæ Divina, super greges, armenta, & bestias; quod bestiæ sint affectiones apud hominem, videatur in locis citatis n: 9280. Apud Joelem, "Propinquus dies Jehovæ est, sicut devastatio a Schaddai veniet; *suspirat bestia, perplexæ sunt catervæ armenti*, eo quod non pascuum illis, etiam *catervæ gregis desolatæ sunt*," I: 18, hic quoque bestiæ pro affectionibus apud hominem, catervæ armenti & gregis pro bonis interioribus & exterioribus; agitur enim ibi de Domini adventu, hic enim significatur per diem Jehovæ, & de Ecclesia tunc quod vastata, hoc est, quod non amplius tunc bonum amoris, nec bonum fidei, hæc bona sunt quæ significantur per bestias, armenta, & greges; quid alioquin foret, quod tunc suspiraret bestia, perplexæ essent catervæ armenti, & desolatæ catervæ gregis, quid hoc ad Ecclesiam; per pascuum quod tunc non illis, significatur, quod non verum quo instruantur. Apud Jeremiam, "Pudor comedit laborem patrum nostrorum a pueritia nostra, *greges eorum*, & *armenta eorum*, & filios eorum & filias eorum," III: 24; etiam hic per greges & armenta significantur bona Ecclesiæ, quæ sunt bona amoris & fidei, interiora & exteriora. Apud Esaiam, "Producam ex Jacobo semen, & ex Jehudah hæredem montium meorum, tunc erit Scharon *in habitaculum gregis*, & vallis Achoris *in cubile armenti* populo meo, qui quæsiverunt Me," LXV: 10; per Jacobum & Jehudam ibi non intelligitur populus Jacobi & Jehudæ, sed Ecclesia cœlestis externa & interna, per Jacobum externa, per Jehudam interna; bonum internum illius Ecclesiæ significatur per habitaculum gregis, & externum per cubile armenti; Scharon est internum ubi id bonum, & vallis Achoris est externum; quod Scharon sit internum Ecclesiæ cœlestis, constat ex locis ubi Scharon nominatur, ut apud Esaiam Cap: XXXIII: 9. & Cap: XXXV: 2; & quod vallis Achoris sit externum illius Ecclesiæ, apud Hoscheam Cap: II: 15. Apud Hoscheam, "Israel, Ephraim, & Jehudah *cum gregibus suis & cum armentis suis* ibunt ad quærendum Jehovam, & non invenient," V: 6; ibi etiam greges & armenta significant interiora & exteriora apud illos qui intelliguntur per Israelem, Ephraimum, & Jehudam; quid alioquin foret quod illi irent cum gregibus & armentis ad quærendum Jehovam.

10,611. Et surrexit mane Moscheh in matutino, & ascendit ad montem Sinai, quod significet ortum novum revelationis Divini Veri, constat ex illis, quæ etiam supra n: 10,605, ostensa sunt, ubi similia.

10,612. Quemadmodum præcepit Jehovah illi, quod significet quod ita fieret qui institerunt, constat ex significatione præcepit Jehovah, cum de externo Verbi tali propter gentem Israeliticam, quod significatur per duas tabulas lapidum dolatas a Mosche, quod sit quod ita fieret quia institerunt: in Verbo passim dicitur, ubi de gente Israelitica, & de cultu repræsentativo apud illam instituto, quod Jehovah præceperit, ac per id non significatur beneplacitum, sed permissio quod ita fieret quia institerunt; institerunt enim quod illi introducerentur in terram Canaanem, & quod Jehovah apud illos esset, consequenter quod apud illos Ecclesia institueretur; quod institerint, videatur n: 10,430. 10,535. Sit pro exemplo, quod super altaribus offerrent holocausta, sacrificia, minchas, & libamina, de quibus plures leges latæ sunt, de quibus etiam dicitur quod Jehovah præceperit, cum tamen illa non præcepta seu mandata sunt, sed permissa, ut constare potest ex locis e Verbo allatis n: 2180: similiter quod plures uxores liceret ducere, ac libellum repudii dare ob quamcunque causam, cum tamen Jehovah id non præceperit, tametsi ita dicitur, sed modo permiserit ob duritiem cordis eorum, Matth: XIX: 7. 8; ita in pluribus aliis.

10,613. Et accepit in manu sua duas tabulas, quod significet externum Verbi, Ecclesiæ & Cultus, quale propter gentem Israeliticam, constat ex illis quæ de significatione duarum tabularum, quæ a Mosche dolatæ sunt, supra n: 10,603, ostensa sunt.

10,614. Et descendit Jehovah in nube, & constitit cum eo ibi, quod significet externum Verbi in quo Divinum, constat ex significatione nubis, quod sit sensus literæ Verbi, ita externum ejus, de qua in Præfat: & n: 4060. 4391. 5922. 6343 fin: 6752. 8106. 8781. 9430. 10,574; & ex significatione consistere cum Mosche ibi, cum de Jehovah, quod sit Divinum in illo: quod Jehovah apparuerit Moschi in nube, est quia per Moschen in hoc Capite repræsentatur Externum Verbi, quod recipit internum, videatur supra n: 10,607; Dominus enim apparet unicuique secundum quale ejus, n: 6832. 8814. 8819. 9434. 10,551. Hic paucis dicetur quid sit Externum quod recipit Internum, & quid Externum quod non recipit: in Verbo est sensus externus, est sensus internus, & est sensus intimus; Verbum in sensu externo, est quale apparet in litera, is sensus est naturalis quia accommodatus est captui hominum, homines enim naturaliter cogitant: Verbum autem in sensu interno est spirituale, qui accommodatus est intellectui angelorum in Spirituali Regno Domini, Angeli enim illi spiritualiter cogitant; Verbum autem in sensu intimo est cœleste, qui accommodatus est perceptioni Angelorum in Cœlesti Regno Domini, Angeli enim ibi supraspiritualiter cogitant: quia Verbum tale est, sequitur quod unum in altero sit simili ordine, intimum in interno, & internum in externo, inde nexus omnium, ac influxus secundum nexum, & inde subsistentia unius ex altero; ex quibus patet, quod interiora

ordine sint in externo, simili ratione qua prius est in posteriori successive, aut finis in causa, & causa in effectu, seu sicut apud hominem voluntas in cogitatione, & cogitatio in loquela. Cum itaque homo talis est, ut in externis Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, percipiat sanctum intus in se, apud illum est externum in quo internum, nam sanctum illud est ab interno quia e cœlo; hoc Externum est, quod Moscheh repræsentat: at cum homo talis est, ut in Externo Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, non percipiat sanctum internum, tunc apud illum est Externum separatum ab Interno; in hoc Externo fuit Gens Israelitica, videatur n: 10,396 fin:

10,615. Et invocavit Nomen Jehovæ, quod significet Cultum Domini ex veris & bonis fidei & amoris, & sic præparationem ad receptionem, constat ex significatione invocare Nomen Jehovæ, quod sit Cultus Domini ex veris & bonis fidei & amoris, per invocare enim significatur cultus, videatur n: 440. 2724; & per Nomen Jehovæ, omne in uno complexu per quod colitur Dominus, ita omne fidei & amoris, n: 2724. 6674. 9310; & quod Nomen Jehovæ sit Dominus quoad Divinum Humanum, n: 2628. 6887; & quod Jehovah in Verbo sit Dominus, in locis citatis n: 9373; inde patet, quod per invocare Nomen Jehovæ significetur Cultus Domini ex veris & bonis fidei & amoris; quod etiam sit præparatio ad receptionem, est quia in nunc sequentibus agitur de Gente Israelitica recipienda, pro qua intercedit Moscheh.

10,616. Et transivit Jehovah super facies ejus, quod significet Divina interna super externis, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Externum quod recipit internum, de qua supra n: 10,607. 10,614; inde per quod Jehovah transivit super facies ejus, significatur Divinum internum super externo.

10,617. Et invocavit Jehovah, Jehovah, Deus Misericors & Gratiosus, quod significet Ipsum Divinum, Divinum Humanum, & Divinum procedens, a Quo omne Bonum, constat ex significatione invocare Jehovam, quod sit cultus Domini, de qua n: 440. 2724; & quia Divinum Domini est Trinum, nempe Ipsum Divinum, quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, & Divinum procedens quod Spiritus sanctus, ideo hic dicitur Jehovah, Jehovah, Deus: quod Ipsum Divinum quod Pater, & Divinum Humanum quod Filius, dicatur Jehovah, Jehovah, ac Divinum procedens dicatur Deus, est quia Dominus quoad Ipsum Divinum & quoad Divinum Humanum, est Divinum Bonum, & quoad Divinum procedens est Divinum Verum; quare in Verbo, ubi agitur de Divino Bono, Dominus dicitur Jehovah, & ubi de Divino Vero dicitur Deus, videatur n: 2769. 2807. 2822: 3921 fin: 4402. 9167. 10,158; & ex significatione Misericordis & Gratiosi, quod sit quod ab Ipso omne Bonum; nam per facere misericordiam significatur donare bono cœlesti, & per gratiam facere significatur donare bono spirituali, de quibus n: 10,577: quid bonum cœleste, & quid bonum spirituale, videatur etiam ibi.

10,618. Longanimis ad iras, quod significet Divinam Clementiam, constat ex significatione longanimis ad iras, cum de Jehovah, quod sit quod diu sustineat

ſuſtineat mala hominis, longanimis enim eſt diu ſuſtinere & ferre, & iræ ſunt mala apud hominem: quod iræ, cum dicuntur de Jehovah, ſint mala apud hominem, eſt quia malum iraſcitur, & nuſquam bonum, & malum eſt apud hominem, & nuſquam apud Dominum, Dominus enim eſt Ipſum Bonum; ſed uſque tribuitur Domino, quia ita apparet homini, cum non obtinet quod cupit, & cum propter malum punitur: quia nunc longanimis ad iras, cum de Jehovah, eſt diu ſuſtinere mala apud hominem, inde ſequitur quod per illud ſignificetur Divina Clementia. Quod iram attinet, porro ſciendum eſt, quod malum iraſcatur, & nuſquam bonum, iraſci enim eſt velle alterius malum, hoc bonum nequit, nam bonum eſt velle alterius bonum; omne malum in ſe habet inimicitiam, odium, vindictam, & ſævitiam, in his & ex his malum habet ſuum jucundum; & præterea malum odit bonum, quia hoc ejus jucundis eſt oppoſitum, inde cum malum non poteſt lædere bonum, lædere bonum ſemper in conatu mali eſt, tunc primum indignatur, poſtea iraſcitur: ſive dicas malum, ſive hominem malum, idem eſt, nam malum eſt in homine, ut in ſuo ſubjecto: & quia malum tale eſt contra bonum, ideo tale eſt contra Divinum, nam omne bonum eſt Divinum apud hominem, quia eſt a Divino: inde eſt, quod homo malus ſemper iraſcatur contra Divinum, tametſi aliter in externis coram hominibus loquitur; quod aliter loquatur, eſt vel ex hypocriſi, vel ex eo, quod velit ut Divinum faveat ei in omnibus, dando quodcunque lubet, uſque ut etiam propter ſe vindicet ſeu ubiſcatur omnes, contra quos odium habet; ſed ut primum videt, quod hoc non fiat, & magis ſi ipſe propter malum ſuum punitur, tunc iraſcitur contra Deum, uſque ut neget illum, & quoque corde blaſphemet: quod ita ſit, manifeſtatur clare in altera vita, ibi enim homo ſecundum interiora ſua agit, & non ſecundum exteriora, ſicut in mundo; & ibi pœna ſuo malo adhæret, & quaſi inhæret. Videantur quæ prius oſtenſa ſunt, ut quod ira ſit malum, n: 6358. 6359: quod ira & malum tribuantur Deo, cum tamen ſit apud hominem, & quod a Deo nihil mali, in locis citatis n: 9306. 10,431: & quod malum ſecum habeat pænam, n: 1857. 8214. 8223. 8226. 9049.

10,619. Et magnus bonitate & veritate, quod ſignificet quod ſit Ipſum Bonum & Ipſum Verum, conſtat ex eo, quod Divinum ſit Infinitum, & de Infinito non aliud dici poteſt quam quod ſit Ipſum Illud, ſeu Eſt, ita Ipſum Bonum, & quia eſt Ipſum Bonum, etiam eſt Ipſum Verum, quoniam omne Verum eſt Boni: ſed hoc Ipſum exprimitur in ſenſu literæ per magnum bonitate & veritate, ita finite propter ſtatum finitæ perceptionis apud hominem. Quod Divinum ſit Ipſum Bonum, conſtat apud Matthæum, "Jeſus dixit, ad adoleſcentem, cur Me *dicis Bonum, nullus Bonus eſt niſi unus Deus*," xix: 17; per quod intelligitur, quod Dominus ſit qui ſolus Bonus, ita Ipſum Bonum: & quod Ipſum Verum, apud Johannem, "Jeſus dixit, Ego ſum Via, & *Veritas* & Vita," xiv: 6.

10,620. Servans bonitatem ad millia, quod ſignificet in æternum, conſtat ex ſignificatione bonitatis, cum de Jehovah, quod ſit Ipſum Bonum, ut mox

supra n: 10,619; & ex significatione ad millia, quod sit in perpetuum & in æternum, de qua n: 2575. 8715.

10,621. Ferens iniquitatem, prævaricationem, & peccatum, quod significet remotionem mali & ejus falsi ut non appareat, constat ex significatione ferre seu tollere, quod sit removere ut non appareat de qua sequitur; & ex significatione iniquitatis, prævaricationis, & peccati, quod sint mala, & quia sunt mala, etiam sunt eorum falsa, nam unumquodvis malum conjunctum est suo falso; sed quodnam malum significatur per iniquitatem, quodnam per prævaricationem, & quodnam per peccatum, videatur n: 9156. Quod ferre & tollere malum sit removere illud ut non appareat, est quia mala apud hominem non tolli possunt, sed modo removeri ut non appareant, & cum non apparent creditur quod sublata sint; ideo in sensu literæ Verbi dicitur quod ablata & prorsus rejecta sint; quod mala apud hominem non auferantur, sed modo removeantur ut non appareant, videatur in locis citatis, n: 10,057.

10,622. Et absolvendo non absolvet, quod significet tolerantiam usque ad consummationem, constat ex significatione absolvere, quod sit peccatum remittere, at cum additur *non absolvet*, est tolerare; quod sit usque ad consummationem, est quia a Domino malum toleratur usque dum consummatum seu impletum est. In Verbo passim dicitur consummatio sæculi, & de malo quod consummatum sit vel non consummatum; & quando consummatum, quod tunc visitatio: hoc quia significatur per illa verba, absolvendo non absolvet, paucis dicetur, quid per id intelligitur: in *communi* per consummationem intelligitur finis Ecclesiæ; & tunc finis ejus est, quando amplius nulla charitas & nulla fides, quia tunc Ecclesia se prorsus avertit a Domino, & non amplius in aliquo bono est, sed in malo; tunc dicitur consummatio ejus, & tunc fit visitatio; cum visitatio, rejiciuntur omnes illi qui in malo sunt, & recipiuntur omnes qui in bono; visitatio fit in altera vita, ubi omnes simul sunt qui fuerunt ab Ecclesia a principio ejus usque ad finem ejus; rejectio malorum in infernum, & salvatio bonorum tunc, est quæ vocatur ultimum judicium. In *particulari* fit consummatio apud unumquemvis hominem pœne similiter; quilibet cum in alteram vitam venit, quod fit statim post mortem, toleratur inter bonos, tametsi malus; sed post aliquem elapsum temporis aperiuntur interiora ejus, si hæc mala, tunc per gradus fertur in suum malum, usque ut sit suum malum quoad voluntatem, & sui mali falsum quoad intellectum; hoc facto malum dicitur consummatum apud illum, & tunc conjicitur in infernum; hæc sunt quæ intelliguntur, per absolvendo non absolvet: simile per quod Jehovah dixit ad Moschen, "Nunc vade, duc populum ad quod dixi tibi; ecce Angelus meus ibit coram te; & *in die visitationis meæ visitabo super illos peccatum eorum*, Exod: XXXII: 34. Quod consummatio sit finis Ecclesiæ, constat ex his sequentibus; apud Jeremiam, "*Cum Israele & cum Jehuda non faciam consummationem*, nec *innocentem reddendo reddam te*, quia desperatum est confractioni tuæ, ægra plaga est, medicamenta restitutionis non tibi," XXXII: 11. 12. 13. Cap: XLVI: 28: apud Eundem, "*Consummata est iniquitas tua* filia Zion; *visitabit iniquitatem tuam* filia Edomi, manifestabit

pec-

peccata tua," Thren: IV: 22: apud Danielem, "Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum, ad *conſummandum prævaricationem*, & ad obſignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem: tandem ſuper avem abominationum deſolatio, *& uſque ad conſummationem*," IX: 24. 27: apud Matthæum, "*Meſſis eſt conſummatio ſæculi*, quemadmodum colliguntur Zizania, & igne comburuntur, *ſic erit in conſummatione ſæculi*," XIII: 39. 40: apud Eundem, "Diſcipuli dixerunt ad Jeſum, dic nobis, quodnam ſignum tui adventus, *& conſummationis ſæculi*," XXIV: 3: apud Eundem, "Jeſus dixit, ecce Ego vobiſcum ſum omnibus diebus *uſque ad conſummationem ſæculi*," XXVIII: 20.

10,623. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios, & ſuper filios filiorum, quod ſignificet rejectionem & damnationem malorum & inde falſorum in longa ſerie, conſtat ex ſignificatione viſitare, quod ſit ejectio & damnatio malorum, de qua ſequitur; ex ſignificatione patrum, quod ſint bona, & in oppoſito ſenſu mala, de qua n: 3703. 5902. 6050. 10,490; & ex ſignificatione filiorum, quod ſint vera, & in oppoſito ſenſu falſa, de qua n: 1147. 10,490; inde filii filiorum ſunt falſa ex malis in longa ſerie: per ejectionem & damnationem malorum & inde falſorum intelligitur ejectio & damnatio illorum qui in malis & inde falſis ſunt, nam mala & falſa non dantur niſi in ſubjectis, quæ ſunt homines. Sciendum eſt, quod falſa mali intelligantur per filios, quia patres ex quibus, ſunt mala. Quid falſa mali, & falſa non mali, videatur in locis citatis n: 10,109. Qui non ſenſum internum Verbi novit, credere facile poterit, quod Jehovah viſitet iniquitatem patrum ſuper filios & ſuper filios filiorum, conſequenter quod filii luituri ſint mala patrum ſuorum; ſed quod ille ſenſus non ſit, conſtat manifeſte ex Lege Divina, quod patres non morituri ſint propter filios, nec filii propter patres, ſed quiſque propter ſuum malum," Deut: XXIV: 16; inde patet, quod aliter intelligenda ſint illa verba quam ſecundum literam; quod ſint illi qui in malis ſunt & inde in falſis longa ſerie, qui per patres & eorum filios & filios filiorum, ſignificentur, conſtat ex ſenſu interno, in quo patres & filii mala & falſa ſignificant: ab Angelis, a quibus Verbum ab homine lectum etiam percipitur, non aliud per patres & per filios hic intelligitur, nam in cœlo, ubi Angeli, non ſcitur quid pater, & quid filius, ſicut apud homines, nam nemo ibi agnoſcit aliquem pro ſuo patre, nec aliquem pro ſuo filio, non enim ibi naſcuntur ſicut in mundo; quapropter cum pater & filius in Verbo nominantur, percipiunt Angeli illos ſecundum nativitates ſpirituales, quæ ſunt boni & veri, ſeu mali & falſi, & ideo per patres bona vel mala, & per filios, vera vel falſa; quoniam bonum eſt pater veri, ac malum eſt pater falſi. Quod viſitatio ſignificet ejectionem & damnationem, eſt quia illa ſequitur conſummationem malorum, ac præcedit ipſum damnationem, quæ in Verbo intelligitur per ultimum Judicium; viſitatio enim eſt exploratio qualis homo eſt; ſed id fit in altera vita, in particulari cum unoquovis, qui e mundo illuc venit, & in communi cum omnibus ad finem Eccleſiæ, ut mox ſupra n: 10,622, dictum eſt. De viſitatione videantur quæ n: 6588. 6895. 10,509, dicta & oſtenſa eſt.

10,624. Super tertios & super quartos, quod significet damnationem falsorum & inde malorum, constat ex significatione filiorum, quod sint falsa mali, de qua mox supra n: 10,623; quod dicatur super tertios & super quartos, est quia tria prædicantur de veris aut falsis, & quatuor de bonis aut malis; in Verbo enim omnes numeri significant res, & quidam numeri pertinent ad classem spiritualem, & quidam ad classem cœlestem; numeri tria, sex & duodecim ad classem spiritualem, & numeri duo, quatuor & octo ad classem cœlestem; numeri qui classis spiritualis sunt prædicantur de veris aut falsis, qui ad cœlestem de bonis aut malis; per tria etiam significatur omne verum in complexu, & per quatuor omne bonum in complexu, inde est quod per filios tertios & quartos significentur falsa & inde mala; sed hic sensus istorum verborum est sensus cœlestis, quia exsurgit ex eo quod prædicentur de illis. Quid mala & inde falsa, & quid falsa & inde mala, videatur in locis citatis n: 10,109: etiam hic aliquid de malis & inde falsis, ac de falsis & inde malis, dicetur: mala sunt ex quibus omnia falsa, quoniam falsa sunt quæ confirmant mala, & illa apud hominem unum agunt sicut voluntas & intellectus, nam quod homo vult facere, hoc quoque vult intelligere; per intellectum enim format suum malum coram se in cogitatione & coram aliis in loquela; inde patet quid malum & inde falsum, seu falsum mali: malum falsi autem est, quando homo confirmavit apud se malum, & conclusit quod non malum sit, & inde facit illud, tunc ex falso facit malum: sicut qui confirmavit apud se, quod adulteria non sint mala, & inde facit illa, is in malo falsi est, quia ex principio falso facit illa: in religiosis præcipue dantur mala falsi, nam ex falsis doctrinæ persuadet sibi homo, quod bonum sit quod tamen malum, & quandoque quod malum sit quod tamen bonum.

10,625. Et festinavit Moscheh, & inflexit se ad terram, & adoravit, quod significet tunc receptionem ex influxu in externum, ac cultum ex humiliatione, constat ex significatione festinare, quod sit affectio, de qua n: 7695. 7866, hic receptio per influxum, quia omnis influxus a Divino fit in affectionem hominis, & quoque receptio ab homine in illa; ex repræsentatione Moschis, quod sit externum Ecclesiæ, Cultus & Verbi, quod recipit internum, de qua 10,607. 10,614; ex significatione inflectere se, quod sit humiliatio exterior, de qua n: 5680. 7068; & ex significatione adorare, quod sit cultus.

10,626. Et dixit, si quæso inveni gratiam in oculis tuis Domine, quod significet quia receptum est tale externum, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit externum quod recipit internum, de qua n: 10,607. 10,614; & ex significatione gratiam invenire in oculis Jehovæ, cum de Mosche, quod sit receptus quia talis, ita si receptum id externum, de qua n: 10,563.

10,627. Eat quæso Dominus in medio nostri, quod significet ut sit Divinum intus in eo, constat ex significatione ire, quod sit vivere, de qua n: 3335. 4882. 5493. 5606. 8417. 8420; & cum de Domino, quod sit dare vitam, & præsens esse; & ex significatione in medio, quod sit intus in eo,

de

de qua n: 1074. 5897. 6068. 6084. 6103. 9164: quod per eat Jehovah in medio nostri, significetur ut sit Divinum intus in externo, est quia per Moschen repræsentatur Externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, quod recipit internum, & in externo eorum erit internum, quod Divinum; & tunc in Externo est Divinum Internum, quando omnia & singula sensum internum habent, qui pro angelis omnium cœlorum; ut hoc sit, sensus externus, qui est sensus literæ, ex meris correspondentiis erit; & tunc ex meris correspondentiis est, quando omnes voces, & omnes vocum series in sensu interno significant spiritualia & cœlestia; hæc sunt Divina interna in Externo.

10,628. Quia populus durus cervice ille, quod significet tametsi Gens Israelitica non recipit Divinum ab interiori, constat ex significatione populi duri cervice, quod sit qui non recipit influxum a Divino, de qua n: 10,429, ita non Divinum ab interiori, nam Divinum influit ab interiori apud hominem. Quomodo cum his se habet, constat ex illis quæ de gente Israelitica prius ostensa sunt, quod nempe in externis Cultus, Ecclesiæ, & Verbi esset, & prorsus non in interno, proinde extra externum, & non intra: quid sit esse extra externum & non intra, videatur n: 10,551. 10,608.

10,629. Et propitius sis ad iniquitatem nostram, & ad peccatum nostrum, quod significet ut removeantur interiora eorum quæ scatent falsis & malis, constat ex significatione propitius esse ad iniquitatem & ad peccatum, cum de Externo Cultus, Ecclesiæ, & Verbi, in quo populus, quod sit ut interiora ejus removeantur, quia illa scatent falsis & malis: quod hæc per illa verba significentur, sequitur ex serie rerum in sensu interno, in quo agitur de Ecclesia apud illum populum instituenda; & Ecclesia apud aliquem populum institui non potest, nisi interiora ejus aperta sint, per quæ communicatio sit cum cœlo; & interiora non aperta sunt, nisi apud illos qui in veris fidei ex bono vitæ sunt a Domino; at apud hunc populum interiora non aperiri potuerunt, quia per cultum Jehovæ nihil aliud cogitabant, quam obtinere eminentiam & opulentiam super alios, ita non aliud in animo habuerunt quam se & mundum; & hæc sunt quæ claudunt interiora versus cœlum, & aperiunt ea versus infernum: quod hæc fuerint interiora illius gentis, quæ clausa cum in cultu erat, videatur n: 10,575. Hæc itaque sunt quæ significantur.

10,630. Et hæreditatem tuam facias nos, quod significet ut usque Ecclesia sit ibi, constat ex significatione hæreditatis Jehovæ, quod sit receptio vitæ Cœli per bonum a Domino, de qua n: 9338; ita quoque fieri Ecclesia; nam fieri Ecclesia, est recipere vitam cœli per bonum amoris & fidei a Domino.

10,631. Vers: 10. 11. *Et dixit, ecce Ego pangens fœdus, coram omni populo tuo faciam mirabilia, quæ non creata sunt in omni terra, & in omnibus gentibus, & videbit omnis populus, cujus tu in medio ejus, opus Jehovæ, quod mirabile hoc quod Ego faciens cum te. Custodi tibi id quod Ego præcipio tibi hodie; ecce Ego expellens a faciebus tuis Emoritam, & Canaanitam & Chittitam, & Perisitam, & Chivitam, & Jebusitam.* Et dixit, ecce Ego pangens fœdus,

 significat

ſignificat primaria per quæ conjunctio Domini cum humano genere per Verbum: coram omni populo tuo faciam mirabilia, ſignificat Verbum quod Divinum in omnibus & ſingulis pro Eccleſia: quæ non creata ſunt in omni terra, & in omnibus gentibus, ſignificat quod tale Divinum nuſquam fuerit in mundo ubi Eccleſia & non Eccleſia: & videbit omnis populus, cujus tu in medio ejus, opus Jehovæ, ſignificat quod omnes, a quibus Verbum recipitur, agnoſcent Divinum in eo: quod mirabile hoc quod Ego faciens cum te, ſignificat quale Verbi in omnibus & ſingulis: cuſtodi tibi quod Ego præcipio tibi hodie, ſignificat ſi faciant primaria hæc quæ ſunt æternæ veritatis: ecce Ego expellens a faciebus tuis Emoritam, & Canaanitam, & Chittitam, & Periſitam, & Chivitam, & Jebuſitam, ſignificat remotionem tunc malorum & inde falſorum.

10,632. Et dixit, ecce Ego pangens fœdus, quod ſignificet primaria per quæ conjunctio Domini cum humano genere per Verbum, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778; hic conjunctio Jehovæ, hoc eſt, Domini cum humano genere per verbum, nam de illa conjunctione in nunc ſequentibus agitur: quod ita ſit, etiam conſtat a ſerie rerum in ſenſu interno: actum eſt in præcedentibus de Lege quæ lata & promulgata eſt e monte Sinai, per quam in lato ſenſu ſignificatur verbum, n: 6752. 7462, Lex illa etiam fuit initium Verbi, nam hoc poſtea promulgabatur, primum per Moſchen, dein per reliquos: dein actum eſt de gente Iſraelitica, quod talis non eſſet, ut apud illam Verbum, quale alioquin potuit, conſcribi poſſet, quoniam apud illam non potuit Eccleſia inſtitui, & ubi Eccleſia ibi Verbum, de quibus videantur quæ in Capitibus XXXII & XXXIII, & huc uſque in hoc Capite dicta & oſtenſa ſunt: ſed quia Moſche inſtitit pro populo, quod Jehovah in medio ejus eſſet, & quod acceptaretur ut hæreditas, & ſic introduceretur in terram Canaanem, per quæ omnia in ſenſu interno ſignificatur quod Eccleſia apud illum populum inſtituenda eſſet, & ſic quod Verbum ibi conſcriberetur, & quia id nunc receptum eſt, ex cauſa quia Moſche inſtitit, ideo nunc agitur de primariis præceptis, quæ omnino obſervanda, ut id fieri poſſet; quæ fuerunt, quod Dominus ſolus colendus, & non alius, & quod agnoſcendum quod ab Ipſo omne bonum & verum, præter plura, de quibus in mox ſequentibus. Dicitur quod de illis in mox ſequentibus agatur, ſed ſciendum eſt, quod præcepta illa contineantur in ſenſu interno; in ſenſu autem externo, qui eſt ſenſus literæ, continentur talia quæ repræſentant illa, ita quæ ſignificant, ut conſtabit ab explicatione ſequentium. Dicitur quod per hoc fœdus, quod Jehovah pepigit cum Moſche, ſignificetur conjunctio Domini cum humano genere per Verbum, quapropter hic dicetur, quomodo cum illa conjunctione ſe habet: in Antiquiſſimis temporibus non fuit Verbum, ſed immediata revelatio coram homine Eccleſiæ, & per illam conjunctio; nam cum immediata revelatio eſt, tunc eſt conjunctio cœli cum homine; conjunctio cœli cum homine eſt conjunctio Domini cum illo, quoniam Divinum Domini apud angelos facit cœlum. Quum immediata hæc

revelatio

revelatio desiit, quod factum cum homo deflexit a bono in quo fuerat, tunc revelatio alia successit, quæ fuit per repræsentativa, per quæ homo Ecclesiæ tunc scivit, quid verum & bonum, inde Ecclesia illa vocabatur Ecclesia repræsentativa; in illa Ecclesia etiam fuit Verbum, sed quod solum inserviebat illi Ecclesiæ: Verum cum hæc Ecclesia etiam vastata est, quod factum quia cæperunt repræsentativa illa, per quæ conjunctio Ecclesiæ tunc fuit cum cœlo, idololatrice colere, ac in pluribus terris vertere in magica, tunc provisum est a Domino ut Verbum conscriberetur, quod Divinum esset in omnibus & singulis, etiam quoad unamquamvis voculam, & quod constaret ex meris correspondentiis, & quod sic acommodatum esset perceptioni angelorum in omnibus cœlis, cum simul hominibus; ob causam ut per id conjunctio esset Domini cum humano genere; nam absque conjunctione per tale Verbum, cœlum prorsus recessisset ab homine, & sic homo periisset. In sequentibus itaque agitur de conjunctione illa per Verbum, & aperiuntur primaria præcepta quæ observanda, ut homo sit in illa conjunctione per Verbum. Quod antiquissimis fuerit revelatio immediata, videatur n: 2895. 3432: de Ecclesia repræsentativa quæ postea successit, & de ejus Verbo, n: 2686. 2897. 3432. 10,355: & quod conjunctio Domini cum humano genere sit per Verbum, in locis citatis n: 10,375 & n: 10,452.

10,633. Coram omni populo tuo faciam mirabilia, quod significet Verbum quod Divinum in omnibus & singulis pro Ecclesia, constat ex significatione populi Moschis, quod sit ubi Ecclesia, quoniam apud illum institueretur Ecclesia; & ex significatione mirabilium, quæ Jehovah facturus, quod sint Divina in omnibus & singulis Verbi: Verbum enim in eo est mirabile, quod Divinum sit quoad omnem jotham, nam unaquævis vox correspondet rei alicui spirituali, quod dici potest reconditum in illa, quia spirituale ejus propalatur apud angelos, cum Verbum legitur ab homine: cum hoc ita se habet; omnia & singula quæ in naturali mundo sunt, correspondentiam habent cum illis quæ in spirituali mundo sunt, & hoc usque ad singulas voces; & Verbum ita conscriptum est, ut voces ibi in sua serie involvant series rerum spiritualium, quæ non apparent homini nisi qui correspondentias novit; in hoc latet Divinum in Verbo; exinde est Verbum spirituale, sicut etiam vocatur: hoc itaque est, quod hic per mirabile intelligitur, quoniam agitur de Verbo, quod apud illum populum conscribendum erat.

10,634. Quæ non creata sunt in omni terra, & in omnibus gentibus, quod significet quod tale Divinum nusquam fuerit in mundo ubi Ecclesia & non Ecclesia, constat ex significatione mirabilium, quod sint Divina Verbi, de qua mox supra, n: 10,633; quæ dicuntur creata, cum Divina sunt ab intimis ad extrema, seu a primis ad ultima; ex significatione in omni terra, quod sit ubicunque Ecclesia, nam per terram in Verbo significatur Ecclesia, videatur in locis citatis n: 9325; & ex significatione in omnibus gentibus, quod sit ubi non Ecclesia; nam per gentes in Verbo significantur qui extra Ecclesiam, quia non in luce veri ex Verbo. Dicitur quod Jehovah facturus sit mirabilia, quæ non *creata* sunt in omni terra, quia per creationem signifi-

catur id quod Divinum est ab intimis ad extrema seu a primis ad ultima; omne enim quod a Divino est, inchoat ab Ipso, & progreditur secundum ordinem usque ad ultimum finem, ita per cœlos usque in mundum, & ibi quiescit ut in suo ultimo, nam ultimum ordinis Divini est in natura mundi; quod tale est, hoc dicitur creatum: in tali ordine exstitit, & in tali subsistit omne quod in mundo creatum est; & in tali ordine etiam est homo Ecclesiæ, qui per Vera ex Verbo regeneratus est a Domino, inde Dominus in Verbo dicitur Creator, ac homo dicitur e novo creatus qui regeneratus, videatur n: 10,373. 10,545: in tali ordine etiam est Verbum, & quia tale est, ideo de mirabilibus ejus dicitur quod creata. Per eadem illa verba, nempe quod coram omni populo tuo faciam mirabilia quæ non creata sunt in omni terra & in omnibus gentibus, in sensu historico significatur quod Jehovah apud populum Israeliticum facturus sit miracula, quæ non audita in omni terra; ast in sensu interno non intelliguntur miracula, sed mirabilia, quæ Dominus facturus per quod daturus tale Verbum, per quod conjunctio esset Cœli cum Ecclesia, & universaliter per quod conjunctio esset Domini cum humano genere: quod Verbum tam mirabile sit, non capiunt illi, qui non sciunt aliquid de correspondentia naturalium cum spiritualibus; & qui non sciunt aliquid de cogitatione spirituali, in qua sunt angeli; illi nec sciunt, quod detur aliquid intus in singulis Verbi, in quibus cœlum, ita in quibus vita Divina; cum tamen singulæ voces Verbi per correspondentiam percipiuntur spiritualiter ab angelis, cum naturaliter ab hominibus. Inde & non aliunde est Verbum Divinum, & tam mirabile ut nihil mirabilius.

10,635. Et videbit omnis populus, cujus tu in medio ejus, opus Jehovæ, quod significet quod omnes, a quibus Verbum recipitur, agnoscent Divinum in eo, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; inde per populum, in cujus medio ille, significatur Ecclesia ubi Verbum, ita omnes a quibus Verbum recipitur, nam alii non agnoscunt Divinum in illo; & ex significatione videre opus Jehovæ, quod sit agnoscere Divinum in eo. Quod ita sit, patet, nam omnes qui intra Ecclesiam in bono vitæ sunt, agnoscunt Divinum in Verbo, causa est, quia apud illos influit sanctum e cœlo, cum legunt Verbum, tametsi non sciunt quod id fiat mediis correspondentiis; quod etiam influit secundum correspondentias, nec percipitur aliter quam ut sanctum commune, in quo tenetur mens: aliter apud illos, qui non in bono vitæ sunt, apud eos internum, per quod influit cœlum, clausum est.

10,636. Quod mirabile hoc quod Ego faciens cum te, quod significet quale Verbi in omnibus & singulis, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; inde per mirabile, quod Jehovah facturus cum illo, significatur quod Divinum in omnibus & singulis, ut supra, n: 10,633.

10,637. Custodi tibi quod Ego præcipio tibi hodie, quod significet si faciant primaria hæc quæ sunt æternæ veritatis, constat ex significatione custodire tibi, quod sit si faciant ita qui agnoscunt Verbum, nam per Moschen

repræ-

repræsentatur Verbum, ut supra; & ex significatione quod Jehovah præcipit hodie, quod sint primaria quæ æternæ veritatis; nam quæ Jehovah præcipit, sunt Divinæ Veritates; & per hodie significatur æternum, n: 2838. 3998. 4304. 6165. 6984. 9939: æternæ illæ veritates sunt quæ in sequentibus a Vers: 12 ad 27, continentur in sensu interno: quæ autem continentur in sensu externo, non sunt æternæ veritates, sed sunt quæ observanda a gente Israelitica propter interna, significant enim ea, & sic involvunt ea: etiam custodienda erant ab illa gente, antequam interna Verbi a Domino aperta sunt, & cum aperta sunt, tunc externa illa abrogata sunt: nam cum homo colit Dominum ex fide & ex amore in Ipsum, quæ sunt interna, non opus habet externis significantibus illa; est enim tunc in illis, & non in typis illorum: sicut quod festum azymorum custodiendum in mense Abib; & quod tunc azyma septem diebus comedenda: quod omnis apertura uteri danda Deo; quod apertura asini redimenda, vel decollanda: quod primogeniti filiorum redimendi: quod festum septimanarum feriandum; ut & festum collectionis: quod tribus vicibus in anno videretur omnis masculus coram Jehovah: quod non sacrificarent super fermentato: quod non elixandus hædus in lacte matris suæ. Sed hæc tametsi abrogata sunt, usque sunt sancta Divina Verbi, quoniam sanctum internum in illis est.

10,638. Ecce Ego expellens a faciebus tuis Emorritam & Canaanitam, & Chittitam, & Perisitam, & Chivitam, & Jebusitam, quod significet remotionem tunc malorum & inde falsorum, constat ex significatione expellere a faciebus, quod sit removere ab interioribus, quæ sunt cogitationis & affectionis; expellere enim est removere, & facies sunt interiora, videatur in locis citatis n: 9546, ac interiora hominis sunt quæ intellectus & voluntatis ejus, seu quæ sunt cogitationis & affectionis; inde expellere a faciebus, est removere ab illis; & ex repræsentatione gentium in terra Canaane, quod sint mala & falsa, de qua in locis citatis n: 9327, sed quodnam malum & falsum per quamlibet gentem repræsentatur, videatur in explicationibus, ubi de illis actum est, ut quid per Emorritam n: 6306. 6859: quid per Canaanitam, n: 1573. 1574. 4818: per Chittitam n: 2913. 6858: per Perisitam, n: 1573. 1574. 6859: per Chivitam & Jebusitam n: 6860. Sed hæc dicuntur de Verbo, quoniam per Moschen, a cujus faciebus gentes illæ expellendæ erant, repræsentatur Verbum, ut ex præcedentibus constare potest. Quomodo cum his se habet, paucis dicetur: dicitur si custodiat sibi quod Jehovah præcipit, quod expelleret a faciebus ejus gentes illas, per quæ significatur, si fecerint primaria præcepta quæ sunt æternæ veritatis, quod removerentur mala & falsa; præcepta illa sunt quæ sequuntur in sensu interno, quorum præcipua sunt, quod non alium Deum agnoscerent quam Dominum, & quod ab Ipso omne bonum & omne verum, tum quod Salus ac vita æterna ab Ipso: apud illos qui hæc credunt, & amant quod ita sit, omne malum & falsum removetur, dum legunt Verbum, quoniam Dominus tunc illustrat illos, ac ducit illos; & tunc non cogitant ex se; nec afficiuntur Verbo ex se, sed ex Domino, inde non aliquid malum & falsum mali

intrat, Dominus enim removet illa; hi ſunt qui intelligunt Verbum, & afficiuntur veris inde, & quoque amant vivere ſecundum illa. At qui præcipua illa præcepta, quæ ſunt æternæ veritatis, non agnoſcunt, illi, cum legunt Verbum, non illuſtrantur, ita non a Domino vident ibi vera, ſed quæ vident a ſemet vident, & a ſemet videre, eſt videre falſa pro veris, & ſi vident vera uſque falſificant illa per principia a ſemet capta, vel per amores proprios, ad quos vera vertunt, & quibus ſic illa inapplicant, inde falſa mali. Hæc ſunt quæ in ſenſu interno per illa verba ſignificantur: quod hæc ſignificentur, eſt quia Angeli, qui Verbum in ſenſu ejus interno percipiunt, cum legitur ab homine, non ſciunt quid Moſcheh, nec quid Emorrita, Canaanita, Chittita, Periſita, Chivita & Jebuſita, nomina enim non intrant cœlum, ſed res quæ per illa ſignificantur, ita per Moſchen Verbum, & per gentes illas mala & falſa.

10,639. Verſ: 12 ad 17. *Cave tibi, ne forte pangas fœdus habitatori terræ, ſuper quam tu venis, ne forte fiat in laqueum in medio tui. Quare Altaria eorum evertetis, & ſtatuas eorum frangetis, & lucos ejus exſcindetis. Quare non incurvabis te deo alteri, nam Jehovah Zelotes Nomen Ipſius, Deus Zelotes Ille: Ne forte pangas fœdus habitatori terræ, & ſcortentur poſt deos eorum, & ſacrificent diis eorum, & vocet te, & comedas de ſacrificio ejus. Et accipias de filiabus ejus filiis tuis, & ſcortentur filiæ ejus poſt deos earum, & ſcortari faciant filios tuos poſt deos earum. Deos fuſilis non facies tibi.* Cave tibi ne forte pangas fœdus habitatori terræ, ſuper quam tu venis, ſignificat quod non adhærendum religioſo cuicunque in quo malum: ne forte fiat in laqueum in medio tui, ſignificat ſeductionem inde in ipſo Verbo: quare altaria eorum evertetis, ſignificat quod malum religioſi iſtius & inde cultus rejiciendum: & ſtatuas eorum frangetis, ſignificat quod falſa mali diſſipanda: & lucos ejus exſcindetis, ſignificat quod doctrinalia eorum prorſus rejicienda: quare non incurvabis te deo alteri, ſignificat quod ſolus Dominus colendus ex fide & amore: nam Jehovah Zelotes Nomen Ipſius, Deus Zelotes Ille, ſignificat ſi alius colitur quod recedat Divinum Bonum & Divinum Verum: ne forte pangas fœdus habitatori terræ, ſignificat ſic conjunctionem cum malo cujuſvis religioſi: & ſcortentur poſt deos eorum, ſignificat inde falſa mali: & ſacrificent diis eorum, ſignificat ſic cultum ex falſis: & vocet te, & comedas ex ſacrificio ejus, ſignificat allectationem, receptionem, & appropriationem falſi ex malo: & accipias de filiabus ejus filiis tuis, ſignificat conjunctionem affectionum mali cum veris: & ſcortentur filiæ ejus poſt deos earum, & ſcortari faciant filios tuos poſt deos earum, ſignificat ſic prophanationem boni & veri: deos fuſilis non facies tibi, ſignificat cultum ſui & non Domini.

10,640. Cave tibi ne forte pangas fœdus habitatori terræ, ſuper quam tu venis, quod ſignificet quod non adhærendum religioſo cuicunque in quo malum, conſtat ex ſignificatione pangere fœdus, quod ſit conjungi, de qua in locis citatis, n: 10,632, ita quoque adhærere; ex ſignificatione habitatoris terræ, quod ſit religioſum in quo malum, per habitatorem enim ſignificatur bonum, n: 2268. 2451. 2712, & inde in oppoſito ſenſu malum, & per terram

ſigni-

significatur Ecclesia, & quicquid Ecclesiæ, in locis citatis n: 9325, ita quoque religiosum; & ex significatione super quam tu venis, quod sit ubicunque religiosum in quo malum, per gentes enim quæ in terra Canaane, in quam venturi, significantur mala & inde falsa, videatur mox supra n: 10,638: ex his patet, quod per ne pangas fœdus habitatori terræ, super quam tu venis, significetur quod non adhærendum religioso cuicunque in quo malum. Quia hoc inter primaria est, per quæ homo Ecclesiæ illustratur cum legit Verbum, & quia de hac re in nunc sequentibus agitur, dicetur quomodo cum illa se habet; homo qui vult illustrari a Domino, imprimis cavebit, ne appropriet sibi aliquod doctrinale quod patrocinatur malum; homo tunc sibi appropriat id, quando confirmat id apud se, nam per id facit illud suæ fidei, & adhuc magis si vivit secundum id; cum hoc fit, tunc malum manet inscriptum ejus animæ & ejus cordi; & cum hoc factum est, postea nequaquam potest illustrari per Verbum a Domino; mens enim ejus tota est in fide & in amore sui principii, & quicquid ei contrariatur, hoc vel non videt, vel rejicit, vel falsificat: sit pro exemplo; qui credit per solam fidem salvari, qualiscunque vita sit, & hoc confirmavit apud se, & conjunxit cum reliquis suæ doctrinæ, usque adeo ut dein nihil cogitet de vita, sed solum de fide; is postea, utcunque legit Verbum, non videt aliquid ibi de bono vitæ, & tandem non scit quid bonum, quid charitas, quid amor, quæ si nominantur, dicit solam fidem esse omne id; cum tamen sola fides, seu fides absque illis est sicut vas vacuum, & sicut res absque anima; talis hominis vita spiritualis comparari potest respirationi pulmonum, absque influxu sanguinis e corde, quæ non vita est, nisi qualis simulachri seu automati: hæc dicta sunt, ut sciatur quomodo se habet cum homine qui legit Verbum, quod nequaquam inde illustrari possit, si adhæserit cuidam religioso quod patrocinatur malum.

10,641. Ne forte fiat in laqueum in medio tui, quod significet seductionem inde in ipso Verbo, constat ex significatione esse in laqueum, quod sit capi & seduci a suo malo ac falso, de qua n: 7653. 9348; & ex repræsentatione Moschis, quod sit Verbum, de qua in locis citatis n: 9372; inde in medio ejus est in ipso Verbo: quomodo cum hoc se habet, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,640, dicta sunt.

10,642. Quare Altaria eorum evertetis, quod significet quod malum religiosi istius & inde cultus rejiciendum, constat ex significatione altaris, quod sit principale repræsentativum Domini & Ipsius cultus ex bono, de qua n: 921. 2777. 2811. 4541. 8935. 8940. 9388. 9389. 9714. 9964. 10,242. 10,245, & inde in opposito sensu est repræsentativum cultus idololatrici, ita ex malo, de qua sequitur; & ex significatione evertere, quod sit rejicere; de altaribus enim dicitur quod evertenda, at de malis cultus, quæ per altaria gentium significantur, dicitur quod rejicienda. Memorantur in hoc Versu Altaria, Statuæ, & Luci, & per illa in genere significantur omnia cultus idololatrici, per altaria cultus ex malo, per statuas cultus ex falso mali, & per lucos doctrinalia eorum; causa quod illa exstirpanda essent, erat quia per repræsentativa illa non colebatur Dominus, sed colebantur dii qui fuerunt

homines,

homines, ſicut Baales, & plures alii, qui cultus erat diabolicus & infernalis, nam colere homines pro Ipſo Deo, qui eſt Dominus, eſt diabolicum, homo enim conjungitur ei qui colitur; ſed res ita ſe habet, ſi homo colitur pro deo, tunc aliquis ex inferno ei conjungitur, fides enim & amor conjungunt, fides veri & amor boni conjungunt hominem Domino, at fides falſi at amor mali conjungunt hominem inferno: ſunt enim apud unumquemvis hominem Spiritus ab inferno, & ſunt angeli e cœlo, abſque illis homo non vivere poteſt; ſi aliquis colitur, qui fuerat homo, tunc ſpiritus ab inferno autumant, quod ipſi ſint qui coluntur, nam unuſquiſque in inferno vult deus eſſe, & hi ſpiritus communicant eum cultum cum ſocietate infernali e qua ſunt; quantum itaque illi coluntur, tantum recedunt angeli qui e cœlo; inde homo aufertur in cupiditates infernales, & tandem ſimilis fit illis ſpiritibus quoad omnem ſuam vitam, inter quos etiam venit poſt mortem: at vero, cum Dominus colitur, qui eſt Deus cœli & terræ, tunc angeli qui e cœlo ſunt apud hominem, non ſibi aliquid cultus vindicant, quia illi omne verum fidei & bonum amoris tribuunt Domino, & nihil ſibi; inde per illos aperitur via uſque ad Ipſum Dominum, Qui illos Sibi conjungit fide & amore. Ex his conſtare poteſt, quantopere intereſt colere Ipſum Dominum, Cui omnis poteſtas eſt in cœlis & in terris, ut Ipſe dicit apud Matthæum Cap: XXVIII: 18.

10,643. Et ſtatuas eorum frangetis, quod ſignificet quod falſa mali diſſipanda, conſtat ex ſignificatione ſtatuarum, quod ſint repræſentativa cultus Domini ex veris, de qua n: 4580. 4582. 9388. 9389; & in oppoſito ſenſu repræſentativa Cultus idololatrici, ex falſis. Quod Statuæ eſſent repræſentativæ Cultus, erat, quia apud antiquos in uſu fuit ſtatuas ponere, & illas oleo ungere, & ſic ſanctificare: antiqui præcipue cultum ſuum habuerunt ſuper montibus, ſuper collibus, ac in lucis, ibi ſtatuas ponebant; quod ſuper montibus, erat cauſa, quia montes ſignificabant cœlum ubi amor cœleſtis regnat, qui eſt amor in Dominum; quod ſuper collibus, erat cauſa quia colles ſignificabant cœlum, ubi amor ſpiritualis regnat, qui eſt amor erga proximum; & quod in lucis, erat cauſa quia luci ſignificabant cœleſtem ſapientiam & intelligentiam; omnia hæc ex Correſpondentiis; ſtatuæ quæ ibi ponebantur, ſignificabant Divinum Verum, nam ſtatuæ erant lapides, & lapis ſignificat verum, ideo Dominus quoad Divinum Verum in Verbo vocatur Lapis Iſraelis: inde nunc eſt, quod ſtatuæ ſignificaverint cultum Domini ex veris: ſed cum repræſentativa Eccleſiæ, quæ apud antiquos fuerunt, verti partim in idololatrica, & partim in magica cæperunt, tunc talia abrogata ſunt, imprimis apud gentem Iſraeliticam, quæ corde idololatra fuit; inde eſt quod per ſtatuas ſignificetur cultus idololatricus ex falſis: ita ſe habet cum omni cultu; quando homo fit externus, quod fit cum ſpectat ſe & mundum ut finem, ac Divina Eccleſiæ ut media; nam tunc omnia illa quæ cultus ſunt, apud illos qui in cultu manent, fiunt idola, quoniam coluntur externa abſque internis; inde vera cultus & doctrinæ fiunt falſa, falſificantur enim per ideas ſui & mundi in illis, quibus adjunguntur plures aliæ ideæ, quæ Divinum a veris illis abducunt, & ad ſe & ad mundum transferunt. Hoc quoque conſtare

poteſt ex altaribus gentium, ſuper quibus tametſi ſimiliter ſacrificabant, uſque ſacrificia illarum abominationes erant. Quod ſtatuæ apud antiquos in uſu fuerint, ac ſignificaverint ſanctum cultus, conſtat ex ſtatua a Jacobo erecta, de qua ita in Geneſi "Et Jacob ſumſit lapidem, quem poſuerat ſubcapitalia ſua, & *poſuit illum ſtatuam*, & dixit, ſi rediero in pace ad domum patris mei, *lapis hic, quem poſui ſtatuam, erit domus Dei*," XXVIII : 18. 19. 22 : & a duodecim ſtatuis a Moſche poſitis ſub monte Sinai, de quibus ita in Exodo, "Scripſit Moſcheh omnia verba Jehovæ, & ſurrexit mane in matutino *& ædificavit altare ſub monte, & duodecim ſtatuas pro duodecim tribubus Iſraelis*," XXIV : 4. & n : 9389 : tum apud Eſaiam, "In die illo erit altare Jehovæ in medio terræ Ægypti, & *ſtatua ejus apud terminum ejus Jehovæ*," XIX : 19 : & apud Hoſcheam, "Dies multos ſedebunt filii Iſraelis, non rex, & non princeps, & non ſacrificium, & *non ſtatua*," III : 4 ; in illis locis per ſtatuas ſignificatur cultus ex veris, ex cauſa, ut ſupra dictum, quia Lapis ſignificabat Divinum Verum ; ac Statua uncta oleo Divinum Verum a Divino Bono. Aſt cum repræſentativa illa cæperunt idololatrice coli, tunc mandatum eſt ut talia everterentur & frangerentur, & in hoc verſu, ut quoque Exod. XXIII : 24. Deut : VII : 5. Cap : XII : 3 : & quia gens Iſraelitica corde idololatra fuit, ne ſuper montibus & collibus, ac in lucis ponerent ſtatuas, & illas idololatrice colerent, vetitum fuit ſtatuas ponere, & lucos plantare, tametſi talia antiquis fuerunt ſancta cultus : quod vetitum fuerit illi genti, conſtat apud Moſchen "*Non plantabis tibi lucum cujuſcunque arboris* apud Altare Dei tui quod facies tibi ; *neque eriges tibi ſtatuam*, quippe quam odit Jehovah Deus tuus," XV : 21, 22 : & quod ideo vetitum, quia idololatrice illa colebant, in Libro I Regum, "Fecit Jehuda malum in oculis Jehovæ, ædificarunt ſibi *excelſa & ſtatuas* ſuper omni colle alto, & *ſub omni arbore viridi*," XIV : 23 : ſimiliter filii Iſraelis, II Reg : XVII : 10 : apud Micham, "Exſcindam ſculptilia tua, & *ſtatuas tuas e medio tui*, ut non adores amplius opus manuum tuarum ; & *exſtirpabo lucos tuos e medio tui*," V : 12. 13 : apud Eſaiam, "*Incaluiſtis in diis ſub omni arbore viridi*," LVII : 5 : & apud Ezechielem, "Nebuchadnezar per ungulas equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas, populum gladio occidet, *& ſtatuas roboris tui* in terram faciet deſcendere," XXVI : 11, præter alibi ; ex quibus etiam patet, quid in ſenſu interno per ſtatuas ſignificatur.

10,644. Et lucos ejus exſcindetis, quod ſignificet quod doctrinalia eorum prorſus rejicienda, conſtat ex ſignificatione lucorum, quod ſint doctrinalia Eccleſiæ, hic doctrinalia religioſi apud idololatras, quæ ſunt doctrinalia falſi ex malo ; quod luci ſignificent doctrinalia, eſt quia arbores ſignificant perceptiones & cognitiones boni & veri, perceptiones apud illos qui in Regno cæleſti Domini ſunt, & cognitiones apud illos qui in Regno ſpirituali Ipſius ; & unaquævis ſpecies arboris ſpeciem perceptionis ac cognitionis ; inde eſt, quod paradiſi & horti ſignificent intelligentiam & ſapientiam cœleſtem, ac ſylvæ ſcientiam naturalis hominis ; ex his conſtare poteſt, unde eſt quod Luci ſignificent doctrinam, & unde eſt, quod antiqui ſanctum cultus in lucis habuerint ; Eccleſia enim apud antiquos fuit repræſentativa, cujus externa omnia repræ-

ſentabant

sentabant interna, qualia sunt in cælo de Domino, de amore & de fide in Ipsum, & de talibus quæ amoris & fidei sunt. Quod Luci, tum sylvæ, horti & paradisi, ut & arbores secundum species suas, talia significent ducit causam ex repræsentativis in altera vita, nam ibi apparent talia secundum intelligentiam & sapientiam angelorum, sunt enim ibi apparentiæ ex cœlesti & spirituali origine. Quod Luci significent doctrinam, & quod antiqui sanctum cultum in Lucis habuerint, videatur n: 2722. 4552. Quod Paradisi significent intelligentiam & sapientiam cœlestem, n: 3220. 4528. 4529: quod horti similiter, n: 100. 108. 1588. 2722. Quod sylvæ significent scientiam quæ naturalis hominis, n: 9011 fin: Quod arbores significent perceptiones & cognitiones boni & veri, n: 103. 2163. 2682. 2972. 7692. 8326. Quod Antiqua Ecclesia habuerit cultum in Lucis & in Hortis sub arboribus secundum earum significationes, n: 2722. 4552.

10,645. Quare non incurvabis te deo alteri, quod significet quod solus Dominus colendus ex fide & amore, constat ex significatione incurvare se, quod sit adorare & colere: quod sit solus Dominus qui colendus, & non alius, est quia per Jehovam & per Deum in Verbo intelligitur Dominus, videatur in locis citatis n: 9315. 9373; tum quia Dominus est Deus cœli & terræ, & quoque unicus Deus, in locis citatis n: 9194. Dicitur quod Dominus colendus sit ex fide & amore, quia cultus Domini est vel ex fide vel ex amore; cultus ex fide dicitur cultus secundum vera, nam vera sunt fidei; & cultus ex amore dicitur cultus ex bono, nam bonum est amoris; illi qui in Regno spirituali Domini sunt colunt Ipsum ex fide, at qui in Regno cœlesti Ipsius sunt, colunt Ipsum ex amore. Sed quomodo cum cultu Domini ex fide & amore se habet, hic aliquid dicetur: autumant plures, quod colant Dominum per fidem quando credunt quæ doctrinæ Ecclesiæ sunt, & quod colant Dominum per amorem quando amant Ipsum; sed per solum credere & per solum amare, non colitur Dominus, sed per vivere secundum præcepta Ipsius, quoniam illi soli sunt qui credunt in Dominum, & amant Ipsum, reliqui dicunt se credere in Ipsum & usque non credunt, & dicunt se amare Ipsum & usque non amant: causa quod illi soli credant in Dominum, & ament Ipsum, qui vivunt secundum præcepta Ipsius, est quia Dominus non est in intelligere verum absque velle illud, sed est in intelligere verum & velle illud; verum enim non intrat in hominem, ac fit ejus, priusquam homo vult illud, & ex velle facit illud, nam voluntas est ipse homo, intellectus autem tantum est homo, quantum ex voluntate habet: Dominus etiam apud hominem est præsens in ejus veris quæ ex bono, & vera quæ ex bono sunt quæ homo vult & inde facit, non autem quæ intelligit, & absque velle facit, nam absque velle facere est hypocrisis, est enim coram hominibus, & non coram Domino. Dominus etiam non habitat apud hominem vacuum, hoc est, apud hominem qui non novit vera Ipsius ac facit illa; in illis veris quæ ex bono, hoc est, quæ homo vult & facit, est Dominus præsens apud hominem, nam vera quæ ex bono faciunt Ecclesiam apud illum, & faciunt cœlum apud illum, verbo faciunt ut Ipse Dominus sit apud illum. Quod ita sit, homo ex sola ratione percipere potest, si expendit; scire enim potest, quod omne intel-

lectuale hominis formetur per vera, & omne voluntariam ejus per bona; omnia enim quæ in universo sunt, se referunt ad verum & ad bonum; & Intellectuale hominis formatum est ad recipienda vera, & Voluntarium ad recipienda bona; vera quæ creduntur vocantur fidei, & bona quæ jucunde afficiunt vocantur amoris; inde constare potest, quod qualia sunt vera fidei per quæ formatur Intellectuale, & qualia sunt bona amoris per quæ formatur Voluntarium, talis sit homo; homo enim est homo ex intellectu & voluntate; si itaque Intellectuale ejus formatum est per vera Divina, & illa fiunt fidei ejus, ac Voluntarium per bona quæ fiunt amoris ejus, sequitur quod in homine tunc cœlum sit, & quod Dominus apud illum habitare possit ut in suo cœlo; nam Divina Vera quæ faciunt Intellectuale & Divina Bona quæ faciunt Voluntarium, sunt a Domino, seu sunt Domini, & quæ sunt Domini sunt Ipse: inde patet, quod credere in Dominum sit imbuere suum Intellectuale veris fidei, & quod amare Dominum sit imbuere Voluntarium bonis amoris; & quod hoc non fieri possit, nisi per discere vera ex Verbo, velle illa, & facere illa; sive dicas velle & facere, sive amare, idem est, nam quod homo amat hoc vult, & quod actualiter vult hoc amat. Ex his nunc constare potest, quid sit colere Dominum ex fide & amore; quod ita sit, etiam manifeste patet ex eo, quod Dominus velit omnium salutem; velle hominis salutem, est velle adducere illum ad se in cœlum; hoc non fieri potest nisi Dominus sit in illo, & Dominus nequaquam potest esse in illo, nisi in talibus apud illum quæ sunt ab Ipso, hæc sunt vera ex bono, ita præcepta Ipsius quæ homo facit ex fide & ex amore; nam nulla alia recipientia Domini & Cœli apud hominem dantur, nec dari possunt; ipsum cœlum nec ex aliis consistit. Quod credere in Dominum & amare Ipsum sit facere præcepta Ipsius, etiam docet Dominus, apud Johannem, "*Si amatis Me, mandata mea servate: qui habet præcepta mea, & facit illa, ille est qui amat Me: si quis amaverit Me, Verbum meum servabit; & Pater meus amabit illum, & ad illum veniemus, & mansionem apud illum faciemus: qui non amat Me, verba mea non servat,*" xiv: 15. 21. 23. 24: & alibi apud Eundem, "*Manete in amore meo; si mandata mea servaveritis, manebitis in amore meo: vos amici mei estis, si feceritis quæcunque Ego præcipio vobis,*" xv: 9. 10. 14: mandata & præcepta quæ servanda, & secundum quæ vivendum, docet Doctrina Charitatis & Fidei.

10,646. Nam Jehovah Zelotes Nomen Ipsius, & Deus Zelotes Ille, quod significet si alius colitur quod recedat Divinum Bonum & Divinum Verum, constat ex significatione Zelotis, quod sit qui non patitur alium quam semet amari & coli; & ex significatione Nominis Jehovæ, quod sit omne per quod Dominus colitur, de qua n: 2724. 3006. 6674. 9310; & quia id est Divinum Verum procedens ex Divino Humano Ipsius, est Divinum Humanum Domini quod in sensu supremo per Nomen Jehovæ intelligitur, n: 2628. 6887. 8274; nam Divinum Verum est Ipse Dominus in cœlo, quod enim procedit ab Ipso est Ipse; ex Divino non aliud potest procedere quam Divinum, & Divinum est unum: inde patet, quod per Zelotes Nomen Ipsius, signi-

ſignificetur quod Dominus non patiatur alium coli quam Semet, quia ab Ipſo Solo omne Verum & omne Bonum, per quæ ſalus: Dominus Zelotes nominatur, quia ut primum alius colitur, omne Verum & Bonum recedit; homo enim per bonum & verum, quæ ex Domino, conjungitur Ipſi, quare ut primum alius colitur, fit disjunctio, & tunc loco veri ſuccedit falſum, & loco boni malum. Quod bis dicatur Zelotes, eſt quia per Jehovam intelligitur Divinum Bonum, & per Deum Divinum Verum; quod in Verbo, ubi agitur de Divino Bono, Dominus dicatur Jehovah, ubi autem de Divino Vero, dicatur Deus, videatur n: 2586. 2769. 2921. 6303. 6905. 10,158. 10,617; & quia utrumque recedit ab homine, cum alius colitur quam Dominus, ideo bis dicitur Zelotes. Dicitur quod Dominus ſolus colendus ſit, qui non ſcit quomodo cum cultu Domini ſe habet, credere poteſt quod Dominus amet coli, & velit gloriam ab homine, ſicut homo qui alteri dat quod petit propter honorem ſibi datum; qui ita credit prorſus non ſcit quid amor, & adhuc minus quid amor Divinus; amor Divinus eſt velle cultum & velle gloriam, non propter ſe, ſed propter hominem & ejus ſalutem, nam qui colit Dominum, & gloriam dat Domino, in humiliatione eſt, & ab illo, qui in humiliatione eſt, recedit proprium, & quantum hoc recedit, tantum recipitur Divinum, proprium enim hominis eſt quod ſolum obſtat Divino, nam proprium ejus eſt malum & falſum: hæc eſt gloria Domini, & propter illum finem eſt cultus Ipſius: gloria propter ſe eſt ex amore ſui, & tantum differt amor cœleſtis ab amore ſui, quantum cœlum ab inferno, ac infinite magis amor Divinus.

10,647. Ne forte pangas fœdus habitatori terræ, quod ſignificet ſic conjunctionem cum malo cujuſvis religioſi, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778, ita pangere fœdus eſt conjungi; & ex ſignificatione habitatoris terræ, quod ſit religioſum in quo malum, de qua ſupra n: 10,640; ſive dicas religioſum in quo malum, ſive malum religioſi, idem eſt. Quod nunc iterum dicatur, quod non pangendum fœdus cum habitatore terræ, eſt propter ſeriem in ſenſu interno.

10,648. Et ſcortentur poſt deos eorum, quod ſignificet inde falſa mali, conſtat ex ſignificatione ſcortari poſt deos gentium, quod ſit conjungi falſis mali, nam per ſcortari ſignificatur illegitime conjungi, & per deos gentium ſignificantur falſa mali; quod dii ſint falſa, videatur n: 4402 fin: 4544. 7873. 8867; & gentes ſunt mala, ſupra, 10,638. Dicitur quod inde falſa mali, quia a malo exiſtunt omnia falſa; falſa autem quæ non a malo, quidem in externa forma ſunt falſa, ſed non in interna; dantur enim falſa apud illos qui in bono vitæ ſunt, ſed bonum eſt interius in illis, & facit ut malum falſi removeatur, inde falſum illud coram angelis non apparet ut falſum ſed ut ſpecies veri; angeli enim ſpectant interiora fidei, & non exteriora ejus: inde eſt, quod unuſquiſque, ex quacunque religione ſit, ſalvari poſſit, etiam gentiles qui nulla vera ex Verbo habent, modo bonum vitæ ſpectaverint ut finem, videatur n: 2589 ad 2604. In Verbo ſæpius dicitur ſcortari, & per

id significatur illegitima conjunctio cum vero, & per adulterari illegitima conjunctio cum bono; inde per scortari significatur falsificatio veri, & per adulterari adulteratio boni: falsificatio veri fit triplici modo; *Primo*, Si homo in malo vitæ est, & agnoscit vera doctrinæ; tunc enim intus in veris est malum, & malum falsificat verum; nam malum dissipat cœleste & Divinum e veris, ac implantat infernale, inde falsificatio. *Secundo*, Si homo primum in veris quoad doctrinam est, & postea accedit ad falsum alterius doctrinæ, quod fit solum apud illos qui in malo vitæ sunt, quoniam malum appetit falsum, & id libenter arripit pro vero. *Tertio*, si homo, qui in malo quoad vitam est, & in falsis quoad doctrinam, arripit vera alterius doctrinæ, is quoque falsificat vera; quoniam is vera non agnoscit propter vera, sed propter aliquid lucri, honoris, aut famæ. Omnes hæ falsificationes in Verbo vocantur scortationes & meretricatus; ex causa, quia per Conjugium intelligitur legitima conjunctio, quæ est boni & veri, videatur n: 2727 ad 2759, inde illegitimæ conjunctiones intelliguntur per scortationes: quod ita sit, ex pluribus locis in Verbo constare potest, ex quibus solum hæc bina afferre licet; apud Ezechielem. " Hierosolyma *scortata es* propter nomen tuum; & *effudisti scortationes tuas* super omnem transeuntem: sumsisti de vestibus tuis, & fecisti tibi excelsa variegata, & *scortata es super illis:* accepisti vasa ornatus tui ex auro meo & ex argento meo, quod dederam tibi, & fecisti tibi imagines masculi, & *scortata es cum illis:* sumsisti filios tuos & filias tuas, quas peperisti Mihi, & sacrificasti illos eis; *num parum hoc de scortationibus tuis: scortata es cum filiis Ægypti* vicinis tuis, magnis carne; & *multiplicasti scortationem tuam* ad irritandum Me: *scortata es cum filiis Aschuris*, & *scortata es cum eis*, & non satiata: & *multiplicasti scortationem tuam* usque ad terram negotiationis Chaldæam," XVI: 15. 16. 17. 20. 26. 28. 29, seq: Et apud Eundem, " Duæ mulieres, filiæ unius matris, *Scortatæ sunt in Ægypto*, in adolescentia sua *scortatæ sunt*, Ohola Samaria & Oholiba Hierosolyma: *scortata est Ohola* sub Me, & *dilexit amasios suos* Assyrios propinquos, *dedit scortationes suas super illos: scortationes suas ex Ægypto* non deseruit, nam cum illa *concubuerunt* in adolescentia ejus. Oholiba *corrupit amorem suum* præ illa, & *multiplicavit scortationes suas supra scortationes* sororis suæ, filios Aschuris *adamavit*; addidit *ad scortationes suas*, & vidit imagines Chaldæorum, *adamavit eos* ad aspectum oculorum suorum; venerunt ad illam filii Babelis *ad concubitum amorum*," XXIII: 2. 3. 4. 7. 8. 11. 12. 14. 16. seq: præter multis aliis in locis, quæ videantur cum his etiam explicata n: 2466. 8904.

10,649. Et sacrificent diis eorum, quod significet sic cultum ex falsis, constat ex significatione sacrificare, quod sit cultus in genere, de qua n: 6905. 8680. 8936; & ex significatione deorum gentium, quod sint falsa mali, ut supra n: 10,648.

10,650. Et vocet te, & comedas de sacrificio ejus, quod significet allectationem, receptionem, & appropriationem falsi ex malo, constat ex significatione vocare, quod sit allectatio & receptio, nam qui sequitur & obedit

cum vocatur, is allectatur & recipit; ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168, 3596. 4745; & ex significatione sacrificii, quod sit cultus ex falsis, de qua nunc supra n: 10,649, ita quoque falsa quæ cultus: quod sint falsa mali, est quia omne falsum, quod falsum, est ex malo, videatur supra n: 10,648.

10,651. Et accipias de filiabus ejus filiis tuis, quod significet conjunctionem affectionum mali cum veris, constat ex significatione accipere, cum de conjugio, quod sit conjungi; ex significatione filiarum, quod sint affectiones boni, & in opposito sensu affectiones mali, de qua n: 2362. 3963; & ex significatione filiorum, quod sint vera, de qua n: 489. 491. 533. 1147. 3373. 4257. 9807. 10,490.

10,652. Et scortentur filiæ ejus post deos earum, & scortari faciant filios tuos post deos earum, quod significet sic prophanationem boni & veri, constat ex significatione scortari, quod sit illegitima conjunctio, de qua supra n: 10,648; ex significatione filiarum ejus seu habitatoris terræ, quod sint affectiones mali; ex significatione deorum earum, quod sint falsa affectionum mali conjunctarum veris, nam per deos earum intelliguntur dii filiarum habitatoris terræ conjunctarum cum filiis gentis Israeliticæ, de quibus mox supra n: 10,651; quæ conjunctio est prophanatio boni; & ex significatione scortari facere filios tuos post deos earum, quod sit conjunctio veri cum falsis, quæ est prophanatio veri; quod dii sint falsa, videatur n: 4402 fin: 4544. 7873. 8867; & quod filii sint vera, n: 489. 491. 533. 1147. 3373. 4257. 7807. 10,490. Hæc ita dicuntur, quia prima conjunctio affectionum mali cum veris, quæ significatur per accipere de filiabus habitatoris terræ filiis tuis, nondum est prophanatio; ast altera conjunctio est prophanatio, hoc enim fit cum malum applicatur vero, ac verum malo, quod fit per sinistram interpretationem veri & applicationem ad malum, & sic per insertionem unius in alterum; inde verum non amplius manet verum, sed mortificatur & prophanatur. Hæc prophanatio etiam significatur per scortationem populi cum filiabus Moabi, de qua ita apud Moschen, "Consedit Israel in Schittim, ubi cæpit populus scortari cum filiabus Moabi; & vocarunt populum ad sacrificia deorum earum, & comedit populus, & incurvavit se diis earum. Ideo dixit Jehovah ad Moschen; sume omnia capita populi, & suspende ea Jehovæ coram sole: & populus percussus est, & ex plaga illa mortui sunt quatuor & viginti millia," Num: xxv: 1. 2. 3. 6. 9: per Moabum significantur qui adulterant bona, n: 2468. 8315; & per filias ejus affectiones illius mali; & per scortationem cum illis prophanatio; inde pæna fuit suspensio capitum populi coram sole & mors viginti quatuor millium; sol mundi enim est amor sui, n: 10,584; suspensio coram illo est totalis exstinctio boni cœlestis: & viginti quatuor millia sunt omnia vera & bona veri in complexu, similiter ac duodecim millia; n: 2089. 3913. 7973; mors eorum est exstinctio omnium verorum; hoc fit apud illos qui prophanant.

10,653. Deos fusilis non facies tibi, quod significet cultum sui & non Domini, constat ex significatione facere deos fusilis, quod sit instituere cultum

secundum

ſecundum amorem ſui, de qua n: 10,406. 10,503; ac cultus ſecundum amorem ſui eſt cultus ſui & non Domini; nam cultus ſui eſt finis, at cultus Domini eſt medium ad illum finem; quod finis eſt hoc dominatur, & quod medium eſt hoc ſervit, nec aliter ſpectatur medium a fine quam ſicut ſervus a Domino. Talis cultus eſt apud illos, qui ſancta Eccleſiæ ſpectant ut media, ac dominia pro fine.

10,654. Verſ: 18 ad 23. *Feſtum azymorum cuſtodies; ſeptem diebus comedes azyma quæ præcepi tibi, ad ſtatum tempus menſis Abib, quia in menſe Abib exiviſti ex Ægypto. Omnis apertura uteri Mihi; & ex omni pecore tuo des maſculum, aperturam bovis & pecudis. Et aperturam aſini redimes in pecude, & ſi non redemeris, decollabis illam: omnem primogenitum filiorum tuorum redimes: & non videbuntur facies meæ vacue. Sex diebus operaberis, & in die ſeptimo quieſces, in aratione & in meſſatione quieſces. Et feſtum ſeptimanarum facies tibi primitiarum meſſis tritici: & feſtum collectionis revolutionis anni. Tribus vicibus in anno videbitur omnis maſculus tuus ad facies Domini Jehovæ Dei Iſraelis.* Feſtum azymorum cuſtodies, ſignificat cultum Domini & gratiarum actionem ob liberationem a malo & a falſis mali: ſeptem diebus comedes azyma, ſignificat ſtatum ſanctum tunc, ac appropriationem Divini Veri purificati a malo & a falſis mali: quæ præcepi tibi, ſignificat ſecundum ordinem Divinum: ad ſtatum tempus menſis abib, ſignificat ſtatum novum: quia in menſe abib exiviſti ab Ægypto, ſignificat quia tunc liberatio ab inferno: omnis apertura uteri Mihi, ſignificat quod omne bonum innocentiæ, charitatis & fidei addicandum ſit Domino: ex omni pecore tuo des maſculum, ſignificat quod datur per verum: aperturam bovis & pecudis, ſignificat in externo & interno homine: & aperturam aſini redimes in pecude, ſignificat quod fides mere naturalis non addicabitur Domino: & ſi non redemeris, decollabis, ſignificat ſi non inibi verum innocentiæ, quod ſeparanda & ejicienda: omnem primogenitum filiorum tuorum redimes, ſignificat quod vera fidei quæ abſque bono non addicanda Domino: & non videbuntur facies meæ vacue, ſignificat receptionem ex miſericordia, & gratiarum actionem: ſex diebus operaberis, ſignificat ſtatum primum regenerationis, quum homo eſt in veris, & tunc in pugnis: & in die ſeptimo quieſces, ſignificat ſtatum alterum regenerationis quum homo eſt in bono, & tunc in pace: in aratione & meſſatione quieſces, ſignificat quoad implantationem veri in bono ac ejus receptionem: & feſtum ſeptimanarum facies tibi primitiarum meſſis tritici, ſignificat cultum Domini & gratiarum actionem propter implantationem veri in bono: & feſtum collectionis revolutionis anni, ſignificat regenerationem, & plenariam liberationem a damnatione: tribus vicibus in anno videbitur omnis maſculus tuus ad facies Domini Jehovæ Dei Iſraelis, ſignificat continuam apparentiam & præſentiam Domini etiam in veris fidei.

10,655. Feſtum azymorum cuſtodies, quod ſignificet cultum Domini & gratiarum actionem ob liberationem a malo & a falſis mali, conſtat ex ſignificatione feſti, quod ſit cultus & gratiarum actio, de qua n: 7093. 9286. 9287; & ex ſignificatione azymorum, quod ſint quæ purificata a malo & a falſis mali, de qua n: 9992; inde per feſtum azymorum ſignificatur cultus & gratiarum

actio

actio ob liberationem a malo & a falsis mali; quod id per hoc festum significatum fuerit, videatur n: 9286 ad 9292. Quod hoc festum attinet, sciendum est, quod proprie significet glorificationem Humani Domini, ita recordationem ejus, & gratiarum actionem propter id, nam per illam & per subjugationem infernorum a Domino liberatio a malis & salvatio homini: Dominus enim Humanum suum glorificavit per pugnas contra inferna, & tunc per continuas victorias super illa; ultima pugna & victoria fuit in cruce; quare tunc plene glorificavit Se; quod etiam Ipse docet apud Johannem, "Postquam Judas exivit, dixit Jesus, *nunc glorificatus est Filius hominis, & Deus glorificatus est in Ipso: si Deus glorificatus est in Ipso, etiam Deus glorificabit Ipsum in Se Ipso, & statim glorificabit Ipsum,*" XIII: 31. 32: apud Eundem, "*Jesus sustulit oculos suos in Cælum, & dixit, Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te: nunc glorifica Me Tu Pater apud Te Ipsum gloria, quam habui antequam mundus erat apud Te,*" XVII: 1. 5: & apud Lucam, "*Nonne hæc oportebat pati Christum, & ingredi in gloriam suam,*" XXIV: 26: glorificare Filium hominis est Divinum facere Humanum; quod illa de passione crucis Ipsius dicta sint, patet. Quod per ultimam illam pugnam, quæ fuit passio crucis plene subjugaverit inferna, etiam docet Dominus, apud Johannem," *Jesus dixit, venit hora ut glorificetur Filius hominis: nunc anima mea turbata est; & dixit, Pater, glorifica tuum Nomen; & exiit vox e cælo, & glorificavi, & rursus glorificabo. Et dixit Jesus, nunc Judicium est mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras. Ego si exaltatus fuero e terra, omnes traham ad Me Ipsum; hoc dixit significans quali morte moriturus esset,*" XII: 23. 27. 28. 31. 32. 33; infernum in omni complexu est quod vocatur princeps mundi & diabolus: ex quibus patet, quod Dominus per passionem crucis non modo vicerit & subjugaverit inferna, sed etiam plenarie glorificaverit Humanum suum; inde salus humano generi: propter hoc etiam Dominus in mundum venit, ut etiam docet apud Johannem Cap. XII: 27: propter recordationem hujus rei festum azymorum seu Paschatis primario institutum est, quapropter in hoc festo resurrexit: quod etiam propter liberationem a malo & a falsis mali, est quia per subjugationem infernorum a Domino, & per glorificationem Humani Ipsius, omnis liberatio a malo est, & absque illis nulla; regitur enim homo per spiritus ab inferno, & per angelos e cœlo a Domino, quare nisi inferna prorsus subjugata fuissent, & nisi Humanum Domini prorsus unitum fuisset Ipsi Divino, & sic quoque Divinum factum, nusquam aliquis homo potuisset ab inferno liberari & salvari, prævaluissent enim semper inferna; quoniam homo talis factus est, ut ex se non aliud cogitet quam quod inferni est. Inde patet, unde est, quod per idem festum significetur cultus & gratiarum actio propter liberationem a malo & a falsis mali.

10,656. Septem diebus comedes azyma, quod significet statum sanctum tunc ac appropriationem Divini Veri purificati a malo & a falsis mali, constat ex significatione septem dierum, quod sint status sanctus a principio ad finem; quod dies sint status, videatur n: 23. 487. 488. 493. 893. 2788. 3462. 3785. 4850; & quod septem sint sanctum, n: 395. 433. 716. 881.

5265. 5268; & quod septem dies sint status sanctus a principio ad finem, n: 728. 6508. 9228. 10,127; ex significatione comedere, quod sit appropriatio, de qua n: 3168. 3513 fin: 3596. 4745; & ex significatione azymi, quod sit Divinum Verum purificatum a malo & a falsis mali, de qua n: 9992.

10,657. Quæ præcepi tibi, quod significet secundum ordinem Divinum, constat ex significatione præcipere, cum a Jehovah, quod sit secundum ordinem Divinum, de qua n: 10,119.

10,658. Ad statum tempus mensis Abib, quod significet statum novum, constat ex significatione mensis Abib, qui fuit primus mensis anni, quod sit principium status novi, de qua n: 8053. 9291.

10,659. Quia in mense Abib exivisti ex Ægypto, quod significet quia tunc liberatio ab inferno, constat ex significatione mensis Abib, quod sit principium status novi, ut nunc supra n: 10,658; & ex significatione exire ab Ægypto, quod sit liberatio ab infestatione a falsis, ita quoque ab inferno, de qua n: 9292, & in locis allatis n: 8866. 9197: ex his constare potest, quod festum Paschatis, quod etiam vocatum est Festum azymorum, institutum sit in recordationem liberationis hominis ab inferno a Domino: quod liberatio illa facta sit per id quod Dominus subjugaverit inferna, & glorificaverit Humanum suum, videatur mox supra n: 10,655. Creditur a plerisque intra Ecclesiam, quod Dominus in mundum venerit, ut reconciliaret Patrem per Passionem crucis; & quod postea acceptarentur pro quibus intercederet; tum quod exemerit hominem a damnatione per id quod Ipse Solus impleverit legem, quæ alioquin damnavisset quemcunque; & sic quod salvarentur omnes qui illam fidem cum confidentia & fiducia haberent: sed qui in aliqua illustratione sunt a cœlo, videre possunt quod res ita se non habeat; ut, quod Divinum, quod est Ipse Amor & Ipsa Misericordia, a Se rejicere potuerit humanum genus, & damnare inferno; & quod necessario reconciliaretur per passionem crucis Filii sui; & quod sic non aliter moveretur Misericordia; & postea quod vita non aliquem damnaret, modo fidem de reconciliatione illa confidenter habeat; & quod omnis salvatio fiat per fidem ex misericordia: qui ita cogitant & credunt, prorsus nihil videre possunt; loquuntur & nihil intelligunt; vocant illa ideo mysteria, quæ credenda, & non aliquo intellectu capienda: inde sequitur, quod omnis illustratio ex Verbo, quod res aliter se habeat, rejiciatur; nam lux e cœlo non intrare potest, ubi talis ex contradictoriis umbra regnat; umbra dicitur quod prorsus non intelligitur: qui autem in illustratione sunt, illis dat Dominus intelligere quæ credunt; ac illi illustrantur cum legunt Verbum, ac intelligunt illud, qui agnoscunt Dominum, & amant vivere secundum præcepta Ipsius, non autem qui dicunt se credere, & non vivunt; Dominus enim influit in vitam hominis & inde in fidem, non autem in fidem separatam a vita: qui itaque illustrantur a Domino per Verbum, intelligunt quod Dominus in mundum venerit, ut subjugaret inferna, ac redigeret omnia ibi & in cœlis in ordinem; & quod hoc nullatenus fieri potuerit, nisi per Humanum, nam ex hoc pugnare potuit

contra

contra inferna, non autem ex Divino absque Humano; tum etiam ut glorificaret Humanum suum, ut per id teneret in æternum omnia in ordine, in quem redegit; inde salvatio hominis; nam circum omnem hominem sunt inferna; nascitur enim unusquisque in mala omnis generis, & ubi mala ibi inferna, quæ nisi rejicerentur ex Divina potentia Domini, nusquam aliquis salvari potuisset: quod ita sit, docet Verbum, & capiunt omnes illi qui admittunt Dominum in vitam suam; qui sunt, ut supra dictum, qui agnoscunt Ipsum, & amant vivere secundum præcepta Ipsius; videantur quæ ex Verbo allata sunt & ostensa n: 9937. 10,019. 10,152. 10,579, & alibi pluries. Abduci a malis, regenerari, ac ita salvari est Misericordia, quæ non immediata est, ut creditur, sed mediata; hoc est, illis qui recedunt a malis, & sic admittunt verum fidei & bonum amoris in vitam suam a Domino; Misericordia immediata, quæ nempe foret cuivis ex solo beneplacito Dei, est contra ordinem Divinum, & quod contra ordinem Divinum est, contra Deum est, nam a Deo ordo, ac Divinum Ipsius in cœlo est ordo, ordinem recipere in se est salvari, quod fit unice per vivere secundum præcepta Domini; homo regeneratur ob finem ut ordinem cœli in se recipiat, ac regeneratur per fidem ac per vitam fidei, quæ est charitas; qui ordinem in se habet, is in cœlo est, & quoque est in quadam effigie cœlum, qui autem non habet, in inferno est, & est in quadam effigie infernum; unum nequaquam mutari & transcribi in alterum ex immediata misericordia potest, sunt enim opposita, est enim malum oppositum bono, & in bono est vita & est cœlum, ac in malo est mors & est infernum: quod unum non possit in alterum transcribi, docet Dominus apud Lucam, "Dixit Abraham ad divitem in inferno, inter nos & vos hiatus ingens firmatus est; ut qui volunt transcendere exhinc ad vos non possint, neque qui ibi, ad nos transire," xvi: 26. Si etiam immediata Misericordia daretur, omnes quotcunque sunt in mundo, salvarentur, nec foret infernum, nam Dominus est Ipsa Misericordia, quia est Ipse Amor, qui omnium salutem, & nullius mortem vult.

10,660. Omnis apertura uteri Mihi, quod significet quod omne bonum innocentiæ, charitatis & fidei addicandum sit Domino, constat ex significatione aperturæ uteri, quod sit quod nascitur a Domino; homo enim a parentibus concipitur & nascitur naturaliter, a Domino autem spiritualiter; hæc nativitas est quæ in sensu interno per aperturam uteri intelligitur; quid alioquin foret, quod primogenitum pecoris esset Jehovæ, hoc est, Domino: homo etiam qui regeneratur, e novo concipitur, nascitur, & educatur, & sic abducitur a malis status naturalis, qui fuit ipsi a parentibus: agitur hic de primogenito pecoris, sed per pecora intelliguntur bona & vera apud hominem, nam pecora omnis generis correspondent affectionibus, quales sunt homini, ut constare potest ex locis citatis n: 9280; ex quibus constare potest, quod per aperturam uteri quæ Jehovæ, significetur bonum innocentiæ, charitatis, & fidei, quæ a Domino illis qui e novo nascuntur, hoc est, qui regenerantur. Dicitur quod illa addicanda sint Domino, hoc est, agnoscendum quod ab Ipso; nam nisi agnoscantur & credantur quod a Domino, non

sunt

sunt bona, omne enim bonum est ab Ipso, & quod non ab Ipso, est ab homine, & quicquid ab homine, utcunque in externa forma appareat bonum, usque est malum, nam proprium hominis non est nisi quam malum, & a malo non produci potest bonum.

10,661. Ex omni pecore tuo des masculum, quod significet quod datur per verum, constat ex significatione masculi, quod sit verum, de qua n: 2046. 4005. 7838. Cum his ita se habet, omne bonum quod homini a Domino, datur ei per verum; homo enim nascitur in meram ignorantiam, & cum adolescit ætate, est illi ex se mera caligo in spiritualibus, nihil enim scit de Deo, de Domino, de cœlo & inferno, de vita post mortem, quod scit ex se, est de mundo & de semet, & id bonum vocat quod in mundo pro se est, & id verum vocat quod confirmat id: ut ergo ei bonum cœleste, quod amabit præ se & mundo, fit, necessum est ut discat vera a Verbo, seu ex doctrina Ecclesiæ quæ ex Verbo; antequam illa scit, non potest amare illa, nam affectio ignoti non datur, inde est quod verum fit per quod bonum homini: verum apud hominem tunc fit bonum, quando amat id, nam omne quod amatur est bonum; amare est velle & facere, nam quod homo amat, hoc vult & facit; sic verum fit bonum: hoc nunc est, quod significatur per quod ex omni pecore darent masculum.

10,662. Aperturam bovis & pecudis, quod significet in externo & interno homine, constat ex significatione bovis & pecudis, seu armenti & gregis, quod sit bonum externum & internum apud hominem, de qua n: 2566. 5913. 6048. 8937. 9135. 10,609.

10,663. Et aperturam asini redimes in pecude, quod significet quod fides mere naturalis non addicabitur Domino, sed verum innocentiæ quod inibi, constat ex illis quæ n: 8078, dicta & ostensa sunt, ubi similia verba.

10,664. Et si non redemeris, decollabis illam, quod significet si non inibi verum innocentiæ, quod separanda & rejicienda, constat ex illis quæ n: 8079, dicta sunt, ubi similia.

10,665. Omnem primogenitum filiorum tuorum redimes, quod significet quod vera fidei, quæ absque bono, non addicanda Domino, constat ex illis quæ n: 8080 dicta & ostensa sunt, ubi etiam similia.

10,666. Et non videbuntur facies meæ vacue, quod significet receptionem ex misericordia & gratiarum actionem, constat ex illis quæ n: 9293, ostensa sunt, ubi similia verba.

10,667. Sex diebus operaberis, quod significet statum primum regenerationis, quum homo est in veris, & tunc in pugnis, constat ex significatione sex dierum, qui dies laboris seu operis vocantur, quod sint status primus regenerationis, cum homo est in veris, & tunc in pugnis contra mala & falsa, de qua n: 8510. 8888. 9431. 10,360.

10,668. Et in die septimo quiesces, quod significet statum alterum regenerationis quum homo est in bono, & tunc in pace, constat ex significatione diei septimi, qui dies quietis seu sabbathi vocatur, quod sit alter status regenerationis, quum homo est in bono, & tunc in pace, inque cœlo apud

Dominum, de qua n: 8494. 8495. 8510. 8890. 8893. 9274. 9431. 10,356. 10,360. 10,367. 10,374.

10,669. In aratione & messatione quiesces, quod significet quoad implantationem veri in bono, ac ejus receptionem, constat ex significatione arationis, quod sit implantatio veri in bono, de qua sequitur; & ex significatione messationis, quod sit receptio veri in bono; quod messatio id sit, est quia per segetem stantem significatur verum in conceptione, n: 9146, ac per spicam verum continens, per triticum & hordeum in spica bonum recipiens & quoque receptum; hic autem intelligitur, quod labor hominis circa id cessaturus, nam dicitur in aratione & messatione quiesces, nam per quietem die sabbathi significatur alter status regenerationis, cum homo est in pace, inque cœlo, ac ducitur a Domino, tunc enim illa fiunt absque labore & studio hominis; quod messis sit receptio veri a bono, videatur n: 9295; & quod sabbathum sit status pacis, cum homo ducitur a Domino, in locis citatis n: 10,668. Quod aratio significet implantationem veri in bono, est quia per agrum significatur Ecclesia quoad bonum, ita quoque bonum Ecclesiæ; & per semen quod inseminatur, significatur verum fidei; quod ager sit Ecclesia quoad bonum, videatur n: 2971. 3196. 3310. 3317. 7502. 9139. 9141. 9295; & quod semen sit verum fidei, n: 1940. 3310. 3373. 3671. 6158. In Verbo perpluries memoratur Terra, Humus, Ager, Sementis, Messis, Seges, area, frumentum, triticum, hordeum, & ibi significant talia quæ instaurationis Ecclesiæ sunt, ac quæ regenerationis hominis qui in Ecclesia, ita quæ se referunt ad verum fidei & ad bonum amoris, ex quibus Ecclesia: quod talia significentur, est ex correspondentia, nam omnia quæ in tellure sunt, etiam quæ in Regno ejus vegetabili, correspondent rebus spiritualibus quæ in Cœlo, quod patet manifeste ex apparentiis ibi; apparent enim ibi agri, novalia, campi, floreta, messes, arboreta, & similia qualia in terris; & notum ibi est, quod taliter coram oculis illorum appareant illa quæ cœli sunt, ita quæ Ecclesiæ: qui legit Verbum, credit quod talia ibi sint modo comparationes, sed sciant quod sint reales correspondentiæ, sicut hæc apud Esaiam, "Auscultate & audite vocem meam, *num toto die arabit arator ad serendum, aperiet & occabit humum suam:* nonne quando complanavit facies ejus, dispergit nigellam, & cuminum disseminat; ita reponit triticum mensuratum, & hordeum designatum, & zea determinata ejus: ita erudit eum ad judicium, Deus ejus docet eum," xxviii: 23 ad 26; hæc apparent comparationes, sed sunt reales correspondentiæ, per quas describitur reformatio ac regeneratio hominis Ecclesiæ, quapropter etiam dicitur, ita erudit eum ad judicium, Deus ejus docet eum; erudire ad judicium est dare illi intelligentiam, nam per judicium significatur intelligentia veri, n: 2235, ac docere eum, cum a Deo, est dare illi sapientiam; inde constare potest, quid sit arare, occare, dispergere nigellam, seminare cuminum, reponere triticum, hordeum & zea, quod nempe arare sit implantare verum bono; nigella & cuminum sunt scientifica, quoniam hæc prima sunt quæ discuntur ut homo accipiat intelligentiam; quod triticum sit bonum amoris interni hominis,

videatur

videatur n : 7605, quod hordeum sit bonum amoris externi hominis, n : 7602 ; quod zea verum ejus, n : 7605. Quod aratio non ex comparatione, sed ex correspondentia significet primum Ecclesiæ in communi, & quoque in particulari apud unumquemvis qui regeneratur seu qui fit Ecclesia, patet ex his apud Moschen, " Non conseres vineam tuam intermixtim : *non arabis bove & asino simul :* non indues vestem mixtam lana & lino simul," Deut : XXII : 9. 10. 11 ; involvunt hæc, quod non confundendi sint status boni & veri ; vinea enim est Ecclesia quoad verum, ager autem Ecclesia quoad bonum : arare bove est præparare per bonum, arare asino est per verum : lana etiam est bonum, linum autem est verum, nam res ita se habet, in statu boni sunt qui in Regno cœlesti Domini, in statu autem veri sunt qui in Regno spirituali Ipsius ; qui in uno non potest esse in altero : quis non videre potest, quod per illa significentur altiora ; nam quid mali alioquin fuisset serere vineam intermixtim ; arare bove & asino simul ; ac indui veste mixta lana & lino simul.

10,670. Et festum septimanarum facies tibi primitiarum messis tritici, quod significet cultum Domini & gratiarum actionem propter implantationem veri in bono, constat ex illis quæ n : 9294. 9295, explicata & ostensa sunt, ubi similia.

10,671. Et festum collectionis revolutionis anni, quod significet cultum ex grato animo ob implantationem boni inde, ita ob regenerationem & plenariam liberationem a damnatione, constat ex illis, quæ de festo illo n : 9296, ostensa sunt.

10,672. Tribus vicibus in anno videbitur omnis masculus tuus ad facies Domini Jehovæ Dei Israelis, quod significet continuam apparentiam & præsentiam Domini etiam in veris fidei, constat ab explicatione horum n : 9297.

10,673. Vers : 24. 25. 26. 27. *Quia expello gentes a faciebus tuis, & dilatari faciam terminum tuum : & non concupiscet quisquam terram tuam, in ascendendo te ad videndum facies Jehovæ Dei tui tribus vicibus in anno. Non mactabis super fermentato sanguinem sacrificii mei : & non pernoctabit ad mane sacrificium festi Pæsach. Primitias primitivorum humi tuæ inducas domum Jehovæ Dei tui. Non elixabis hædum in lacte matris suæ. Et dixit Jehovah ad Moschen, scribe tibi verba illa, quia super ore verborum illorum pango cum te fœdus, & cum Israele.* Quia expello gentes a faciebus tuis, significat remotionem mali & falsorum mali : & dilatari faciam terminum tuum, significat multiplicationem & extensionem veri ex bono : & non concupiscet quisquam terram tuam, significat aversationem talium quæ Ecclesiæ apud illos qui in malis & falsis mali sunt : in ascendendo te ad videndum facies Jehovæ Dei tui tribus vicibus in anno, significat quando præsentia Domini etiam in veris fidei : non mactabis super fermentato sanguinem sacrificii mei, significat quod cultus Domini ex veris Ecclesiæ non commiscendus sit cum falsis ex malo : & non pernoctabit ad mane sacrificium festi Pæsach, significat bonum cultus non ex proprio, sed ex Domino semper novum : primitias primitivorum humi tuæ inducas domum Jehovæ Dei tui, significat quod

omnia vera boni & bona veri ſancta ſint quia a ſolo Domino: non elixabis hædum in lacte matris ſuæ, ſignificat quod bonum innocentiæ poſterioris ſtatus non commiſcendum ſit cum vero innocentiæ prioris ſtatus: & dixit Jehovah ad Moſchen, ſcribe tibi verba illa, ſignificat informationem de primariis veris quæ reminiſcenda & facienda: quia ſuper ore verborum illorum pango cum te fœdus, & cum Iſraele, ſignificat quod per illa conjunctio cum illis qui in cultu externo & interno.

10,674. Quia expello gentes a faciebus tuis, quod ſignificet remotionem mali & falſorum mali, conſtat ex ſignificatione expellere, cum de malis & falſis apud hominem, quod ſit removere, nam mala & falſa non ab homine expelluntur, ſed removentur, videatur in locis citatis n: 10,057 fin: & ex ſignificatione gentium, quæ in terra Canaane, quod ſint mala & falſa mali, de qua in locis citatis n: 9327.

10,675. Et dilatari faciam terminum tuum, quod ſignificet multiplicationem & extenſionem veri ex bono, conſtat ex ſignificatione dilatare terminum, quod ſit multiplicatio & extenſio veri ex bono; de qua n: 8063, quod hoc per dilatare terminum ſignificetur, eſt quia quantum removentur mala & falſa mali, tantum multiplicantur vera quæ ex bono, quoniam nihil aliud obſtat quin a Domino influant vera, ac ſe multiplicent apud hominem, quam mala & inde falſa; quare quantum hæc removentur, tantum loco eorum ſuccedunt vera. Cum intellectuali hominis ita ſe habet, ſive id conſtabit ex veris quæ ex bono, ſive ex falſis quæ ex malo, ex utriſque ſimul non conſtare poteſt, ſunt enim oppoſita; ac intellectuale hominis eſt quod recipit vera, ac formatur per vera; nam quicquid in intellectu ejus eſt, ſe refert ad verum: inde patet, quod quantum falſa ex malo removentur, tantum multiplicentur vera ex bono: hoc repræſentatum eſt per expulſionem gentium e terra Canaane, nam per gentes ibi repræſentata ſunt mala & falſa, videatur in locis citatis n: 10,057 fin:. & per filios Iſraelis bona & vera. Dicitur quod intellectuale hominis ſit quod recipit vera, & formetur per vera, quoniam non aliud in proprio ſenſu dicendum eſt intellectuale, quam quod a veris ex bono eſt; quod a falſis ex malo non eſt intellectuale; intelligentia enim & ſapientia nuſquam prædicari poteſt de falſis ex malo, nam falſa ex malo prorſus deſtruunt intelligentiam & ſapientiam, & loco earum inferunt inſaniam & ſtultitiam: quapropter intellectuale hominis nuſquam aperitur, quam cum homo percipit & amat vera, & perceptio & amor veri eſt ex bono; inde eſt quod ſint vera ex bono, ex quibus intellectuale. Qui credit, quod ei intellectuale ſit, qui dextre ratiocinari poteſt contra vera Eccleſiæ, maxime fallitur; is enim nihil videt intra ſe, ſed extra ſe; videre intra ſe eſt e cœlo, videre extra ſe eſt ex mundo; & qui ex mundo ſolum videt, is ex lumine fatuo videt, quod lumen ſit mera caligo, cum in illud influit lux e cœlo.

10,676. Et non concupiſcet quiſquam terram tuam, quod ſignificet averſationem talium, quæ Eccleſiæ apud illos qui in malis & falſis mali ſunt, conſtat ex ſignificatione non concupiſcere, cum de illis qui in malis & falſis

mali

mali ſunt, cum vident & percipiunt bona & vera boni, quod ſit averſari; nam inter mala & bona eſt perpetua inimicitia, mala averſantur bona, & odio habent illa, & bona averſantur mala, & fugant aut fugiunt illa; & ex ſignificatione terræ, quod ſit Eccleſia & quicquid Eccleſiæ, de qua locis citatis n: 9325.

10,677. In aſcendendo te ad videndum facies Dei tui tribus vicibus in anno, quod ſignificet quando præſentia Domini etiam in veris fidei, conſtat ex illis quæ n: 9297, explicata ſunt.

10,678. Non mactabis ſuper fermentato ſanguinem ſacrificii mei, quod ſignificet quod cultus Domini ex veris Eccleſiæ non commiſcendus ſit cum falſis ex malo, conſtat ab explicatione eorum n: 9298.

10,679. Et non pernoctabit ad mane ſacrificium feſti pæſach, quod ſignificet bonum cultus non ex proprio, ſed ex Domino ſemper novum, conſtat ex illis quæ n: 9299. explicata ſunt.

10,680. Primitias primitivorum humi tuæ inducas domum Jehovæ Dei tui, quod ſignificet quod omnia vera boni & bona veri ſancta ſint, quia a ſolo Domino, videatur n: 9300.

10,681. Non elixabis hædum in lacte matris ſuæ, quod ſignificet quod bonum innocentiæ poſterioris ſtatus non commiſcendum ſit cum vero innocentiæ prioris ſtatus, conſtat ex illis, quæ n: 9301, dicta & oſtenſa ſunt, ubi ſimilia.

10,682. Et dixit Jehovah ad Moſehen, ſcribe tibi verba illa, quod ſignificet informationem de primariis veris quæ reminiſcenda & facienda, conſtat ex ſignificatione dicere, cum a Jehovah ad Moſchen, quod ſit informatio, ut quoque in locis citatis n: 10,277; ex ſignificatione ſcribere, quod ſit ad reminiſcentiam quod faciendum, de qua n: 8620; & ex ſignificatione verborum horum, quod ſint primaria vera, per verba enim ſignificantur in genere res, in ſpecie vera, hic primaria vera quæ reminiſcenda & facienda, ut apud gentem Iſraeliticam Eccleſiæ cultus repræſentativus poſſet inſtitui, ac Verbum conſcribi, de qua re in præcedentibus hujus Capitis.

10,683. Quia ſuper ore verborum illorum pango cum te fœdus & cum Iſraele, quod ſignificet quod per illa conjunctio cum illis qui in cultu externo & interno, conſtat ex ſignificatione ſuper ore verborum illorum, quod ſit per primaria illa vera, quæ obſervanda, de qua ſupra n: 10,682; ex ſignificatione pangere fœdus, quod ſit conjunctio, de qua n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778; ex repræſentatione Moſchis, cum quo & cum Iſraele dicitur quod pangatur fœdus, quod ſit Externum Verbi, Eccleſiæ, & cultus, in quo internum, de qua n: 10,563, 10,571. 10,607. 10,614; & ex ſignificatione Iſraelis, quod ſit internum Eccleſiæ & cultus, de qua n: 4286. 4292. 4570. 6426; inde eſt, quod dicatur quod fœdus pangatur cum Moſche & cum Iſraele, & non cum filiis Iſraelis, nam per filios Iſraelis in hoc & in præcedente Capite intelliguntur qui in externo Eccleſiæ, Cultus & Verbi abſque interno ſunt, videatur n: 10,454 ad 10,457. 10,461. 10,498. 10,459. 10,550. 10,551. 10,570. 10,575. 10,629. Hic paucis dicetur, quid Internum

Verbi, Ecclesiæ, & cultus; quid Externum eorum in quo Internum; & quid Externum absque Interno: *in Interno Verbi, Ecclesiæ, & cultus* sunt illi, qui amant facere verum propter verum ex affectione interna, ita ex affectione spirituali; *in Externo eorum in quo Internum* sunt illi qui amant Verum propter Verum, sed ex affectione externa, ita ex affectione naturali; hi sunt externæ Ecclesiæ homines, illi autem internæ, nam in omni Ecclesia sunt homines interni & sunt externi: *at qui in cultu externo absque interno sunt*, illi amant verum non propter verum, sed propter lucra in mundo, ita non amant facere vera, nisi propter se, aut ut videantur; hi non sunt intra Ecclesiam, sed extra illam. Qui amant facere verum propter verum ex affectione interna seu spirituali, illi cum audiunt vera, gaudent, & cogitant de vita secundum illa: at qui amant verum propter verum ex affectione externa seu naturali, illi cum audiunt verum, etiam gaudent, sed non cogitant de vita secundum id, influit usque illis insciis ex interno: qui autem amant verum propter lucra in mundo, illi nihil cogitant de vita, nec aliquid ab interno influit, solum faciunt ut vera sint res memoriæ, ob finem ut loquantur de illis. Qui amant facere verum propter verum, illi amant Dominum, quoniam verum est a Domino, & Dominus facit ut id fiat bonum per velle & facere illud, ita ut fiat vitæ apud hominem, nam verum non prius fit vitæ, quam cum intrat voluntatem; quod in voluntate sit, sciri & percipi potest ex eo, quod faciat id, & adhuc magis quod amet facere id, nam quantum homo vult verum, tantum amat id. Amare verum propter verum, & propter vivere secundum id, ita describitur a Domino, apud Matthæum, "*Quisquis suscipit vos, Me suscipit, qui autem Me suscipit, suscipit Ipsum qui misit Me: quisquis prophetam suscipit in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & quisquis suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: imo quisquis potaverit unum parvorum horum potu aquæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem*," x: 40. 41. 42; qui non sensum internum Verbi novit, non scire potest quid significat suscipere prophetam in nomine prophetæ, justum in nomine justi, & discipulum Domini in nomine discipuli; & quod illi mercedem accepturi secundum susceptionem; quis scit absque illo sensu quid significat suscipere aliquem in nomine ejus: at qui in sensu interno sunt, non attendunt ad personam, sed ad rem quam persona significat, ita non ad discipulum, nec ad prophetam, sed ad res quas discipulus & propheta significat; discipulus in sensu interno significat verum vitæ, propheta autem verum doctrinæ, in nomine alicujus significat propter quale ejus, inde patet quid per illa Domini Verba significatur, quod nempe qui amant verum propter verum, & qui amant facere verum propter verum, Dominum ament, & quod cœlum in se recipiant, nam merces quæ a Domino est affectio veri propter verum, & in affectione veri propter verum est cœlum. Quod discipuli sint omnia amoris & fidei in complexu, ita in specie qui ducuntur a Domino, videatur n: 3488. 3858 fin: 6395: quod propheta sit verum doctrinæ, n: 2534. 7269: quod Nomen sit quale, n: 144. 145. 1896. 2009. 2724. 6674. 9310: quod merces sit affectio veri & boni, n: 3956. 6388: quod persona vertatur in ideam rei in sensu interno, n: 5225.

 5287.

5287. 5434. 8343. 8985. 9007. 10,282; & quod facere verum propter verum sit amare Dominum n: 10,336.

10,684. Verſ: 28 ad finem. *Et fuit ibi cum Jehovah quadraginta dies & quadraginta noctes; panem non edit, & aquam non bibit; & ſcripſit ſuper tabulis verba fœderis decem verba. Et fuit in deſcendendo Moſcheh de monte Sinai, & duæ tabulæ teſtimonii in manu Moſchis in deſcendendo illo de monte; & Moſcheh non novit quod coruſcaret cutis facierum ejus in loquendo illo cum ipſo. Et vidit Aharon, & omnes filii Iſraelis Moſchen, & ecce coruſcavit cutis facierum ejus, & timebant ab accedere ad illum. Et vocavit ad illos Moſcheh, & reverſi ſunt ad illum Aharon, & omnes ptincipes in cætu, & loquutus Moſcheh ad illos. Et poſtea acceſſerunt omnes filii Iſraelis, & præcepit illis omnia quæ loquutus Jehovah cum illo in monte Sinai. Et abſolvit Moſcheh a loquendo cum illis, & dedit ſuper facies ſuas velamen. Et in intrando Moſche coram Jehovah, ad loquendum cum Ipſo, removit velamen uſque ad exire illum; & exivit, & loquutus ad filios Iſraelis id quod præceptum eſt. Et viderunt filii Iſraelis facies Moſchis, quod coruſcaret cutis facierum Moſchis, & reduxit Moſcheh velamen ſuper facies ſuas uſque ad intrare illum ad loquendum cum Ipſo.* Et fuit cum Jehovah quadraginta dies & quadraginta noctes, ſignificat tentationes antequam internum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi datur: panem non edit, & aquam non bibit, ſignificat interea non appropriationem boni amoris & veri fidei: & ſcripſit ſuper tabulis verba fœderis, ſignificat Verbum per quod conjunctio cœli cum homine: decem verba, ſignificat omnia vera Divina inibi: & fuit in deſcendendo Moſche de monte Sinai, ſignificat influxum interni in externum Verbi, Eccleſiæ, & Cultus; & duæ tabulæ teſtimonii in manu Moſchis, ſignificat repræſentativum Verbi: & Moſcheh non novit quod coruſcaret cutis facierum ejus in loquendo illo cum Ipſo, ſignificat internum Verbi in externo ejus elucens abſque quod externum percipiat: & vidit Aharon & omnes filii Iſraelis Moſchen, ſignificat apperceptionem illorum qui in externis Eccleſiæ, Cultus, & Verbi abſque internis: & ecce coruſcavit cutis facierum ejus, ſignificat quod internum eluceat per externum: & timebant ab accedere ad illum, ſignificat quod non ſuſtinerent externum Eccleſiæ, Cultus, & Verbi, cum tale: & vocavit ad illos Moſcheh, ſignificat acceſſionem illius gentis ad externum: & reverſi ſunt ad illum Aharon & omnes principes in cætu, ſignificat præcipuos qui in externis abſque internis, & uſque repræſentarent interna: & loquutus Moſcheh ad illos, ſignificat inſtructionem: & poſtea acceſſerunt omnes filii Iſraelis, ſignificat omnes qui in externis abſque internis, & uſque repræſentarent interna: & præcepit illis omnia, quæ loquutus Jehovah cum illo in monte Sinai, ſignificat mandatum de primaris veris quæ repræſentanda revelata e cœlo: & abſolvit Moſcheh a loquendo cum illis, ſignificat poſt informationem de primariis veris quæ in externis repræſentanda: & dedit ſuper facies ſuas velamen, ſignificat quod internum Eccleſiæ, Cultus & Verbi non apparuerit genti Iſraeliticæ, ſed modo externum abſque interno: & in intrando Moſche coram Jehovah ad loquendum cum Ipſo, ſignificat ſtatum externi cum influeret internum a Domino, & reciperet informationem: removit velamen uſque ad exire illum, ſignificat ſtatum illuſtra-

illustrationis tunc: & exivit, & loquutus ad filios Israelis id quod præceptum est, significat communicationem cum illis qui in externis absque interno sunt, de illis de quibus per internum informatus: & viderunt filii Israelis facies Moschis, quod coruscaret cutis facierum Moschis, significat quod gens Israelitica quidem agnosceret in Verbo dari internum, sed non velint scire quale id: & reduxit Moscheh velamen super facies suas, significat quod ideo interna illis occluderentur: usque ad intrare illum ad loquendum cum Ipso, significat utcunque informentur.

10,685. Et fuit cum Jehovah quadraginta dies & quadraginta noctes, quod significet tentationes antequam internum Ecclesiæ, Cultus, & Verbi datur, constat ex significatione quadraginta dierum & noctium, cum de Ecclesia apud hominem, quod sint status tentationis, de qua n: 730. 862. 2272. 2273. 8098; quod sit antequam internum Ecclesiæ, Cultus, & Verbi datur, est quia internum, quod vocatur internus homo, aperitur & datur homini per tentationes; inde est quod omnis qui regeneratur, tentationes subeant: quod internum per tentationes aperiatur & detur, est quia cum homo in tentationibus est, quæ sunt pugnæ contra mala & falsa, Dominus ab interiori influit, & pugnat pro illo: quod etiam homo scire potest ex eo, quod cum in tentationibus est, interius resistat, nam nisi interius resisteret, non vinceret, sed succumberet: interior illa resistentia tunc non venit ad apperceptionem hominis, quia cum in tentationibus est, in obscuro est ex malo & ex falsis mali quæ impugnant; at post tentationes, apud illos qui in perceptione veri sunt; nam quæ inferuntur a Domino in internum hominis, non scit homo quum in mundo vivit, quoniam tunc in externo seu naturali homine cogitat, & non perceptibiliter in interno, priusquam in alteram vitam venit; sed usque scire & agnoscere debet, cum vicit in tentationibus, quod non ipse pugnaverit, sed Dominus pro ipso.

10,686. Panem non edit, & aquam non bibit, quod significet interea non appropriationem boni amoris & veri fidei, constat ex significatione panis, quod sit bonum amoris, de qua n: 2165. 2177. 3464. 3478. 3735. 3813. 4211. 4217. 4735. 4976. 8410. 9545; ex significatione aquæ, quod sit verum fidei, de qua in locis citatis n: 10,238; quod per panem & aquam in Verbo intelligantur in genere omnia bona & vera, videatur n: 9323; ex significatione edere, quod sit conjunctio & appropriatio boni, de qua n: 2187. 2343. 3168. 3513 fin: 3596. 4745. 5643. 8001; & ex significatione bibere, quod sit receptio & appropriatio veri, de qua n: 3069. 3089. 3168. 8562. Cum his ita se habet, cum homo in tentationibus est, tunc non ei appropriantur bona amoris & vera fidei, sed post illas; nam cum tentationes perstant, ab una parte excitantur mala & falsa mali, ab altera bona & vera boni quæ apud hominem, inde ei status turbulentus est; in hoc aperitur internum; at post tentationes fit ei serenum, & in illo statu inferuntur a Domino bona & vera boni in internum nunc apertum: inde patet, quid intelligitur per non appropriationem boni amoris & veri fidei, cum tentationes
per-

perstant, quæ significantur per quod Moscheh quadraginta diebus & quadraginta noctibus panem non ederit, & aquam non biberit.

10,687. Et scripsit super tabulis verba fœderis, quod significet Verbum, per quod conjunctio cœli cum homine, constat ex significatione tabularum, super quibus Lex scripta, quod sint Verbum, de qua n: 9416. 10,375. 10,376. 10,453. 10,461; & ex significatione fœderis, quod sit conjunctio, de qua supra in locis citatis n: 10,632: quod sit conjunctio cœli cum homine, est quia Verbum per meras correspondentias conscriptum est, & inde tale ut conjungat cœlum cum homine; Cœlum enim in sensu interno Verbi est, & sensui interno correspondet sensus externus, quare cum legitur ab homine Verbum, angeli qui apud hominem sunt, percipiunt id in sensu spirituali, qui est sensus internus, inde sanctum ab angelis influit, per quod conjunctio: ob hunc finem tale Verbum datum est. Quod conjunctio Domini, ita cœli, cum homine sit per Verbum, videatur in locis citatis n: 10,375: quid sint correspondentiæ, per quas Verbum conscriptum est, ubivis in explicationibus ostensum est.

10,688. Decem verba, quod significet omnia vera Divina inibi, constat ex significatione decem, quod sint omnia, de qua n: 4638; & ex significatione verborum, quod sint Divina Vera, de qua n: 9986: inde est quod præcepta in tabulis illis fuerint decem numero.

10,689. Et fuit in descendendo Mosche de monte Sinai, quod significet influxum Interni in Externum Verbi, Ecclesiæ & Cultus, constat ex significatione descendere, cum de Mosche, per quem repræsentatur externum Verbi in quo internum, quod sit influxus Domini per internum Verbi in externum ejus; quod id per descendere significetur, videatur n: 5406; ex repræsentatione Moschis, quod sit externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, in quo internum, de qua n: 4286. 4292. 4570; & ex significatione montis Sinai, quod sit cœlum ubi Dominus, & unde Lex seu Verbum, de qua n: 9420.

10,690. Et duæ tabulæ testimonii in manu Moschis, quod significet repræsentativum Verbi, constat ex significatione duarum tabularum testimonii, quod sint Lex in omni complexu, ita Verbum, de qua in locis citatis supra n: 12,687; & ex significatione in manu Moschis, quod sit repræsentativum ejus, nempe Verbi; quod Moscheh repræsentaverit Verbum, videatur in locis citatis n: 9372; ideo in ejus manu erant tabulæ, per quas significabatur Verbum, ut insigne repræsentationis.

10,691. Et Moscheh non novit quod coruscaret cutis facierum ejus in loquendo illo cum Ipso, quod significet internum Verbi in externo ejus elucens absque quod externum percipiat, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit externum Verbi in quo internum, de qua n: 10,563. 10,571. 10,607. 10,614; ex significatione non nosse, quod sit non percipere; ex significatione coruscare, quod sit elucere, nam coruscatio cutis facierum Moschis est ex elucentia ab interno; ex significatione cutis, quod sit externum veri & boni, de qua n: 3540. 5554. 8980; & ex significatione facierum, quod sint interiora, de qua in locis citatis n: 9546: inde per coruscationem cutis facie-

rum, significatur elucentia interiorum in externo, hic in externo Verbi, quod est sensus literæ ejus, quia per Moschen repræsentatur externum Verbi in quo internum; & ex significatione loqui, quod sit influxus; quod loqui, cum de Jehovah, sit influxus, videatur n: 2951. 5743. 5797. 8660. 7270. 8128: inde patet, quod per Moscheh non novit quod coruscaret cutis facierum ejus in loquendo illo cum Ipso, significetur internum Verbi in externo ejus elucens absque quod externum percipiat. Sciendum est, quod per elucentiam interiorum Verbi in externo intelligatur sensus internus in externo, ille sensus continuo elucet & coruscat in hoc, sed non appercipitur ab aliis quam qui in internis sunt; ab illis autem, qui in externo sunt in quo internum, qui sunt qui externæ Ecclesiæ homines vocantur, non percipitur, sed usque adest, illis insciis, ac afficit; quinam sunt qui in interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, & quinam in externo in quo internum, videatur supra n: 10,683: at qui in externo sunt absque interno, ut fuit gens Israelitica, prorsus non sustinent internum, seu lucem inde in externo; quapropter de illis dicitur infra, quod timerent ab accedere ad Moschen, & quod Moscheh, quando cum illis loquebatur, dederit super facies suas velamen. Quod sensus internus luceat, est quia ibi est Divinum Verum quale in cœlis, & Divinum Verum procedens a Domino apparet Angelis ut lux, & quoque est lux cœli, de qua videatur in locis citatis n: 9548. 9684.

10,692. Et vidit Aharon, & omnes filii Israelis Moschen, quod significet apperceptionem illorum qui in internis Cultus & Verbi sunt absque internis, constat ex significatione videre, quod sit apperceptio, de qua n: 2150. 3764. 4567. 4723. 5400; ex repræsentatione Aharonis, & filiorum Israelis, in hoc & in binis præcedentibus Capitibus, quod sint qui in externis Ecclesiæ, Cultus & Verbi absque internis sunt; quod Aharon, videatur n: 10,397; quod filii Israelis in locis citatis n: 9380. 10,396; & porro n: 10,397 ad 10,457. 10,461 ad 10,466. 10,492. 10,498. 10,500. 10,526. 10,531. 10,533. 10,535. 10,549. 10,550. 10,551. 10,566. 10,570. 10,575. 10,603. 10,629. 10,632.

10,693. Et ecce coruscavit cutis facierum ejus, quod significet quod internum eluceat per externum, constat ex illis, quæ mox supra n: 10,691, explicata sunt.

10,694. Et timebant ab accedere ad illum, quod significet quod non sustinerent externum Ecclesiæ, Cultus, & Verbi, cum tale, constat ex significatione timere ab accedere, quod sit non sustinere, nam qui non sustinent interiora, illi timent accedere; & ex repræsentatione Moschis, quod sit externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, in quo internum, de qua n: 10,563. 10,571. 10,607. 10,614. Cum hoc ita se habet, qui modo in externis, Cultus, & Verbi sunt, absque interno, non sustinent interiora; causa est, quia qui in externis sunt absque interno, in amore sui & mundi sunt, & inde in lumine, quod lumen naturale vocatur; qui autem in externis sunt & simul in internis Ecclesiæ, Cultus, & Verbi sunt, in amore erga proximum & in amore in Dominum sunt, ac inde in luce cœli; amores illi quia sunt oppo-

siti,

ſiti, & inde quoque luces, ideo non ſuſtinet unum alterum, nam amor cœleſtis, qui eſt amor in Dominum & amor erga proximum, cum influunt in amores terreſtres, qui ſunt amores ſui & mundi, inducunt angores ſicut mortis, & cum lux cœleſtis influit in lucem mundi, inducit caliginem & inde ſtuporem; inde eſt quod externum abſque interno non ſuſtineat externum dum in eo eſt internum. Quia gens Judaica talis fuit, ideo non ſuſtinuit audire de Domino, de amore & fide in Ipſum, quæ ſunt interiora Verbi, Eccleſiæ, & Cultus. Hæc nunc ſunt, quæ ſignificantur per quod filii Iſraelis timerent ab accedere ad Moſchen, quia coruſcavit cutis facierum ejus; quid cutis facierum Moſchis, videatur ſupra n: 10,691.

10,695. Et vocavit ad illos Moſcheh, quod ſignificet acceſſionem illius gentis ad externum, conſtat ex ſignificatione vocare ad illos, quod ſit acceſſio illius gentis, nam qui vocatur, accedit; & ex repreſentatione Moſchis, quod ſit externum Verbi in quo internum, de qua mox ſupra n: 10,694.

10,696. Et reverſi ſunt ad illum Aharon & omnes principes in cœtu, quod ſignificet præcipuos qui in externis & uſque repræſentarent interna, conſtat ex repræſentatione Aharonis & principum in cœtu, quod ſint præcipui, qui in externis abſque interno, Aharon enim erat caput illorum, ac principes erant duces; quod Aharon ſit externum abſque interno, videatur n: 10,397; & quod principes ſint præcipui; n: 1482. 2089. 5044: quod ſit qui repræſentarent, videatur infra n: 10,698.

10,697. Et loquutus Moſcheh ad illos, quod ſignificet inſtructionem, conſtat ex ſignificatione loqui, quod ſit inſtructio, de qua in locis citatis n: 10,277.

10,698. Et poſtea acceſſerunt omnes filii Iſraelis, quod ſignificet omnes qui in externis abſque interno, & uſque repræſentarent interna, conſtat ex repræſentatione filiorum Iſraelis, quod ſint qui in externis abſque interno, de qua mox ſupra n: 10,692; quod etiam ſit, qui repræſentarent interna, eſt quia Moſcheh obtinuit, ut apud gentem illam repræſentaretur Eccleſia, tametſi erant tales ut apud illos nulla Eccleſia inſtitui poſſet; qui enim in externis abſque interno ſunt, apud illos non dari poteſt Eccleſia, quia Eccleſia eſt in interno hominis, & non in externo abſque illo; communicatio enim hominis cum cœlo & cum Domino, eſt per internum, quando hoc non eſt, hoc eſt, quando id occluſum eſt, tunc communicatio eſt cum inferno, ſed tametſi filii Iſraelis tales erant, ut non per internum apud illos communicatio cum cœlo dari poſſet, uſque repreſentare potuerunt talia quæ Eccleſiæ & cœli erant; quod ſit ſolum per externa quibus correſpondent interna, ideo recepti ſunt: quod apud illam gentem non Eccleſia fuerit, ſed modo repræſentativum Eccleſiæ, videatur in locis citatis n: 9320 fin: 10,396: & quod per externa, quæ repræſentaverunt interna, facta ſit communicatio cum cœlo, in locis citatis etiam n: 9320 fin: 10,396, tum, n: 10,492. 10,500. 10,549. 10,550. 10,551. 10,570. 10,575. 10,602. 10,629.

10,699. Et præcepit illis omnia quæ loquutus Jehovah cum illo in monte Sinai, quod significet mandatum de primariis veris, quæ repræsentanda, revelata e cœlo, constat ex significatione præcipere, cum a Jehovah ad Moschen, quod sit mandatum; quod sit mandatum de primariis veris quæ repræsentanda, constat ex eo, quod illa quæ mandata sunt, & continentur a Versibus 12 ad 28, fuerint primaria vera, quæ repræsentanda ut reciperentur, videatur supra n: 10,637; & ex significatione quæ loquutus Jehovah cum illo e monte Sinai, quod sint quæ revelata e cœlo, nam per loquutus Jehovah significatur quod revelatum, & per montem Sinai cœlum, e quo Divinum Verum, n: 9420.

10,700. Et absolvit Moscheh a loquendo cum illis, quod significet post informationem de primariis veris, quæ in externis repræsentanda, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,699, dicta sunt.

10,701. Et dedit super facies suas velamen, quod significet quod internum Ecclesiæ, cultus & verbi non apparuerit genti Israeliticæ, sed modo externum absque interno, constat ex significatione dare super facies velamen, quod sit occludere internum, ut modo externum absque interno appareat, nam per coruscationem cutis facierum Moschis significatur elucentia interni Verbi, Ecclesiæ, & Cultus in externis, videatur supra n: 10,691: quod gens illa in externis absque interno fuerit, & quoque hodie sit, videatur in locis citatis supra n: 10,692: ex his quoque patet, quomodo externum Verbi, Ecclesiæ, & Cultus; apud illam gentem apparet in cœlis, nempe quod ne quidem ut facies hominis, sed sicut velamen ante faciem; in tali enim obscuro de interioribus Verbi sunt.

10,702. Et in intrando Mosche coram Jehovah ad loquendum cum Ipso, quod significet statum externi cum influeret internum a Domino, & reciperet informationem, constat ex repræsentatione Moschis, quod sit externum in quo internum, de qua n: 10,694; ex significatione intrare coram Jehovah, quod sit status ejus cum influit Dominus, de qua sequitur; & ex significatione loqui quod sit informatio, de qua in locis citatis n: 10,277. Cum Externo, quum in id influit internum, quod significatur per in intrando Mosche coram Jehovah, ita se habet; apud homines sunt bini status quoad illa quæ Ecclesiæ, Cultus & Verbi sunt; quidam se vertunt ad Dominum, ita ad Cœlum, quidam autem ad seipsos & ad mundum; qui se vertunt ad Dominum seu ad cœlum, illi recipiunt influxum inde, ac in illustratione sunt, & sic in perceptione veri intus in se; influxus ille fit a Domino per internum in externum; hoc significatur hic per intrare coram Jehovah; qui autem se vertunt ad seipsos & ad mundum, illi nullum a Domino seu e cœlo influxum recipere possunt, ita non in aliqua illustratione & perceptione veri esse; influit enim mundus ex aspectu sui, & prorsus extinguit, vel repellit, vel pervertit quicquid e cœlo venit; inde in caligine sunt de omnibus quæ Ecclesiæ, Cultus, & Verbi sunt; hoc significatur per velamen ante facies Moschis: interiora hominis etiam actualiter se vertunt secundum amores; qui amant Dominum, illorum interiora

se vertunt ad Dominum seu cœlum, ita introrsum, qui amant semet illi se vertunt ad mundum, ita extrorsum: vertere se ad Dominum, est verti ab Ipso Domino, nam homo ex se non elevare sua interiora potest; at vertere se ad semet, est verti ab inferno; & cum hoc fit, tunc illa quæ interni hominis sunt, clauduntur, ne homo serviat duobus dominis.

10,703. Removit velamen usque ad exire illum, quod significet statum illustrationis tunc, constat ex significatione removere velamen, quod sit apparentia interni, nam cum removebatur velamen, patebant facies & coruscatio cutis earum, & per facies significantur interiora, ac per coruscationem lux inde in externo: quod facies sint interiora, videatur in locis citatis n: 9546; & quod coruscatio cutis facierum Moschis sit elucentia seu lux ab interno in externo Verbi, n: 10,691. Lux dicitur, quia lux quæ illuminat internum hominis, est Divinum Verum procedens a Domino, quod hoc sit lux cœli, ita e qua angeli & spiritus vident, & quoque e qua homo qui illustratur perceptionem & intelligentiam habet, videatur in locis citatis n: 9548. 9684. Dicitur Lux in externo Verbi ab interno ejus, sed intelligitur lux in externo hominis ab interno ejus, cum legit illud, nam Verbum non lucet ex se nisi coram homine, qui in luce ab interno est, absque illo est verbum modo litera. Inde nunc patet, unde coruscatio cutis facierum Moschis, & quid in sensu interno significat.

10,704. Et exivit, & loquutus ad filios Israelis id quod præceptum est, quod significet communicationem cum illis qui in externis absque interno sunt, de illis de quibus per internum informatus, constat ex significatione exire & loqui, quod sit communicatio, nam quæ audivit Moscheh a Jehovah, cum exivit, cum filiis Israelis communicavit; ex repræsentatione filiorum Israelis, quod sint qui in externis absque internis sunt, de qua in locis citatis n: 10,692; & ex significatione quod præceptum est a Jehovah, quod sit de quibus Moscheh informatus est a Domino; quod præcipi sit informari, patet, & quod Jehovah in Verbo sit Dominus, videatur in locis citatis n: 9373.

10,705. Et viderunt filii Israelis facies Moschis, quod coruscaret cutis facierum Moschis, quod significet quod gens Israelitica quidem agnosceret in Verbo dari internum, sed non velit scire quale id, constat ex significatione videre, quod sit perceptio, intellectus, fides, de qua n: 2150. 2325. 2807. 3764. 3863. 3869. 4403 ad 4421. 4567. 4723. 5114. 5400. 6805. 7650. 9128; inde etiam agnitio, n: 897. 3796; ex significatione facierum Moschis, quod sint interna Verbi, de qua supra n: 10,703; & ex significatione coruscationis cutis facierum ejus, quod sit elucentia interni in externo, de qua etiam supra n: 10,703. Quod gens illa agnoscat dari internum in Verbo, notum est, dicunt enim Divina arcana ibi usque in unaquavis syllaba recondi; sed cum dicitur illis, quod arcana illa sint de Domino, de Regno Ipsius in cœlis & in terris, deque amore & fide in Ipsum, non volunt scire: hoc intelligitur per quod gens illa quidem agnoscat in Verbo dari internum, sed non velit scire quale id; quapropter etiam sequitur, quod Moscheh reduxerit

velamen

velamen super facies suas, per quod significatur, quod ideo illis internum occluderetur.

10,706. Et reduxit Moscheh velamen super facies suas, quod significet quod ideo illis interna occluderentur, constat ex significatione reducere velamen super facies, cum de Mosche, per quem repræsentatur Verbum, quod sit occludere interna Verbi, de qua supra n: 10,701. Quomodo cum his se habet, constat ex illis quæ nunc supra n: 10,705 ad fin: dicta sunt.

10,707. Usque ad intrare illum ad loquendum cum Ipso, quod significet utcunque informentur, constat ex significatione usque ad intrare Moschen ad loquendum cum Jehovah, quod significet statum externi cum influeret internum a Domino, & reciperet informationem, de qua supra n: 10,702; quod etiam hic sit, utcunque informentur, est quia per Moschen repræsentatur externum Verbi in quo internum, n: 10,694, & ille intravit coram Jehovah & exivit, ac informavit illos; per intrare enim & exire significatur communicatio n: 5249. 6901, & per loqui informatio, in locis citatis n: 10,277: quod non scire velint de internis Verbi, Ecclesiæ, & Cultus, quæ de Domino, de Regno Ipsius, deque amore & fide in Ipsum, patet manifeste ex eo, quod non agnoscere voluerint Dominum, utcunque Ipse, cum in mundo fuit, informavit illos ex Verbo, & quod nec hodie velint agnoscere, tametsi inter Christianos vivunt, & sciunt quod prædictum sit in Verbo, quod Messias, hoc est, Christus venturus: causa quod non agnoverint, nec agnoscant, est quia applicant omnia Verbi ad se, & ad sui eminentiam super alios, ita ad favorem suorum amorum, qui sunt amores sui & mundi: omnes qui ita faciunt, nihil e cœlo vident, internum eorum, quod pateret in cœlum, est occlusum, quare illis nihil lucis est inde; ideo caligo & cæcitas illis est in spiritualibus, ita de interno Verbi, Ecclesiæ, & Cultus; internum Verbi est spirituale, externum ejus est naturale: cum dicitur internum Verbi, etiam intelligitur internum Ecclesiæ, & Cultus, quoniam Ecclesia est ubi Verbum, & ex Verbo, & Cultus est ex illis quæ in Verbo; inde qualis est homini intellectus Verbi, talis in eo Ecclesia est, & talis ei cultus est.



Continuatio de Quarta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,708. *QUUM de sermone eorum ulterius quærebam, dicebant quod incolis non sit loquela articulata sicut apud me, sed quod usque desinat in sonorum cum aliqua loquutione quasi articulata: explicabatur, qualis esset loquutio quasi articulata, quod nempe loquutio esset non per voces, sed per ideas, quales sunt in cogitatione proxima, in qua homo est cum loquitur; quæ ideæ plane differunt*

differunt ab ideis cogitationis interioris, in qua homo est cum non loquitur, ac cum judicat res: ex sonoro illo sit per ideas modificato percipitur sermo plenius quam sermo per voces, nam affectio communis, quæ est in sono loquelæ hominis, ita per ideas modificata, dat apperceptionem interiorem, & sic pleniorem.

10,709. *Dicebant porro, quod cum inter se loquuntur, progrediantur utplurimum ad nonum usum, & quod dentur in universo qui in loquendo progrediuntur ad quintum usum, ad septimum, ad decimum, ad decimum quintum, ad vigesimum, usque ad quinquagesimum: hoc cum miratus quid esset, explicabatur, nempe quod esset ita remote a re, quæ subjectum, loqui; illustrabatur res per exempla; sicut cum aliquis in templo est, & quæritur ubinam, quod non dicant illum ibi esse, sed vel non esse apud se, vel procul a sua domo, & sic porro; per quod intelligunt esse apud Deum, ita in Templo, nam qui in Templo est is apud Deum est; & quantum apud Deum tantum non est apud se, aut in sua domo; per esse in sua domo etiam intelligunt esse apud se: sit quoque exemplum, cum quis devincit alium per talia quæ sunt amoris ejus, ad illum dicunt scivisti facere, vel nunc es in eo, vel nunc est in te, aut aliter, modo sit remotum; hoc dicitur loqui ad 5tum, 9num, 15tum, 20mum, usque ad 50mum usum: dicere ad usum est formula in cælo recepta, & significat ad quem gradum a re quæ subjectum: & quod mirum, cum quis loquitur ita remote, sciunt illico ad quem gradum absque numeratione. Qui in loquela cogitativa sunt, in qua illius telluris incolæ, & plures alii qui similiter per faciem & labia, perque sonorum variatum secundum ideas cogitationis, consociant sermonem, percipiunt illico de qua re ita dicitur, nam ipsa cogitatio plenius se explicat & propalat per talem loquelam, quam per loquelam vocum, quæ materialis respective.*

10,710. *Propter talem cogitandi & loquendi modum spiritus illius telluris non possunt simul esse cum spiritibus nostræ telluris, quoniam spiritus nostræ telluris cogitant & loquuntur ex ipsa re, & non remote ab illa: nec possunt simul esse cum spiritibus telluris Mercurii, quoniam hi etiam morantur in usu proximo; quapropter removent se ab his, & ab illis, quantum possunt.*

10,711. *Volunt barbati esse, & apparere vetusti, ex causa quia semper Vetustum quendam barbatum eligunt & sibi præficiunt, qui quasi rex eorum & pontifex; plebs etiam colit eum, & secundum ejus morem vivendi amant vivere, usque ut credant vitam ejus communicari cum illis: sed intelligentiores illorum colunt Deum. Talis vetustus barbatus, qui fuerat pontifex eorum, erat cum reliquis apud me; is quia a plebeiis spiritibus acceptabat*

cultum Divinum, ac inducebat credere quod vita sua communicaretur cum illis, graviter punitus est, quod fiebat per involutionem in panno, & contorsionem; ac dein conjectus in infernum prope suam tellurem.

10,712. *Cum dabatur illis per meos occulos videre objecta hujus telluris, perparum attendebant ad illa, ex causa quia familiare illis cogitare remote a proximis objectis, ita nec videre illa nisi in umbra, nam qualis cogitatio hominis est, talis est ejus visus, est enim interior visus qui est cogitationis, qui videt in exteriori, & per illum. Dicebant tunc, quod Tellus illorum sit perquam petrosa, & modo aliquæ valles inter petras quæ excultæ: sed perceptum, quod solum, ubi illi habitabant, talis esset, & quod aliter alibi. Erant apud me fere per integrum diem.*

10,713. *De Quinta Tellure in cælo astrifero visa ad finem Capitis sequentis.*



E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,714. SUNT duo quæ faciunt vitam hominis, Amor & Fides; Amor vitam Voluntatis ejus, & Fides vitam Intellectus ejus; inde qualis Amor & qualis Fides talis vita.

10,715. Amor boni & inde Fides veri faciunt vitam cœli; ac amor mali & inde fides falsi faciunt vitam inferni.

10,716. Divinum Domini facit cœlos, & cœlum est apud unumquemvis secundum receptionem amoris & fidei a Domino.

10,717. Apud omnes qui recipiunt amorem & fidem a Domino est cœlum, tam apud angelos quam apud homines; quapropter qui cœlum in se habent, dum vivunt in mundo, in cœlum veniunt post mortem.

10,718. Qui cœlum in se habent, volunt omnibus bonum, & jucundum percipiunt in benefaciendo aliis, non propter se & mundum, sed propter bonum & propter verum quod ita faciendum. At qui infernum in se habent, volunt omnibus malum, & jucundum percipiunt in malefaciendo aliis; hi si jucundum percipiunt in benefaciendo, non est propter bonum & verum, sed propter semet & propter mundum.

10,719. Cœlum apud hominem est in interno ejus, ita in cogitare & velle, & inde in externo, quod est in loqui & facere; non autem in externo absque interno; nam loqui bene & facere bene possunt omnes hypocritæ, at non cogitare bene & velle bene: per cogitare bene & velle bene intelligitur quod est ex amore boni & ex fide veri.

10,720. Cum homo in alteram vitam venit, quod fit statim post mortem, patet num in eo cœlum sit vel num infernum, non autem cum in mundo vivit; in mundo enim modo apparet externum & non internum, at in altera vita patet internum; quoniam homo tunc quoad spiritum vivit.


10,721. Ex his constare potest, quid facit cœlum, quod nempe amor in Dominum & amor erga proximum, & quoque fides, sed hæc quantum ex illis amoribus vitam habet. Inde iterum patet, quod

Divinum Domini faciat cœlum, nam uterque ille amor & inde fides ſunt a Domino; & quicquid a Domino eſt, Divinum eſt.

10,722. Felicitas æterna, quæ etiam gaudium cœleſte vocatur, eſt illis qui in amore & fide in Dominum a Domino ſunt; ille amor & illa fides in ſe habent id gaudium; in id venit homo poſt mortem, qui cœlum in ſe habet; interea reconditum latet in interno ejus.

10,723. In cœlis eſt communio omnium bonorum; pax, intelligentia, ſapientia, & felicitas omnium communicantur unicuivis ibi, & uniuſcujuſvis communicantur omnibus, attamen ſingulis ſecundum receptionem amoris & fidei a Domino: inde patet quanta pax, intelligentia, ſapientia, & felicitas in cœlo eſt.

10,724. Illi, apud quos amor ſui & amor mundi regnant, non ſciunt quid cœlum & quid felicitas cœli, & incredibile illis apparet quod felicitas in aliis amoribus quam in illis detur; cum tamen tantum intrat felicitas cœli, quantum illi amores ut fines removentur; felicitas, quæ illis remotis ſuccedit, eſt tanta, ut excedat omnem captum hominis.



CAPUT XXXV.

1. ET congregavit Moſcheh omnem cœtum filiorum Iſraelis, & dixit ad illos, hæc verba quæ præcepit JEHOVAH ad faciendum ea.

2. Sex diebus fiet opus, & in die ſeptimo erit vobis ſanctitas, ſabbathum ſabbathi JEHOVÆ, omnis faciens in illo opus, morietur.

3. Non accendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris in die ſabbathi.

4. Et dixit Moſcheh ad omnem cœtum filiorum Iſraelis, dicendo, hoc verbum præcepit Jehovah dicendo.

5. Sumite a cum vobis oblationem JEHOVÆ, omnis ſpontaneus corde ſuo adducet oblationem JEHOVÆ, aurum & argentum & æs.

6. Et hyacinthinum & purpuram, & coccineum dibaphum, & byſſum & capras.

7. Et pelles arietum rubrorum, & pelles melium, & ligna Schittim.

8. Et oleum luminari, & aromata oleo unctionis, & ſuffimento aromatum.

9. Et lapides Schoham, & lapides impletionum ephodi & pectorali.

10. Et omnis sapiens corde in vobis veniant & faciant omnia quæ præcepit JEHOVAH.

11. Habitaculum, Tentorium ejus, & tegumentum ejus, ansulas ejus, & asseres ejus, vectes ejus, columnas ejus, & bases ejus.

12. Arcam & vectes ejus, Propitiatorium, & velum tegumenti.

13. Mensam & vectes ejus, & omnia vasa ejus, & panem facierum.

14. Et Candelabrum luminaris & vasa ejus, & lucernas ejus, & oleum luminaris.

15. Et Altare suffimenti & vectes ejus, & Oleum unctionis, & suffimentum aromatum, & tegumentum ostii ostio Habitaculi.

16. Altare holocausti & cribrum æris quod ei, vectes ejus, & omnia vasa ejus, labrum & basin ejus.

17. Tapetes atrii, columnas ejus, & bases ejus, & tegumentum portæ atrii.

18. Paxillos Habitaculi, & paxillos atrii, & funes eorum.

19. Vestes ministerii ad ministrandum in Sancto, vestes sanctitatis Aharoni sacerdoti, & vestes filiorum ejus ad fungendum sacerdotio.

20. Et exiverunt omnis cœtus filiorum Israelis a coram Mosche.

21. Et venerunt omnis vir, quem impulit cor ejus, & omnis quem sponte movit spiritus ejus illum, adduxerunt oblationem JEHOVÆ ad opus Tentorii conventus, & ad omne ministerium ejus, & ad vestes sanctitatis.

22. Et venerunt viri cum fœminis, omnis spontaneus corde adduxerunt fibulam, & inaurem, & annulum, & cingulum, omne vas auri, & omnis vir qui agitavit agitationem auri JEHOVÆ.

23. Et omnis vir cum quo inventum est, hyacinthinum & purpura & coccineum dibaphum, & byssus, & capræ, & pelles arietum rubrorum, & pelles melium, adduxerunt.

24. Omnis tollens oblationem argenti & æris, adduxerunt oblationem Jehovæ; & omnis, cum quo inventum, ligna Schittim omni operi ministerii, adduxerunt.

25. Et omnis mulier sapiens corde manibus suis neverunt, & adduxerunt netum, hyacinthinum & purpuram, coccineum dibaphum & byssum.

26. Et omnes mulieres, quas impulit cor earum in sapientia, neverunt capras.

27. Et principes adduxerunt lapides schoham & lapides impletionum Ephodo & pectorali.

28. Et aroma, & oleum luminari & oleo unctionis & suffimento aromatum.

29. Omnis vir & mulier, quos sponte movit cor eorum ad adducendum omni operi, quod præceperat JEHOVAH ad faciendum manu Moschis, adduxerunt filii Israelis spontaneum JEHOVÆ.

30. Et dixit Moscheh ad filios Israelis, videte, vocavit JEHOVAH nomine Bezaleelem filium Uri filii Churi tribui Jehudæ.

31. Et implevit eum spiritu DEI in sapientia, in intelligentia, & in scientia, & in omni opere.

32. Et ad excogitandum excogitationes ad faciendum in auro, & in argento, & in ære.

33. Et in sculptura lapidis ad implendum, & in sculptura ligni ad faciendum in omni opere excogitationis.

34. Et ad docendum dedit in cor ejus, illum & Aholiabum filium Achisamachi tribui Dan.

35. Implevit illos sapientia cordis ad faciendum omne opus artificis, & excogitatoris, & acupictoris, in hyacinthino, & in purpura, in coccineo dibapho, & in byssino, & textoris, facientium omne opus, & excogitantium excogitationes.

CONTENTA.

10725. IN hoc Capite in sensu interno agitur in summa de omnibus generibus boni & veri, quæ in Ecclesia & in Cœlo, ex quibus cultus Domini: hæc sunt quæ significantur per illa quæ filii Israelis sponte contulerunt ad faciendum Tabernaculum cum omnibus inibi, tum Altare holocausti, ut & Vestes Aharonis & filiorum ejus.

SENSUS INTERNUS.

10726. VERS: 1. 2. 3. *Et congregavit Moscheh omnem cœtum filiorum Israelis, & dixit ad illos, hæc verba quæ præcepit Jehovah ad faciendum ea. Sex diebus fiet opus, & in die septimo erit vobis sanctitas, sabbathum sabbathi Jehovæ; omnis faciens in illo die opus, morietur. Non accendetis ignem in omnibus habitationibus vestris in die sabbathi.* Et congregavit Moscheh omnem cœtum filiorum Israelis, significat omnia vera & bona Ecclesiæ in complexu: & dixit ad illos, hæc verba quæ præcepit Jehovah ad faciendum ea, significat instructionem de primario Ecclesiæ ad

quod omnia se referunt: sex diebus fiet opus, significat statum primum regenerationis hominis a Domino, & in supremo sensu glorificationis Humani Domini: & in die septimo erit vobis sanctitas, sabbathum sabbathi Jehovæ, significat alterum statum regenerationis hominis cum ei conjunctio cum Domino, & in supremo sensu unionem Humani Domini cum Ipso Divino: omnis faciens in illo die opus, morietur, significat mortem spiritualem illis qui ducuntur a se & suis amoribus, & non a Domino: non accendetis ignem in omnibus habitationibus vestris in die sabbathi, significat quod nihil amoris proprii, qui est sui & mundi, in omnibus & singulis hominis quæ a Domino, apparere debeat.

10,727. Et congregavit Moscheh omnem cœtum filiorum Israelis, quod significet omnia vera & bona Ecclesiæ in complexu, constat ex significatione cætus filiorum Israelis, quod sint omnia vera & bona Ecclesiæ in complexu, de qua n: 7830. 7843; ita per congregare cætum illum significatur recensitio omnium; in sequentibus enim recensentur omnia quæ filii Israelis contulerunt ad faciendum Tabernaculum cum omnibus inibi, tum Altare holocausti, ut & Vestes Aharonis, & filiorum ejus, & per illa significantur omnia genera boni & veri, ex quibus Ecclesia.

10,728. Et dixit ad illos, hæc verba quæ præcepit Jehovah ad faciendum ea, quod significet instructionem de primario Ecclesiæ, ad quod omnia se referunt, constat ex significatione dicere, quod sit instructio, de qua in locis citatis n: 10,277; & ex significatione verborum quæ præcepit Jehovah ad faciendum, quod sit primarium verum quod omnino observandum; quod hoc significetur, est quia illa dicuntur de sabbatho, quod omnium primarium repræsentativum erat, ita primarium Verum ad quod omnia se referunt; nam repræsentativa Ecclesiæ apud gentem Israeliticam fuerunt vera in ultimo ordinis: cum repræsentativis enim ita se habet; quæ in natura apparent, in triplici ejus regno, sunt ultima ordinis Divini, terminantur enim in illis omnia cœli, quæ spiritualia & cœlestia vocantur; inde est quod Ecclesia repræsentativa instituta fuerit, ac talia mandata quæ in ultimis prorsus repræsentarent cœlum cum omnibus veris & bonis ibi, & quæ repræsentabant erant formæ ex talibus quæ in natura, sicut Tabernaculum cortinis circumductum, Mensa inibi super qua panes facierum, Candelabrum cum lucernis, Altare super quo suffitus fiebant, vestes Aharonis cum pectorali ex lapidibus pretiosis, præter alia; quid talia repræsentaverunt in præcedentibus ostensum est.

10,729. Sex diebus fiet opus, quod significet statum primum regenerationis hominis a Domino, & in supremo sensu glorificationis Humani Domini, constat ex significatione sex dierum qui præcedunt septimum seu sabbathum, & in quibus fiet opus, quod sit status primus regenerationis hominis a Domino, qui status est cum homo est in veris & per vera ducitur ad bonum, & tunc in pugnis, de qua n: 8510. 8888. 9431. 10,360; quod etiam sit status glorificationis Humani Domini, cum Ipse in mundo fuit, & ex Divino Vero pugnavit contra inferna, & redegit omnia ibi & in cœlis in ordinem, videatur


n: 10,360. sunt enim bini status homini cum regeneratur a Domino, prior cum in veris est & per vera ducitur ad bonum, posterior cum in bono est, & ex bono videt & amat vera; homo in priori statu quidem ducitur a Domino, sed per suum proprium, nam agere ex veris est ex illis quæ sunt apud hominem, sed agere ex bono est a Domino, inde patet, quod quantum homo se patitur per bonum duci ad vera, tantum ducatur a Domino & ad Dominum; est enim actio & reactio in omnibus quæ conjuncta sunt, agens est bonum, & reagens est verum; at verum nusquam reagit ex se sed ex bono, inde quantum verum recipit bonum, tantum reagit, & quantum reagit tantum ei conjungitur: inde etiam sequitur, quod Dominus, antequam conjungitur Ipsi homo, agat illum per vera ad se; & quantum homo patitur se adduci, tantum conjungatur; vera enim Divina talia sunt, ut aptari possint bono, quoniam vera existunt ex bono; inde nunc homini perceptio, quæ in se est reagentia; pati se agi seu adduci per vera ad bonum, est vivere secundum illa. Hæc dicta sunt, ut aliquo modo sciatur quomodo se habet cum primo statu hominis qui regeneratur, qui significatur per sex dies laboris.

10,730. Et in die septimo erit vobis sanctitas, sabbathum sabbathi Jehovæ, quod significet alterum statum regenerationis hominis, cum ei conjunctio cum Domino, & quod in supremo sensu significet unionem Humani Domini cum Ipso Divino, constat ex repræsentatione sabbathi, quod sit alter status regenerationis hominis, cum homo in bono est, & sic a Domino ducitur, de qua n: 8510. 8890. 8893. 9274; & quod in supremo sensu sit unio Humani cum Ipso Divino in Domino, de qua n: 8495. 10,356. 10,367. 10,374: cum enim Dominus in mundo fuit, primum fecit Humanum suum Divinum Verum, at cum exivit e mundo fecit Humanum suum Diviuum Bonum per unionem cum Ipso Divino quod fuit in Ipso; hoc repræsentatur per sabbathum in supremo sensu, quapropter dicitur sabbathum sabbathi Jehovæ: simile facit Dominus cum homine, quem regenerat, primum imbuit illum veris, & postea per vera conjungit illum bono, ita Sibi; hoc repræsentatur per sabbathum in sensu respectivo, nam regeneratio hominis est imago glorificationis Domini, hoc est, sicut Dominus glorificavit Humanum suum, ita regenerat hominem. Per sabbathum in proprio sensu significatur quies ac pax, quia cum Dominus univit Humanum suum Ipsi Divino, Ipsi fuit Pax, cessaverunt enim tunc pugnæ, ac omnia in cœlis & in infernis in ordinem redacta sunt; & sic non modo Ipsi Pax, sed etiam pax & salus angelis in cœlis & hominibus in terris. Quoniam illa duo sunt ipsa universalia, ex quibus reliqua Ecclesiæ pendent, ideo sanctificatio sabbathi solum proponitur, per quod illa duo significantur; universale enim omnium est, quod Dominus univerit Humanum suum Ipsi Divino, & quod inde pax & salus homini; & quoque universale est, quod homo conjungendus sit Domino, quod fit per regenerationem, ut ei sit pax & salus; ideo quoque sabbathum apud gentem Israeliticam fuit principale repræsentativum, ac principale signum fœderis cum Jehovah, hoc est, conjunctionis cum Domino, videatur n: 10,357. 10,372, fœdus est conjunctio.

10,731 Omnis faciens in illo opus morietur, quod significet mortem spiritualem illis qui ducuntur a se & suis amoribus, & non a Domino, constat ex significatione operum die sabbathi, quod sit duci a semet & suis amoribus, & non a Domino, de qua n: 8495. 10,360. 10,362. 10,365; & ex significatione mori, quod sit damnatio seu mors spiritualis, de qua n: 6119. 9008. Qui ducuntur a semet & a suis amoribus, illi non credunt in Dominum, nam credere in Dominum est ab Ipso & non a semet; inde est quod etiam illi nihili faciant unionem Humani Ipsius cum Ipso Divino; & quoque nihili faciunt regenerationem a Domino, & ita quoque nihili faciunt vera Ecclesiæ; dicunt enim in se, quid talia, aut quid refert si sciamus illa, imo si cogitemus illa, & desideremus illa, annon usque vivimus sicut alii, quæ differentia; quod ita cogitent, est quia ex vita mundi & non ex vita cœli cogitant, vita cœli est illis ignotum quid, & nemo ex ignoto cogitare potest; quapropter qui tales sunt non salvari possunt, nam non cœlum in se habent, ideo nec in cœlo possunt esse, non concordat interiora eorum, nam nisi hæc ad imaginem cœli a Domino disposita fuerint, nulla cum cœlo conjunctio est: tales sunt qui negant universalia illa: hic status hominis est, qui significatur per opera die sabbathi, & mors eorum spiritualis per mortem eorum naturalem.

10,732. Non accendetis ignem in omnibus habitationibus vestris in die sabbathi quod significet quod nihil amoris proprii, qui est sui & mundi, tunc in omnibus & singulis hominis quæ a Domino, apparere debeat, constat ex significatione ignis, quod sit amor in utroque sensu, de qua n: 6832. 7324. 7575. 9041. hic amor proprius, qui est amor sui & mundi, ex quibus omnis concupiscentia, & omne malum & falsum; ex significatione habitationum filiorum Israelis, quod sint bona & vera Ecclesiæ quæ apud hominem a Domino; habitationes enim sunt interiora apud hominem, ita quæ sunt mentis ejus, videatur n: 7719. 7910. 8269. 8309. 10,153, hic itaque bona & vera quæ a Domino; & filii Israelis sunt Ecclesia, n. 9340. Quia talia per ignem significabantur, ideo vetitum fuit ignem accendere die sabbathi. Quomodo se habet cum duci a semet & suis amoribus, & non a Domino, videatur nunc supra n: 10,722.

10,733. Quæ a Vers: 4 ad finem Capitis prætereuntur absque explicatione, quoniam omnia & singula quæ ibi, prius explicata sunt in Capitibus XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX XXXI, ubi de Tabernaculo, & de omnibus quæ inibi, tum de Altari holocausti, ac de Vestibus Aharonis & filiorum ejus, actum; nam hic modo recensentur talia ex quibus illa.



De Quinta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,734. *PErductus sum adhuc ad aliam Tellurem, quæ in universo extra mundum nostrum solarem, quod factum per mutationes status mentis meæ, ita quoad spiritum, nam, ut prius aliquoties dictum*

est,

est, spiritus non aliter perducitur e loco in locum quam per mutationes status interiorum ejus, quæ mutationes usque apparent ei sicut promotiones e loco in locum, seu sicut profectiones: perstabant illæ mutationes continue per decem horas circiter, antequam pervenirem a statu vitæ meæ ad statum vitæ illorum, ita antequam quoad spiritum meum illuc perductus sum: mutare sic statum mentis successive usque ut accedat ad statum alterius, qui tantum distat, solus Dominus potest. Ferebar versus orientem ad sinistrum, & videbar sensim elevari a plano horizontali: etiam observare dabatur perspicue progressionem & promotionem a priori loco, usque tandem ut non apparerent amplius illi a quibus discessi; ac interea cum spiritibus, qui una mecum erant, de variis in via loquutus sum.

10,735. Quidam Spiritus etiam mecum erat, qui dum in mundo vixit, Prædicator & Scriptor valde patheticus fuit; ex idea de illo in me, putabant spiritus comites illum fore Christianum corde præ reliquis; nam in mundo capitur idea & judicatur ex prædicatione & ex scriptis, & non ex vita si hæc non exstat; & si aliquid vitæ non concordantis apparet, usque excusatur; nam idea, seu cogitatio & perceptio de aliquo trahit omnia ad sui partes.

10,736. Postquam animadverti me esse in cœlo astrifero quoad spiritum longe ultra mundum nostri solis, hoc enim animadverti potest ex mutationibus status & inde apparente progressione continua pæne decem horarum; tandem audivi Spiritus loquentes juxta aliquam Tellurem, quæ postea mihi visa; ad quos cum appropinquavi, post aliquam colloquutionem, dicebant, quod ad illos quandoque hospites aliunde veniant qui loquuntur cum illis de Deo, & confundunt ideas cogitationis illorum; monstrabant etiam viam, per quam veniunt, ex qua perceptum, quod essent ex spiritibus e nostra tellure; & cum interrogarentur in quo confunderent, ajebant per id quod dicant credendum esse in Divinum distinctum in tres personas, quas usque vocant unum Deum; & cum explorant ideam cogitationum eorum, sistitur illa sicut Trinum non continuum sed discretum, & apud quosdam sicut tres Personæ inter se loquentes, unus ad alterum; & tametsi unamquamvis Personam vocant Deum, & de unaquavis aliam ideam habent, usque dicunt unum Deum; questi valde quod per id confundant eos, quod cogitent tres & dicant unum, cum tamen cogitandum sit sicut dicitur, & dicendum sicut cogitatur. Prædicator, qui mecum erat, tunc quoque explorabatur, qualem ideam de uno Deo & tribus Personis haberet, repræsentabat tres deos, at illos unum per continuum, sed sistebat trinum hoc unum ut invisibile quia Divinum, &

cum

cum hoc sistebat, perceptum est quod tunc modo cogitaret de Patre, & non de Domino, & quod idea ejus de Deo invisibili non alia esset quam sicut de natura in suis primis, ex qua resultabat, quod intimum naturæ ei fuerit suum Divinum. Sciendum est, quod idea cogitationis cujusvis de quacunque re in altera vita sistatur ad vivum, & quod per id exploretur unusquisque qualis ei fides; & quod idea cogitationis de Deo sit principalis omnium, nam per illam, si genuina, conjunctio fit cum Cælo; Divinum enim est quod facit cælum.

10,737. *Interrogati dein qualem illi ideam haberent de Deo, respondebant quod non concipiant Deum invisibilem, sed Deum visibilem sub Humana forma; & quod hoc non modo sciant ex interiore perceptione, sed etiam ex eo quod apparuerit illis ut homo; addentes, quod si secundum quorundam advenarum & Prædicatoris ideam conciperent Deum ut invisibilem, nequaquam possent cogitare de Deo, quoniam invisibile non cadit in ideam cogitationis; percepi quod ideo quia invisibile illis erat absque forma ita absque quali, ac idea, quæ absque illis est, vel dissipatur, vel cadit in naturam quæ visibilis. His auditis dicere illis dabatur, quod bene faciant quod cogitent de Deo sub Humana forma, & quod multi ex nostra Tellure similiter cogitent, imprimis cum de Domino; & quod Antiqui non aliter cogitaverint; narrabam tunc de Abrahamo, de Lotho, de Guideone, deque Manoacho & ejus uxore, & quid de illis memoratur in nostro Verbo, quod nempe viderint Deum sub Humana forma, & visum agnoverint pro Creatore Universi, & vocaverint Jehovam, & hoc quoque ex interiore perceptione; sed quod hodie interior illa perceptio in Orbe Christiano perierit, ac modo remaneat apud simplices qui in fide.*

10,738. *Antequam hæc dicta sunt, crediderunt, quod etiam noster comitatus esset inter illos qui vellent confundere eos per ideam trium de Deo, quapropter his auditis dicebant; quod a Deo, quem tunc vocabant Dominum, etiam missi sint qui docent eos de Ipso, & quod non velint admittere advenas qui perturbant eos, imprimis per tres personas in Divinitate; quoniam sciunt quod Deus unus sit, proinde quod Divinum unum, & non ex Tribus unanimum, nisi velint cogitare de Deo sicut de Angelo, in quo intimum vitæ est quod invisibile ex quo cogitat & sapit, & externum vitæ quod visibile sub humana forma, ex quo videt & agit; & procedens vitæ, quod est sphæra amoris & fidei circum illum, nam unusquisque spiritus & angelus ex sphæra vitæ procedentis ex illo percipitur ad distantiam qualis est quoad amorem & fidem; & quoad Dominum, quod ab Ipso procedens vitæ sit Ipsum Divinum quod implet cælos*

& facit illos, quia est ex Ipso Esse vitæ amoris, & fidei. His auditis dicere dabatur, quod talis idea de Trino & simul uno concordet cum idea Angelica de Domino, & quod sit ex ipsa doctrina Domini de Se Ipso, nam docet quod Pater & Ipse unum sint; quod Pater in Ipso & Ipse in Patre; quod qui videt Ipsum videat Patrem; ac qui credit in Ipsum credat in Patrem & cognoscat Illum; tum quod Paracletus, quem vocat Spiritum Veritatis, ut & Spiritum Sanctum, procedat ab Ipso, & non loquatur a se sed ab Ipso, per quem intelligitur Divinum procedens: & porro, quod idea de Trino & simul Uno concordet cum Esse & Existere Vitæ Domini cum fuit in mundo; Esse vitæ Ipsius fuit Ipsum Divinum, nam conceptus est a Jehovah, & esse vitæ cujusvis est a quo concipitur; Existere vitæ ex illo Esse est Humanum in forma; esse vitæ cujusvis hominis, quod ei a patre, vocatur anima, & existere vitæ inde vocatur corpus; anima & corpus unum hominem constituunt; similitudo inter utrumque est sicut inter id quod est in conatu & quod est in actu inde, est enim actus conatus agens, & sic duo unum; conatus in homine vocatur voluntas, & conatus agens vocatur actio, corpus est instrumentale per quod voluntas quæ est principale agit, ac instrumentale & principale in agendo simul unum sunt; ita anima & corpus: talem ideam de anima & corpore habent Angeli in cœlo; inde sciunt, quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum ex Divino in Se quod fuit Ipsi anima ex Patre. Fides etiam recepta ubivis in Christiano orbe nec dissentit, nam illa docet; "Sicut corpus & anima sunt unus homo, ita etiam Deus & homo in Domino est unus Christus. *Quia talis unio fuit, seu tale unum in Domino, ideo non modo quoad animam, sed etiam quoad corpus, quod in mundo glorificavit, resurrexit, secus ac ullus homo: de quo etiam instruit discipulos, dicens,* "*Palpate Me & videte, nam* Spiritus carnem & ossa non habet, sicut Me videtis habere." *Inde est, quod Ecclesia agnoscat omnipræsentiam Humani Ipsius in Sacramento Cœnæ; quod non potest agnosci nisi Humanum Ipsius etiam esset Divinum. Hæc bene intellexerunt Spiritus illi, nam talia cadunt in intellectum spirituum angelicorum, & dixerunt, quod Soli Domino sit potestas in cælis, & quod Cœli sint Ipsius; ad quæ respondere datum est, quod etiam id sciat Ecclesia ex Ipsius Domini ore antequam ascendit in Cœlum; dixit enim tunc,* "Data est Mihi omnis potestas in cœlo & in terra."

10,739. *Continuatio de Quinta hac Tellure in cœlo astrifero ad finem Capitis sequentis.*

E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

DOCTRINA CHARITATIS ET FIDEI.

10,740. QUOD quisque facit ex amore, hoc manet inscriptum cordi ejus, nam amor est ignis vitæ, ita est vita cujusvis; inde qualis amor talis vita, & qualis vita, ita qualis amor, talis totus homo quoad animam & quoad corpus.

10,741. Quemadmodum amor in Dominum & amor erga proximum faciunt vitam cœli apud hominem, ita amor sui & amor mundi, quando regnant, faciunt vitam inferni apud illum; nam hi amores illis oppositi sunt; quapropter illi, apud quos amores sui & mundi regnant, nihil possunt recipere e cœlo, sed quæ recipiunt, sunt ex inferno: quicquid enim homo cogitat, & quicquid vult, seu quicquid homo credit & quicquid amat, vel e cœlo vel ex inferno est.

10,742. Inde est, quod illi, apud quos amor sui & amor mundi vitam faciunt, sibi solis bonum velint, & non aliis nisi propter se: & quia vita eorum est ex inferno, contemnunt alios præ se, irascuntur illis si non sibi favent, odio illos habent, vindicta flagrant contra illos, imo sævire cupiunt in illos: hæc tandem fiunt jucunda vitæ eorum, ita amores.

10,743. Hi sunt qui infernum in se habent, & qui post mortem in infernum veniunt, quoniam vita illorum concordat cum vita eorum qui in inferno; omnes enim ibi tales sunt: & quisque ad suos venit.

10,744. Illi quia nihil a cœlo recipiunt, corde suo negant Deum ac vitam post mortem, & inde quoque vilipendunt omnia Ecclesiæ: nihil facit si illi bonum faciant Concivi, Societati, Patriæ & Ecclesiæ, ac si bene de illis loquantur; hæc enim faciunt propter se & propter mundum, ut appareant & aucupentur famam, honores, & lucra. Hæc illis sunt vincula externa, per quæ feruntur ad faciendum bonum, ac detinentur a faciendo malum: at illis vincula interna nulla sunt, quæ sunt conscientiæ, quod non faciendum sit malum quia peccatum & contra leges Divinas.

10,745. Quapropter illi, cum in alteram vitam veniunt, quod fit

ſtatim poſt mortem, & illis auferuntur externa, ruunt in omne nefas ſecundum interiora ſua, quæ ſunt Contemtus aliorum præ ſe, Inimicitia, Odium, Vindicta, Sævitia & Crudelitas, & inſuper Hypocriſis, Fraus, Dolus, & plura quæ ſunt malitiæ: hæc ſunt illis tunc jucunda vitæ; quapropter ſeparantur a bonis, & conjiciuntur in infernum.

10,746. Quod talia illis jucunda vitæ ſint, plures non ſciunt in mundo, quoniam illa abſcondunt ſe in amoribus ſui & mundi, & tunc omnia quæ illis favent vocant bona, & quæ illa confirmant vocant vera; nec ſciunt & agnoſcunt alia bona & vera, quia nihil e cœlo, quod occluſerunt ſibi, recipiunt.

10,747. Quia amor eſt ignis vitæ, & cuique eſt vita ſecundum ejus amorem, inde ſciri poteſt, quid ignis cœleſtis, & quid ignis infernalis: ignis cœleſtis eſt amor in Dominum & amor erga proximum; & ignis infernalis eſt amor ſui & amor mundi, & inde concupiſcentia omnium malorum, quæ ex his amoribus, ut ex ſuis fontibus, ſcaturiunt.

10,748. Qualis vita illis ſit qui in inferno, concludi poteſt ex talium vita inter ſe in mundo, ſi externa vincula auferrentur, & nulla interna coercerent.

10,749. Vita hominis non mutari poteſt poſt mortem, manet tunc qualis fuerat; nec poteſt vita inferni tranſcribi in vitam cœli, quoniam oppoſitæ ſunt: inde patet, quod qui in infernum veniunt, ibi maneant in æternum; & qui in cœlum veniunt, ibi maneant in æternum.

****

CAPUT XXXVI.

1. ET fecit Bezaleel & Aholiab, & omnis vir ſapiens corde, in quibus dedit JEHOVAH ſapientiam & intelligentiam ad ſciendum facere omne opus miniſterii Sancti, quoad omne quod præcepit JEHOVAH.

2. Et vocavit Moſcheh ad Bezaleelem & ad Aholiabum, & ad omnem virum ſapientem corde, cui dedit JEHOVAH ſapientiam in corde ejus, omnem quem impulit cor ejus ad accedendum ad opus ad faciendum illud.

3. Et acceperunt a coram Moſche omnem ſublationem, quam adduxerunt filii Iſraelis ad opus miniſterii Sancti ad faciendum illud; & illi adduxerunt ad illum adhuc ſpontaneum in mane in mane.

4. Et

4. Et adduxerunt omnes ſapientes facientes omne opus Sancti, vir vir ex opere ſuo, quod illi facientes.

5. Et dixerunt ad Moſchen, dicendo, multiplicant populus ad adducendum præ ſufficientia miniſterii ad opus quod præcepit JEHOVAH ad faciendum illud.

6. Et præcepit Moſcheh, & promulgarunt vocem in caſtris, dicendo, vir & mulier ne faciant amplius opus ad ſublationem Sancti, & cohibuit populum ab adducendo.

7. Et opus fuit ſufficiens omni operi ad faciendum illud, & ſuperfluum erat.

8. Et fecerunt omnis ſapiens corde cum facientibus opus, Habitaculum decem aulæis, byſſino intertexto, & hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho; & Cherubos opus excogitatoris fecit illos.

9. Longitudo aulæi unius octo & viginti in cubito, & latitudo quatuor in cubito, aulæi unius; menſura una omnibus aulæis.

10. Et conjunxit quinque aulæa, unum ad unum; & quinque aulæa conjunxit unum ad unum.

11. Et fecit loramenta hyacinthino ſuper ora aulæi unius a fine in conjunctione, ita fecit in ora aulæi extremi in conjunctione altera.

12. Quinquaginta loramenta fecit in aulæo uno, & quinquaginta loramenta fecit in fine aulæi quod in conjunctione altera, ſuſcipientia ſe loramenta unum ad unum.

13. Et fecit quinquaginta anſulas auri, & conjunxit aulæa unum ad unum in anſulis, & fuit Habitaculum unum.

14. Et fecit aulæa caprarum tentorio ſuper Habitaculo, undecim aulæa fecit ea.

15. Longitudo aulæi unius triginta in cubito, & quatuor cubiti latitudo aulæi unius, menſura una undecim aulæis.

16. Et conjunxit quinque aulæa ſolum, & ſex aulæa ſolum.

17. Et fecit loramenta quinquaginta ſuper ora aulæi extremi in conjunctione, & quinquaginta loramenta fecit ſuper ora aulæi conjunctionis alterius.

18. Et fecit anſulas æris quinquaginta ad conjungendum tentorium ad eſſe unum.

19. Et fecit tegumentum tentorio pellibus arietum rubrorum, & tegumentum pellibus melium deſuper.

20. Et fecit aſſeres Habitaculo lignis Schittim ſtantes.

21. Decem cubiti longitudo aſſeris, & cubitus & dimidium cubiti latitudo aſſeris unius.

22. Duæ manus asseri uni connexæ una ad unam, ita fecit omnibus asseribus Habitaculi.

23. Et fecit asseres Habitaculo viginti asseres angulo meridiei austrum versus.

24. Et quadraginta bases argenti fecit sub viginti asseribus, duas bases sub assere uno duabus manibus ejus, & duas bases sub assere uno duabus manibus ejus.

25. Et lateri Habitaculi alteri ad angulum septentrionis fecit viginti asseres.

26. Et quadraginta bases eorum argento, duas bases sub assere uno, & duas bases sub assere uno.

27. Et cruribus Habitaculi versus mare fecit sex asseres.

28. Et duos asseres fecit angulis Habitaculi in cruribus.

29. Et erant geminati ab infra, & una erant integri ad caput ejus ad annulum unum, ita fecit duobus illis duobus angulis.

30. Et erant octo asseres & bases eorum argento, sedecim bases, duæ bases sub assere uno.

31. Et fecit vectes lignis Schittim quinque asseribus lateris Habitaculi primi.

32. Et quinque vectes asseribus lateris Habitaculi alterius, & quinque vectes asseribus Habitaculi cruribus versus mare.

33. Et fecit vectem medium ad transeundum in medium asserum a fine ad finem.

34. Et asseres obduxit auro, & annulos eorum fecit auro receptacula vectibus, & obduxit vectes auro.

35. Et fecit velum hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino intertexto, opere excogitatoris fecit illud Cherubis.

36. Et fecit ei quatuor columnas Schittim, & obduxit illas auro, uncos earum auro, & fudit illis quatuor bases argenti.

37. Et fecit tegumentum ostio tentorii, hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byssino intertexto, opere acupictoris.

38. Et columnas ejus quinque, & uncos illarum, & obduxit capita illarum & fascias illarum auro; & bases earum quinque ære.

CONTENTA.

10,750. QUID hæc in sensu interno significant, constat ex illis quæ prius ad Caput XXVI explicata sunt, sunt enim eadem;

eadem; quamobrem hæc, quæ in hoc Capite, absque ulteriore explicatione prætereuntur.



Continuatio de Quinta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,751. *Postea loqui datum est cum Spiritibus illis de sua Tellure; nam hoc sciunt omnes Spiritus, quando memoria eorum naturalis seu externa aperitur a Domino, hanc enim secum habent e mundo, sed non aperitur nisi ex beneplacito Domini: dicebant tunc Spiritus de tellure sua, e qua erant, quod, cum illis venia datur, appareant incolis telluris suæ, ac loquantur cum illis, sicut homines; & quod id fiat per id, quod mittantur in memoriam suam naturalem seu externam, & inde cogitationem, in quali fuerunt cum vixerunt in mundo, & quod incolis tunc aperiatur visus interior, seu visus spiritus illorum, & quod sic illis appareant: addebant, quod incolæ non aliter sciant quam quod sint homines suæ telluris, & quod tunc primum appercipiant quod non sint, quando ex oculis eorum subito auferuntur: dicebam illis, quod similiter in nostra Tellure antiquis temporibus factum fuerit, sicut cum Abrahamo, Sara, Lotho, incolis Sodomæ, Manoacho & ejus uxore, Joschua, Maria, Elisabetha, ac in genere cum Prophetis, & quod Dominus similiter apparuerit, & qui viderunt non sciverint, antequam Se revelavit, aliter quam quod homo telluris esset; sed quod hodie hoc raro fiat, ex causa ne homines per talia cogantur ad credendum, nam fides coacta, qualis est quæ intrat per miracula, non inhæret, & quoque damno foret illis apud quos fides per Verbum in statu non coacto implantari posset.*

10,752. *Prædicator, qui mecum erat, prorsus non credebat, quod aliæ Tellures darentur quam nostra, ex causa quia cogitaverat in mundo, quod Dominus solum in hac Tellure natus sit, & absque Domino nulla salus; quapropter redactus est in similem statum, in quem spiritus quando apparent in Tellure sua sicut homines, de quo mox supra, & sic missus in Tellurem illam, ut non modo videret eam, sed etiam loqueretur cum incolis ibi; quo facto, dabatur etiam communicatio inde mecum, ut similiter viderem incolas, & quoque aliqua super Tellure illa. Spiritus & Angeli loqui possunt cum hominibus cujuscunque linguæ, cadit enim cogitatio eorum in ideas hominum, & sic in voces loquelæ eorum.*

10,753. *Appa-*

10,753. *Apparebant tunc quatuor genera hominum, sed unum genus post alterum successive, primo visi sunt homines vestiti; dein nudi colore humano carneo; postea nudi sed corpore inflammato; & demum nigri.*

10,754. *Cum Prædicator erat apud illos qui vestiti, apparebat fœmina perquam bella facie, induta veste simplici, tunica pendente a tergo decenter, & quoque inducta super brachia, tegumentum capitis pulchrum erat, in forma serti ex floribus; Prædicator, visa illa virgine delectabatur valde, & loquebatur cum illa, & quoque prehendebat ejus manum; sed quia illa appercipiebat quod spiritus esset, & non ex illa tellure, proripiebat se ab illo. Postea apparebant ei a dextro plures aliæ fœminæ, quæ pascebant oves & agnos, quos tunc ducebant ad canalem potatorium in quem aqua deducta erat per fossulam ex aliquo lacu; illæ similiter vestitæ erant, manibus tenentes baculos pastoritios, per quos ducebant oves & agnos ad potum: dicebant quod oves illuc vadant quo baculis suis ostendunt; oves quæ visæ erant grandes caudis lanigeris, latis & protensis: facies fœminarum visæ sunt propius, erant plenæ & pulchræ. Viri etiam visi sunt, eorum facies erant colore humano carneo, sicut in nostra Tellure; sed cum differentia, quod inferior pars faciei eorum, loco barbæ, esset nigra; & nasus plus niveo colore quam carneo.*

10,755. *Postea Prædicator perducebatur ulterius, sed invito, quia adhuc in cogitatione illius fœminæ, qua delectabatur, erat, quod patebat ex eo, quod usque aliquid umbræ ex illo appareret in priori loco: veniebat tunc ad illos qui nudi erant: hi visi sunt bini & bini ambulantes una, erant maritus & uxor, cincti velamine circum lumbos, ac quodam tegmine circum caput. Prædicator, cum apud hos erat, perducebatur in statum, in quo fuit in mundo cum vellet prædicare, & tunc dixit, quod coram illis vellet prædicare Dominum crucifixum, sed dicebant, quod non vellent audire tale, quia nesciunt quid hoc, & quod sciant quod Dominus vivat; ajebat tunc, quod prædicare vellet Dominum vivum, sed hoc quoque recusabant, dicentes quod apperciperent in loquela ejus non cæleste sed terrestre, quia multum propter se, sui famam & honorem; & quod audiant ex ipso sono loquelæ num ex corde sit, vel num solum ex ore; & quia talis, quod non docere eos posset; quapropter tacebat; fuerat in mundo, cum vixit, maxime patheticus, sic ut perquam movere potuerit auditores ad sanctum, sed patheticum illud fuerat arte acquisitum, ita a se & mundo, & non e cælo.*

10,756. *Dicebant porro quod perceptionem habeant, num conjugiale sit apud illos ex sua gente qui nudi sunt; & ostendebatur quod id per-*

cipiant

cipiant ex idea spirituali de Conjugio, quæ mecum communicata erat talis, ut similitudo interiorum esset formata per conjunctionem veri & boni, ita fidei & amoris, & quod ex illa conjunctione descendente in corpus existat amor conjugialis; nam omnia quæ animi sunt, sistuntur in aliqua specie naturali in corpore, ita in specie amoris conjugialis, cum interiora duorum se mutuo amant, & quoque ex amore illo desiderant velle & cogitare unus sicut alter, ita quoad interiora quæ mentis, simul esse & conjungi: inde affectio spiritualis, quæ mentium, fit naturalis in corpore, ac induit se sensu amoris conjugialis. Dicebant etiam quod prorsus non conjugiale detur inter unum virum & plures uxores.

10,757. *Deinde veniebat Prædicator ad illos qui quoque nudi, sed corpore inflammato erant: & ultimo ad illos qui nigri, quorum aliqui erant nudi, aliqui vestiti: sed hi & illi alibi in eadem Tellure habitabant.*

10,758. *Demum loquutus sum cum spiritibus illius Telluris de fide incolarum nostræ telluris de resurrectione, quod non possint concipere, quod homines statim post mortem in alteram vitam veniant, & tunc appareant ut homines quoad faciem, corpus, brachia, pedes, & quoad omnes sensus externos & internos; & adhuc minus, quod vestibus sint induti; & quod mansiones & habitacula illis sint; & hoc solum ex causa, quia plerique ibi ex sensualibus, quæ sunt corporis, cogitant, ac ideo credunt nihil esse quæ non vident & tangunt; tum quia pauci eorum subduci a sensualibus externis queunt ad interiora, & sic elevari in lucem cæli: inde est, quod non de anima seu spiritu suo aliquam ideam hominis habere possint, sed ideam sicut de vento, aere aut pneumate nullius formæ, in quo tamen aliquid vitale: hæc causa est, quod non credant se resurrecturos quam in fine mundi, quem ultimum judicium vocant, & tunc quod corpus, tametsi collapsum in pulverem & dissipatum in omnes ventos, reducendum sit & conjungendum animæ suæ seu spiritui suo: addebam, quod hoc permittatur illis credere, quoniam non aliter capere possunt, quia solum ex sensualibus, ut dictum est, cogitant, quam quod anima seu spiritus ejus non vivere homo & in humana forma possit, nisi recipiat id corpus quod circumtulit in mundo; quare nisi diceretur id resurgere, doctrinam de resurrectione & de vita æterna, ut incomprehensibilem, corde rejicerent: sed usque hæc idea de Resurrectione secum id utile habet, quod credant vitam post mortem; ex qua fide sequitur, quod cum jacent ægroti in lecto, & non ex mundanis & corporeis, ita non ex sensualibus, ut prius, cogitant, tunc credant se statim post obitum victuros; loquuntur etiam tunc de cælo, ac de spe vitæ ibi statim post*

mortem remotive a doctrinali de ultimo judicio; narrabam porro, quod aliquoties miratus sim, quod, quando illi qui in fide sunt, loquuntur de vita post mortem, deque suis qui obeunt vel obiverunt, & tunc non simul cogitant de ultimo judicio, credant illos victuros aut vivere homines statim post obitum; sed hæc idea, ut primum influit cogitatio de ultimo judicio, mutatur in ideam materialem de terrestri suo corpore, quod iterum conjungendum suæ animæ sit: nesciunt enim, quod unusquisque homo sit spiritus quoad interiora sua, & quod ille sit qui vivit in corpore, & non corpus ex se; & quod spiritus cujusvis sit, ex quo corpus formam suam humanam habet, consequenter qui principaliter homo est, & in simili forma, sed invisibili coram oculis corporis, at visibili coram oculis spirituum; inde etiam cum aperitur visus spiritus hominis, quod fit per remotionem visus corporis, apparent angeli; ita ut homines angeli apparuerunt antiquis, de quibus in Verbo. Loquutus etiam sum aliquoties cum Spiritibus, quos, cum vixerunt homines in mundo, novi, quærendo, num velint reindui terrestri suo corpore, sicut cogitaverunt prius, quo audito ad solam ideam conjunctionis ejus longe aufugerunt, perculsi stupore, quod in mundo ex cæca fide absque omni intellectu ita cogitaverint.

10,759. *Continuatio de Quinta Tellure in cælo astrifero ad finem Capitis sequentis.*



E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,760. QUOD apud hominem facit cœlum, hoc etiam facit Ecclesiam, nam Ecclesia est Cœlum Domini in terris; inde ex illis quæ de Cœlo prius dicta sunt, patet quid Ecclesia.

10,761. Ecclesia dicitur ubi Dominus agnoscitur, & ubi Verbum est; nam essentialia Ecclesiæ sunt amor & fides in Dominum a Domino, & Verbum docet quomodo homo victurus est ut amorem & fidem recipiat a Domino.

10,762. Ecclesia Domini est Interna & Externa, Interna apud illos qui ex amore faciunt præcepta Domini, nam hi sunt qui amant Dominum; Externa apud illos qui ex fide faciunt præcepta Domini, nam hi sunt qui credunt in Dominum.

10,763. Ut Ecclesia sit, erit Doctrina ex Verbo, quoniam absque doctrina non intelligitur Verbum; sed sola doctrina in homine non facit Ecclesiam in illo, verum vita secundum illam; inde sequitur, quod non sola fides faciat Ecclesiam, sed vita fidei quæ est Charitas.

10,764. Genuina doctrina Ecclesiæ est doctrina charitatis & simul fidei, & non doctrina fidei absque illa; nam doctrina charitatis & simul fidei est doctrina vitæ, non autem doctrina fidei absque doctrina charitatis.

10,765. Qui extra Ecclesiam sunt, & usque agnoscunt unum Deum, & secundum religiosum suum in quadam Charitate erga proximum vivunt, in communione sunt cum illis qui ab Ecclesia; quoniam nemo qui credit in Deum & bene vivit, damnatur: inde patet, quod Ecclesia Domini sit ubivis in universo orbe, tametsi in specie ubi Dominus agnoscitur, & ubi Verbum est.

10,766. Omnis, apud quem Ecclesia est, salvatur; at omnis, apud quem non Ecclesia est, condemnatur.



CAPUT XXXVII.

1. ET fecit Bezaleel Arcam lignis Schittim, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, & cubitus & dimidius latitudo ejus, & cubitus & dimidius altitudo ejus.

2. Et obduxit eam auro puro ab intra & ab extra, & fecit ei limbum auri circumcirca.

3. Et fudit illi quatuor annulos auri super quatuor angulis ejus; & duo annuli super costa ejus una, & duo annuli super costa ejus altera.

4. Et fecit vectes lignis Schittim, & obduxit illos auro.

5. Et induxit vectes in annulos super costis arcæ ad portandum arcam.

6. Et fecit Propitiatorium auro puro, duo cubiti & dimidius longitudo ejus, & cubitus & dimidius latitudo ejus.

7. Et fecit duos Cherubos auro, solidum fecit illos a duabus extremitatibus Propitiatorii.

8. Cherubus unus ab extremitate hinc, & Cherubus unus ab extremitate illinc; ex Propitiatorio fecit Cherubos a duabus extremitatibus ejus.

9. Et erant Cherubi expandentes alas sursum, protegentes alis suis super Propitiatorium, & facies illorum vir ad fratrem suum, ad Propitiatorium erant facies Cheruborum.

10. Et fecit Mensam lignis Schittim, duo cubiti longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, & cubitus & dimidius altitudo ejus.

11. Et obduxit illam auro puro, & fecit illi limbum auri circumcirca,

12. Et fecit illi clausuram palmi circumcirca, & fecit limbum auri clausuræ ejus circumcirca.

13. Et fudit illi quatuor annulos auri, & dedit annulos super quatuor angulis, qui quatuor pedibus ejus.

14. E regione clausuræ erant annuli receptacula vectibus ad portandum mensam.

15. Et fecit vectes lignis Schittim, & obduxit illos auro ad portandum mensam.

16. Et fecit vasa quæ super mensa, scutulas ejus, & acetabula ejus,

&

& ſcutellas ejus, & ſcopulas ejus, quibus integeretur, auro puro.

17. Et fecit Candelabrum auro puro, ſolidum fecit Candelabrum, Crus ejus, & Calamus ejus, Schyphi ejus, malogranata ejus, & flores ejus, ab eo erant.

18. Et ſex calami exeuntes ex lateribus ejus; tres calami Candelabri e latere ejus uno, & tres calami Candelabri e latere ejus altero.

19. Tres Schyphi amygdalati in calamo uno, malogranatum & flos; & tres ſchyphi amygdalati exeuntes e calamo uno, malogranatum & flos; ita ſex calamis exeuntibus e Candelabro.

20. Et in Candelabro quatuor ſcyphi amygdalati, malogranata ejus & flores ejus.

21. Et malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, & malogranatum ſub duobus calamis ex eo, ſex calamis exeuntibus ex eo.

22. Malogranata illorum & calami illorum ex eo erant, totum illud ſolidum unum auro puro.

23. Et fecit lucernas ejus ſeptem, & forcipes ejus & trullas ejus, auro auro.

24. Talento auri fecit illud, & omnia vaſa ejus.

25. At fecit Altare ſuffitus lignis Schittim, cubitus longitudo ejus, & cubitus latitudo ejus, quadratum, & duo cubiti altitudo ejus; ex eo erant cornua ejus.

26. Et obduxit illud auro puro, tectum ejus, & parietes ejus circumcirca, & cornua ejus, & fecit ei limbum auri circumcirca.

27. Et duos annulos auri fecit ei deſub limbo ejus ſuper duabus coſtis ejus, ſuper duobus lateribus ejus, ad receptacula vectibus, ad portandum id in illis.

28. Ei fecit Vectes lignis Schittim, & obduxit illos auro.

29. Et fecit Oleum unctionis ſanctum, & ſuffimentum aromatum purum opere aromatarii.

CONTENTA.

10,767. QUoniam in hoc Capite agitur de Arca, de Candelabro, & de Altari ſuffitus, & deſcriptio illorum hic ſimilis eſt ut prius in Capite xxv, ubi omnia & ſingula quoad ſenſum internum explicata ſunt, ideo hæc abſque ulteriore explicatione prætereuntur.

Conti-

Continuatio de Quinta Tellure in Cœlo Aſtrifero.

10,768. *PRæter illa quæ dicta ſunt, etiam viſa ſunt aliqua in ipſa illa Tellure, quod factum eſt per communicationem cum angelis qui ibi erant & apparebant ſicut homines telluris, nam illi, quum eo modo, quo ſupra dictum eſt, ſiſtuntur ut homines, oculis ſuis vident objecta ibi prorſus ſicut incolæ; at cum non in illo ſtatu ſunt, tunc nihil tale vident, ſed modo quæ in cœlo.*

10,769. *Viſa ſunt eorum habitacula, quæ erant domus humiles in forma tentoriorum quæ apud antiquos, in longum productæ, cum feneſtris a lateribus ſecundum numerum manſionum ſeu camerarum, in quas erant diviſæ; tectum erat rotundum, & janua utrinque in extremitate; dicebant quod exſtructæ eſſent ex humo, & tectæ ceſpitibus, & quod feneſtræ ex filis gramineis eſſent, ita contextæ ut lux tranſpareret. Infantes quoque ibi viſi ſunt, dicebant quod vicini ad illos veniant, imprimis propter infantes, ut in conſortio ſint cum infantibus aliis ſub aſpectu & auſpicio parentum.*

10,770. *Apparebant etiam agri tunc albeſcentes ex meſſe pæne matura; oſtenſa ſunt ſemina ſeu grana iſtius meſſis, quæ ſimilia erant granis tritici Chinenſis; oſtenſi etiam ſunt panes ex illis, qui parvi in fruſtis quadratis. Præterea etiam apparebant campi graminei cum floribus ibi; & quoque arbores cum fructibus, qui ſimiles malogranatis; tum arbuſta, quæ non vites, ſed uſque ferentia baccas, ex quibus vinum præparant.*

10,771. *Sol ibi, qui nobis ſtella, apparet ibi flammeo colore, magnitudine fere quartæ partis noſtri Solis; annus illis eſt 200 dierum circiter; ac dies 15 horarum reſpective ad tempus dierum in noſtra Tellure: ipſa Tellus inter minimas eſt in Cœlo Aſtrifero, vix 500 milliarium Germanicorum in circumferentia: hæc dixerunt Angeli ex comparatione facta cum talibus in noſtra tellure, quæ in me ſeu in mea memoria videbant; concludebant illa per ideas angelicas, per quas illico ſciuntur menſuræ ſpatiorum & temporum in juſta ratione reſpective ad ſpatia & tempora alibi; ideæ angelicæ, quæ ſpirituales, in talibus immenſum excedunt ideas humanas, quæ naturales.*

10,772. *De Sexta Tellure in Cœlo Aſtrifero ad finem Capitis ſequentis.*

E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,773. Regimen Domini in cœlis & in terris vocatur Providentia; & quia omne bonum quod amoris & omne verum quod fidei est ab Ipso, & prorsus nihil ab homine, inde patet quod Divina Providentia Domini sit in omnibus & singulis quæ ad salutem Generis humani conducunt: hoc ita docet Dominus apud Johannem, "*Ego sum Via, Veritas, & Vita,*" xiv : 6: & alibi, "*Quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso, nisi manserit in vite, ita vos nisi in Me manseritis: sine Me non potestis facere quicquam,*" xv : 4. 5.

10,774. Præterea Providentia Divina Domini est quoad singularissima vitæ hominis, nam non est nisi quam unicus vitæ fons, qui est Dominus, a Quo sumus, vivimus, & agimus.

10,775. Qui ex mundanis cogitant de Providentia Divina, concludunt ex illis, quod illa sit modo universalis, & quod singularia sint apud hominem; sed illi non sciunt arcana cœli; concludunt enim solum ex amoribus sui & mundi & eorum voluptatibus; quare cum vident malos efferri ad honores & lucrari opes præ bonis, & quoque malis succedere secundum artes, corde suo dicunt, quod non ita fieret si Divina Providentia esset in omnibus & singulis; sed illi non considerant, quod Providentia Divina non spectet id quod brevi transit, & finem cum vita hominis in mundo habet, sed quod spectet id quod in æternum manet, ita quod non finem habet: quod non finem habet, id Est, quod autem finem habet, id respective non Est.

10,776. Qui rite expendit, scire potest quod Eminentia & Opulentia in mundo non sint reales Benedictiones Divinæ, tametsi homo ex suo volupi illas ita vocat, transeunt enim; & quoque seducunt multos, & avertunt a cœlo; sed quod Vita in Cœlo ac felicitas ibi sint reales Benedictiones quæ a Divino, hæc etiam docet Dominus apud Lucam, "*Facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non pervenit, neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus vester, ibi etiam Cor vestrum erit,*" xii : 33. 34.

10,777. Quod ſuccedat malis ſecundum artes, eſt cauſa quia ex ordine eſt ut quiſque ex ratione agat, quod agit, & quoque ex libero, quapropter niſi relictum foret homini agere ſecundum ejus rationem ex libero, & ſic quoque niſi artes, quæ inde ſunt, ſuccederent, homo nullatenus poſſet diſponi ad recipiendum vitam æternam, hæc enim inſinuatur cum homo eſt in libero & ratio ejus illuſtratur: nemo namque cogi poteſt ad bonum, quia omne coactum non inhæret, non enim eſt ipſius; id ipſius hominis fit quod ex libero fit, nam ex libero fit quod ex voluntate, & voluntas eſt ipſe homo: quapropter niſi homo teneatur in libero etiam facere malum, non ei provideri poteſt bonum a Domino.

10,778. Relinquere homini ex ſuo libero etiam facere malum, vocatur permittere.

10,779. Duci ad felicia in mundo per artes, apparet homini ſicut quod ſit ex propria prudentia, ſed uſque jugiter comitatur Divina Providentia permittendo & continue abducendo a malo: at duci ad felicia in Cœlo, ſcitur & percipitur quod non ſit ex propria prudentia, quia ex Domino, & fit ex Divina Ipſius Providentia diſponendo & continue ducendo ad bonum.

10,780. Quod ita ſit, homo non capere poteſt ex naturæ lumine, nam ex illo non ſcit leges ordinis Divini.

10,781. Sciendum eſt, quod ſit Providentia & Prævidentia, bonum eſt quod a Domino Providetur, malum autem eſt quod a Domino Prævidetur; una cum altera erit, nam quod ab homine venit non eſt niſi quam malum, at quod a Domino non eſt niſi quam bonum.



CAPUT XXXVIII.

1. ET fecit Altare holocauſti lignis Schittim, quinque cubiti longitudo ejus, & quinque cubiti latitudo ejus, quadratum, & tres cubiti altitudo ejus.

2. Et fecit Cornua ejus ſuper quatuor angulis ejus; ex eo erant cornua ejus; & obduxit illud ære.

3. Et fecit omnia vaſa Altaris, lebetes & palas & crateres & fuſcinulas & forcipes, omnia vaſa ejus fecit ære.

4. Et fecit Altari cribrum, opus retis ære, ſub ambitu ejus deorſum uſque ad dimidium ejus.

5. Et fudit quatuor annulos in quatuor extremitatibus cribro æris, receptacula vectibus.

6. Et fecit vectes lignis Schittim, & obduxit illos ære.

7. Et induxit vectes in annulos super costis altaris ad portandum illud in illis; cavum tabulatum fecit illud.

8. Et fecit labrum æris, & basin ejus ære in aspectus ministrantium, quæ ministrabant ostio Tentorii conventus.

9. Et fecit Atrium ad angulum meridiei austrum versus; tapetes Atrii byssino contexto, centum in cubito.

10. Columnas illorum viginti, & bases harum viginti ære, uncos columnarum & cincturas earum argento.

11. Et ad angulum septentrionis centum in cubito, columnas illorum viginti, & bases harum viginti ære, uncos columnarum & cincturas earum argento.

12. Et ad angulum maris tapetes quinquaginta in cubito, columnas illorum decem, & bases harum decem, uncos columnarum & cincturas earum argento.

13. Et ad angulum orientis ortum versus quinquaginta cubito.

14. Tapetes quindecim cubito ad humerum, columnas illorum tres, & bases harum tres.

15. Et ad humerum alterum hinc & illinc, ad portam Atrii tapetes quindecim cubito, columnas illorum tres, & bases harum tres.

16. Omnes tapetes Atrii circumcirca byssino contexto.

17. Et bases illorum columnis ære, unci columnarum, & cincturæ harum argento, & obtecta capita illarum argento, & illæ cincturis argenti præditæ, omnes columnæ Atrii.

18. Et tegumentum portæ Atrii opere acupictoris, hyacinthino & purpura & coccineo dibapho & byssino contexto, & viginti cubiti longitudo, & altitudo in latitudine quinque cubiti e regione tapetum Atrii.

19. Et columnæ illorum quatuor, & bases harum quatuor ære; unci illorum argento, & obducta capita earum & cincturæ earum argento.

20. Et omnes clavi Habitaculo & Atrio circumcirca ære.

21. Hæc numerata Habitaculi, Habitaculi Testimonii, quod numeratum super ore Moschis, ministerio Levitarum, manu Ithamaris filii Aharonis sacerdotis.

22. Et Bezaleel filius Uri filii Churi tribui Jehudæ, fecit omnia quæ præcepit JEHOVAH Moschi.

23. Et cum eo Aholiab filius Achisamachi tribui Dan, artifex & excogitator & acupictor in hyacinthino, & in purpura, & in coccineo dibapho, & in byssino.

24. Omne aurum factum operi in omni opere Sancti, & erat aurum agitationis novem & viginti talenta, & septingenti & triginta sicli in siclo Sancti.

25. Et argentum numeratorum cætus centum talenta, & mille & septingenti, & quinque & septuaginta sicli in siclo Sancti.

26. Didrachma capiti dimidium sicli in siclo Sancti omni transeunti super numeratos a filio viginti annorum & supra, sexcentis millibus & tribus millibus & quinquagentis & quinquaginta.

27. Et fuit, centum talenta argenti ad fundendum bases Sancti, & bases veli, centum bases centum talentis, talentum basi.

28. Et mille & septingentis & quinque & septuaginta fecit uncos columnis, & obduxit capita illarum, & cincturis ornavit illa.

29. Et æs agitationis septuaginta talenta, & bis mille & quadringenti sicli.

30. Et fecit illo bases ostii Tentorii conventus, & Altare æris, & Cribrum æris quod illi, & omnia vasa Altaris.

31. Et bases Atrii circumcirca, & bases portæ Atrii, & omnes clavos Habitaculi, & omnes clavos Atrii circumcirca.

CONTENTA.

10,782. QUIA in hoc Capite agitur de Altari holocausti, & de Atrio Tentorii conventus, & eadem similiter descripta sunt prius in Cap: XXVII, & ibi explicata, ideo quoque hæc absque ulteriore explicatione quoad sensum internum præteriuntur.



De Sexta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,783. *Ductus sum iterum ad aliam Tellurem, quæ extra Mundum nostrum solarem in universo erat, & hoc quoque per mutationes status pæne duodecim horis continuatas; in comitatu mecum erant spiritus & angeli ex nostra Tellure plures, cum quibus in via seu progressione illa loquebar; ferebar nunc oblique sursum & nunc oblique*

deorsum;

deorſum; continue verſus meridiem; modo in duobus locis videbam ſpiritus, & in uno cum illis loquebar.

10,784. *In via ſeu progreſſione illa obſervare dabatur, quam immenſum eſſet Cœlum Domini quod pro angelis; ex non habitatis enim concludere dabatur, quod tam immenſum eſſet, ut ſi darentur plures myriades Tellurum, & in qualibet tanta multitudo hominum quanta in noſtra, quod uſque locus foret pro illis in æternum, & nuſquam impleretur: hoc concludere potui ex comparatione facta cum extenſione cæli quod circum noſtram tellurem, & pro illa.*

10,785. *Cum Spiritus angelici, qui ab illa Tellure, venerunt in conſpectum, alloquebantur nos, quærentes quinam eſſemus, & quid vellemus, dicebamus quod peregrinationis cauſa, & quod illuc delati, & ne timeant a nobis; timebant enim quod eſſemus ex illis, qui perturbant eos de Deo, de fide, & de ſimilibus, propter quos in illam plagam telluris ſuæ ſe contulerunt, fugientes eos quocunque poſſent; interrogati per quæ perturbant, reſpondebant per ideam Trium & per ideam Divini abſque Humano in Deo, cum tamen ſciunt & percipiunt quod Deus ſit unus, & quod ſit Homo; perceptum tunc, quod illi qui perturbarunt eos, & quos fugerunt, fuerint ex noſtra Tellure; tum etiam ex eo, quod ex noſtra Tellure ſint qui ita circumvagantur in altera vita, ex ſtudio & jucundo peregrinationis quod contraxerunt in mundo, in aliis enim telluribus non tales peregrinationes ſunt; compertum dein eſt, quod eſſent Monachi, qui ex ſtudio convertendi gentes in noſtro orbe peregrinati ſunt: quapropter dicebamus illis, quod bene faciant quod fugiant illos, quia intentio illorum non eſt docere, ſed lucrari & dominari; & quod per varia primum captare animos ſtudeant, ſed dein ſubjicere illos ſibi ſicut ſervos: Præterea quod bene faciant, quod non patiantur ideam ſuam de Domino a talibus perturbari.*

10,786. *Porro ajebant, quod etiam confundant illos per id, quod dicant ſe oportere fidem habere ac credere quæ dicunt, & quod reſpondeant illis, quod non ſciant quid fides, ſeu quid ſit credere, quum in ſe percipiunt quod ita ſit; erant enim ex Regno Cœleſti Domini, ubi omnes ex interiore perceptione ſciunt vera, quæ apud nos vocantur fidei, ſunt enim in illuſtratione a Domino, ſecus ac illi qui in Regno Domini ſpirituali ſunt: quod illi tales eſſent, videre etiam dabatur ex flammeo ex quo ideæ eorum: qui e Regno cæleſti Domini ſunt, illi cum ſermo eſt de veris, non plus dicunt quam ita, ita, vel non, non, & nuſquam ratiocinantur de illis num ita ſit vel non ita ſit; illi ſunt, de quibus Dominus dicit,* "Sermo veſter erit ita ita, non non, quod ultra eſt ex malo

est;" *inde est, quod spiritus illi dixerint, quod non sciant quid sit fidem habere seu credere; considerant hoc, sicut si aliquis diceret ad socium, qui oculis suis videt domos aut arbores, quod fidem habere debeat seu credere quod sint domus ac arbores, cum clare videt quod ita sit; tales sunt qui e regno cœlesti Domini sunt, & tales erant hi spiritus angelici. Dicebamus illis, quod pauci in nostra Tellure sint qui interiorem perceptionem habent, ex causa quia in juventute sua discunt vera & non faciunt illa; sunt enim binæ facultates homini, quæ vocantur Intellectus & Voluntas, qui non ultra quam in memoriam & inde aliquantum in Intellectum admittunt vera, & non in vitam, hoc est in voluntatem, illi quia in nulla illustratione aut in interiori visu a Domino possunt esse, dicunt, quod credenda sint seu quod fides habenda, & quoque ratiocinantur de illis num vera sint vel non, imo nec volunt ut percipiantur aliquo visu interiori seu intellectu; ita dicunt, quia vera apud illos sunt absque luce e cœlo, & illis, qui absque luce e cœlo vident, falsa possunt apparere ut vera, ac vera ut falsa; inde plures ibi tanta occupavit cæcitas, ut tametsi homo non faciat vera seu vivat secundum illa, usque dicant eum per solam fidem posse salvari.*

10,787. *Postea loquebamur cum illis de Domino, de amore in Ipsum, de amore erga proximum, deque regeneratione; quod amare Dominum, sit amare præcepta quæ ab Ipso, quod est, ex amore vivere secundum illa: quod amor erga proximum sit velle bonum & inde facere bonum concivi, patriæ, Ecclesiæ, Regno Domini, non propter se ut videatur vel ut mereatur, sed ex affectione boni: de regeneratione, quod illi qui regenerantur a Domino, & immittunt vera illico in vitam, in interiorem perceptionem de illis veniant; at quod illi qui recipiunt vera primum in memoria, & dein in intellectu, & demum in voluntate sint qui in fide sunt, nam ex fide, quæ tunc vocatur conscientia, agunt. Hæc dixerunt se percipere quod ita sit, proinde etiam quid fides.*

10,788. *Continuatio de Sexta hac Tellure in Cœlo Astrifero ad finem Capitis sequentis.*



E X O D I

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,789. SUNT duo quæ apud homines in ordine erunt, nempe quæ Cœli sunt, & quæ Mundi: illa quæ Cœli sunt, vocantur Ecclesiastica, quæ Mundi sunt, vocantur Civilia.

10,790. Ordo non potest teneri in mundo absque Præfectis, qui observaturi omnia quæ secundum ordinem, & quæ contra ordinem fiunt; & qui remuneraturi illos qui secundum ordinem vivunt, & punituri illos qui contra ordinem.

10,791. Si id non fit, peribit Genus humanum; nam cuivis ex hæreditario connatum est velle imperare aliis, ac possidere bona aliorum, unde inimicitiæ, invidiæ, odia, vindictæ, doli, sævitiæ, & plura alia mala; quapropter nisi in vinculis teneantur per Leges, & per remunerationes convenientes amoribus eorum, quæ sunt honores & lucra pro illis qui bona faciunt; ac per punitiones contrarias amoribus illis, quæ sunt jacturæ honorum, possessionum & vitæ, pro illis qui mala faciunt, periturum esset genus humanum.

10,792. Erunt itaque Præfecti, qui Cœtus hominum tenebunt in ordine, qui legisperiti, sapientes, & timentes Deum: inter Præfectos etiam erit ordo, ne aliquis ex lubitu aut inscitia permittat mala contra ordinem, & sic destruat illum; quod cavetur cum Præfecti superiores & inferiores sunt, inter quos subordinatio.

10,793. Præfecti super illa apud homines quæ Cœli sunt, seu super Ecclesiastica, vocantur Sacerdotes, ac munus eorum Sacerdotium. Præfecti autem super illa apud homines quæ Mundi sunt, seu super Civilia, vocantur Magistratus, ac summus eorum, ubi talia imperia sunt, Rex.

10,794. Quod concernit Sacerdotes, docebunt illi homines viam ad Cœlum, & quoque ducent illos; docebunt illos secundum Ecclesiæ suæ doctrinam, ac ducent ut vivant secundum illam. Sacerdotes, qui docent vera, & per illa ducunt ad bonum vitæ, & sic ad Dominum, sunt Pastores ovium boni; qui autem docent, & non ducunt

ad bonum vitæ, & ſic ad Dominum, ſunt Paſtores mali; hi a Domino vocantur fures & latrones, apud Johannem Capit: x: Verſ: 7 ad 16.

10,795. Sacerdotes non ſibi aliquam poteſtatem ſuper animas hominum vindicabunt, quia non ſciunt in quo ſtatu ſunt interiora hominis; minus ſibi vindicabunt poteſtatem aperiendi & claudendi cœlum, quoniam ea poteſtas eſt ſolius Domini.

10,796. Sacerdotibus erit dignitas & honor propter Sancta quæ obeunt; ſed qui eorum ſapiunt, dant honorem Domino, a Quo Sancta, & non ſibi; qui autem eorum non ſapiunt, tribuunt honorem ſibi; hi illum adimunt Domino. Qui honorem tribuunt ſibi propter Sancta quæ obeunt, illi præferunt honorem & lucrum ſaluti animarum, cui conſulent; qui autem honorem dant Domino & non ſibi, illi præferunt ſalutem animarum honori & lucro.

10,797. Nullus honor alicujus functionis in perſona eſt, ſed ei adjungitur ſecundum dignitatem rei quam adminiſtrat, & quod adjungitur hoc a perſona ſeparatum eſt, & quoque ſeparatur cum functione: honor in perſona eſt honor ſapientiæ ac timoris Domini.

10,798. Sacerdotes populum docebunt, ac ducent per vera ad bonum vitæ, ſed uſque nullum cogent, quoniam nullus cogi poteſt ad credendum contra id quod cogitavit ex corde eſſe verum; qui aliter credit, quam ſacerdos, & non turbas facit, relinquetur in pace, at qui turbas facit, ſeparabitur; nam hoc etiam eſt ordinis, propter quem ſacerdotium.

10,799. Sicut Sacerdotes præfecti ſunt ad adminiſtrandum illa quæ Legis Divinæ & Cultus ſunt, ita Reges & Magiſtratus ad adminiſtrandum illa quæ Legis Civilis ac Judicii ſunt.

10,800. Quia Rex non ſolus poteſt adminiſtrare omnia, ideo ſunt Præfecti ſub illo, quorum unicuivis data eſt provincia adminiſtrandi quod Rex non poteſt & valet; hi præfecti ſimul ſumti conſtituunt Regium, ſed ipſe Rex eſt ſummus.

10,801. Ipſum Regium non eſt in perſona, ſed adjunctum eſt perſonæ; Rex qui credit quod Regium ſit in ſua perſona, & præfectus qui credit quod præfecturæ dignitas ſit in ſua perſona, non ſapit.

10,802. Regium conſiſtit in adminiſtrando ſecundum leges Regni, & in judicando ſecundum illas ex juſto: Rex qui ſpectat leges ſupra ſe, conſequenter ſe infra illas, is ſapit: qui autem ſpectat ſe ſupra leges, conſequenter leges infra ſe, is non ſapit.

10,803. Rex, qui ſpectat leges ſupra ſe, & ſic ſe infra illas, is

Regium

Regium ponit in Lege, & Lex dominatur super illum, scit enim quod Lex sit Justitia, & omnis Justitia quæ Justitia est Divina: qui autem spectat leges infra se, & sic se supra illas, is Regium ponit in se, & credit se vel esse Legem, vel Legem quæ Justitia esse a se, inde, quod Divinum est, sibi arrogat, sub quo tamen erit.

10,804. Lex quæ Justitia a Legisperitis sapientibus & timentibus Deum in Regno ferenda est, secundum quam dein & Rex & subditi vivent: Rex qui secundum Legem quæ Justitia vivit, & in eo præcedit subditis exemplo, is vere Rex est.

10,805. Rex, cui absoluta potestas, qui credit quod subditi ejus tales servi sint, ut jus habeat in eorum vitas & possessiones, & si id exercet, non Rex est, sed tyrannus.

10,806. Regi erit obedientia secundum leges Regni, nec factis & dictis ullo modo lædendus, inde enim pendet securitas publica.



CAPUT XXXIX.

1. ET ex hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, fecerunt vestes ministerii ad ministrandum in Sancto; & fecerunt vestes sanctitatis quæ Aharoni; quemadmodum præcepit JEHOVAH Moschi.

2. Et fecit Ephodum auro, hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, & byssino intertexto.

3. Et expanderunt laminas auri, & concidit fila ad faciendum in medio hyacinthini, & in medio purpuræ, & in medio coccinei dibaphi, & in medio byssini, opere excogitatoris.

4. Humeralia fecerunt illi connexa, super duabus extremitatibus ejus connexum.

5. Et cingulum Ephodi ejus quod super illo, ex eo id secundum opus ejus, ex auro, hyacinthino & purpura, & coccineo dibapho, & byssino intertexto, quemadmodum præcepit JEHOVAH Moschi.

6. Et fecerunt lapides schoham circumdatos fundis auri sculptis sculpturis sigilli super nominibus filiorum Israelis.

7. Et posuit illos super humeralibus Ephodi, lapides recordationis filiis Israelis, quemadmodum præcepit JEHOVAH Moschi.

8. Et fecit Pectorale opere excogitatoris secundum opus Ephodi, auro, hyacinthino, & purpura, & coccineo dibapho, & byssino intertexto.

9. Quadratum erat, duplicatum fecerunt Pectorale, ſpithama longitudo ejus, & ſpithama latitudo ejus, duplicatum.

10. Et repleverunt in eo quatuor ordines lapidum; ordo, Rubinus, Topazius, & Carbunculus, ordo primus.

11. Et ordo ſecundus, Chryſopraſus, Sapphirus, & Adamas.

12. Et ordo tertius, Cyanus, Achates, & Amethyſtus.

13. Et ordo quartus, Tharſchiſh, Schoham & Jaſpis; circumdati fundis auri in oppleturis eorum.

14. Et lapides ſuper nominibus filiorum Iſraelis illi duodecim, ſuper nominibus illorum ſculpturis ſigilli, quilibet ſuper nomine ejus duodecim tribubus.

15. Et fecerunt ſuper Pectorali catenulas termini opere funiculi auro puro.

16. Et fecerunt duas fundas auri, & duos annulos auri, & dederunt duos annulos ſuper duabus extremitatibus Pectoralis.

17. Et dederunt duos funiculos auri ſuper duobus annulis ſuper extremitatibus Pectoralis.

18. Et duas extremitates duorum funiculorum dederunt ſuper duabus fundis, & dederunt ea ſuper humeralibus Ephodi e regione facierum ejus.

19. Et fecerunt duos annulos auri, & poſuerunt ſuper duabus extremitatibus Pectoralis, ſuper ora ejus quæ citra Ephodum introrſum.

20. Et fecerunt duos annulos auri, & dederunt ſuper duobus humeralibus Ephodi inferius e regione facierum ejus, contra juncturam ſupra cingulum Ephodi.

21. Et alligabant Pectorale ex annulis ejus ad annulos Ephodi filo hyacinthini ad eſſe ſuper cingulo Ephodi, ne recederet Pectorale a ſuper Ephodo, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi.

22. Et fecit Pallium Ephodi opere textoris, totum hyacinthino.

23. Et os Pallii in medio ejus ſicut os loricæ, ora ori ejus circumcirca, ne laceraretur.

24. Et fecerunt ſuper fimbriis Pallii malogranata hyacinthino & purpura & coccineo dibapho intertexto.

25. Et fecerunt Tintinnabula auri puri, & dederunt tintinnabula in medio malogranatorum ſuper fimbriis pallii circumcirca in medio malogranatorum.

26. Tintinnabulum & malogranatum, tintinnabulum & malogranatum ſuper fimbriis pallii circumcirca ad miniſtrandum, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi.

27. Et

27. Et fecerunt Tunicas byſſini opere textoris Aharoni, & filiis ejus.

28. Et Cidarin byſſino, & ornamentum tiararum byſſino, & femoralia lini byſſino intertexto.

29. Et Baltheum byſſino intertexto, & hyacinthino & purpura & coccineo dibapho, opere acupictoris, quemadmodum præcepit Jehovah Moſchi.

30. Et fecerunt Bracteam coronæ ſanctitatis auro puro, & ſcripſerunt ſuper ea ſcripturam ſculpturis ſigilli, SANCTITAS JEHOVÆ.

31. Et dederunt ſuper illam filum hyacinthini ad dandum ſuper Cidarim ſuperius, quemadmodum præcepit JEHOVAH Moſchi.

32. Et abſolutum eſt omne opus Habitaculi Tentorii conventus, & fecerunt filii Iſraelis ſecundum omnia quæ præcepit JEHOVAH Moſchi, ita fecerunt.

33. Et adduxerunt Habitaculum ad Moſchen, Tentorium & omnia vaſa ejus, anſulas ejus, aſſeres ejus, vectes ejus, & columnas ejus, & baſes ejus.

34. Et tegumentum pellium arietum rubrorum, & tegumentum pellium melium, & velum tegumenti.

35. Arcam Teſtimonii, & vectes ejus, & Propitiatorium.

36. Menſam, omnia vaſa ejus, & panem facierum.

37. Candelabrum purum, lucernas ejus, lucernas diſpoſitionis, & omnia vaſa ejus, & oleum luminaris.

38. Et Altare auri, & Oleum unctionis, & Suffimentum aromatum, & Tegumentum oſtii Tentorii.

39. Altare æris, & cribrum æris quod illi, vectes ejus, & omnia vaſa ejus, labrum & baſin ejus.

40. Tapetes Atrii, columnas ejus, & baſes ejus, & tegumentum portæ Atrii, funes ejus, & claves ejus, & omnia vaſa ſervitii Habitaculi Tentorio Conventus.

41. Veſtes miniſterii ad miniſtrandum in Sancto, veſtes ſanctitatis Aharoni Sacerdoti, & veſtes filiorum ejus ad fungendum ſacerdotio.

42. Secundum omnia quæ præcepit JEHOVAH Moſchi, ita fecerunt filii Iſraelis omne ſervitium.

43. Et vidit Moſcheh omne opus, & ecce fecerant illud quemadmodum præcepit JEHOVAH, ita fecerunt; & benedixit illis Moſcheh.

CONTENTA.

10,807. QUIA hæc, quæ in hoc Capite continentur, quoad sensum internum explicata sunt prius, & quæ de Vestibus Aharonis & filiorum ejus in Capite XXVIII, ideo etiam illorum ulterior explicatio supersedetur.



Continuatio de Sexta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,808. *HI Spiritus, cum quibus nunc loquutus sum, erant a parte septentrionali suæ telluris; dein perlatus sum ad alios, qui erant a parte occidentali; hi quoque volentes explorare quinam essem & qualis, statim dicebant, quod apud me nihil nisi quam malum esset, cogitabant sic quod deterrerer a propius accedendo; apperceptum, quod ita ad omnes qui adventant, primum dicant; sed respondere dabatur, quod sciam bene quod ita sit, & quod apud illos similiter nihil nisi quam malum sit, ex causa quia omnis nascitur in malum, & ideo quicquid ab homine, spiritu ac angelo, ut a suo seu proprio venit, non est nisi quam malum, quoniam omne bonum, quod apud unumquemvis, est a Domino; inde appercipiebant quod in veritate essem, & admittebar ad loquendum cum illis; & tunc ostendebant mihi suam ideam de malo apud hominem, & de bono a Domino, quomodo ab invicem separantur; ponebant unum juxta alterum, pæne ut contigua, sed usque separata, at quasi vincta ineffabili modo ita ut bonum duceret malum, & frænaret illud, ut non liceret ei agere ex lubitu, & quod bonum sic flecteret malum ad quod vellet, præterquam quod malum id resciret; ita sistebant dominium boni super malum & simul statum liberum in quo malum ducitur a bono ad bonum, ita ad Dominum, nam de idea boni habebant ideam Domini, quia est ab Ipso.*

10,809. *Deinde interrogabant, quomodo Dominus apparet apud angelos e nostra Tellure, dicebam quod appareat in Sole ut Homo, circumdatus ibi igneo solari, ex quo omnis lux est angelis in cælis, & quod Calor qui procedit inde, sit Divinum Bonum, & quod Lux quæ inde sit Divinum Verum, utrumque ex Divino Amore, qui est igneum apparens circum Dominum in illo Sole: sed quod Sol ille modo angelis in cælo appareat,*

appareat, & non spiritibus qui infra sunt, quoniam hi remotiores sunt a receptione boni amoris & veri fidei, quam angeli qui in cælis. Quod autem solem mundi attinet, is nulli in altera vita apparet, sistitur tamen in idea illorum sicut nigrum non visibile, ex opposito ad solem cæli, qui est Dominus. Quod quæsiverint de Domino ac de Ipsius apparentia coram angelis e nostra Tellure, dabatur illis, quoniam tunc placuit Domino se præsentem sistere apud illos, ac in ordinem redigere quæ ex malis ibi deturbata sunt, de quibus conquesti sunt: ut hæc viderem, causa etiam erat, quod illuc perductus sim.

10,810. *Visa tunc est nubes obscura versus ortum ex altitudine quadam descendens, quæ in descendendo apparebat per gradus lucida & in humana forma, tandem hæc in jubare flammeo, circum quod stellulæ ejusdem coloris; sic Dominus præsentem se stitit apud spiritus cum quibus loquebar: ad præsentiam tunc congregabantur ab undique omnes Spiritus, qui ibi, & cum veniebant, separabantur boni a malis, boni ad dextrum, & mali ad sinistrum, & hoc illico sicut sua sponte, & qui ad dextrum, ordinabantur secundum quale boni, & qui ad sinistrum secundum quale mali, apud illos; qui boni erant, relicti sunt, ut societatem cælestem inter se formarent, mali autem conjecti sunt in inferna. Postea videbam, quod flammeum illud jubar descenderet in inferiora terræ ibi satis profunde, & tunc apparebat nunc in flammeo vergente ad lucidum, nunc in lucido vergente ad obscurum, & nunc in obscuro; & dicebatur mihi ab angelis, quod apparentia illa sit secundum receptionem veri a bono, ac falsi a malo, apud illos qui inferiora terræ illius incolunt, & prorsus non quod flammeum illud jubar tales varietates subiret; dicebant etiam quod inferiora terræ illius incolerentur tam a bonis quam a malis, sed probe separati, ob causam ut mali regerentur per bonos a Domino; addebant quod boni per vices inde eleventur in cælum a Domino, & loco illorum alii succedant, & sic jugiter. In descensu illo separabantur similiter boni a malis, & redigebantur omnia in ordinem; mali enim per varias artes & astutias se intulerunt ibi in domicilia bonorum, ac infestaverunt illos; ob quam causam illa visitatio.*

10,811. *Nubes illa, quæ in descendendo apparebat per gradus lucida, & in humana forma, & dein ut jubar flammeum, erat societas angelica, in cujus medio Dominus. Inde scire dabatur, quid intelligitur per Domini verba ubi de ultimo Judicio, apud Evangelistas, "quod venturus sit cum angelis in nubibus cæli cum gloria & virtute."*

10,812. *Postea visi sunt spiritus monachales, qui nempe fuerant Monachi peregrinatores seu missionarii in mundo, de quibus supra dictum est; & quoque visa est turba, quæ erat ex spiritibus illius telluris, plerisque malis, quos in sui partes traxerunt, & seduxerunt: hi visi sunt ad plagam orientalem illius telluris, e qua abegerunt bonos, qui ad septentrionale latus telluris, de quibus prius, apparuerunt; illa turba una cum suis seductoribus in unum collecti sunt, ad aliquot millia, & separati; ac mali ex illis conjecti sunt in inferna. Cum uno spiritu monacho dabatur etiam loqui, & quærere quid faceret ibi, dicebat ut illos doceret de Domino; quid porro, de cælo & inferno; quid porro, de fide omnium quæ dicturus; quid porro, de potestate remittendi peccata, ac aperiendi & claudendi cælum: explorabatur tunc quid sciret de Domino, de veris fidei, de remissione peccatorum, de salvatione hominis, ac de cælo & inferno, & compertum est, quod vix aliquid sciret, & quod esset in obscuro & in falso de omnibus & singulis; & quod solum insideret ei lucrandi & dominandi cupiditas, quam in mundo contraxit & inde secum habuit; quare dicebatur ei, quod quia ex illa cupiditate usque illuc peregrinatus est, & quia talis erat quoad doctrinam, non aliter potuisset quam apud spiritus illius telluris auferre lucem cælestem, & inferre tenebras inferni, & sic efficere, quod infernum apud illos dominaretur, & non Dominus. Præterea astutus erat in seducendo, tametsi stupidus quoad illa quæ cæli erant: is quia talis erat, dein conjectus est in infernum: sic spiritus illius telluris ab illis liberati sunt.*

10,813. *Inter alia quoque dicebant spiritus illius telluris, quod advenæ illi, qui, ut dictum est, erant spiritus monachi, omni studio vellent ut in societate simul viverent, & non separati & solitarii: spiritus enim & angeli habitant & cohabitant similiter ut in mundo; nam unamquemvis sequitur vita ejus in mundo; qui congregati habitarunt in mundo, etiam congregati ibi habitant; & qui separati in domos & familias, etiam separati similiter habitant: hi spiritus in tellure sua, cum ibi vixerunt, habitaverunt separati, domus & domus, familiæ & familiæ, & sic gentes & gentes, & inde nesciverunt quid esset habitare in societate simul: quare cum dicebatur illis, quod advenæ illi ita vellent, ob causam ut imperarent seu dominarentur super illos, & quod non aliter possent subjicere illos sibi, & facere illos servos, respondebant, quod prorsus nesciant quid sit imperare & dominari: quod fugiant ad solam ideam imperii seu dominatus, animadvertebam ex eo,*

eo, quod unus ex illis, qui nos comitabatur retro, cum ostenderem illi urbem, in qua habitabam, ad primum aspectum ejus aufugeret, & amplius non visus. Sciendum est, quod spiritus & angeli, quando Domino beneplacet, possint videre illa quæ in mundo per oculos hominis, sed hoc non concedit Dominus apud alium, quam cui dat loqui cum spiritibus & angelis, & esse cum illis; per meos oculos datum est illis videre illa quæ in mundo, & tam manifeste, sicut ego; tum etiam audire homines mecum loquentes.

10,814. *Tunc loqui dabatur cum angelis qui apud me erant, de Dominiis, quod duo genera Dominii sint, unum amoris erga proximum, & alterum amoris sui; & quod dominium amoris erga proximum sit inter illos, qui separati in domos, familias & gentes habitant; at dominium amoris sui inter illos qui in societate simul habitant; inter illos qui separati in domos, familias & gentes vivunt, dominatur ille qui Pater gentis est, & sub illo patresfamilias, & sub his patres cujusvis domus; pater gentis dicitur, ex quo familiæ, & ex familiis domus; sed omnes illi dominantur ex amore, sicut patris erga liberos, docet illos quomodo vivent, benefacit illis, & quantum potest, ex suo illis dat; & nusquam in animum ejus venit subjicere illos sibi ut subditos, aut sicut famulos, sed amat ut obediant illi sicut filii patri suo; & quia hic amor crescit in descendendo, ut notum est, ideo pater gentis ex interiore amore agit quam ipse pater ex quo filii proxime sunt: tale etiam dominium est in cælis, quoniam tale Dominium est Domini, est enim dominium Ipsius ex Divino amore erga universum Genus humanum. At dominium amoris sui, quod oppositum est dominio amoris erga proximum, incepit cum homo se abalienavit a Domino, nam quantum homo Dominum non amat & colit, tantum se amat & colit, & tantum quoque amat mundum præ cælo: ex necessitate tunc, ut tuti essent, contulerunt se gentes cum familiis & domibus in unum, & iniverunt regimina sub variis formis; quantum enim ille amor crevit, tantum creverunt omnis generis mala, sicut inimicitiæ, invidiæ, odia, vindictæ, doli, sævitiæ contra omnes qui se opponebant; & quoque ille amor talis est, ut quantum ei laxantur fræna, ruat, usque tandem ut unusquisque talis dominari velit super omnes alios in universo terrarum orbe, & unusquisque velit possidere omnia aliorum bona; imo nec hoc satis est, sed etiam dominari vult super universum cælum; ut constare potest ex hodierna Babylonia: hoc nunc est dominium amoris sui, a quo tantum differt dominium amoris erga proximum, quantum cælum ab inferno. Sed quan-*

quantumvis dominium amoris sui tale est in societatibus usque tamen datur dominium amoris erga proximum, etiam in Regnis, apud illos qui sapientes sunt ex fide & amore in Deum, hi enim amant proximum: quod hi etiam in Cœlis habitent distincti in gentes, familias, & domus, tametsi in societatibus simul, sed secundum affinitates spirituales, quæ sunt boni amoris & veri fidei, alibi, ex Divina Domini Misericordia, dicetur.

Continuatio de Sexta hac Tellure in Cœlo astrifero ad finem Capitis sequentis.



EXODI

EXODI

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Doctrina Charitatis et Fidei.

10,815. DEUS est unus, qui Creator universi & Conservator universi; ita qui Deus cœli & Deus terræ.

10,816. Sunt duo quæ faciunt vitam cœli apud hominem, Verum fidei & Bonum amoris; hæc vita est homini ex Deo, & prorsus nihil ex homine: quapropter primarium Ecclesiæ est, agnoscere Deum, credere in Deum, & amare Ipsum.

10,817. Qui intra Ecclesiam nati sunt, agnoscere debent Dominum, Divinum Ipsius & Humanum Ipsius, ac credere in Ipsum & amare Ipsum; nam a Domino omnis salus: hoc docet Dominus apud Johannem, "*Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet apud illum,*" III: 36: apud Eundem, "*Hæc est voluntas Ipsius qui misit Me, ut omnis qui videt Filium, & credit in Ipsum, habeat vitam æternam; & resuscitabo illum in extremo die,*" VI: 4: apud Eundem, "*Jesus dixit; Ego sum resurrectio & vita, qui credit in Me, etsi moritur, vivet, omnis vero qui vivit & credit in Me, non morietur in æternum,*" XI: 21. 23.

10,818. Quapropter illi qui intra Ecclesiam non agnoscunt Dominum, ac Ipsius Divinum, non possunt conjungi Deo, & sic non aliquam sortem habere cum Angelis in Cœlo: nemo enim conjungi potest Deo nisi a Domino & in Domino.

Quod nemo possit conjungi Deo nisi a Domino, docet Dominus apud Johannem, "*Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius, qui in sinu Patris est, Ille exposuit,*" I: 20: apud Eundem, "*Non vocem Patris audivistis unquam, neque speciem Ipsius vidistis,*" V: 37: apud Eundem, "*Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare,*" XI: 27: & apud Eundem, "*Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per Me,*" XIV: 6.

Quod nemo possit conjungi Deo nisi in Domino, etiam docet Dominus, apud Johannem, "*Quemadmodum palmes non potest fructum ferre*

ferre a seipso, nisi manserit in vite, ita neque vos nisi in Me manseritis: quia sine Me non potestis facere quicquam," XV: 4. 5.

Quod nemo possit conjungi Deo nisi in Domino, est quia Pater est in Ipso, & unum sunt, sicut etiam docet apud Johannem, "*Qui vidit Me vidit Ipsum qui misit Me; & Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Illum; qui vidit Me vidit Patrem: Philippe, nonne credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me; credite Mihi quod Ego in Patre & Pater in Me,"* XIV: 10. 11: & apud Eundem, "*Pater & Ego unum sumus; cognoscatis & credatis quod Ego in Patre, & Pater in Me,"* X: 30. 38.

10,819. Quia Pater in Domino est, ac Pater & Dominus unum sunt, & quia credendum est in Ipsum, & qui credit in Ipsum vitam æternam habet, patet quod Dominus sit Deus: quod Dominus sit Deus, docet Verbum ubivis, ut apud Johannem, "*In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est; & Verbum caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam ut Unigeniti a Patre,"* I: 1. 3. 14: apud Esaiam, "*Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero principatus, & vocabitur Nomen Ipsius Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis,"* IX: 5: apud Eundem, "*Virgo concipiet & pariet, & vocabitur Nomen Ipsius Deus nobiscum,"* VII: 14. Matth: 1: 23: & apud Jeremiam, "*Ecce dies venient, cum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex & prosperabitur; & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum, Jehovah Justitia nostra."* XXIII: 5. 6. Cap: XXXIII: 15. 16.

10,820. Omnes qui ab Ecclesia sunt, & in luce e Cœlo, vident Divinum in Domino, & hoc in Humano Ipsius; at qui non in luce e cœlo sunt, non vident nisi quam Humanum in Domino; cum tamen Humanum ac Divinum in Ipso ita unita sunt, ut sint unum, sicut docuit Dominus, etiam alibi apud Johannem, "*Pater omnia Mea Tua sunt, & omnia Tua Mea,"* XVII: 10.

10,821. Qui de Divinitate ideam trium personarum habent, non possunt ideam unius Dei habere; si ore dicunt unum, usque cogitant tres: at qui de Divinitate ideam trium in una Persona habent, illi possunt ideam unius Dei habere, ac dicere unum Deum, & quoque cogitare unum Deum.

10,822. Idea trium in una Persona habetur, cum cogitatur quod Pater in Domino sit, & Spiritus Sanctus procedat a Domino; Trinum tunc

tunc in Domino eſt Ipſum Divinum, quod Pater vocatur, Divinum Humanum quod Filius, & Divinum procedens, quod Spiritus Sanctus.

10,823. Omnis homo ex patre habet ſuum Eſſe vitæ, quod vocatur Anima ejus, Exiſtere vitæ inde eſt quod vocatur Corpus, inde corpus eſt ſimilitudo ſuæ animæ, nam anima per illud agit vitam ſuam ex nutu; inde eſt, quod homines naſcantur in ſimilitudinem ſuorum patrum, & quod familiæ internoſcantur: exinde patet, quale Corpus ſeu quale Humanum Domino fuit, quod nempe ſicut Ipſum Divinum, quod fuit Eſſe vitæ Ipſius ſeu Anima ex Patre; quare dixit, "*Qui videt Me, videt Patrem*," Joh: XIV: 9.

10,824. Quod Divinum & Humanum Domini ſit una Perſona, eſt quoque ex fide recepta in toto Chriſtiano orbe, quæ talis eſt, "*Quamvis Chriſtus eſt Deus & Homo, uſque tamen non eſt duo, ſed unus Chriſtus; imo eſt prorſus unus & unica Perſona; quia ſicut corpus & anima ſunt unus homo, ita quoque Deus & Homo eſt unus Chriſtus*," hæc e Symbolo Athanaſii.

10,825. Quod Dominus conceptus ſit a Jehovah Patre, & ſic a conceptione Deus, notum eſt in Eccleſia; & quoque quod reſurrexerit cum toto corpore, nam nihil reliquit in ſepulchro; de quo etiam poſtea confirmavit diſcipulos, dicendo, "*Videte manus meas & pedes meos, quod Ipſe Ego ſim; palpate Me & videte; nam Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut Me videtis habere*," Luc: XXIV: 39: & tametſi fuit homo quoad carnem & oſſa, uſque intravit per fores clauſas, ac poſtquam ſe manifeſtavit, inviſibilis factus eſt," Joh: XX: 19. 26. Luc: XXIV: 31. Secus fit omni homini, homo enim modo quoad Spiritum & non quoad corpus reſurgit; quare cum dixit, *quod non ſit ſicut Spiritus*, dixit quod non ſit ſicut alius homo. Inde nunc patet, quod etiam Humanum in Domino Divinum ſit.

10,826. Qui faciunt Humanum Domini ſimile humano alius hominis, non cogitant de conceptione Ipſius ex Ipſo Divino: nec de Reſurrectione Ipſius cum toto corpore: neque de Ipſo viſo cum transformatus, quod ſplenduerit facies Ipſius ſicut Sol: nec ſciunt & capiunt quod corpus cujuſvis ſit ſimilitudo ſeu effigies ſuæ animæ: nec quod Dominus omnipræſens ſit etiam quoad Humanum; inde enim fides omnipræſentiæ Ipſius in ſacra cœna; Omnipræſentia eſt Divina. Matth: XXVIII: 20.

10,827. Quia in Domino omne Divinum eſt, ideo Ipſi omnis poteſtas in cœlis & in terris eſt: quod etiam Ipſe dicit apud Johannem, "*Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis*," XVII: 2: apud Matthæum,

thæum, "*Omnia Mihi tradita ſunt a Patre,*" XI : 27: & apud Eundem, "*Data eſt Mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra,*" XXVIII : 16.

10,828. Dominus in mundum venit, ut ſalvaret genus humanum, quod alioquin periiſſet morte æterna: & per id ſalvavit, quod ſubjugaverit inferna, quæ infeſtabant omnem hominem venientem in mundum, & exeuntem e mundo; & ſimul per id quod glorificaverit Humanum ſuum, ſic enim inferna poteſt tenere ſubjugata in æternum. Subjugatio infernorum, & ſimul Glorificatio Humani Ipſius, facta eſt per Tentationes in Humanum ſuum admiſſas, & per continuas tunc victorias: paſſio Ipſius in cruce fuit ultima Tentatio & plena Victoria. Quod Dominus ſubjugaverit inferna, docet Ipſe apud Johannem, "Jeſus dixit, nunc anima mea turbata eſt, Pater eripe Me ex hac hora, *ſed propter hoc veni in mundum:* Pater glorifica Nomen tuum; exiit vox e cœlo, & glorificavi, & rurſus glorificabo: tunc dixit Jeſus, *nunc judicium eſt mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras,*" XII : 27. 28. 31: apud Eundem, "*Confidite, Ego vici mundum,*" XVI : 33: & apud Eſaiam, "*Quis hic venit ex Edom, incedens in multitudine roboris ſui, magnus ad ſalvandum; ſalutem præſtitit Mihi brachium meum; ideo factus eſt illis in Salvatorem,*" LXIII : 1 ad 20. Cap. : LIX : 16 ad 21. Quod glorificaverit Humanum ſuum, & quod Paſſio crucis fuerit ultima Tentatio & plena Victoria, per quam glorificatus eſt, docet etiam apud Johannem, "*Poſtquam Judas exivit, dixit Jeſus, nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificabit Ipſum in Se Ipſo, & ſtatim glorificabit Ipſum,*" XIII : 31. 32: apud Eundem, "*Pater venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te; nunc glorifica Me tu Pater gloria, quam habui antequam mundus erat apud Te,*" XVII : 1. 5: apud Eundem, "*Nunc anima mea turbata eſt; Pater glorifica tuum Nomen; & exiit vox e cœlo, & glorificavi & rurſus glorificabo,*" XII : 27. 28: & apud Lucam, "*Nonne hoc oportebat pati Chriſtum, & ingredi in gloriam ſuam,*" XXIV : 30: glorificare eſt Divinum facere. Inde nunc conſtat, quod niſi Dominus in mundum venerit, & homo factus ſit, & eo modo liberaverit ab inferno omnes illos qui credunt in Ipſum, ac amant Ipſum, nullus mortalium ſalvari potuerit; ita intelligitur, quod abſque Domino nulla ſalus.

10,829. Amare Dominum eſt vivere ſecundum præcepta Ipſius; quod id ſit amare Dominum, docet Ipſe apud Johannem, "*Si amatis Me, mandata mea ſervate; Qui habet præcepta mea, & facit illa, ille eſt qui amat Me. Si quis amaverit Me, verbum meum ſervabit;*

qui

qui vero non amat Me, verba mea non servat," XIV: 15. 21. 23. 24. Et quod illi salventur qui recipiunt Dominum, & credunt in Ipsum; non autem qui in malis & inde falsis sunt, quoniam hi non recipiunt Ipsum & credunt in Ipsum, apud Johannem, "*Quotquot receperunt Ipsum, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in Nomen Ipsius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,"* I: 12. 13; ex sanguinibus, ex voluntate carnis, & ex voluntate viri, est in malis amoris sui & mundi esse & inde falsis; a Deo nasci est regenerari.

10,830. Quum Dominus plene glorificavit Humanum suum, tunc exuit humanum ex matre, ac induit Humanum ex Patre; quare tunc non amplius Mariæ filius fuit, sed Dei ex quo exivit.

10,831. Quod Trinum in Domino sit, nempe Ipsum Divinum, Divinum Humanum, & Divinum procedens, est arcanum e cœlo, & pro illis qui in Sancta Hierosolyma erunt.



CAPUT XL.

1. ET loquutus est JEHOVAH ad Moschen, dicendo.

2. In die mensis primi in primo Mensi, eriges Habitaculum Tentorii conventus.

3. Et pones ibi Arcam Testimonii, & teges super Arcam velum.

4. Et introduces Mensam, & dispones dispositionem ejus; & introduces Candelabrum, & ascendere facies lucernas ejus.

5. Et dabis Altare auri pro suffitu ante Arcam Testimonii, & pones tegumentum ostii Habitaculo.

6. Et dabis Altare holocausti ante ostium Habitaculi tentorii conventus.

7. Et dabis Labrum inter Tentorum conventus, & inter Altare, & dabis ibi aquas.

8. Et pones Atrium circumcirca, & dabis Tegumentum portæ atrii.

9. Et accipies Oleum unctionis, & unges Habitaculum, & omnia quæ in illo, & sanctificabis illud, & omnia vasa ejus; & erit Sanctum.

10. Et unges Altare holocausti, & omnia vasa ejus, & sanctificabis Altare, & erit Altare sanctum sanctorum.

11. Et unges Labrum & basin ejus, & sanctificabis illud.

12. Et appropinquare facies Aharonem & filios ejus ad ostium Tentorii conventus, & lavabis illos aquis.

13. Et induere facies Aharonem vestibus sanctitatis, & unges illum, & sanctificabis illum, & sacerdotio fungetur Mihi.

14. Et Filios ejus appropinquare facies, & induere facies illos tunicis.

15. Et unges illos quemadmodum unxisti patrem illorum, & sacerdotio fungentur Mihi, & erit ad esse illis unctio eorum ad sacerdotium sæculi generationibus illorum.

16. Et fecit Moscheh secundum omnia quæ præcepit Jehovah illi, ita fecit.

17. Et factum in mense primo in anno secundo in primo mensi, erectum est Habitaculum.

18. Et erexit Moscheh Habitaculum, & dedit bases ejus, & posuit asseres ejus, & dedit vectes ejus, & erexit columnas ejus.

19. Et expandit tentorium super Habitaculum, & posuit tegumentum tentorii super illud superius, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

20. Et accepit & dedit Testimonium in Arcam, & posuit vectes super Arcam, & dedit Propitiatorium super Arcam superius.

21. Et introduxit Arcam in Habitaculum, & posuit velum tegumenti, & texit super Arcam Testimonii, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

22. Et dedit Mensam in Tentorium conventus ad crus Habitaculi septentrionem versus ab extra velum.

23. Et disposuit super illa dispositionem panis coram Jehovah, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

24. Et posuit Candelabrum in Tentorio conventus juxta mensam ad crus Habitaculi meridiem versus.

25. Et ascendere fecit lucernas coram Jehovah, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

26. Et posuit Altare auri in Tentorio conventus coram velo.

27. Et suffivit super illo suffimentum aromatum, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

28. Et posuit Tegumentum ostii Habitaculo.

29. Et Altare holocausti posuit ad ostium Habitaculi Tentorii conventus, & ascendere fecit super illo holocaustum & mincham, quemadmodum præcepit Jehovah Moschi.

30. Et

30. Et posuit Labrum inter Tentorium conventus & inter Altare, & dedit eo aquas ad lavandum.

31. Et laverunt ex illo Moscheh & Aharon, & filii ejus manus suas & pedes suos.

32. In intrando illos in Tentorium conventus, & in appropinquando illos ad Altare, laverunt, quemadmodum præcepit JEHOVAH Moschi.

33. Et erexit Atrium circum Habitaculum, & Altare, & dedit tegumentum portæ Atrii: & absolvit Moscheh opus.

34. Et obtexit nubes Tentorium conventus, & gloria JEHOVÆ implevit Habitaculum.

35. Et non potuit Moscheh intrare in Tentorium conventus, quia commorabatur super illo nubes, & gloria JEHOVÆ implevit Habitaculum.

36. Et in ascendendo nubes a super Habitaculo profecti sunt filii Israelis in omnibus profectionibus suis.

37. Et si non ascendit nubes, & non profecti sunt, usque ad diem ascendere illam.

38. Quia nubes JEHOVÆ super Habitaculo interdiu, & ignis erat noctu in illo, in oculis omnis domus Israelis, in omnibus profectionibus eorum.

CONTENTA.

10,832. HÆC etiam absque ulteriore explicatione prætereuntur, quia sunt iterum eadem quæ prius descripta & semel explicata sunt; præter illa quæ ad finem hujus Capitis memorantur, ubi dicitur, quod postquam Moscheh absolvit opus, nubes obtexerit Tentorium, & Gloria Jehovæ impleverit Habitaculum; tum quod nubes commoraretur super Tentorio interdiu, ac ignis in illo noctu; quodque filii Israelis profecti sint quoties nubes ascendit: quid hæc significant, etiam patet ex illis quæ de Nube, de Gloria Jehovæ, de Igne, & de Profectionibus, sæpius prius dicta & ostensa sunt.

Conti-



Continuatio de Sexta Tellure in Cœlo Astrifero.

10,833. *POstea interrogabam spiritus illos de variis quæ in Tellure, e qua erant: primum de Cultu eorum Divino; ad quæ respondebant, quod Gentes cum familiis suis quovis trigesimo die ad unum locum conveniant, & audiant prædicationes; & quod Prædicator tunc e pulpito aliquantum a terra elevato doceat illos Vera Divina quæ ducunt ab bonum vitæ. Quærebatur undenam sciunt Vera Divina, dicebant quod ex Revelatione; de Revelatione ajebant, quod fiat tempore matutino in statu medio inter somnum & vigiliam, quando in luce interiore nondum interpolata a sensibus corporis & a mundanis sunt, & quod tunc audiant Angelos Cæli loquentes de Veris Divinis, ac de vita secundum illa; & quod cum in vigiliam veniunt, appareat illis Angelus in veste alba ad lectum, qui tunc subito ab oculis illorum disparatur; & quod inde sciant, quod ex Cælo sint quæ audiverunt: ita internoscitur Visio Divina a visione non Divina, nam in visione non Divina Angelus non apparet. Addebant quod tali modo revelationes fiant apud Prædicatores eorum, quandoque etiam apud alios.*

10,834. *De sole illius telluris qui nobis est stella, dicebant quod ille appareat incolis magnitudine Capitis humani, flammeo colore: quod tempus annuum illis sit* 200 *dierum; & quod dies æquet* 9 *horas nostri temporis, quod ex diuturnitate dierum nostræ telluris in me percepta concludere potuerunt; & porro, quod illis vernum & æstivum perpetuum sit, & inde quod campi floreant, & arbores fructum ferant continue: causa quod ita sit, est, quia Annus eorum tam brevis est, æquans modo tempus* 75 *dierum nostri anni, & ubi Anni tam breves sunt, ibi non frigus moratur hyeme, nec æstus ætate, unde vernat humus continue.*

10,835. *Ad interrogationem de domibus eorum, dicebant quod illæ humiles sint, ex lignis, cum tecto plano, circum quod limbus obliquatus deorsum; & quod anterius ibi habitent Maritus & Uxor, in contiguo proximo liberi, post famuli & ancillæ. De Cibo ibi dicebant quod vescantur fructibus & leguminibus, & quod bibant lac cum aqua: & quod lac illis sit ex vaccis quæ lanigeræ sicut oves.*

10,836. *De vita illorum dicebant, quod ambulent prorsus nudi, & quod nuditas illis non pudori sit: tum, quod conversationes illorum sint cum illis qui intra familias.*

10,837. *Quod*

10,837. *Quod Desponsationes & Conjugia apud incolas in illa tellure attinet, narrabant, quod filia circa ætatem ejus nubilem teneatur domi, nec liceat ei exire usque ad diem quo maritanda; & quod tunc perducatur ad domum quandam connubialem, quo etiam plures aliæ adolescentulæ, quæ nubiles, deductæ sunt, ac ibi ponantur post tabulatum usque ad mediam corporis eorum partem elevatum; apparentes sic nudæ modo quoad partem pectoralem & faciem: & quod tunc juvenes illuc veniant, ut sibi eligant aliquam in uxorem; & cum juvenis videt quandam sibi conformem, ad quam animus ejus illum trahit, manu illam prehendit, si illa tunc sequitur, ducit illam in domum præparatam, & fit ejus uxor: ex faciebus enim ibi vident, num animis conveniant, nam facies cujusvis ibi est index animi, nihil simulat & mentitur. Ut omnia decenter fiant, & absque lascivia, post puellas virgines sedet vir senex, & ad latus mulier vetula, & observant. Talia loca sunt plura, ad quæ adolescentulæ ducuntur, & quoque stata tempora, ut juvenibus sit electio; si enim non in uno loco puellam sibi convenientem vident, abeunt in alium; & si non eo tempore, sequenti redeunt. Porro dicebant, quod Maritus modo unam uxorem habeat, & nusquam plures, quia hoc contra ordinem Divinum.*

